



THEATRUM PRAXEOS MEDICÆ

QVO

ÆGRITVDINES

CORPORIS HVMANI

Tam internæ quàm externæ

Ordine alphabetico

Ita pertractantur & exponuntur, ut facili quis negotio

Non ſolùm *Naturam* ipſarum cognoſcere, ſed &

Methodum iis *medendi*

Citam, *tutam*, atque *jucundam* addiſcere queat.

THEODORUS ZUINGERUS,

An. & Bot. in Academ. Baſil. Profeſs. Sereniſs. *Ducis* *VVürtemb.* Conſil. & Med. Societatum Liter. Leopoldino-Imper. & Pruſſiaco-Regiæ Membrum,

Auxiliante *Numinis Divini* gratiâ in uſum

Medicorum Juniorum

Lucubrante utplurimum calamo adornavit,

Multorumque Jatrophilorum rogatu Juris publici fecit.



BASILEÆ.

Typis & Sumpt. JOHANNIS BRANDMÜLLERI.

Anno Domini MDCCX.



REVERENDISSIMO atque CELSISSIMO
S. R. IMPERII
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
JOHANNI CONRADO,
EPISCOPO BASILIENSI,
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME.



QVum nihil Homini gloriosius esse, nihilque adeo magis eum decere soleat, quàm Generi humano quacunque demum in Vitæ conditione utilia semper officia præstare, jucundum certè mihi est, imò jucundius quidquam evenire nequit, quàm vitæ meæ dies in tam præclaro

claro inſerviendi munere per Dei gratiam hucusque con
ſumſiſſe. Agitur enim, PRINCEPS CELSISSIME, im
præterit jam annus trigeſimus, quo ad exemplum Abav
Proaviqúe mei, *Theodori* & *Jacobi Zuingerorum*, *Medico
rum præclarorum*, & *Profeſſorum in Univerſitate noſtrâ ce
lebrium*, Medendi Arti adhibitus, toto hoc tempore nihi
mihi antiquius, potius nihil eſſe paſſus ſum, quàn
Ægrotantem ſine diſcrimine *Proximum* qualicunqu
conſilio, ope, & auxilio pro viribus meis noctu diuqu
ſublevare, utilemqúe illi operam præſtare. Neque de
fuit mihi unquam in tam ardui muneris negotio poten
DIVINI NVMINIS gratia, adeo ut ei ſoli omne meun
ſcire, velle, & poſſe debeam, inqúe acceptis devotiſſim
ſpiritu referam, præſertim quòd ſimul in Profeſſorii Mune
ris officio S. S. Spiritûs Sui ope adeo benignè mihi aſſiſter
voluerit, ut non facere tantùm Medicinam, ſed &
eam publicè privatimqúe docere, ſubinde notatu di
gniora in Theſaurum Obſervationum congerere, eaqu
etiam cum Diſcipulis meis fideliter communicare po
tuerim. Hac igitur quotidianâ medendi, & quidqui
in Corpore humano ad Sanitatis recuperationem præ
ſtari poteſt vel nequit, experiundi occaſione id tandem
evenit, ut rationalis admodum, & ea quidem tuta
jucundaqúe ſanandi ratio à me ſcripto mandata, inq; hoc
ipſum *Praxeos Medicæ Theatrum*, quod omnium Hu-
mani Corporis Ægritudinum deſcriptionem atque cu-
rationem minus prolixam in ſeſe comprehendit, con-
geſta fuerit. Opus verò hoc qualecunque, utut ἀκριβεία
& experientiâ longè majore adhuc indigens, quum Me
dic

dici plures, ac Practici inprimis Juniores in publicam lucem missum exoptarent, mittendumq; sæpius rogarent, prelo tandem subjectum, hisq; diebus benedicente DEO, ad exoptatum finem perductum fuit, ita ut nihil deficere videretur, quàm Patrocinium, cujus splendore & auctoritate in publico tutum comparere posset. Neq; profectò diu mecum deliberavi, aut anxius hæsi, quemnam præ cœteris Patronum seligerem; injurium enim statim in REVERENDISSIMAM CELSITVDINEM TVAM me futurum esse arbitrabar, si non hâc occasione CLEMENTIAM TVAM ad suscipiendam hanc Tutelam submissâ veneratione implorarem, atq; ita simul publicum devotissimæ meæ erga CELSITVDINEM TVAM observantiæ monumentum erigerem. Cùm enim Universitas nostra, à PIO SECVNDO *Pontifice Maximo* ante ducentos quinquaginta annos Civitati Basiliensi ex singulari gratiâ concessa, amplissimisque privilegiis, ad normam Academiæ Bononiensis exornata, maximo sibi honori ducat, *Reverendissimum* semper *Episcopum Basiliensem*, atque *Celsissimum S. R. I. Principem* pro *Cancellario* suo *Gratiosissimo* adgnoscere, ejusque *Auctoritate Principali* suas tranquillè res peragere, æquum esse judicavi, obsequiosissimi erga REVERENDISSIMAM CELSITVDINEM TVAM Cultûs mei testimonium quoddam publicum exhibere. Suscipe igitur, CLEMENTISSIME PRINCEPS, Fœtum hunc qualemcunque meum serenâ fronte, dignare ipsum potenti *Tutelâ Tuâ* atque *Præsidio* contra adversariorum insidias fortiter defendere, meque adeo, imò integram Universitatem

ſitatem noſtram *Clementiâ Tuâ* protegere haud gravare. Ego interea Summum Archiatrum, DEUM Ter Opt. Max. humillimâ prece fatigare non ceſſabo, ut CELSITVDINEM TVAM ad ſeros usque ætatis annos, ac innumerabilem dierum nunquam diſpliciturarum ſeriem ſoſpitem & incolumem conſervare inſuperque Regiminis perpetim felicis gloriâ, Pacis & Tranquillitatis nunquam turbatæ uſu, ac omnigenæ tandem proſperitatis gaudio cumulatim beare dignetur. Ita vovet ex animo


REVERENDISSIME CELSISSIMEQVE PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ

Cliens humillimus

THEODORVS ZVINGERVS.





In Effigiem Celeberrimi ZUINGERI Epigramma.

FORMOSUM ut Pictor ZUINGERUM pingeret en quas
Accepit tabulas, atque peregit opus!
DOCTUM etiam voluit ZUINGERUM pingere: erat sed
Cingere ZUINGERUM lamina nulla capax.

J. G. Seiller sculpsit. p. Gotth. Heideggerus Tigurin



D. O. M. B. V.

THEATRUM PRAXEOS MEDICÆ
ALPHABETICO ORDINE MORBOS CORPORIS HUMANI SINGULOS EORUMQUE NATURAM ET CURAM EXPONENS.

A.

Abdominis adumbratio.



BDOMINIS TVMORES. *Abdomen*, Græcis ſubinde dictum Επιγάϛριον, eſt *in genere* quidem totus *venter* humani Corporis *infimus*, qui intus per Diaphragma à Thorace ſeparatur, & diverſa in ſeſe Viſcera, prout Ventriculum, Hepar, Lienem &c. complectitur, extus verò Cartilagine enſiformi, oſſibus Pubis, Coxendicis, Sacro, Vertebris Lumborum, & utrinque Coſtis nothis circumſcribitur; ſuperius *Hypochondrii* dextri, ſiniſtri, atque *Præcordii*, quæ regio eſt media nonnihil depreſſa vel cava; in medio *Regionis umbilicalis*; inferius tandem *Hypogaſtrii*, *imi Ventris*, vel etiam *Aqualiculi*, in partes laterales ſeu *Ilia*, ac *Inguina*, & *Pubis* regionem pilis obtectam diſtincti, nominibus inſignitus. *Inſpecie* autem

tem *Abdominis* voce nonnulli Anatomici *externas* tantùm, *vestientes continentesve* infimi Ventris *partes* exprimere, easque dividere consueverunt in *communes*, sive *Cuticulam*, *Cutim*, *Panniculum carnosoad ipum*, atque *communem Musculorum membranam*, & *proprias*, sive *Musculos* ac *Peritonæum*.

Abdominis totius Tumor.

Omnes hæ Partes variis affliguntur Morbis, quorum plerique suis hinc inde locis describuntur; aliqui verò etiam heic specialius examinandi veniunt; hos inter statim occurrit *Tumor*, quo quidem infimus Venter subinde *totus* præternaturalem in magnitudinem assurgit, corpus deformans, incessui molestiam pariens, &, si diutius duraverit, Atrophiam post se trahens. Subinde verò *pars* tantùm *Abdominis* intumescit, & *specialem Tumorem* constituit. *Tumor* Abdominis totius aliquando est *mollis* & *asciticus*, de quo sub Titulo *Hydropis Ascitis*; aliquando *flatuosus*, *tensus*, *tympaniticus*, sub voce *Tympanitidis* descriptus; aliquando etiam aquoso-tympaniticus, planè monstrosus reddi solitus, quemadmodum in *Hydrope Ovarii muliebris*; aliquando denique est inter mollitiem & duritiem medius, quem in Infantibus & Pueris, *Atrophiâ* laborantibus, frequenter observare contingit.

Asciticus.

tympaniticus.

Tumor Abdominis Infantum.

In ipsâ nimirum Pædatrophiâ TVMOR ABDOMINIS sæpiùs apparet, sed tum per se non curatur, quoniam sublatâ illâ Infantum Tabe ipse simul paulatim disparere creditur: contingit hoc, ut verum fatear, non rarò, sicque perfectum Sanitatis pristinæ usum Ægri tales recuperant. Sæpius tamen etiam sanatâ utcunque Atrophiâ *Abdomen* Puerorum adhuc insigniter *tumidum* manet, plus minus tensum aut durum, non sine deformitate, atque incessus molestiâ, imò & metu ipsius recidivæ.

Ætiologia illius

Si *causam* Tumoris istius desideres, *proximè* quidem nunc Intestinorum Inflationem, ab aucto fibrarum membranacearum elatere oriundam; nunc aliqualem adhuc Viscerum Abdominis, & Glandularum mesaraicarum infarctum, à materiâ pituitosâ viscidâ productum; nunc Vermes Intestinorum, suâ rosione frequenti Tunicas fibrarum nervosarum crispantes, & ad validam expansionem stimulantes; nunc denique involucrorum Abdominis communium incrassationem, à collectâ pituitâ copiosâ provenientem, accusare possumus. Hinc fit, ut tales Pueri atque Infantes, etiamsi consumtio corporis cesset, imò hoc augeri iterum videatur, ad pristinum tamen habitum & εὐεξίαν minimè perveniant, donec Abdominis intumescentia sublata, tubulique & Glandulæ omnes à suâ obstructione & infarctu liberatæ fuerint. Causas *proximas* excitant variæ Causæ *antecedentes* & *procatarcticæ*; non errant heic, qui potissimam culpam imminutæ vel depravatæ etiam Chylificationi adscribunt, undecunque provenienti. Aëris profectò diversæ injuriæ, Ciborum eupeptorum, vel dyspeptorum, Potusque deterioris intempestiva aut immodica ingestio, Somnus prolixus nimis, Pathemata animi vehementia, Excretiones consuetæ neglectæ, & similia, liquorem debilitan-

do

do gastricum, perversæ illi chylificationi ansam multiplicem præbere notantur. Cruditates hinc viscido-pituitosæ, utplurimum acidæ, Chylum simili charactere inficientes, oriuntur. *Vermes* autem ex ovulis Insectorum cum Cibo ingestis, minusque probè dissolutis, enascuntur, sicque porta multiplex gignendis obstructionibus & infarctibus aperitur.

Diagnosis & Prognosis

Malum hoc autopsiâ facilè dignoscibile, si radicatum non fuerit, haud difficulter curabitur; inveteratum autem in Atrophiam & Hecticam subinde redit, & mortem denique lentam infert.

Curatio Tumoris flatulenti.

Dissipatur ejusmodi Tumor, si à copiosis flatibus distendentibus, vel ab elatere membranarum nimio ortum duxerit, per Remedia *carminativa, alcalina*, acidum vitiosum absorbentia, vel alio qualicunque modo destruentia. In hunc finem obesse magis, quàm prodesse credimus *purgantia fortiora*; urgente verò alvi Constipatione cochlearia aliquot *Syrupi flor. Persicorum*, vel *de Cichor. cum Rhabarb.* vel *flor. Acaciar.* aut *Rosar. sol. simpl.* cum *Aquâ Fœniculi, Scab.* permiscendo quasdam guttulas *Spiritûs*, vel *Olei stillatit. Anisi* aut *Cherefol.* dare licebit *Clysmata* autem magis proficua esse notavimus, parata ex *decocto Radic. Angelic. Calami aromat. Alth. Ireos fl. Petasitid. Herb. Malv. Alth. Ocym. Meliss. Puleg. Menth. Summitat. Aneth. Abrotoni, Flor. Chamomill. Bacc. Lauri, Juniperi, Semin. Dauc. Fœnic. Anis. Carv. Cumin. Aneth. Lini.* & simil. facto in *Aquâ font.* vel *Urinâ Pueri*, cui dein *Oleum Chamom. Anethi, Lilior. alb. Meliloti hortens.* cum tantillo *Salis communis*, vel ♀ri vel *Salis armoniaci* permixtum fuerit. Abdomini *Sacculus* siccus ex *Herbis Menthæ, Melissæ, Absynth. Abroton. Ocymi, Pulegii, Origani, Radicibus Angelic. Imperator. Galang. Zedoar. Seminibus Anethi, Anisi, Dauci, Fœniculi, Carvi, Baccis Lauri, Juniperi*, aliisque carminativis paratus, calidè applicabitur; prius Abdomen totum, si placet, illinendo *Oleis Anethi, Chamomill. Absynth. Rutæ, Meliloti, Anisi, Scorpionum Matthiol.* Intus dare licet, cùm Febris nulla adest, pulveres carminativos absorbentibus mistos, ex *Radic. Galang. Zedoar. Angelic. Cubeb. Cinamom. opt. Garyophyll. arom. Seminib. Anis. Fœnic. Corallis alb. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Unic. foss. & similibus.* Sed cùm frequenter admodum Pueri fastidio Remediorum teneantur, omni arte, clam etiam talia exhibebuntur, *sacchar*o ad gratiam permista: v. gr.

℞. *Corall. alb. vel rubr. ppt.*
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℈iiij.
Spod. ex Ebor. ppt. ʒj.
Auri fulminantis ℈ß.
Semin. Anis. gr. XII.
Radic. Zedoar. vel
Galang. gr. vj.
Sacch. penidior. vel rosat. tab. ℥ß.
M. F. pulv. subt. d. ad ch. Quotidie bis vel ter cuspis cultri plenus vel ℈j. *ad* ℈ij. *exhibetur cum vehiculo conveniente.*

Si *Sal volatile oleosum*, vel *Spiritus Salis armoniaci anis.* aut *fœniculatus*, vel *Essentia Zedoar. Galang. Spirit. Anisi, Aqua Vitæ Matthiol.* aut quid aliud æquè spirituosum & efficax dari possit, tum

tum præſcribetur tale quid, mane ac veſperi ad 6. 8. vel plures guttulas exhibendum cum *Ptiſanâ ordinaria*, vel *Aquâ Meliſſæ*, *Card. bened. Fœnic.*

Diæta. In Diætâ calidus Aër ſemper admittatur, cibi eupepti, minimè flatulenti, ſuccum exhibentes laudabilem chyloſum dabuntur. Pro potu ordinario *Decoctum* concedetur *Radic. Ireos florent. Chinæ*, *Raſur. Lign. Guajac. Saſſaphr. Semin. Aniſ. Fœnic.* Excreta alvina ſi non reſponderint quotidie, *Clyſmate emolliente* & *detergente carminativo* ſollicitabuntur. Ab Irâ præcavendi etiam Pueri, non ſecus atque à Vitâ ſedentariâ, & Somno nimio. Denique *Balneo Aquæ dulcis*, cum incoctis Plantis carminativis Æger quotidie per horulæ ſpatium immittendus.

Curatio Tumoris ab Infarctu. Quando *Tumor* Abdominis originem ſuam debet *Infarctui Viſcerum*, & *Glandularum* inprimis *meſaraicarum*, vel *Incraſſationi Involucrorum Ventris*, tum Purgantia præmittenda veniunt cum præparantibus; in hunc finem ter vel quater *Tincturam Martis aperitivam*, vel *Antimonii* ad decem vel plures guttulas bimulo aut trimulo cum *Aqu. Card. bened.* & *Syrup. violar.* vel cum Potu ordinario damus. Aut *Liquorem Terræ foliatæ* ♀ri ad ℈ij. vel ʒj. vel *Arcanum duplic. Mynſ.* ad ʒß. ſenſim 30. horarum ſpatio in potu concedimus. Præparatione verò tali præmiſſâ *Purgans* dandum, quale poterunt eſſe *Trochiſci noſtri Pædo-cathartici*, quorum unum Infanti unius anni, duos vel tres bimulo, trimulo, & ſi parum vel nihil purgaverint, tres bimulo, quatuor trimulo, quinque quadrimulo exhibere ſolemus: purgant egregiè, ac ſi quid in Ventriculo cruditatis hæſerit, non rarò etiam per gulam blandè evacuant. Trochiſcos verò hos vel devorandos concedimus, vel in pulverem tritos cum vehiculo exhibemus. Loco tamen hujus remedii frequenter propinari ſolent potiunculæ, v. gr. pro Infante bimulo:

℞. *Diacydon. lucidi* ℈iiij. *plus minus.*
Aqu. Borrag. q. ſ.
Fœnic. ʒj.
M. F. potiuncula d. ad vit. pro doſi matutinâ.

vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ß.
Aqu. Endiv. ʒvj. *Cinamom. bugloſſ.* ʒß.
Scammon. ſulphurat. gr. iß.
Mercur. dulc. quinquies ſublim. gr. iij.
M. F. potiuncula, d. ad Vit. pro doſi.

Vel Syrupus Roſar. ſol. ſ. aut flor. Perſicor. vel Acaciar. ad ℥j. plus minus cum *Aquâ Scabioſ.* & *Fœnicul.* bimulo aut trimulo propinari ſolet. Purgans verò repetendum eſt ter vel quater, etiam pluries intra menſis ſpatium, quò ſic obſtructionum reſeratio tantò efficacius præſtari queat.

Inter Purgantia ejuſmodi ſedulò quotidie Alterantia ſunt danda, incidendi, aperiendi, reſolvendi virtute gaudentia, atque inſuper chylificationis actionem promoventia; huc contribuunt *Succi* Plantarum antiſcorbuticarum, v. g. *Beccabungæ*, *Cardamines*, *Plantag. aquaticæ*, *Chelidoniæ minor. Naſturtii aquat. Cochlear. Borraginis*, *Trifolii fibrin. Cherefolii*, *Fumariæ*, *Sempervivi*, recenter expreſſi, filtrati,

trati, & ad ℥j. quotidie man. ac vesper. dati, cum tantillo Sacchari. Paratur ex succis iisdem *Syrupus sceletyrbicus*, *celeberrimo* olim *Scaphusiensium Medico*, Henrico Scretæ, dictus; cujus uncia una vel altera quotidie semel aut bis pro ætatis ratione propinatur. Si fastidiant Pueri talia, sument forsan *Aquam nostram antihecticam*, satis efficacem, quotidie m. ac vesp. ad ℥ß. vel cochlearia duo. Subinde pulverem quoque sequentem, aperiendi atque deobstruendi vi præstantem, cum successu usurpatum novimus:

℞. *Pulv. radic. Ireos floreut.* ʒj.
Scrophular. ʒß.
Rutæ murar. vel
Adianti nigri, vel
Cymbalar. ℈iiß.
Spodii ex Ebor. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℈iiij.
Specif. antihect. Poter. ʒj.
⊖*is volat. C. C. à fœtore liberati*, vel *Fuligin.* ʒß.
Sacch. rosat. ℥j.
M. F. Pulv. subt. det. ad Scatul. Dosis ℈j. ad ʒß. in Puero duorum, trium pluriumve annorum. Loco hujus magno sæpius cum fructu dedimus *Terram bolarem rubicundam nostratem*, *cum æquali parte Oculor.* ♋ *ppt.* tantillo *Semin. Fœniculi, Violar.* atque *Saccharo cand. albo* ad pondus omnium mixta, cujus pulveris dosis spatio 24. horarum ad ʒiß. assurgebat. Æstivo tempore potus *Thermarum Fabariensium*, vel *Lactis caprilli* cum incoctione *Florum Bellid. minor.* & *Fumar.* ad duas vel tres hebdomadas quotidie mane concessus egregiè prodest.

In Diætâ à dyspeptis, acidis, fumo induratis, salsis nimiùm, viscidis, crudis, Fructibus horæis, à potu acido, vel austero, à nimium frigidis &c. abstinendum. Abdomen à frigore qualicunque benè muniendum. Alvus quotidie respondere debet. *Balnea* tandem per Æstatem *mineralia argillaceo-nitrosa*, plus minùs *sulphurea*; vel per alia tempora anni in hypocaustis propriarum ædium, conficienda ex *Aquâ fontan. cum incoctione Herbarum emollientium & nervinarum aperientium*, v. g. *Althææ, Malvæ, Parietariæ, Violariæ, Betonicæ, Scabiosæ, Melissæ, Salv. Chamomillæ, flor. Genistæ, Calendulæ, Chamædr. Sideritid. Primulæ Veris, &c.* maximè conducunt, si tenelli ægrotantes quotidie per horæ spatium iis immittanrur. Hâc certè medendi methodo id sæpè effectum est, ut blanda *Diarrhœa*, cum excretione copiosæ pituitæ viscidæ Infantes prehenderet, per aliquot dies durans, cum subsequente Tumoris sensibili imminutione, εὐϕορία, & perfectæ sanitatis viriumque restitutione. *Diæta.*

Qui *Tumor* Abdominis *à Vermibus* Intestinorum provenit, per anthelmintica Remedia curabitur; quemadmodum sub Titulo de *Lumbricis* docetur. *Tumor à Vermibus*

ABDOMINIS INTVMESCENTIA quandoque etiam contingit Adultis, & quidem *Fœminis*, quæ vel *gravidæ* revera sunt, vel se tales esse credunt, licèt minimè sint. Tumor est nunc flatulentus, à collectis per Intestina aliasve Abdominis partes flatibus oriundus, quem etiam in Viris deprehendere licet, interdum brevi tempore durans, insen- *Abdominis intumescentia in Adultis.*

insensibiliter iterum disparens: nunc aquosus, ab Aquis intra cavum Uteri cumulatis, adeoque Hydrope Vteri incipiente nascens: nunc *tensivus*, à solâ elasticitate membranarum infimi Ventris, per irregulare quoddam sal acido-acriusculum, uterinos vel mesentericos plexus nervosos crispans, atque irritans, subitò utplurimum auctâ proveniens. Malum, quod sæpè non per diem tantùm, sed integras etiam hebdomadas, plures paucioresve, durat, neque molestiam aliquam notabilem procreat, nisi quando nimium distenditur Abdomen, & ita dolorem ejus tensivum excitat. Sic & Mola in Utero crescens Abdominis quoque Tumori originem præbet, Denique & maximè dolorifica spasmodicaque Abdominis expansio in utroque sexu ab assumto Veneno contingere solet.

Diagnosis.

Si Tumor est à Flatibus, vel ab assumto Veneno, tum ferè subitò oritur, atque cum tensivo dolore subinde pectoris quandam anxietatem producit, præprimis si simul alvus constipetur, & menstruorum fluxus supprimatur. Si verò Tumor provenit ab Aquis in Uteri capacitate collectis, tum sensim sine molestiâ considerabili nascitur, atque Urina interim parcior excernitur. A Molâ productus Tumor nunc subitò exoritur, si quædam in nervis uterinis contigerit irritatio, elasticitatem fibrarum augens; nunc paulatim gignitur, idque sæpius cum duritie quadam & intumescentiâ mamarum, mensium itidem suppressione, ut hinc se gravidas esse autument Fœminæ.

Prog.

Omnis autem Abdominis Intumescentia, etiam quæ alias satis tolerabilis est, neutiquam contemnenda venit, quoniam in Prægnantibus, si negligatur, facilè Abortum gignere, in aliis vel Hydropem Uteri, vel Tympanitem, vel soporosum etiam eumque periculi plenum Morbum, vel Convulsiones deleterias post se trahere valet, præprimis ubi Venenum assumtum sequuta fuerit.

Curat. Tumo. Abdominis Gravidarum flatule.

Curationem proin Tumor hic requirit, & eam quidem circumspectam; quod si enim ipsum à *Molâ* contingere arguas, curam Molæ, sicuti suo loco docetur, institues. Si in Prægnante cognoscas à *Flatibus* eum provenire, *Diætam* mox institues, quâ Flatuum proventus arcebitur omnis; & interea medicaminum carminativorum usum diligentem comendabis, quem in finem quotidie bis vel ter exhibere poteris guttas sex, octo, pluresve *Olei stillatitii Carvi*, *Cumini*, *Fœniculi*, *Anisi*, *Cherefolii*, *Corticum Aurant.* &c. cum *Aquâ Anisi*, *Fœniculi*, *Melissæ*, *Pulegii*, *Cardui bened. Cherefolii.* Prodest etiam *Aqua carminativa* Dorncreilii, vel *Riverii*, vel *Aqua physagoga Aug.* quotidie ante vel post pastum ad unum vel alterum cochleare assumta. *Essentia carminativa* Wedelii, *Elixir Vitæ* Matthioli, *Balsamus Embryonum*, *Spiritus carminativus* atque *Sal volatile oleos. Sylv. Spirit. Salis armon. anisat.* aut *fœniculat.* similiter prosunt ad cochleare post pastum, vel ad guttas 25. aut plures data. Quin & *Liquores spirituosi* è *Radice Angelicæ*, *Nasturtio*, *Apio Macedonico*, *vel Paludapio*, *Cortic. Aurantiorum*,

rantiorum, *Seminib. Anisi*, *Fœniculi &c.* parati, ad cochlearia aliquot pro dosi exhiberi solent. Imò *Vinum Malvaticum*, *Frontiniacum*, *Hispanicum*, *Creticum*, aut simile, ad unciam integram, majorive etiam quantitate quotidie potum flatus discutiet. Absorbentes quoque pulveres ex *Ocul.* ♋. *ppt. Corallis rubr. ppt.* ♁*n. diaph. Diaphor.* ♃*vial. Ras. Ebor. Semin. Anis. Cubeb. Cinam. &c.* parati, cum vel sine Saccharo ad ʒj. plus minus quotidie cum successu capiuntur, ex vehiculo *Aquarum Menth. Fœnic. Pulegii*, aliusve carminativæ. Extus Abdomen *Oleo Anethi*, *Absynth. Laurino*, *Chamomill. è Floribus Slotan.* calidè frequenter ungi, & *Sacculo* quodam è *carminativis herbis* atque *seminibus* parato calidè tegi potest.

Si Tumor Abdominis in Prægnante fuerit productus ab Aquis in Utero juxta Infantem collectis, atque peculiari membranæ inclusis, in formam Hydatidum, tum blandè movenda est alvus, per *Syrupum de Cich. cum Rhabarb. ad* ℥ij. vel ℥iiß. cum *Aquâ Gramin.* vel *Heder. terrestr.* &c. sumendum, desuper aliquoties hauriendo Jusculum, vel *Infusum fol. Thée.* Dein quotidie Diuretica, ac inter hæc *Tinctura* ♁*nii*, vel ♂*tis aperitiv.* ad 20. guttulas m. ac vesp. cum *Decocto* leni *Rasur. Ligni Sassaphr. Quajac. Radic. Chin. Filic. Vincetoxic. Ononid. Gramin. Sarsæparill.* ac *Semin. Anis.* in Aquâ parato dari potest. Vel Pulvis aperitivus diureticus concedetur, è *Radic. Liquirit. Ononid. Saxifragiæ*, *Semin. Dauci*, *Milii Solis*, *Petroselini*, *Anisi*, *Nasturt. Oculis* ♋. *ppt. Bezoardic. mineral. Diaphoretic.* ♂*ial. Specif. stomach. Poter. Salib. Juniperi*, *Ononid. Fabar. Absynth.* &c. compositus, & cum æquali portione Sacchari permixtus, cujus dosis esse potest ʒj. m̃. ac v. cum *Infuso Folior. Thée*, *Summit.* & *Radic. Virg. aur.* vel *Decocto Granor. Coffé* sumenda. Hoc modo fit sæpè, ut Hydatides illæ uterinæ rumpantur, & Aquæ profluant, Infante nihilominus in Utero manente vivo, & maturitatem suam adipiscente.

Extra tempus imprægnationis si Aquæ fuerint in Utero collectæ, Hydrops erit uterinus, de quo suo loco. Si verò à Flatibus, etiam subitò, intumuerit Abdomen non prægnantium Fœminarum, aut Virorum; nil melius experti fuimus esse, quàm si *Clysmata* statim infudimus *emollientia* & *carminativa*, ac simul exhibuimus Vinum medicatum alterans & purgans, è *Radic. Scrophul. Angelic. Zedoar. Cyperi, Apii, Herbis Centaurii minor. Abs. Abroton. Card. bened. Meliss. Agrimon. Flor. Salv. Calendul. Genist. Semin. Dauc. Fœnic. Aneth. Anis. Bacc Junip. Laur. Fol. Sen. opt. mund. Agaric. trochisc. Rhabarb. elect. Sale Juniper. Absynth. Spicâ. Indic. Cubeb. Cortic. Winteran.* &c. compositum, & singulis diebus mane jejuno stomacho ad tres quatuorve uncias propinatum. Præter hæc & Pulvis acidum destruens atque absorbens, cum Tragemate stomachico mixtus, frequenter ante vel post pastum assumi poterit, v. gr.

Tumor Abdominis à flatibus in Fœminis non prægnantibus.

℞. *Specier. aromat. rosat.*
diagalang. ana. ʒiß.
Ocul. ♋. *ppt.*

Ra-

Rasur. Ebor. ana. ℥ij.
Cryſtall. alb. ppt.
Flaved. cort. Aurant.
Semin. Aniſ. ana. ʒj.
Sacch. alb. ℥iij.
M. F. pulv. ſubt. d. ad Scatul. Doſis ʒj. ad ʒij.

Singulis doſibus ſimul duo vel tria grana *Auri fulminantis* commiſcere magno cum fructu poſſumus, vel in hujus defectu grana tria vel quatuor *Radic. Mechoacannæ.* Denique ea ſingula conducunt, quæ ſuperius in *Tumore Abdominis Gravidarum flatulento commendavimus.*

Quæ Abdominis intumeſcentia in utriuſque ſexûs Pueris vel Adultis ab aſſumto Veneno ſuam traxit originem, ſub Titulo de *Venenis* enucleabitur.

Abdominis Tumores ſpeciales.

ABDOMINIS TVMOR SPECIALIS nobis is eſt, quando non totus Venter infimus, ſed ejus tantùm major vel minor portio magnitudinem præternaturalem adquiſivit. Huc proin referimus *Scirrhos*, *Inflammationes*, *Abſceſſus*, *Omphalocelen*, *Enterocelen*, *Bubones* in Glandulis Inguinum enaſcentes, ſimileſque alios Abdominis affectus, de quibus ſingulis tamen partim ſuo loco agetur particulariter, partim ſub generali Scirrhorum, Inflammationum &c. titulo tractabitur. Notabile heic eſt, quòd Peritonæum non in Inguinibus tantùm & Umbilico laxetur aut rumpatur, & ſic Herniam producat: ſed vidimus illud etiam aliis in locis ruptum fuiſſe, & tumorem peculiarem excitâſſe; decennium enim excurrit, cùm ad octuagenariam Fœminam, Senatoris cujuſdam Viduam, Febri continuâ cum Catarrho pneumonico lethali laborantem, vocarer, quæ monſtravit mihi Tumorem laxum, cuti concolorem, indolentem, à lumbis ſiniſtris verſus Umbilicum, qui ab omni labe im̃unis conſpiciebatur, tendentem, ſpithamæ propemodum longitudine, & brachii obeſioris craſſitie eminentem, in cujus cavitate Inteſtina manifeſtè decumbentia, murmuraque in iis contingentia deprehendimus. Retulit autem, ſibi jam ante quinquaginta annos Tumorem iſtum verè hernioſum in difficili partu obtigiſſe, neque ullum unquam incommodum ſe inde percepiſſe. Nondum quinquennium elabitur, ex quo ad Puerperam quandam, Coriarii noſtratis Uxorem vocatus, eam cum Febri continuâ malignâ conflictantem offendi, dum verò in hujus curatione omne ſtudium & operam impendebam, Morbus tandem criticè ſolvebatur in immanem Abdominis dolorem, quatuor tranſverſis digitis ab Umbilico dextrorſum ſævientem; producebatur hinc magis ac magis Inflammatio, aſſurgebat hæc in grandem Tumorem, atque impoſito tandem molliente & ſuppurante Cataplaſmate in Abſceſſum mutabatur, qui poſtea apertus exhibebat Ulcus grande, & fundebat copiam puris ſatis boni ac laudabilis. Deterſum fuit optimè hoc Ulcus, ac tandem feliciter conſolidatum; ſed remanſit nihilominus Tumor, & præſens adhuc eſt in regione Abdominis prædictâ non longè ab Umbilico, rectè conſtituto, & magnitudinem dimidii Capitis puerilis exæquat, ſine omni dolore, in ſeſe

Hernia ſpecies extraordinaria.

ſeſe partem Inteſtinorum atque Omenti comprehendens, argumento ſatis probabili, quòd in præterito Abſceſſu eroſa atque aperta fuerit portio quædam Peritonæi. Ejusmodi Herniæ extraordinariæ, quoniam in ſuo perpetim ſtatu immutatæ manent, neque ullum laborem, moleſtiam aut periculum poſt ſe trahunt, ſine remediis relinquuntur, atque etiam aliàs inſanabiles exiſtunt. Si tamen incrementum ſumere, atque dolores cauſari moleſtos inciperent, tum verò convenienti faſciâ vel ſubligaculo ligari, atque ſic in priſtino ſuo ſtatu immutatæ conſervari deberent.

Abdominis dolor. ABDOMINIS DOLOR eſt triſtis qualiscunque ſenſatio in regione Abdominis ſive externâ ſive internâ contingens, Hominemque plus minus excrucians. Dolent ſubinde ventris iſtius infimi partes continentes, dolent frequentius adhuc contentæ, *Inteſtina*, *Meſenterium*, &c. *Ejus Cauſa.* *Cauſæ* verò talium Dolorum ſunt, quæcunque fibrillas membranaceo-nervoſas irregulari & acutâ particularum ſuarum figurâ pungere, rodere, lacerare, tendere, lancinare, ſcindere, criſpare, vel alio quocunque modo graviter lædere, ac ita motum iis, non ſecus atque ſucco, quem continent, ſpirituoſo præternaturalem inducere valent. Tale quid præſtant *exteriùs* quidem frigidus nimiùm aër, aut aliæ res frigidæ, *Colicam* v. gr. producentes, corpora dura in ventrem delapſa, aut demiſſa, contundentia, pungentia, lacerantia, &c. *interius* verò humores acres, plus minus acuti, acidi, ſalſi, corrodentes etiam, Tormina Ventris, Meſenterii cruciatus & lancinationes, Inflammationem, Nephralgiam &c. excitantes. Unde *ſpecies* Dolorum variæ emergunt, cum vel ſine tumore, aut duritie, quæ inter ſeſe tum affectâ parte, tum causâ efficiente, modo affligendi & tempore durationis differre obſervantur, diverſisq; proin nominibus indigitantur. De ſingulis verò Dolorum talium ſpeciebus hinc inde in Praxi hâc agitur.

Abdominis durities. ABDOMINIS DVRITIES eſt ſymptoma qualitatis mutatæ, quo ſcilicet naturalis infimi Ventris mollities deperditur, & contraria duritiei qualitas inducitur. Quandoque autem totum Abdomen, interdum una tantùm vel altera illius Regio dura obſervatur. Adeſt ſubinde ſimul dolor ac tenſio, quandoque etiam intumeſcentia & inflatio; ſicque à variis cauſis ſuam originem trahere videtur. *Cauſæ.* Indurant enim Abdomen *nunc* tenacior Alvi obſtructio, à cumulatis induratisque fœcum ſcybalis, Iliacâ Paſſione, aliisve cauſis orіunda; *nunc* Inteſtinorum canalis ſpaſmodica tenſio & conſtrictio, à ſale auſtero acri, nervoſas fibras plus minus acriter lancinante, vel à rodentibus etiam Lumbricis proveniens; *nunc* ſcirrhoſus Glandularum Meſenterii aliarumque, vel Viſceris hujus illiusve infarctus; *nunc* Flatus cellulam unam alteramve Coli, vel ſingula Inteſtina & Membranas Abdominis, pertinaciter occupantes atque tendentes, ſicut in Colicâ flatulentâ & Tympanitide.

Diagnosis. Neque difficile eſt cauſarum ejusmodi varietatem dignoſcere, etenim Alvi conſtipatio ex ſolâ Ægrotantis relatione facilè deprehenditur, ſuoque loco exponitur: ſpaſmodicam criſpationem, non ſecus atque Flatus tendentes prodit ferè dolor plus minus tenſivus, cum inquietudine & anxietate ſæpè hominem excrucians, * cujus naturam atque curationem ſub Titulo *Colicæ ſpaſmodicæ* ac *flatulentæ* exhibemus. Vermium præſentiam propria ſigna, de *Lumbricis* ſuo loco expoſita, indicant. Scirrhoſus denique Glandularum infarctus, ſenſim *Atrophiam* corporis inducit, de quâ peculiariter alibi agitur. Si unum tantùm vel alterum Viſcus induratur, tum regio Abdominis, in quâ illud jacet, dura obſervatur, & ſi diutius ſubſiſtat, maciem paulatinam inducit.

Prognoſis Usque adeo ut omnis Durities Abdominis revera non ſit niſi Symptoma aliorum Affectuum morboſorum, neque tamen contemnendum illud, ſed quòd de vario eorundem eventu teſtari poteſt. Quotidiana enim Praxis docet, ſcirrhos Hepatis, Lienis, Meſenterii glandularum, Pancreatis, ſi præſertim inveterati fuerint, lethalem Atrophiam poſt ſe trahere. In Febribus acutis quoque Medici Infimum ſolent Ventrem tangere atque conſiderare, quod ſi enim, Alvo utcunque liberâ exiſtente, ipſum deprehendunt continuè durum atque tenſum, malè ſtatim ominantur de Morbi eventu, eumque ferè ſemper lethalem experiuntur atque pronunciare audent, quoniam tum materiæ morbificæ acrimoniam malignam, tum elateris tubulorum membranaceorum, atque humorum circulantium inordinatas ſive inæquales renitentias indicant, cum quibus hinc vitalitas Actionum diu ſubſiſtere nequit.

Abortus. ABORTVS, Græcis Ἀποφθορά, Ἄμβλωσις, eſt Fœtûs immaturi, ſive vivi ſive mortui, ante terminum novimeſtrem, naturali partui deſtinatum, plerumque cum anxietatibus & doloribus per ſinum Vteri excluſio. Dicitur *Abortus* vel *Aborſus*, quòd non tempeſtivus ſit illius ortus, aliàs *Partus præternaturalis*, *intempeſtivus*, *illegitimus*, quo Fœtus non tam imperfectus, quàm immaturus, h. e. juſtam ſuam magnitudinem nondum adeptus, ex Vtero per ſinum pudoris excluditur.

Pars affecta principalis. *Afficitur* autem hic principaliter *Vterus* quoad fibras ſuas maximè nerveas & membranoſas. Atque hinc *Causa proxima.* Morbi hujus *Cauſa proxima* dicitur Fibrarum Vterini fundi tonus nimis aut tenſus & contractus, ſecundinam cum Fœtu per cervicem Vteri, interea laxiorem redditam, opitulantibus ſimul muſculis Abdominis, extrudens: aut nimis laxatus, Fœtum proin in Vteri clauſtro retinere impotens. Dein eroſio & dilaceratio Secundinæ, atque hinc ejusdem ab Vteri ſubſtantiâ ſeparatio, cum Hæmorrhagiâ Vteri, & Fœtûs in cervicem delapſu ſubſequente Abortui portas aperit. Quæ autem ejusmodi cauſas Abortûs *proximas* in corpore excitant *Cauſæ antecedentes* plus minus *remotæ*, ſunt ferè Pletho- *Cauſæ antecedentes, remotæ.*

ra, inprimis si cum acrimoniâ sanguinis sit conjuncta, atque vasa uterina ita impleat, ut tandem nimis distenta rumpantur, ac sanguinem copiosè profundant, sicq; spem prolis adimant; Cacochymia dein biliosa aut salsò-acris, Hæmorrhagia Vteri, succus Amnii reliquusque nutritius, vel deficiens vel ineptus, teneritudo & gracilitas corporis nimia, ob quam Vterus sufficientem expansionem non tolerat; Febris acuta plus minus maligna, Deliquia Animi frequentia, copiosus & frequens Alvi fluxus, Hæmorrhagiæ qualescunque nimiæ, Dysenteria, Colica inprimis biliosa, Pleuritis aut Peripneumonia, Tenesmus, Dysuria, Sanguis in Vasis uterinis grumefactus, corruptus, acrisque redditus; Fœtûs à quacunque causâ extincti moles Vteri fibras gravans; Vulnera, Vlcera, Apoplectici insultus; Hydrops, Erysipelas, Inflammatio, Abscessus, Scirrhus, Mola, Cancer Vteri, Sternutatio nimia, Tussis ferina, Vomitus excessivus crebrò recurrens, Vociferatio nimia, Epilepsia, Convulsiones, & si quæ sunt aliæ adhuc in corpore res, fibras Vteri sive maximè laxantes, sive ad exclusionem quocunque graviori modo stimulantes. Ex Causis *procatarcticis* culpantur Aër nimis æstuans, vel frigidus, vel fumosus nimium, vel fœtidus admodum & graveolens, v. g. extinctæ Lucernæ, liquefacti Sevi, Prægnanti valde adversus, aliàque peregrinâ aut venenatâ qualitate imbutus; usus Ciborum & potuum nimis spirituosorum, aromaticorum, salso-acrium, vel Medicamentorum volatilium, acriũ, emmenagogorum potentiorum, Fœtûs expulsivorum, purgantiumque vehementiorum creber; Crapula frequens, nimia comessatio; inedia excessiva; Motus corporis nimis vehementes, v. g. in cursu, saltu, equitatione, vectione; oneris gravioris elevationes; brachiorum nimiæ extensiones; crurum iteratæ atque validæ divaricationes; contusio in Ventre accepta; casus ab alto; lapsus in humum; coitus nimis frequens & libidinosus; ira crebra & vehemens; terror inopinatus & magnus; tristitia partinax; sonitus vicini admodum graves, tormentorum, bombardarum, aut etiam tonitruum inopinati; Venæsectiones crebriores, cum copiosi sanguinis effusione; Abdominis ligatura, aut constrictio nimia; usus creber Balneorum nimis calidorum, atque sulphureorum fortiorum; potus Thermarum, inprimis Fabariensium, aliarumque aquarum mineralium largior; Clysteres acriores, &c.

Causæ procatarcticæ.

Diagnosis.

Quoad *Diagnosin* Abortus factus signis non eget: frequentius oriri solet circa mensem tertium, licèt etiam ante & post hoc tempus æquè eveniat. Observavit *Platerus*, notârunt alii, & ego quoque vidi Partum quinque aut sex circiter à conceptu hebdomadis sub formâ alicujus globuli rejectum, in quo rudimenta partium, styli ope nonnihil divulsarum, satis manifestè discernere licuit. Grandiores autem Fœtus, digiti, spithamæ, majoremque longitudinem exæquantes, adeoque trimestres, pluriumve mensium, crebrius Abortu rejiciuntur. Seximestrem par-

tum maſculum tridui ſpatio viventem, à Prægnante dyſentericâ rejectum ex ſacro fonte Ann. 1701. levavimus. Quòd ſi fortè duo pluresve Fœtus ante legitimum tempus rejiciantur, & unus quidem altero duplo grandior ſit; vel ſi unâ demum alterave hebdomadâ poſt priorem Fœtum, alius minor & immaturus excludatur, Abortus talis erit, quem Medici plures hactenus *Superfœtationem* nuncupârunt; licèt an talis revera detur, adhuc ſub judice lis ſit, nihil obſtantibus variis apud *Platerum* in *Praxi* adnotatis exemplis. *Abortus* à *Molâ* differt, cum hæc moles ſit carnea, fibroſa, membranacea, informis, vel utriculoſa, non vivens, ſeri plena, Abortus verò ſit Fœtus quoad ſua membra cognoſcibilis, vivens. *Imminere* Abortum, licèt non ſemper hinc ſubſequatur, ſignificant præcedentia ſymptomata gravia, Fœtum extrudere apta, quemadmodum exiſtunt horror aut rigor corporis inopinatus, cum ſubſequenti Febri acutâ, Lumborum dolor, Pleuritis, gravis Diarrhæa, Dyſenteria cum teneſmo, Colica, Animi deliquia, Palpitatio Cordis, Terror ſubitaneus, Mœror continuus, Dolor gravativus ſupra pubem, ſenſatio ponderis in Inguinibus, Teneſmus tam Alvi quàm Vteri, Hæmorrhagia qualiſcunque nimia, Fluxus menſium aut ichoris uterini acrioris nimius, vel ſubitaneus quoque non ceſſans, unde circa nonum diem Abortus plerumque ſequitur, minor Veneris appetitus, frigus partium genitalium, color naturalis Faciei mutatus, Mammarum ſubitanea detumeſcentia, aut copioſi Lactis ex iiſdem profluxus, frequens abortiendi conſuetudo, laſſitudo corporis nimia. Indicia autem *inſtantis* jam Abortûs ſunt ventris ſuperioris coarctatio, & hypogaſtrii elevatio, lumborum, coxarumque gravitas, atque dolor antrorſum verſus pubem tendens, extremorum crebrum frigus, & parturiendi frequens nixus, ubi poſt varia tormina & doloroſos conatus primò effluit aqua ſanioſa, pòſt cruenta magis, ſequente tandem ſanguine puro ex parte grumoſo; denique Fœtus ipſe, majoribus minoribusve grumis ſanguinis, ſubinde ſi minor ſit, involutus excluditur. Quandoque etiam ex improviſo ſine præcedaneis ſignis Abortus contingit.

Signa imminentis Abortûs

Signa inſtantis Abortûs

Prognoſis

Si *Prognoſin* ſpectes, Abortus plerumque graviùs affligit, quàm Partus naturalis & hinc ſæpè Parturientem in magnum diſcrimen conjicit, Hæmorrhagias largas, Syncopen, Convulſiones, Febrim continuam, Deliria poſt ſe trahendo. Lethalis utplurimum, ſi Pleuritidi, Peripneumoniæ, Febri malignæ, Dyſenteriæ, & ſimilibus morbis gravioribus ſuperaccedit. Interdum etiam propter vaſorum & fibrarum uterinarum violentam dilacerationem, cauſa exiſtit Sterilitatis, Inflammationis, Eryſipelatis, Cicatricum, Vlcerumque uterinorum, præſertim ſi grandiore jam exiſtente Fœtu prægnans abortiatur, ubi talis Fœtus non niſi cum violentiâ quadam, ceu Pomum immaturum decerpitur.

Curatio

Curatio Abortûs non niſi *præſervatoria* datur, hinc in *Diætâ* quidem ad

ad eum præcavendum, Gravidis jam existentibus Fœminis, commendamus äerem temperatum, ab omnibus ingratis ac fœtidis odoribus immunem; *Cibos* præscribimus *eupeptos*, cuicunque temperiei convenientes; inprimis leniter *adstrictivos*, prout sunt *Cydonia, Corna, Pyra, Baccæ Cynosbatos, Myrtilli, Amygdalæ dulces* recenter excorticatæ, *Pineæ nuces, Pistacia*, &c. Damnamus autem nimis *salita, fumo indurata, salsa, & aromatica*, excessivâ quantitate sumta. Conducunt *Somnus placidus, Animus tranquillus, corporis quies vel blandior motus*; omnes verò corporis agitationes vehementiores, saltationes, pandiculationes nimiæ, crurum divaricationes, Rhedæ-vectiones, ventris constrictiones atque compressiones arctæ, equitationes vehementes, ponderum denique graviorum elevationes sunt fugiendæ. Sed & sternutationes crebræ ac validæ, Colicæ, Dysuriæ, Stranguriæ, Diarrhœæ nimiæ, Tusses vehementes admodum, Vomitus graviores & crebriores, Convulsiones, similiaque mala, si fortè his Prægnans infestata fuerit promtè sunt curanda. Quando *Plethora* adest, vel sanguis oleoso-acris atque bilioso-salsus, tum *bis* vel *ter Venæsectionem* imprægnationis tempore ordinabis, quarto nimirum, sexto vel septimo & octavo mense. Imò novimus, quæ singulis mensibus ingravidationis *Venæsectione* opus habuit ad Abortum præcavendum. Si primæ viæ salsis cruditatibus scateant, vel *Clysmate* uno & altero *emolliente* atque *detergente*, vel *leni purgante* ex *Syrupis laxantibus*, aut ex *Rhabarbaro* in substantia, ejusve *Infuso* veniunt eluendæ: v. g.

rma- in dua- sal-

℞. *Syrup. flor. Persicor.* ℥ijß.
Aqu. Borrag. ℥j.
M. F. Potio d. ad. V. pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhabarb.* ℥ijß.
Aq. Fumar. ℥iß.
Balf. Embryon. ʒj.
M. D. ad V. pro dosi.

Vel ℞. *Rhab. el.* ʒj.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Misc. F. pulv. subt. d. pro dosi.

Postea autem *absorbentia*, & *edulcorantia* in usum trahenda sunt, v. gr. sub formâ *Pulverum*, præparandorum ex *Ebore, Coralliis, Unicornu fossili, diaphoretico* ♂*iali, Conchis præparatis, Granis Kermes, Mastiche, Thure, Specieb. diamarg. frigid. Ossibus Dactylor. Margarit. ppt. Matre Perlarum ppt. Ossibus dactylor. Semine Plantag. Coriandr. ppt. Radice Tormentillæ, Oculis Cancror. & similibus*: v. g.

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt. aa. ʒij.
Matr. Perl. ppt.
Terr. sigill.
Nucis mochat. ana. ʒj.
Sacch. alb. ʒvj.
M. F. pulv. subt. d. ad scatul.

Dosis m. ac. v. ʒß. cum *Vino rubro adstring.* aut *Ovo sorbili*, aut *Pulte farinaceâ.*

Vel ℞. *Unicorn. foss.*
Diaph. martial.
Spod. ppt. ana. ʒj.
Rad. Tormentill. ʒß.
Nuc. moschat.

Pulv. Rof. rub. ana. ℈j.
Sacch. alb. ℥ß.
M. F. p. s. d. ad Scatul. Dosis ut supra. Ejusmodi pulveres etiam cum *Conservâ Rosarum rubrarum, flor. Tunic. Borrag. Salv. Confect. Hyac. Conditurâ carnis Cydon. Baccar. Cynosb. in formam Electuarii* redacti, usurpantur quotidie ad ʒij. vel ʒiij. Vel si forma liquida magis arridet, *Tinctura Antimonii, Corallorum*, cum *Essentia Myrrhæ, Plantaginis, Graminis Parnassi, Tinctura* item *antiphthisic. Essentia Catechu* præscribi possunt. v. g.

℞. *Tinctur. Antim.*
Corall. ana. ℥ß.
Balsam. Embr. ℥j.
M. d. ad V. Dos. 40. *gutt.*
m. ac v. cum Aq. Meliss.

Vel ℞. *Tinct. Hyperic.* ℥j.
Essent. Myrrh. ʒij.
Catech. ʒj.
M. d. ad v. Dos. 20. *gutt.*

Horum remediorum usui diu satis est insistendum, donec Gravida ab omni abortiendi metu libera existat.

In cacochymia pituitoso salsâ. Si Cacochymia pituitoso-salsa & acris in culpa fuerit, suadebis *Tragemata* ex *Aromatibus*, inprimis autem cum *Nuce mochatâ, Macere, Radicib. Bistortæ, Caryophyllatæ, Conchis præparatis, Sanguine Draconis vero, Lapide Hæmatite ppt. Unicornu fossili, Floribus Anthos*, atque *Saccharo*. Vel usurpabis subinde *Vinum Malvat. Hispanic. Frontiniac. Hungar.* &c. Vel *Balsamum Embryonum*, aut *Aquam vitæ Matthioli*, ad cochleare unum alterumve; aut *Sal volatile oleosum* ad gutt. 15. dabis cum *Syrupo Corallorum, de Nymphæâ*. Prosunt & *Electuaria, Morsuli*, vel *Rotulæ* è *Conservis Rosarum rubrarum, Conditurâ Cydoniorum* atque *Nucistæ, Confect. Alkerm.* vel *Hyacinth. incompl. Matre Perl. ppt. Bolo Armenate, C. C. usto* & similibus, quibus partim Sanguinis dyscrasia corrigitur, partim tubuli fibræque Vteri laxæ firmiores redduntur. v. g.

℞. *Spec. diatr. sant.* ʒijß.
Nuc. mosch. ℈iiij.
Amygd. dulc. rec. exc. ℥ß.
Conserv. Rof. rubr. ʒiij.
Conf. Hyacinth. inc. ʒjß.
Bol. Armen. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ʒij.
Condit. Cydon. ʒijß.
Sacch. Aq. Borrag. solut. ℥iv.
M. F. l. a. Morsuli, d. ad scatul. de quibus subinde unus mandi potest.

℞. *C. C. ust. ppt.*
Matr. Perl. ppt.
Diaph. martial. vel Jovial. ana. ʒiß.
Confect. Hyacinth. inc. ʒj.
Cubebar.
Maceris ana. ℈ij.
Sacch. Aq. Cinam. sol. ℥iij.
M. F. l. a. Rot. d. ad scatul. subinde lambantur aliquot.

℞. *Conserv. Rof. rubr.*
Bugloss. ana. ʒvj.
Nucis Indic. condit. ℈iiij.
Cond. Cort. Citr. ʒij.
Confect. Alk. inc. ʒj.
Terr. Sigill.
Unicorn. foss. ana. ʒjß.
Syrup. flor. Tunic. q. s.
M. F. Electuarium d. ad Oll. Subinde Nucistæ magnitudo capiatur.

Hisce aut similibus, imminente jam

jam Abortu, adjungemus ſimul *Anodyna*, ex *papaverinis vel opiatis* compoſita, atque externè Lumbis & Pubi *Unguentum Comitiſſæ*, vel aliud *adſtringens* inungemus. In hunc finem quadrant etiam *Olea omphacinum, myrtinum maſtichinum*, *Cydoniorum*, *Nuciſtæ expreſſ. Anethi*, *Abſynth.* Quibus pro lubitu admiſceri ad componendum Vnguentum poſſunt *ſuccus Acaciæ* vel *Hypociſtidis*, *Bdellium aceto diſſolut*; Pulveres itidem *Santal. rubr. Bol. Armen. ppt. Sanguin. Draconis*, *Olibani, Maſtichis*, *Nuc. Cupreſſ. Capul. Glandium*, *Flor. Roſar rubr. Balauſt. Cortic. Granator. Seminum Sumach. Myrtillor. Radicum Biſtort. Tormentill. Cyper. Coagulum Hædi vel Leporis.* Si *Ceram*, *Picem*, *Terebinth.* permiſcueris, formabis inde *Emplaſtrum* optimum, quale, non ſecus atque *Emplaſtrum contra Rupturam*, vel *de Cruſtâ Panis* cum *Nuc moſch. Colophon. Macere*, *Thure*, *Succino*, *Myrrhâ*, *Maſtiche*, *Tacamahaca* miſtum, ac Alutæ ſuperextenſum Lumbis atque Regioni pubis cum fructu applicare licet.

Extra tempus graviditatis in *biliosis* & *ſanguineis* inprimis proficuum judicamus *Acidularum* debito tempore inſtitutum *uſum*, non ſine Diætæ convenientis obſervatione. Si magis arrideat *Serum Lactis caprilli*, concedi & id poterit. Pro ſecreto æſtimamus *potum aquæ Solani communis deſtillatæ*, ſi ante tempus impregnationis, vel etiam ſub medium geſtationis tempus, de eâ per integrum menſem mane ac v. quatuor unciæ cum tantillo *Conſervæ Roſarum* hauriantur.

In Pituitoſis.

Pituitoſæ autem Fœminæ extra imprægnationis tempus vel *Potum Coffeè* frequentiſſimè bibant, vel de *Sale volatili oleoſo* quodam per plures ſeptimanas quotidie mane ac v. 20. ad 30. *guttulas* cum liquore convenienti capiant. Conducunt his quoque *Balnea* vel *Thermæ ſulphureæ*, item *Pilulæ hydropicæ Bontii*, ſæpius exhibitæ ad ſeri quantitatem minuendam. Verno autem & autumnali tempore, niſi prægnantes fuerint, ſequens *Vinum medicatum* bibere poſſunt.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Apii.
Calam. aromat. ana. ℥iij.
Herb. Meliſſ.
Agrim.
Plantag.
Hepatic. nob. ana. M. j.
Summitat. Centaurii. min. M. ß.
Semin. Fœnicul. ℥ij.
Bacc. Junip. ℥iß.
Cort. Winteran.
Cubebar. aa. ℈ij.
Fol. Sen. ſ. ſtip. ℥iß.
Rhab. el. ℥ß.
Salis Cichor. ʒj.

Incis. & contus. inſue nodulo ex Sindone rubr. affunde Vini albi veteris ℔iiij. *Aq. font.* ℔ij. Hinc quotidie mane Cyathus exhauriatur.

In ſcorbutico-cacochymicis.

Scorbutico-Cacochymicæ Fœminæ, dum gravidæ non ſunt, remedia uſurpabunt, & curam inſtituent talem, qualis quidem apta eſt ad Intemperiem ejusmodi deſtruendam, melioremque Sanguini diatheſin conciliandam; quemadmodum ſub Titulo de *Scorbuto* docetur.

Quòd

In præsenti Mensium fluxu.

Quòd si præsens sit fluxus Mensium, vel Hæmorrhagia Vteri, indeque Abortus metuendus veniat, *Venæsectio* statim in brachio instituetur; ad quietem plurium dierum Prægnans quoque commonefiet, & sequentia præscribentur.

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ℥iß.
Cond. Cynosb.
Nuc. indic. cond. aa. ʒj.
Lapid. Hæmatit. ppt.
Boli Armen. ppt.
Sang. Dracon. ver. ana. ℈ij.
Terr. Catech. ʒß.
Syrup. myrtin. q. s.

M. F. Elect. d. ad. Oll. Capiatur dosi Nucistæ singulis trihoriis. *Emulsio Amygd. dulcium* etiam propinetur. *Unguentum Comitissæ* cum *Pulvere radic. Tormentill.* & *Terræ Catechu* lumbis applicabitur. A *Vini usu*, à *Cibis salsis, aromaticis, Terrore, Irâ* Prægnans sibi temperabit.

In debilitate tono, minutoque elatere Fibrarum Vteri.

Ad firmandum tonum atque roborandum elaterem fibrarum Vteri nimis tenerarum ac laxarum, internè quidem conducit *Essentia Betonic. Lignorum, Succini, Bistortæ, Virgæ aureæ, Salviæ, foliorum teneriorum Quercûs,* quotidie bis ad ℈j. vel ʒß. cum vehiculo convenienti sumta. Vel capietur *Tragema*, paratum ex *Speciebus dianth. Diatr. Santal. Diamargarit. frigid. Rasur. Ebor. Unicorn. fossil. Terrâ sigill. Nuce mosch. Floribus Ros. rubr. Salviæ, Lilior. convall. Betonic. Anth. Granis Kermes, Seminib. Plantag. Aquileg Anis. Radicib. Galang. Cyper. Calam. aromat. Bistort. Tormentill.* & similibus, cum sufficiente quantitate *Sacchari* in formam subtilis pulveris mistis. Possunt ex iisdem pulveribus cum *Conserv. Ros. rubr. flor. Tunic. Anth. Borrag. Conf. Alkerm. Conditur. Cydon. Cornor. Cynosb. Nucis Indic. Syrup. de Stœchade, vel de Betonic.* Electuaria quoque parari, & quotidie ad ʒij. pluresve dari. *Nuces Pineæ, Amygdalæ dulc. rec. excort.* quotidie cum tantillo *Mellis* ad ℥ß. comestæ, Gravidis maximè etiam prosunt. Non gravidæ in eundem finem *Thermarum sulphureo-aluminoso-alkalinarum* balneum æstivo tempore usurpabunt. Quæ de *Lapidis Ætitis* gestatione sub axillâ sinistrâ, vel *Lapidum Jaspidis, Samii, Lazuli, Turcici, Sapphiri,* &c. utili suspensione ex collo traduntur, superstitionem sapiunt. Melius fortè juvabit gestatio *Radicum Bistortæ, Tormentill. Plantag. Flor. Balaustior. Nymphææ,* ac similium sub Axillis.

Abs[cessus].

ABSCESSVS, APOSTEMA, Ἀπόστημα, est tumor minus durus, cujuscunque partis, ab humoris stagnantis extravasati, & sensim in pus abeuntis coacervatione oriundus, cum dolore pulsante, ardore, subinde etiam rubore conjunctus.

Ej[us] sub[jectum].

Subjectum est pars quælibet corporis mollior, tam interna, quàm externa, in singulis enim Apostemata gigni posse experientia Practicorum quotidiana docet.

Caus[a] prox[ima].

Causa proxima utplurimum est Inflammatio quædam præcedens, sive humor lymphatico-sanguineus in Partis affectæ tubulis sive poris stagnans, eosque vel mole distendendo, vel acrimoniâ erodendo rumpens,

sicque

ſicque extravaſando & confluendo partem in p. n. magnitudinem attollens. Humor verò ipſe pro diverſâ particularum ſuarum figurâ & craſi, vel in pus ſincerum, albicans, craſſiuſculum, æquale & inodorum, per accedentem quendam motum putrefactionis inteſtinum convertitur, ſi nimirum plures particulæ ſanguineæ, ſive balſamico-chyloſæ adfuerint: vel in ſaniem plus minus aquoſam, cruentam, lividam, flaveſcentem, aliuſve coloris mutatur, ſicubi plura pauciorave ſalia acido-acria corroſiva, aqueo humore diluta, ſulphureisque particulis ſolutis juncta præſtò ſint. Quandoque & pili, carbones, ovorum teſtæ oſſicula, amurcæ, Vermes, Lacertæ, Ranæ, ſimiliave in Abſceſſibus ab incantatione quâdam productis, reperta fuerunt. Subinde etiam humor extravaſatus in quodam folliculo continetur, & vel *Meliceridem*, vel *Atheroma*, vel *Steatoma* conſtituit. Verùm hi Tumores, tanquam morbi ab ipſis Abſceſſibus diverſi, ſuis quique in locis expenduntur.

Cauſa antecedens propior. *Antecedens cauſa propior* eſt coagulum ſalino-acidum in circulantibus humoribus collectum, horumque craſin & conſiſtentiam ita inſpiſſans, ut poſtmodum in his, illisve partium tubulis, fortè anguſtatis, obhæreant, ſicque cauſam Abſceſſuum *proximam* exhibeant. *Remotior.* *Remotior* eſt Chylus acido-viſcido charactere in primis viis notatus. Huc refer hæreditariam diſpoſitionem, quando Parentes fortè Cachexiâ, Scorbuto, Lue venereâ, Phthiſicâ diatheſi, aliisque gravioribus Morbis antea laborârunt; Criſes itidem imperfectas, ſiniſtras ægritudinum curationes, & ſimilia. *Cauſæ procatarcticæ, externæ & occaſionales.* Inter cauſas *externas* & *procatarcticas*, vel *occaſionales* recenſemus ante omnia contuſiones, ictus, lapſus, caſus ab alto, compreſſiones, pandiculationes nimias, adſperſiones aquæ frigidæ ad Corpus æſtuans. Deinceps verò huc contribuunt *Aër* frigido-humidus, qui repercuſſâ tranſpiratione inſenſibili, & factâ conſtrictione vaſorum aut fibrillarum in hac aut illa parte ſtagnationem prædiſpoſiti humoris producit. Unde etiam Infantibus aut Pueris tenerioribus, ſalinum plus juſto ſanguinem circumgeſtantibus, ſicubi frequenter atque diu in aëre frigido obambulent, Abſceſſus crebriores contingunt. *Cibus* & *Potus*, ſalino-acidum coagulum exhibentes; *Vita* ſedentaria; *Somnus* protractus, non ſecus, atque Triſtitia, vel Mœror frequens, animumque angens ſuam quoq; ſymbolã conferunt.

Abſceſſus ſymptomaticus, criticus. Abſceſſus hinc vel *ſymptomaticus* exiſtit, per ſe absque præcedente morbo ex ſuis cauſis ortus; vel *criticus*, qui oritur à materiæ morbificæ in quandam partem vel glandulam præcipitatæ coacervatione: quale quid obſervare inprimis licet in Febribus continuis & malignis, in Odontalgia, ſimilibusque aliis Affectibus.

Diagnoſis. Signa *fientis* Abſceſſus ſunt dolor præprimis pulſatorius, calor atque ardor cum rubedine, ſicubi ſtagnatio fuerit in cute externâ, & Febricula continua præſens. Quando autem profundius ſub muſculis latitat, etiam color cutis manet immutatus, Febrisque tum

fortè major, dolorque varius terebrans, modò mitior, modò gravior sine ardore, rubore aut tumore extus apparente existit. Signa Apostematis jam *facti*, purisque maturati sunt, quando dolor pulsatorius atque tensivus cum ardore & Febre plus minusve remittit: quando Tumor fastigiatus, major, atque mollis est redditus, quando in summitate ejus jam macula albicans apparet: quando sub digitis ultro citroque Tumorem adigentibus vel trudentibus fluctuatio materiæ in ipso percipitur. Unde apparet, plerorumque Abscessuum principium esse Tumorem inflammatorium.

Prognosis Abscessus *criticus* cum euphoriâ ægri contingens, & materiam morbificam è circulante massa omnem eliciens, salutaris est. Si verò sanguinem non depuret, neque symptomata vehementiora mitiget, deleterius audit, vel longitudinem morbi significat, *Hipp.* 4. *Aphor.* 51. Abscessus *externi*, in partibus cutaneis præsertim, minus periculi portendunt, modò sincerum pus minimè corrosivum stillent. Si autem saniem contineant magis liquidam & corrosivam, tum in sinuosa Vlcera, Fistulasque plus minus curabiles facilè abeunt, idque tanto magis, ubi corpus simul est cacochymicum. *Interni* Abscessus multi immedicabiles sunt, & Hecticam post se trahunt. Ab acrimoniâ puris quandoque præter fibrillarum erosionem simul Ossa corrumpuntur, & Cariem adquirunt. Abscessûs apertio quo diutiùs protrahitur eo pejus est, quoniam pus intus reclusum cuniculos agendo facilè Febres hecticas, Fistulas, Cariem ossium, aut etiam Gangrænam inducit.

Curatio *Curatio* hujus Morbi absolvitur Diætâ convenienti, Abscessûs maturatione, puris maturi citâ per Apostematis apertionem extractione, Vlcerisque ex Abscessu enati detersione, atque consolidatione. *Diætâ* In *Diætâ* vitetur Aër sive nimis calidus, sive nimis frigidus. Cibus sit eupeptus, ab omnibus excedentibus qualitatibus liber. Vini loco præscribatur *Decoctum* vel *Lignorum*, vel *C. C. usti cum Agrimoniâ*, *Saniculâ*, *Jujubis*, atque *Passulis majoribus*. *Infusum foliorum Thee*, *Betonicæ*, ac aliarum Plantarum *traumatico - alcalinarum* simul proderit. Omnia saccharata nimis, sicut & acida nocent, *Motus* corporis excessivus, *Vigiliæ* immoderatæ, *Quies* corporis diuturna, Animique perturbationes intempestivæ, curationem impediunt.

Chirurgia. Pro Abscessus maturatione *Cataplasmata* adhibentur *anodyno-emollientia*, v. g. seqq.

℞. *Farin. Rad. Alth.*
Sem. Tritic. vel Lin. aa. ℥iij.
Croci. ʒiß.
Mellis. ℥ij.
Cepar. numer. ij.
M. & cum s. q. Lactis calentis f.
Cataplasma, calidè bis quotidie imponendum. Vel

℞. *Micar. Pan. M. j.*
Ficuum tenuiss. incisor. num. iij.
Croci pulveris. ʒj.
Florum Chamom. pulveris. ℥ß.
Lact. Vaccin. vel Caprill. q. s.
M. F. Cataplasma vel excrementum

bubu-

bubulum recens cum *farinâ* applicetur. Vel *Empl. diachyl. cum Gumm. Diachyl. simpl. Stictic. Croll.* aut simile, malaxatum *Oleo Ceræ* vel *Ovorum* usurpetur. *Internè* detur sequens ad maturationem *diaphoreticum*:

Pharmacia.

℞. *Aq. Card. Bened.*
Scabios. aa. ℥j.
Roob Sambuci vel Junip. ʒß.
Antimon. diaph. vel C. C. phil. pp. ℈j.

M. Detur ad Vitrum. Sumatur m. ac vesp. per aliquot dies, usque ad Abscessûs maturationem & Febris imminutionem. Ad corrigendam insuper & edulcorandam Massam sanguin. & sic perfectè sanandum tandem Abscessum, indeque natum Vlcus, *Decoctum aliquod traumaticum*, quale apud Vulnera & Vlcera invenitur descriptum, prodest. Vel ejus loco *Essentiam Veronic. Bellid. min. Numular. Sanicul. Graminis Parnass. Virgæ aureæ,* aliùsve Plantæ vulnerariæ, m. ac vesp. ad 25. aut 30. guttas sumendam, propinare licet. Conducunt etiam Pulveres diaphoretici, parati ex *Antimon. diaphoret. Dente aprin. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Bol. Arm. ppt. C. C. phil. ppt. Bezoard. Jovial. Spod. ex Ebor. ppt. Unicorn. foss. ac simil.* ad ʒß. quotidie bis exhibiti. Si Pilularum forma magis arrideat, tum sequentes concedi possunt:

℞. *Extract. Veronic.*
Numular.
Virg. aureæ.
Flor. Tussilag.
Bell. min. ana. ʒj.
Diaphor. ♃*vial.*
Corall. rubr. ppt. ana. ʒij.

Cum Essentiâ Myrrh. vel traumaticâ qualicunque f. l. a. Pilulæ numer. 300. Conspersæ pulvere Liquiritiæ dentur ad scatulam. Dosis num. 10. *ad* 15. *m. ac vesperi cum vehiculo convenienti.*

Quando hinc vel sponte ruptus vel lanceolâ cauteriove potentiali apertus est Abscessus, tum extus quidem *Cura Ulceris*, de quâ suo loco, adhibenda est, intus verò in usu modò laudatorum internorum pergere adhuc aliquandiu possumus, sed jungere tamen subinde *Essentiam Lignorum*, ac intermiscere etiam oportet lenia purgantia, v. g. ex *Infus. Rhabarb. Syrup. Rosar. sol. compos.* aut *de Cichor. cum Rhabarb. Terebinthinâ clarâ Vitello Ovi solutâ,* atque dosi ʒij. in Adultis, cum *Syrup. flor. Persic.* aliove propinata; v. gr.

℞. *Terebinth. clar. vitello ovi solut.* ʒij.
Syrup. de Cich. cum Rhab. ℥j.
Aqu. Cinam. cum Vin. dest. ʒj.
Plantag. vel Ulmar. q. s.
M. F. potiuncula, detur ad Vitr. & propinetur una dosi.

Postea vel Pulveres aut Pilulæ prædictæ, vel seqq. Mixtura præscribetur:

℞. *Aqu. Ulmar. Veronic. ana.* ℥iiij.
Syrup. Capillor. ♀*r.* ℥ij.
Essentiæ traumat. nostr. ʒß.
M. d. ad Vitr. Singulis quadrihoriis duo vel tria cochlearia capiantur.

Pro Potu ordinario loco *Vini* præscribendum & usurpandum venit seqq. Decoctum.

℞. *Radic. Caryophyllat. Filic. aa.* ℥ß.
Sarsæparill. ʒvi.
Rasur. Lign. Sassaphr. ℥ij.
C. C. Ust. ℥ß.
Incisa & cont. d. ad Ch. De hâc materiâ cochleare plenum semper coquatur in Mensuris duabus Aquæ fontanæ ad ovi duritiem. Colatura exhibeatur ordinariè bibenda.

Abstemietas, quid? ABSTEMIETAS est naturalis aversatio Vini, quâ Homines inde ab ortu & nativitate saporem potumque Vini horrent, illudque sine maximo incommodo, & subsequentibus molestis symptomatibus bibere nesciunt. *Abstemii* hinc vocantur ab abstinendo.

Affectio est non adeo infrequens, quâ utplurimum cum Vino etiam similes alios liquores, v. g. *Acetum, succos spirituoso-acidos*, imò *spiritum Vini* aliosque ardentes liquores horrent. Sunt & inter hos, qui nec *Cerevisiam* bibere nôrunt, imò etiam à *Musto vinaceo* abstinent. Reperies dein alios, qui *Vinum* quidem aversantur, sed tamen *Cerevisiam*, *Mustum*, Liquoresque spirituoso-ardentes assumere possunt. Huc refere licet & illos homines, qui peculiari aliquo fastidio sive Idiosyncrasiâ *Lac* vel *Butyrum*, *Caseum*, *Pisces*, *Cucumeres*, *Cucurbitas*, *Cepas*, *Allium*, aliave edulia aversantur, ita ut inter hos existant, qui etiam ad tales res tantùm nominatas & auditas in Animi deliquia, vel Motus convulsivos incidunt. Taceo eos, qui nec visum ejusmodi Ciborum ferre nôrunt, instar illorum, quibus & odor, & aspectus Catorum ita adversus est, ut inde in Lipothymiam facilè incidant, nisi animal procul amoveatur. *Causa ejus.* Si *Causas* hujus phænomeni inquiramus, vix aliunde illas melius derivare poterimus, quàm à peculiari quadam texturâ fibrarum nervosarum, per Linguam aut Nares dispersarum, quæ à viciniâ, vel exhalantibus particulis rerum suprà nominatarum ita statim afficiuntur, ut vel elasticitas illarum sufflaminetur, ac inde spirituum animalium motus atque influxus imminuatur aut prohibeatur, vel dicta elasticitas & vibrativus motus oscillatorius impetuosior reddatur, sicque occasio nunc Lipothymiis, nunc spasmodicis partium motibus præbeatur. Quin & textura, vel crasis spirituum animalium subinde in talibus casibus culpâ minimè vacat, dum illi quoque nunc per Auditûs, nunc per Visûs organum ad similia pathemata incitantur. Hinc peculiarem istam sive Spirituum facilè irritabilium, sive fibrillarũ nervosarum dispositionem, proprio *Idiosyncrasiæ* nomine exprimere Docti voluerunt; nec ita malè, quoniam ejusmodi constitutio minimè communis est, sed nonnullis tantùm hominibus propria. *Idiosyncrasia.* Retulit nobis Vir egregius, qui ad senectutem usque mansit Abstemius, se ex unius tantùm guttulæ Vini degustatione igneum velut ardorem in Linguâ percepisse. Alii perhibent, inde suas valdè exasperari, vel etiam stupefieri Linguas.

Ad morbos disponit. Quanquam autem Oeconomia corporis humani sub tali Idiosyncrasiâ benè habere, sanaque existere queat, quoniam tamen Homines illâ laborantes subinde faciliùs quàm alii in Morbos

Morbos incidere ſolent, hinc etiam plures illorum ſibi vellent remedia exhiberi, quorum ope ab illâ diſpoſitione peculiari, ſive ex parte ſive ex toto liberari poſſent.

cilis tu. Sed hoc opus hic labor, naturalem velle corrigere vel invertere diſpoſitionem, quiquid enim tentatur, vix ac ne vix quidem ullum præſtare effectum ſolet. Attamen faciendum periculum, eoque adnitendum, ut natura ſenſim aſſuefiat, quod obtinetur interdum, ſi tantilla primùm granula ciborum, vel paucas ſolùm guttulas liquoris adverſi exhibeas, ac eas dein quotidie augeas, donec aſſuefacti nervoſis fibrillis, ipſisque animalibus Spiritibus res poſtliminiò tales faciliùs tolerari queant. Ita novimus Medicum olim Scaphuſienſem maximè celebrem, ab ineunte-abſtemium, tandem ſenſim Vini potui egregiè adſueviſſe.

Quòd ſi verò uſque adeo adverſa ſint ejuſcemodi objecta, ut etiam ad leviſſimum eorum occurſum Homines in ſymptomata maxima, imò morbos conjiciant, tum adſuefactio talis ſine diſcrimine tentari nequit, niſi ex uno leviſſimo incomodo deleterium morbum excitare velis.

hores &c ACHORES, FAVI, CRUSTA LACTEA, LACTUMEN, SAHAFATI, Ἄχωρες, ſunt Puſtulæ vel Vlcuſcula cruſtoſa, in Capitibus Infantum efflorescentia, ichoroſo-ſalinum, plus minus glutinoſum & acrem humorem è porulis cutaneis fundentia. Hinc & *Ulcera manantia*, vel *ulceroſa Tubercula* capitis vocantur. Aliis quoque *Scabies cruſtoſa* & *aſpera Puerorum* audit.

Afficitur hic maximè *Cutis* Capitis *capillata*, ſubinde & *Facies* ipſa, in quarum partium glandulis ac tubulis excretoriis cauſa morbifica deponitur, cumulatur, atque glutinoſitate ſuâ obhæreſcit. *Pars affecta.*

Proximè Malum hoc producitur à ſero Laticis arterioſi glutinoſo acri acido-ſalſo, ad glandulas poroſque cutis Capitis præcipitato, quod cùm propter particularum ſuarum craſſitiem ſubſiſtat (dum nec circulatorio motu ultra progredi, neque tranſpirare, nec etiam ob acorem præternaturalem in ſubſtantiam Cutis faceſſere poteſt) inibi morâ coacervatum, primò quidem tubercula pruriginoſa, hinc acrius redditum corodendo cutim multis foraminibus anguſtis ad calvariam ferè perforat, atque ſic Vlcuſcula manantia & cruſtoſa producit, è quibus humor effluens nunc ſalino-aquoſus ac limpidus, nunc flavus, craſſus & glutinoſus mellis inſtar exiſtit, unde *Favorum* nomen eſt exortum. Si Cuticula hinc inde erodatur, atque fruſtillatim abſcedat, tum ſquamulæ lacteo-cruſtoſæ ex affluente ſucco producuntur. *Cauſa proxima* Suggerit tale ſerum Chylus crudus acido-pituitoſus, propter ſtomachi Liquorem nimis ſalſum, aſſumptorum Ciborum particulas ſalinas valdè exaltans; idque tanto magis, quando ſimul Alimenta ſalita Infantibus maturè admodum exhibentur, aut talia à Nutricibus copioſè comeduntur, indeque Lac facilè aceſcens, mucoſum & acriuſculum ſugendum præ- *Antecedens.*

præbetur, quod ubi mali cauſa evaſit, *Cruſtæ lacteæ* vel *Lactuminis* appellationi fortè occaſionem dedit. Imò & vitioſum nutrimentum, Fœtui in Vtero materno adhuc exiſtenti conceſſum, remota cauſa eſſe poteſt: non ſecus atque ſi Nutrix vino plus nimis indulget, idemque liquor tenellis Infantibus atque jam factis Pueris crebrò bibendus offertur. In Facie quoque hoc malum ſæpè erumpit, quando nimirum Infantes frequentibus admodum oſculis Ancillarum lambuntur, atque harum ſalivâ ſubinde madent; vel quando ipſa ſalia ſanguinis in cutaneis Faciei tubulis atque glandulis obhærentia ſenſim cumulantur, & pruritum tandem excitant, cujus occaſione Pueri dein Faciei cutim ad moleſtiam depellendam crebrò fricant, hacque ratione Cuticulam excoriando Vlcuſcula manantia producunt.

Diagnoſis. Quod *Diagnoſin* morbi attinet, ante eruptionem quidem Achorum plerumque malè habent Infantes, tantillum febricitant, inquieti ſunt, quanduoque frigent parum aut horrent, ſed mox iterum caloribus volaticis corripiuntur, nec cibos probè appetunt. Apparent etiam ſubinde antequam Favi compareant, Tumores Glandularum, in Collo & circa Caput densè conſitarum, adeoque & ipſarum Parotidum; qui Tumores duri, cuti concolores, etiam indolentes, aliquando ſimul comitantur Cruſtam lacteam, rarò autem hanc declinantem ſubſequuntur. Vtplurimum numero plures obſervantur, Scrophulas imitantes; imò tales revera eſſent, ſi duriores exiſterent atque ſcirrhoſæ, nec ita facilè iterum diſſiparentur. Quando ſeroſus Achorum humor effluit, Tubercula ferè diſſipari incipiunt; paucis autem poſt eorundem apparentiam diebus per poros Capitis cutaneos ſanies feroſo-aut ichoroſo-ſalſa, albumini ovorum, mellive utplurimum ſimilis, ſæpè cum pruriente dolore exſudat, quæ plus minus exiſtens acris interdum Puſtulas in Epidermide rubentes excitat, Cutim erodit & exulcerat, hincque non rarò cruſtas vel ſquamas furfuraceas producit. Quando autem ſerum illud effluens, ſubtilioribus particulis auras petentibus, in gelatinam abit viſcidam, ſubinde mellis inſtar flaveſcentem, atque Capitis pilos conglutinantem, tum noſtrates dicunt, es klebt und pacht alles zuſammen. Interdum nil olet ſanies effluens, ſæpius autem fœtidum ſpirat odorem: aliquando etiam materia ita acris exiſtit, ut Infantes fortiter fricando, cutim dilacerent, & ſanguinis è ruptis vaſculis fluxum protitent. Affectus proin hic, quia magnam habet cum Adultorum ſcabie affinitatem, *Scabies particularis Capitis* non malè appellabitur.

Progn[oſis]. Si *Prognoſin* ſpectes, Morbus hic purgamen eſt ſanguinis, intemperie ſalino-ſeroſâ laborantis, adeoque per ſe minus periculoſus; per accidens tamen, ſi fortè præpediatur, vel repellatur effluens humor ſalſus, aut ſponte ceſſet fluere, ſicque in Maſſam humoralem regurgitet, in eâ certè mox turbationem inſtituere, Febrim catarrhalem,

lem, vel malignam quoque, cum Aſthmate & anxietatibus præcordiorũ excitare, imò & Convulſiones, Epilepſiam, Paralyſin, Cardialgiam aliaque mala periculoſiſſima producere ſolet. Vel etiam in Ophthalmiam, Epiphoram, Otalgiam & Aurium fluxum mutatur, à quibus aliis Affectibus ſingulis Infantes per fluxum Achorum præſervantur. Si malum negligatur, facilè materia acrior circum, circa rodere, ſubſtantiam cutis exedere, imò ipſum quoque pericranium & cranium corumpere, ac ita in Tineam converti poſſet: malignam proin hanc cruſtam meritò voces.

tio. *Curatio* ita eſt inſtituenda, ut in *lactentibus* quidem *Infantibus* Nutrix leniter purgetur per *Rhabarbarum*, *Mannam*, *Diacydon. Syrup. Roſar. ſolutiv. ſimpl.* vel *compoſitum* aut ſimilia. *Ablactatis* autem ipſis dabitur ſemel vel aliquoties laxans v. gr. è *Trohiſc. pædocat. Syrup. Flor. Perſicor. de Mannâ laxativa*, *Roſar. ſolut. ſimpl. Infuſo Foliorum Sennæ* & *Rhabarb.* Purgato ſic corpore mox ſanguinem purificantia in uſum trahenda ſunt, quem in finem proſunt *Tinctura Corallorum* vel *Antim.* ad guttas 10. 15. quotidie bis *cum Syrupo* vel *Aquâ Fumar.* aliquandiu data. Commendant alii quoque *Salia volatilia alcalia*, *Viperarum*; *Eboris*, *Fuliginis*, vel *Liquorem C. C. ſuccinatum*, *Spiritum Salis armoniaci urinoſ. aniſatum.* Verùm hæc acris nimis apud teneros Infantes, ac eapropter ſemper deteriora ipſis *alcalinis fixis* notavimus: hinc placet magis Pulvis abſorbens & edulçorans è *Pulvere Serpentum* aut *Viperar. ppt. Coralliis*, *Antim. diaphor. Ebor. ppt. Terr. ſigill. Unicorn. foſſil. C. C. philoſ. præpar. Ocul.* ♋. *ppt. Bezoard miner. Diaphor. mart.* vel *Jovial. Fol. Saniculæ* aut *Lichen. petr.* cum æquali pondere *Sacchari* compoſitus, & quotidie mane ac veſperi in *Juſculo* cum *Syrupo flor. Tunic.* aut *Bellid. minor.* exhibitus. Vt verò lac Nutricis emendetur, ipſa quoque hujus Pulveris drachmam quotidie cum hauſtu *Aquæ Fumar.* aut *Scabioſæ* ſumat; ac Vini loco *Decoctũ Ligni Saſſaphras* & *Sem. Aniſi* bibat. Externè non ſtatim ſiſtendus fluxus, ſed potiùs imponenda ſunt *Folia* recentia *Betæ*, vel *Plantag. Alth. Malv. Lapathi acuti*, *Braſſicæ*, *Heder. arbor. Vitium. Butyro*, inuncta, ut humor magis eliciatur. Sunt qui curationem Naturæ totam committunt, ſi malum non adeo notabiles moleſtias Infantibus procreet. Ab adſtringentibus & refrigerantibus maximè abſtinendum. Aliàs etiam applicantur partim ad eductionem humoris, partim ad ſanationem ſequentia: v. gr. *Radix Althææ in Urina Pueri decocta*, *Succus Fumar. Scabioſ. Enul. Heder. terreſt. Braſſ.* cum *Lithargyrio*; *Oleum Nucum*, *Lilior. alb. Roſ. violar. Meliloti hortens.* cum *Axungia Porci.* Si diu manaverint Vlcuſcula & ſanare velis, tum prius *Aquâ Spermatis Ranarum*, vel *Decocto Cicerum*, *Oxylapathi*, *Radic. Ariſtoloch. Imperat. Helen. Folior. Nicotian. Salviæ*, *Solani* &c. in *Urina*, vel *Vinò* & *Aquâ* facto, Achores elues; atque pulverem antacidum ex *Cretâ*, *Lacte lunæ*, *Tutiâ ppt. Lapid. calam. ppt. Succino*, *Myrrhâ*, *Lithargyrio*,

gyrio, Antim. diaphor. Ceruſſ. Flor. ſulphur. Pulv. Rad. Liquirit. Ariſtoloch. rot. &c. inſpergatur, vel ſequens inungatur:

℞. *Terebinth. Aquâ font. ad albed. lot.* ℥ij.
Butyr. rec. q. ſ. Miſce.
Foreſtus habet tale:

℞. *Vitell. Ovor. ad durit. coct. no. XVI.*
Myrrh. ʒj.
Rad. Aron. ʒß.
Helleb. nigr. gr. IV.

M. & coque in ferrea ſartagine absque flammâ, donec ſpumam emittant, tum exprimatur Oleum, totiesque coque & exprime, donec ſpumam non amplius emittat, abjectis hinc fœcibus Oleum in vaſe clauſo ſervetur ad uſum.

Efficax remediũ eſt, ſi vel *Lixivium cõmune*, cui *Oxylapathum*, *Rad. Helen. Folia Rutæ* & *Parietariæ* ſint incocta, vel *Spiritus Vini* qualiſcunque ſimplex, aut cum *Eſſentiâ Myrrhæ* & *Aloës* permiſtus applicetur. Commendant & *Pulverem Radic. Bryon. Folior. Sanicul. Pyrol. Nicotian. Flor. Roſ. rubr. Fimum columbinum*, *Calcem vivam*, *Alumen*, *Sal tartar. Mercurium dulcem* vel *præcipitatum album*, cum *Oleo laurino* & *Nucum* vel *Aceto acerrimo* permiſtum atque inungendum.

Vel ℞. *Butyr. ſalit.*
Axung. porcin. ana. ʒj.
Flor. ſulphur. ℥ß.
Argent. viv. ſalivâ extincti. ʒj.
Vitriol. crud. ℈j.

Butyrum, Axung. Sulphuris flores ſeorſim in mortario liquentur, addantur poſtmodum reliqua.

Naſturtium frixum vel tritum cum *Axungiâ Porci* ab aliis imponitur. Optimum ego notavi, ſi citò tutoque ſanare cupias, ut capilli abſcindantur ac dein Achores diligenter, quotidie bis vel ter *Urinâ Pueri* vel *Aqua muriaticâ*, vel *Decocto Fumar. Lapath. acut. Chelidon. Scabioſ. Nicotian.* in mediâ parte Vini & Aquæ facto, calidè abluantur, hinc linteo ſiccati, *Oleo Nucum*, vel *Ovorum ſimplici*, aut cum tantillo *Olei Ceræ* permixto inungantur. Sed ſemel aut bis tamen corpus prius eſt purgandum, atque ſimul dein abſorbentia Diaphoretica intus ſunt exhibenda.

In *Diætâ* nocent omnes Cibi ſaliti, fumo indurati; nocent fructus horæi, nocet Vinum: hinc qui Infantes poſt ſecundum demum aut tertium ætatis annum, Cibis modicè ſalitis aſſuefiunt, qui ab omni exceſſu inordinati victûs prohibentur, quibus ſubinde Caput linteis calidis fricatur, & ab omnibus pinguibus ſordibus immune præſtatur, quibus Capilli pectine *Spiritui Vini* intincto ſubinde pectinantur, plerumque ab Achoribus immunes ſubſiſtunt. *Potus* ſit *Decoctum Chin. Sarſæparill. vel Saſſaphr.* & *C. C. raſp. cum Liquirit.* & *Paſſulis. Balneis Aquæ dulcis* quandoque immergantur Infantes, & ad præſervationem quotannis ter vel quater leniter purgentur. Nutrix ipſa ſimiliter optimam Victûs rationem obſervet, à Vini potu largo non ſecus atque à Cibis dyſpeptis, viſcidis, ſalſis & acidis abſtineat, ſorditiei omni tandem valedicat. *Diæta.*

ÆGILOPS, ÆGILOPION, ab αἶξ, *capra*, & ὤψ, *oculus* compoſitâ voce, *Ægilops.*

voce, quod Capræ hoc malo ſæpe laborent, eſt Carunculæ lacrymalis, frequentiùs loci inter canthum Oculi & Naſi radicem exulceratio ſimplex, cum puris nunc ſinceri, nunc aquoſo-ſeroſi profluvio, ab Inflammatione vel eroſione præcedaneâ ortum ducens. Dicitur exulceratio *ſimplex*, ut diſtinguatur à Fiſtulâ, tanquam Vlcere ſinuoſo.

Anchilops. ANCHILOPS, ab ἀγχὶ, *juxta, prope*, & ὤψ, *oculus*, derivato nomine, eſt Tuberculum in Carunculâ lachrymali, frequentius in angulo inter Canthum Oculi majorem & Naſi radicem elevatum, atque nunc inflammatorium, rubens ſæpè, & ardenti dolore moleſtum, à Sanguinis & Lymphæ ſtagnantis, inque pus abeuntis collectione proveniens; nunc minùs inflammatorium, ac indolens, utplurimum à lenti cujuſdam & craſſi, ſubinde mellei humoris intra peculiarem veſiculam ſive membranam coacervatione oriundum, & ſic exiguum *Steatoma*, *Atheroma*, aut *Meliceridem* referens. *Fiſtula lachrymalis.* FISTVLA denique LACRYMALIS, quæ huc à Medicis referri quamplurimis ſolet, eſt Vlceris dictarum partium ſive Ægilopis ſimplicis in ſinuoſum atque calloſum paulatim facta mutatio, cum ichoris vel ſaniei aquoſæ indeſinenti profluvio, plerunque & Oſſis maxillaris carie conjunctum. *Fiſtula* dicitur hic Morbus à cavitatibus Inſtrumentorum muſicalium inſtar oblongis & ſinuoſis: *lacrymalis* verò ſimul audit, quòd Carunculam lacrymalem interdum ſimul affligat & exedat, quodque lacrymas profluere faciat.

Afficitur hic *modò* Caruncula illa ſpongioſa, mollis, rubicunda, lacrymalis dicta, in cantho Oculi majore recumbens, quæ meatum ſubjecti oſſis, ad nares pertingentem, operiens ſuperfluum humorem lacrymalem imbibit, ac eundem poſtmodum per duo foramina tenuia, ſive *Puncta* ſic dicta *lacrymalia*, in extremis Palpebrarum limbis ad latera ipſius Carunculæ conſpicua, in peculiarem ductum lacrymalem, qui uſque ad Narium extremitates pergit, tranſmittit, tandemque foras excernit. *Pars affecta.* *Modò* etiam cum vel ſine dictâ Carunculâ affligitur Cutis, vel ſubjecta huic membrana fibroſo-adipoſa Palpebræ inferioris inter Canthum majorem & Naſi radicem, orbitæ Oculi portionem integens. In Fiſtulâ quoque lacrymali plerunque dictæ orbitæ vel Maxillæ Oſſiculum unum alterumve ſimul læditur & corrumpitur.

Cauſæ Anchilopis cum Inflammatione. Anchilops cum Inflammatione producitur & formatur proximè à Sanguine & Lymphâ in loco affecto nonnihil extravaſatis, vel etiam intra vaſcula obſtructa ſubſiſtentibus, ſtagnantibus, atque ſenſim in pus abeuntibus, unde Abſceſſus & ex Abſceſſu Vlcus enaſcitur ſive Ægilops. *Ægilopis.* Quanquam hoc Vlcus etiam ſine Inflammatione præcedaneâ à ſalſis acribus & corrodentibus humoribus in Carunculâ lacrymali, aut viciniâ collectis, vaſcula lymphatica aperientibus, ac inde poſtmodum continuè exſudantibus, oboriri queat. Occaſionem hiſce Affectibus præbet anguſtatio vel obſtructio tubulorum, in quibus humores

mores circulantes decurrunt, vel lacrymæ ad Nares depluunt: angustant & constringunt frequentissimè Aër frigidus, rigidis parti.ulis admodum refertus: contribuere etiam valet crebra & fortis quidem illa compressio, fricatiove loci affecti, quando à salinis forsan aliquibus lacrymarum corpusculis pruritum adeptus fuerit; accepta quin & forsan contusio, ictus, allisio. Multum quoque facere possunt halitus ardentium Candelarum sulphureo-acres, in lucubrationibus nocturnis fibrillas Carunculæ lacrymalis, vicinarumque partium continué lambentes, lancinantes, & ad fricationem, compressionem vestimulantes.

Causa Anchilopis folliculosa. Anchilopen folliculosam, sive sine Inflammatione, parit effusio & collectio humoris pituitosi, crassi, subinde pinguis, caseosi, aut mellaginei inter membranulas loci affecti paulatim facta, quando videlicet occasione qualiscunque adstrictionis particulæ tales, in sanguine circulante ex pravâ diætâ prius congregatæ exsudant, vesiculam membranosam circa se formant, & sensim majori quantitate collectæ Tuberculum producunt.

Fistulæ lacrymalis. Fistulam lacrymalem efficit continuum ichoris sive humoris salso-acris profluvium; à quo prius per occasionem hinc inde datam sinus fuerint effigiati, horumque latera circumquaque & extremitates ab exsudante & concreto humore nutritio callosæ redditæ. Ægilops proin nisi promptè curetur, facilè cuniculos agere, & Fistulam post se trahere potest. Liquor autem ejusmodi Vlceris, si occultâ suâ acrimoniâ membranosas fibras penetravit, atque ossa orbitæ Oculi vel Maxillæ superioris attigit, eadem statim arrodere, corrumpere & carie afficere solet, sensim vim suam exedentem ultra expansurus, ni convenientibus id remediis præcaveretur.

Quod *Diagnosin* concernit, *Anchilops* quidem *cum Inflammatione* affligens, Furunculo penè simile Tuberculum est, atque adeo facilè cognoscitur ex præsenti tumore nonnihil duro & immobili, cum dolore lancinante aut pulsante, rubedine tantillâ in principio, aliquali ardore & lacrymarum crebro fluxu conjuncto. *Diagnosis.* *Anchilops sine Inflammatione*, folliculosa, digito prementi sub cute hinc inde cedit, in Carunculâ lacrymali nunquam existit, indolens utplurimum est, nisi fortè pruritum quandoque excitat, cuti concolor, & ad suppurationem per se minimè tendit. Si Tuberculum durum est valde, tum exiguum Scirrhum repræsentat: si verò minus durum evaserit, tum pro materiæ contentæ varietate nunc Meliceris, nunc Steatoma aut Atheroma exiguum erit. Si Caruncula lacrymalis afflicta sit, ex autopsiâ cuilibet patebit. *Ægilops* sive *Ulcus* simplex harum partium cognoscitur è pure qualicunque effluente, sive sincero, sive sanioso: pus autem hoc vel è Carunculâ prodit lacrymali, quæ hinc paulatim exeditur ac imminuitur; vel sub eadem & palpebrâ inferiore prodit, si præprimis angulum oculi premas, adeoque tum Vlcus subter cutim

tim versus angulum fuit apertum. Aliquando è Cute extrorsum ruptâ promanat, si videlicet cutis texturam fibrosam perrodere potuit; Ichor, qui profluit, nullo modo fœtet, atque labia Vlcusculi callosa minimè deprehenduntur. Quod si autem Ichor fuerit aquosus, fœtens, plus minus crassus, plerumque flavescens, vel sponte sub palpebra inferiore versus canthum majorem profluens, vel compressâ eâdem juxta nasum prodiens, & insolitam cavitatem, vel hiatum subter Cutim, tanquam exesæ substantiæ signum, monstrans, è cujus sinibus quandoque pus cum aliquali sibilo prosilit, callositas porrò atque durities circa sinum adsit, tum *Fistula* dicitur, quæ utplurimũ sub Cute palpebræ cuniculos agit & aperitur, rariùs verò nisi arte sit factum, ex ipsa cute extrorsum visibiliter patetur. Hisce *pathognomonicis* Fistulæ signis jungim⁹ communia alia, etenim in hoc Morbo simul Visus si non læsus, tamen ab effluxu saniei super Oculi bulbum quandoque obscuratus est, aut turbatus, pruritus etiam & dolor interdum accedit, atque non rarò palpebrarum extrema ab ichore promanante & lentescente in somno quasi conglutinantur: ichor ipse purulentus modò parciùs, modò copiosiùs variæ consistentiæ effluit, abstersionem frequenter urgens: accedit aliquando rubor. Quando materiam saniosam per nares profluere deprehendimus, id signum penè est Fistulæ ad Nasi os pertingentis. Afficitur nunc sola Caruncula lacrymalis cum suo ductu, nunc partes quoque vicinæ simul, aut solæ etiam affliguntur. Denique Fistula alia est recens ex parte tantùm callosa, intra carnem desinens, nec dum ossa corrumpens; alia inveterata, tota callosa, & ad ossiculum cariosum penetrans, vel cartilaginem corruptam terminans.

In *Prognosi* hoc quidem tenendum, nullum talium affectuum per se & naturâ suâ esse deleterium. Fiens morbus si pruritu ac dolore molestus fuerit, ad remediorum usum instigat, & ita facilè dissipatur nisi cacochymiam sanguinis pro fonte habet, quam natura per hæc loca depurare nititur. Si autem sine dolore ullo tubercula talia formari incipiant, & paulatinum incrementum capiant, tum in principio negliguntur, & ita factus sensim morbus facilè quidem cognoscitur, sed propter Oculi viciniam difficulter curantur: quin si cacochymicus fuerit sanguinis status, facilè ex Anchilope Ægilops & Vlcus simplex, atque si hoc non promptè atque funditùs extergatur & consolidetur, Fistula inde nascitur, dum materia saniosa vicinas partes molles, & spongiosam cartilaginum ossiumque texturam facilè erodit. Si adhuc acrior fuerit sanguinis diathesis, in Vlcus tandem cancrosum & exedens, nullo modo curabile, degenerare potest. Difficilius etiam curatur, si Abscessus ad nares rumpatur, & pus per illas effluat. Dicere tamen etiam possumus, Vlcus tale simplex minimè exedens, Fonticulum esse velut spontaneum, per quem natura sese à superfluis humoribus seroso-salsis liberat. Anchilops sine inflamma- *Prognosis*

flammatione, si nimium non excrescat, linqui potest, nec nisi Tumore structuram faciei defædante molestum erit. Si autem in Cancrum mutatur, ferè lentam eamque molestissimam partium exesionem dolorificam post se trahere solet, sine ullâ medicationis efficaciâ. Vlcus recens, Fistulaque in principio adhuc existens curationem haud difficilem admittit. Inveterata autem, profunda, quæque ad Nasi ossa penetravit, chronicum est malum, rarò perfectè sanabile, sed palliativè tantùm curabile.

Curatio Anchilopsis cum Inflammatione. *Curatio* pro Affectûs diversitate vario modo est instituenda, quòd si enim Tuberculum fuerit Anchilops cum Inflammatione, tum statim humorum stagnantium discussio tentabitur, sicque Tumor dissipabitur. In hunc finem proin ante omnia cruditates primarum viarum per Clysma emolliens atque detergens, vel etiam per lene aliquod purgans evacuabuntur: v. gr.

℞. *Radic. Lil. albor.*
Chelidon. maj.
Malv. ana. ℥ß.
Herb. 5. emoll.
Agrimon.
Anserin.
Flor. Chamomill. ana. Mj.
Sem. Lini. ʒvi.
Fænic. ʒij.
Bacc. Junip. ʒj.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. Colatur. ℔j. *in adultis adde*
Olei Olivar. ℥jß.
Elect. lenitiv. ʒvj.
⊖*is Gemm.* ʒß.

M. F. Clyster tepidè injiciendus & una vel alterâ vice reiterandus. Juvant *Epithemata* sive *Collyria*, in hunc proin finem omnia contra Ophthalmiam suo loco commendata, vel sequens certè proderit:

℞. *Aqu. Chelid. major.* ℥ij.
Euphras.
Hierac. ana. ℥j.
Spirit. Vin. camphorat. ʒij.
Essent. Croc. ʒß.
Magist. ♄ *n. diaphoret.*
Lapid. Calam. ppt. ana. ʒj.
Misce detur ad Vitr. & pluries calidè noctu diuque cum linteolis mollibus Palpebris Oculi clausis admovebitur.

Alii *Spiritum Panis siliginei* cum *Aquâ Reginâ Hungar.* atque *Essentiâ Myrrh.* pro *Epithemate externo* non sine successu in usum trahunt. Euporiston nonnullis est *Cataplasma è Pomis putridis dulcibus*, *Tutia ppt. Lapid. Calam. ppt. Camphorâ* & Croco concinnatum, tepidèque sæpius applicatum.

Quando Inflammatio discuti intra spatium aliquot dierum nequit, signum est, eam in Abscessum atque Vlcus declinare, quamobrem tum emollientia ac maturantia statim in usum trahentur, qualia v. gr. sunt *Cataplasma è Micâ Panis siliginei*, *vel Farinâ Tritici*, *Siliginis*, *Fabarum*, *Radic. Alth. Sem. Lin. Croco*, *Lacte*, *Melle*, *Aquâ rosac. aut Succo Hieracii vel Chelidon maj. expresso* compositum, & calidè bis quotidie ita applicatum, ne Oculi bulbus valde prematur, à quâ pressione novum Oculo malum accerseretur. Maturationem quoque, sed tardius & majore cum dolore pro-

movent

movent Emplaſtra *Diachylum ſimpl.* ſive *cum Gumm. Stict. Croll. Norimbergenſe Gruberianum*, *Colleti Francofurt.*

Vſus horum remediorum externorum continuabitur, ac ſimul quotidie doſis *pulveris diaphoretici* uti ſuprà cum *Aquâ Fumar.* propinabitur, donec Abſceſſus tuberculi fuerit maturatus, quem dein, ſi ſponte extra verſus non rumpatur, lanceolâ pertundes, puſque effluere permittes, imò etiam quantum licebit, exprimes. Vlcus autem ſic factum, ſi ſufficienter apertum non videatur, ulteriore inciſione à perito circumſpectoque Chirurgo, antequam cuniculos agat, & in Fiſtulam mutetur, dilatabitur, ſicque fundum ejus detegetur, in quo dein, ſi vel Caro ſpongioſa aut putrida, vel Oſſiculi caries deprehendetur. *Cauterio actuali* ſemel vel bis, ſi opus videbitur, exuretur; ac deinceps oſſiculo quidem nudo fila carpta linea, deſuper autem alia *digeſtivo Unguento*, quod è *Tereb. vitell. ovi ſolut. Melle. roſac. Lapid. Calam. ppt. Bezoard. miner. ac Eſſent. Myrrh. Aloes*; compoſitum proſtare debet, bis quotidie imponetur; ac denique *Emplaſtrum Diapalmæ*, vel *Stict. Croll.* ſimilive aliud ad arcendas qualeſcunque Aeris externi injurias, Vlceriſque acidum abſorbendum applicabitur. Apertum ſervabitur Vlcus, uſque dum vel putrida Caro deſtructa, vel foliola Oſſis carioſa, ſi quæ inſunt, ſeparata & excuſſa ſint, minutoque puris qualiscunque proventu Vlcus novâ eaque bonâ carne impleri, ſicque ad Cicatricem tendere incipiat; quam certè multùm promovere poteſt uſus ſequentis Collyrii:

℞. *Aqu. Roſar. alb.*
Ulmar.
Plantag. ana. ℥j.
Thuris maſcul.
Aloes.
Myrrh. ana. ſubtiliſſ. pulver. ℈j.
♃*n diaph.* ℈ij.

Miſc. detur ad Vitr. Calidè cum linteolo bis quotidie admoveatur, atque deſuper Emplaſtrum Diapalmæ *imponatur.*

Vſurpato hoc per aliquot dies remedio tandem ſiccè deligandum eſt Vlcus, uſque dum Cicatrice obductum fuerit & probè ſine fœdo calloſanatum. Ligatura per totum Curationis tempus ita eſt inſtituenda, ut infra Oculum Cutis leniter compreſſa exiſtat, quò ſic materia purulenta deorſum penetrare, ſinuoſoſque cuniculos aut Fiſtulam producere nequeat.

Quòd ſi Tuberculum evaſit *cyſticum*, atque ab humore lento, craſſo folliculo incluſo provenerit, tum lanceolâ cutis eſt aperienda, folliculusque integer eximendus, ac dein *adſtringens, conſolidansque pulvis*, è *Myrrhâ, Aloë, Sanguine Draconis vero, Lapid. Hæmat. ppt.* Thure, *Maſtiche, Capulis Glandium*, *Ichtyocollâ Aquâ Chelidoniæ nutritâ*, ſimilibuſque paratus, atque albumine Ovi exceptus calidiuſculè eſt applicandus, impoſito deſuper *Emplaſtro Diachalciteos*, vel *Diapalmæ*, vel *Diaſulph. Ruland.*

Quando autem Tuberculum exſcindi nequit, tum cauſticum imponatur

tur remedium, hincque producta eschara Butyro recenti non salito emolliri debet; emollita si sponte non abscedat, scalpello est abscindenda, factumque Ulcusculum *Melle rosaceo*, cum *Essentiâ Aloës*, *Myrrh. Thuris*, *Pulvere Radic. Rhabarb. Chelidon. Sang. Dracon. Bol. armen.* ♁*n. diaphor. Mercur. præcipit. alb.* &c. permisto, sensim extergendum, ac denique modo supra dicto ad Cicatricem promovendum est.

In *Fistulâ lacrymali* & *Ulcere sinuoso* Corpus subinde est purgandum, sequentibus. v. g. *Pilulis* in Adultis:

℞. *Mass. Pilul.* è *Succin. Crat.* ℈ß.
Extract. Rhab.
Helleb. nigr. ana. gr. vj.
Cinnab. ♁*n. corr. gr.* viij.
Resin. Jalapp. gr. ij.
Ol. stillatit. Rorism. q. s.

M. F. l. a. Pilulæ no. xv. *Inauratæ sumantur mane pro dosi cum regimine diætæ.*

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Crem. ♀*ri.*
Merc. dulc. opt. ana. ℈ß.
Scamm. ♀*rat. gr.* iij.
Ol. stillat. Mac. gutt. j.

M. F. pulv. subt. d. ad ch. Sumatur mane jejuno stomacho pro dosi.

Vel exhiberi potest Infusum Fol. Senn. & Rhebarb. aut Vinum medicatum ex alterantibus & traumaticis amaris atque purgantibus compositum. Placent aliis *Extracta v. gr. panchymag Croll. Cathol. Pilular. Coch. Massa Pilular. Aloeticar. vel Marocostin. Pilulæ Emanuelis, alia.* A Vomitoriis sibi maximopere cavendum; si Ventriculus tamen scateat Viscidis cruditatibus, *digestiva* remedia purgantibus præmittenda, qualia possunt esse ♀*rus* ⊕*latus*, ♁*n. diaphor. Cremor* ♀*ri. Arcanum duplicat. Mynf. Tinct.* ♁*nii, Corallor.* Purgante præmisso danda sunt statim traumatica, & absorbentia, *Decocta, Essentiæ, Tincturæ vulnerariæ*, ♁*nium diaphoret. C. C.* vel *Ebur sine igne parat. Diaphor.* ♃*vial.* ♂*ial. Terr. sigillat. Essentia lignorum, Trifol. fibrin. Decoctum vel Infus. Lignorum um herbis Thee & traumaticis. Pilulæ ex Extract. Numular. Veronic. Plantag. Folior. teneriorum Quercus*, & Pulveribus absorbentibus paratæ. Æstivo tempore *Potus Acidularum, Thermarum Fabariens. Rhætiæ, Plumbariarum Lotharingiæ*, aliarumque pro varietate complexionum convenit.

Extus Capilli capitis statim veniunt abscindendi, Emplastrum de Betonicâ & Tacamahacâ. Vertici Capitis imponendum, vel Cucupha è Cephalicis parata, si ferre queat Æger, imponenda, Capillitium portandum. *Setaceum* in Nuchâ excitandum, & si Cacochymicus fuerit Æger, simul *Fonticulus* in pede ejus lateris, in quo Oculi canthus est afflictus, producendus. Frictiones dorsi cum linteis calentibus quotidie ferè & blandè instituendæ; hisque omnibus remediis humores sensim à loco affecto sunt divertendi. Quando itaque benè jam fluit Setaceum, topica quoque auxilia veniunt præstanda, ubi Callositas Ulceris vel incisione venit discindenda usque ad radicem mali, vel quod *Fabricius ab Aquapendente* melius esse deprehendit perfo-

perforatio Ossis Narium Terebræ ope facienda, quò sic Ichori via & effluxus per Nasum pateat. Dein ustio fistulosi sinûs instrumento per cannulam, quâ vicinus munitur Oculus, instituenda, vel hujus loco Cathæreticis, quantum licebit remediis fundum Vlceris paulatim est detegendum, quemadmodum id vel *Ungt. Ægyptiaco*, vel *Mercurio præcipitato rubro* subtiliss. trito, *Alumine usto*, aut simili leniori obtineri potest. Sumunt alii ad consumendam callositatem modò *Butyrum* ♃ *nii*, modò *viride Æris* cum *melle rosaceo*, modò *Aquam phagædenicam*.

Quando orificium Fistulæ angustum est, solent Chirurgi illud *turundâ* è radice *Gentianæ*, vel *Consolidæ majoris*, aut *Bryoniæ* dilatare. Aliis in hunc finem ceu minus dolorifica sufficit *Medulla Sambuci*, aut *Ebuli*, vel præparata *Spongia*. Si incisio fit, cavendum ne musculi orbicularis tendo, qui ibi utramque palpebram conectit, cum maximâ Oculi difformitate dissecetur. Ad extergendum interea mundificandumque Vlcus usurpant *Decoctum Radicum Asphodeli*, *Serpentariæ*, *Bryoniæ*, *Rhabarb. Hellebor. nigr. Aristol. Gentian. Herb. Absynth. Agrimon. Millefol. Geran. robert. Centaur. min. Sabinæ*, *Rutæ*, *Virgæ aur. Hyperici*, *Gallii lutei*, in *Aquâ communi*, vel *aluminosâ*, *muriaticâ*, vel *Calcis vivæ*, vel *Urinâ hominis sani* facto; cui ulterius *Tincturam* ex *Aloë*, *Myrrhâ*, *Thure*, *Mastiche*, *Asâ fœtid. Garyophyll. arom. Radic. Hellebor. nigr. Gentian.* &c. cum *Spiritu Vini* extractum permiscere possumus. Omnibus palmam præripit pulvis ex *Euphorbio*, *Myrrhâ*, *Aloë*, *Mercur. præcipit. rubr.* subtiliss. trito compositus, quo Fistulæ sinus quotidie impleri possunt, superaffundendo adhuc Tincturam modò dictam, vel *Aquam* illam *Boylei* ex ♁*lo albo*, *Bolo Armenate*, *Camphorâ*, interdum *Alumine* simul paratam, cujus descriptionem habet *de Utilitat Philos. Experim.* 5. *cap.* 1.

Ossis Cariosi separatio. Si dilatata ad fundum usque fuerit Fistula, hincque cariosum patuerit Os, vel Scalpro id abradi, vel *Cauterio actuali* omnium citissimè exuri potest. Sæpius hæc cauterisatio est repetenda, bis vel ter de die, per aliquot etiam hebdomadas, si opus videbitur, donec squammulæ cariosæ probè separatæ fuerint. Hæc tamen operatio in Osse Maxillæ & Nasi tutò, in Ossiculis orbitæ autem non nisi temerè, & cum Oculi magnâ noxâ instituitur. Escharæ casus Vnguento digestivo promovendus, Vlcusque more solito deligandum.

Hypochondriaca passio. AFFECTIO PASSIO vel MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, MALVM HYPOCHONDRIACVM, AFFECTVS HYPOCHONDRIACVS, nomen suum ab ὑπὸ *sub*, & χόνδρον, *Cartilago*, adeoque à *regione* pectoris *subcartilagineâ*, sub cartilaginosis costis, Diaphragma, Ventriculum, Intestina, Mesenterium, Hepar, Splenem, Omentum, Pancreas, ceu Mali scaturigines focosque comprehendente, deducit, totque symptomatibus Hominem affligit, ut adcuratè definiri nequeat. Dicere tamen liceat, quòd sit molesta vel tristis quædam, eaque frequens & obstinata *Descriptio.*

ſtinata mentis ſenſatio, cum inquietudine utplurimum & anxietate pectoris aut præcordiorum, variaque ſymptomatum plurium aut pauciorum complexione hominem plus minus excrucians, atque à diverſâ fibrarum in Hypochondriacis partibus membranaceo-nervoſarum vellicatione & criſpatione ſive contractione ſpaſmodicâ, per humores pituitoſo-acido-acres factâ, originem trahens.

Pars Affecta. Pro *Parte primariò affectâ* eam procul dubio adgnoſcere debemus, cui cauſa morbi primariò inhæret, vel in quo fomes aut focus mali hæret, & unde per conſenſum ſive ſecundariò plures aliæ partes afficiuntur. Veteres tantùm non omnes, *Lienem* pro principali hujus Affectûs ſcaturigine adgnoverunt, indeque Germani appellare conſueverunt, die Miltze Kranckheit, die Miltze-ſucht; ſed perperam, cùm in Hypochondriacorum plerorumque Cadaveribus inſons planè Lienis viſcus, atque ab omni labe immune deprehenſum; ac viciſſim in aliis qui nunquam Hypochondriaci fuerunt. Lien morboſum inventum fuerit. Alii culpam modò in Ventriculum, modò in Hepar, Pancreas, Inteſtina, Meſenterium, Diaphragma conjiciunt. Verùm adcuratius rem ponderantes deprehendunt, propriè fibras nervoſo-membranaceas Partium in hypochondriacâ Regione ſitarum affligi, & ſympathicè dein partes corporis alias per communionem nervorum afficere.

Diagnoſis. Signa *diagnoſtico-pathognomonica* hujus Affectûs, ſi nondum firmas egit radices, difficulter dari poſſunt. Differentias enim admittit non contemnendas, etſi à multis parum diſtinctè obſervatas: & enim *alius* quidem mitiore gradu Hominem ſine ullo delirio affligit, & ſimpliciter *Paſſio hypochondriaca*, vel *Affectus hypochondriacus* vocari debet: *alius* majore eundem gradu, & cum vehementioribus ſymptomatibus, cum deliriis modò interruptis, modò continuis, cumque timore & triſtitiâ ſine furore excruciat, & *Melancholia hypochondriaca* dici poteſt. Prior mitiorque gradus pro ſignis pathognomonicis ſequentia ferè adgnoſcit: nimirum tales Ægroti frequenter gravitatem ſtomachi & phlogoſes à paſtu, cum extraordinario faciei rubore, inflationes Abdominis, nonnunquam lancinationes, tenſiones vel criſpationes colicas, præprimis in ſiniſtro hypochondrio, ubi inteſtinum Colon recurvatum & anguſtatum vicinis partibus membranâ quadam cohæret, perſentiunt; dum interea appetitu quidem optimo ſemper gaudent, ſed depravatam ſimul chylificationem habent. His accedit quoque crebra pectoris anxietas, cum aliquali dyſpnœâ, murmuribus, & rugitibus vel borborygmis Hypochondriorum, nec non Alvi ſegnities, & frequens conſtipatio, poſt quam dein ſcybala utplurimum dura & globoſa non ſine labore excernuntur, unde propter retentos diu flatus, juxta anxietatem, vel etiam inquietudinem in ſomno, laſſitudines, formicationes, tremores leves atque ſtupores membrorum quandoque perſentiunt. Cum his tamen Judicium acutum atque Phantaſia ſana ſine ullo delirio

Di... rent... Af... *Sig... affe... ſine... rio... tho... mo...*

delirio manet. Hisce verò pathognominicis signis adhuc communia alia plura veniunt addenda, de quibus variè conqueruntur; nimirum Hypochondriaci alii quidem crebrius salivant & os pituitâ madens ferè semper habent; saliva ipsorum nonnunquam aquosior, nonnunquam viscidior pro assumtorum diversitate existit. Jejunantes ferè debiles existunt, & quandòque etiam tantùm non planè linquuntur animo, donec alimentum assumserunt. Alii siccum os habent, & salivæ acriusculæ paucitatem. Ructus ipsis quandoque acidi sunt, saporque oris subsalsus, aut vitriolicus. Nauseant atque vomunt pituitam variam, interdum penè viridem, vitriolicam, tenacem. Ructibus subinde acidis torquentur; pulsationes in Hypochondriis, frigus extremorum, nonnunquam cum sudore frigido acidum spirante, dolores etiam atque lancinationes dorsi vel lumborum persentiunt, acsi fustibus cæsi fuissent. Pulsus varius est, Cordis palpitatio cum vehementi Arteriarum pulsatione quandoque accedit. Vrina quandoque limpida, aquosa, quandoque crassa est, atque sedimentum modò copiosum, modò paucum plus minus salinum viscidum deponunt, cum corpusculis salinis fundo & parietibus matulæ accrescentibus. Interdum vertigine, & obtuso Capitis dolore simul vexantur. Maximum hujus simplicis Affectûs hypochondriaci gradum denique *Ettmyllerus* credidit esse *Scorbutum*, de cujus naturâ atque curâ suo loco tractatur.

Signa pathognomonica Melancholiæ hypochondriacæ.

Quòd si superioribus signis præterea accedant tristitia crebra ac pertinax, animus suspicax, varia corporis animique perturbatio & intemperies, gracilitas, oculi interdum fixi ac leviter torvi, solitudinis amor, morositas, irritabilitas facilis ad iram, terrorem; quandoque motus membrorum spasmodici, debilitates velut paralyticæ transeuntes, timor atque metus sine ullâ causâ, etiam sine febre ac furore, præconceptæ ac deliræ imaginationes, mentisque alienationes; tum verò non simplicem *Passionem* sed *Melancholiam hypochondriacam* nuncupamus, nomine composito ex μελας, *niger, ater*, & χολὴ, bilis; quoniam veteres hunc Affectum ab atrâ bile provenire crediderunt. Hâc verò detenti Homines meticulosi, suspiciosi, ex variis quæ patiuntur symptomatibus falsas sibi fingere solent opiniones, taliaque imaginari, quæ ludicra subinde existunt atque ridicula; neque etiam opiniones ejusmodi perversas, nisi ægerrimè deponere possunt. Sunt inter hos, qui putant se vitreos esse totos, vel vitrum intra corpus habere veneno repletum, hincque vehementes motus evitant. Alii utut maximè pii & religiosi, se Deo exosos, adeoque damnatos, æterno supplicio destinatos esse sibi persuadent, summeque proin tristes, quæ certè species Melancholiæ horrenda, & ad desperationem non rarò invitans est, ita ut, sicut *Platerus in Praxi* scitè monuit, *se ad blasphemias erga Deum, ad multa horrenda perpetranda, ad manus violentas sibi inferendas, maritum, uxorem, liberos, vicinos, Principem, interficiendos,*

nullâ Zelotypiâ, nullâ invidiâ erga illos, quos potius intimè amant, commotos, contra voluntatem velut cogi, talesque cogitationes invitis etiam sibi obrepere dicant; cum interea Deum, ut se ab impiis illis cogitationibus liberare velit, instanter precari haud desinant. Alii magis terrore mortis anguntur, seque ob scelera perpetrata, qualia tamen nulla nisi imaginaria sciunt, ad supplicium postulari conqueruntur, sicque mortem, quam sibi mox imminere credunt, summoperè expavescunt.

Alii ridicula animo phantasmata concipiunt, diutissiméque retinent; ut quando se in *bruta* conversos opinantur; quando se *Papas*, *Imperatores*, *Reges*, *Principes*, *Belliduces*, factos credunt, & continuè varia mandant; quando se *caput magnitudinis stupendæ*, *nasum longissimum* habere opinantur, quando se *ranas*, *serpentes*, *lapides*, *adamantes*, aliaque devorâsse, & adhuc in corpore circumgestare somniant. Vixit apud nos, qui se *militem cum hastâ excubias agentem* deglutiisse, eumque in faucibus adhuc obhærentem habere, sibi per plurimos annos fuit imaginatus, usque dum amicus consilium dedisset, ut sibi Clysterem ex pulvere pyrio confici curaret, illiusque accensione militem è faucibus expelleret, quo audito, & ad animum revocato consilio, delirium illud amisit, & alia postmodum agitavit. *Alii* in *spe* & *silentio* suos consumunt dies, *segnes* sunt, *taciturni*, ad interrogata ægrè respondent, solitudines quærunt & amant, sylvas petunt, in latebras se abscondunt, hominum consortia vitantes, ac velut horrentes, *Misanthropi* eapropter verè dicti. Atque talia phantasmata modò brevius, modò diutius hominis animum pervertunt; intermittunt sæpè, ut homo aliquandiu rectè ratiocinetur, donec cogitationes deliræ redeant. Habent proin sæpè dilucida quædam in hoc morbo intervalla homines, remissionesque; redeunt dein per vices deliria consueta, aliave. Nonnulli etiam per certas anni tempestates, Lunæque phases ita divexantur. Paucis, Melancholici, uti *Fernelius* describere amavit, *vel cogitant vel loquuntur, vel efficiunt absurda, longeq; à ratione & consilio abhorrentia, eaq; omnia cum metu & tristitiâ. Incipientes quidem melancholici abjecto, demisso, & hebetiore sunt animo, se suaq; negligunt, vitam sibi acerbam putant & amarissimam, etiamsi ex eâ migrare pertimescant. Quũ* verò *jam malum invaluit, multa animo & cogitatione fingunt, & obloquuntur aliena perturbatè atque confusè.*

Quando igitur Affectio hypochondriaca in partibus tam solidis quàm fluidis, si modò ad diversissima sua symptomata attendere velimus, radicata deprehenditur; à diversis hinc causis illam produci existimandum erit; in harum autem expositione plus subinde confusionis quàm perspicuitatis notavimus, ut proin operæ pretium nos facturos arbitrati fuerimus, si totum hoc ætiologiæ negotium ab ipso generationis principio deduceremus. Dicimus ergo, primam hujus Mali originem in nonnullis quidem hæreditariæ sanguinis ac Spirituum dispositioni, deinceps verò in omnibus depravatæ stoma- *Causa*

ſtomachi Chylificationi aliquamdiu continuatæ adſcribendam eſſe, dum Cibi boni malive ſucci propter liquoris gaſtrici acorem quendam præternaturalem,& activitatem blandè volatilem, ab Animi paſſionibus vehementibus & crebris, mœrore inprimis diuturno, frequentique irâ aut terrore imminutam, non in chylum bonum ac laudabilem,ſed in maſſam ſubacidam plus minus acrem, diſſoluti convertuntur, in quâ ſalia acida plus juſto exaltata prædominantur. Quando igitur talis chylus plus minus crudus ac viſcidus crebrò in circulantem Humorum laticem tranſmittitur, tum hic ſenſim à dulci ſuâ benignâve temperie & craſi degenerat, ac in ſanguinem utplurimum acidum, vel ſalſum magis minuſve lentum mutatur. A tali ſanguine porrò & ipſis ſpiritibus animalibus ſive fluidis Nervorum incolis labes quædam atque intemperies, quam alii peregrinum characterem vel ætherem vocant, communicatur. Præternaturaliter verò conſtitutæ ſic Partes corporis fluidæ,tonum quoque ſolidarum partium, fibrarum inprimis nervoſarum in membranis aut tubulus fluida vehentibus, lædunt, & vel laxitudinem vel criſpationem conciliant, quatenus occaſione qualicunque datâ, anguſtatis, compreſſis, conſtrictiſve harum aut illarum partium tubulis ſalſæ vel acidæ particulæ humorum obhærent, ſubſiſtunt; vellicant hinc, fibrillas ſenſibiles diverſimodè rodunt, ſicque obſtructiones, dolores, tenſiones, & ſimilia producunt, imò hâc ratione omnia ſymptomata, de quibus ægri conqueruntur, excitant. Ita quidem ut pro diverſâ configuratione, magnitudine, acrimoniâ, copiâ & motu talium corpuſculorum ſalinorum, & particularum heterogenearum fibræ nervoſæ harum aut illarum partium fortius aut mitius perculſæ, ſymptomata nunc vehementiora nunc leniora, diuturniora vel breviora producant.

In *Prognoſi* hoc tenendum, Affectionem hypochondriacam in principio adhuc curabilem eſſe, ſed in progreſſu, ubi jam firmiores egit radices, curatu difficilem, imò propemodum inſanabilem eſſe. Vnde *Opprobrium Medicorum* fuit appellata, quòd Ægri ſemper habeant,de quo conquerantur, atque ob metum vel mortis vel graviorum morborum, etiam leviſſima ſymptomata quibus affliguntur, pertimeſcant, & eorum ratione medelam expoſcant: cumque poſtea vident & experiuntur, mitigato vel ablato uno ſymptomate jugiter alia atque iterum alia in his illiſve partibus ſubnaſci, impatientes evadunt,ipſimet ſuorum malorum originem perſcrutari incipiunt, atque ſepoſitâ in Medicum ordinarium fiduciâ, ad Agyrtas, Ciniflones, Circumforaneos, Carnifices, ſimilisque farinæ alios homines confugiunt, ut ab illis remedia efficaciora, dicam an pejora, obtineant; à quibus dein ſi vel pejus habent, vel certè in melius non proficiunt, jam multa ſibi imaginari perverſe, triſtes evadere, deliria agitare, ac ſenſim ſenſimque melancholici reddi ſolent. Vtut verò tum nondum continua, ſed interrupta exiſtant ejusmodi deliria, in ulteriore tamen pro- *Prognoſis*

greſſu Morbi ex Melancholiâ interpolatâ Delirium continuum & habituale, ex Hypochondriaco Cephalicum & radicale fieri poteſt, atque per totam vitam durabile. Interim lethalis per ſe non eſt hic Affectus, poteſt tamen, ſi Æger ad iram vehementem frequenter procitetur, in Maniam converti.

Curatio *Curatio* ex noſtrâ ſententiâ omnium optimè perfici poteſt correctione Maſſæ ſanguineæ, tam per debitum Vitæ regimen, quàm etiam per medicamenta generoſiora, largiſque doſibus hauſta; & quidem primæ viæ pro circumſtantiarum ratione nunc *emeticis blandis*, nunc *purgantibus mediocribus*, ſubinde eluentur, quibus elotis, nulla credimus meliora Remedia, quàm potum, vel *Seri Lactis Caprilli*, cum *Tinctur.* ♃ *ii*, *Corallor.* aut *Mart. aperitiv.* bis quotannis hauſti: vel *Aquarum Mineralium*, ſive *Fabarienſium calidarum* in Helvetiâ, ſive *Acidularum* quarumcunque. Quibus ego ſubſtituere frequenter ſoleo *Aquas* è Plantis ſpleneticis & antiſcorbuticis deſtillatas, quarum potu credimus ſalſam acidamve ſanguinis Cacochymiam quam optimè elui & emendari poſſe. His adde uſum *Spirit. Cochlear. Eſſent. Trifol. fibrin. Extract. Mart.* ac *Trif. fibr. Corall. rubr. ppt. Ocul.* ♋ *ppt.* omniumque abſorbentium. In potu ordinario crebrò infuſæ ſint Plantæ antiſcorbuticæ & ſpleneticæ. Alii commendant potum *Decocti Lignorum* blandioris cum Vino; nec non *Elixir propr. Claud.* vel *ſine acido*, *Tinctur. Mart. cœruleam Etneri*, *Eſſentiam Martis helleboratam*. Symptomatibus interim ſubinde urgentibus occurrendum eſt iis Remediis, quæ ſuis hinc inde locis commendantur, ſemper rationem habendo Dyſcraſiæ Humorum in hoc malo prædominantis, ne Symptomatis mitigatione Morbum principalem augeamus.

Diæt. In *Diæta* probamus Aerem temperatum, ſerenum, ſubtilem magis quàm craſſum, ac ſubinde ratione loci mutatum; mirum enim, quantum hæc loci ac aëris mutatio ad chronici hujus morbi mitigationem facit. Cibi ſunto eupepti ac laudabilis ſucci, non viſcidi, non flatulenti, non terreſtres, nec nimis ſaliti aut fumo indurati; Oleribus & Plantis antiſcorbuticis multum indulgeat. Vinum aut Cereviſia bibantur probè defœcata ac optima, minimè aceſcens; omnia uſurpentur moderatè; Exercitia corporis tempeſtiva ſint, ante paſtum magis quàm pleno ventriculo inſtituta; Somnus vitetur meridianus; Vigiliis non nimis indulgeatur: Lucubrationes nocturnæ crebriores aut diuturniores fugiantur; utpote per quas Literati non ſecus ac per meditationes poſt paſtum profundiores in hunc Affectum magis proclives redduntur, hincq; morbus ipſe Litteratorum morbus audit. Animi inprimis pathemata enormia vitentur atque in moderamine juſto teneantur, neque triſtitiæ, mœrori, & gravibus Curis liberaliter indulgeantur. Inprimis exulet hic impatientia mentis, & diffidentia cum fortibus imaginationibus perverſis. Societas autem piorum hominum hilari lætaque mente prædito-

rum.

rum continuè frequentetur; atque ſolitudo cane pejus & anguè fugiatur, talisque homo continuè quærat, quod agat.

AGONIA, vide *Sterilitas.*

ALARVM FOETOR, vide *Fætor Alarum.*

ALBARÆ, vide *Vitiligo.*

ugo. ALBVGO, LEVCOMA, eſt macula quædam albuginea, in corneâ oculi tunicâ enaſcens, atque vel à coagulatione humoris pituitoſi, vel à cicatrice Vulneris aut Vlceris, aliâve cauſâ originem ducens, ipſamque viſionem plus minuſve intercipiens.

af- *Pars affecta* tunica eſt Cornea, anteriori ſui parte, quâ pupillæ foramen in choroide extat, pellucida.

auſæ imæ Producitur hoc malum, quando à nimiâ contuſione & ictu cryſtallinus aut vitreus humor in foramen pupillæ prolabitur, atque nonnihil durior redditur, quemadmodum hoc contingit facilè, ſi in contuſione vel pupilla dilaceratur, vel Tunicæ humorum diſſiliunt, vel ſi in Cataractæ depoſitione acus nimis profundè infigitur, aut pupillæ fibrillæ dilacerantur. Producitur itidem, quando viſcida quædam pituita, omni acrimoniâ carens, in partis affectæ tubulis ſtagnat & induratur; aut ubi cicatrix poſt Vulnus vel Vlcus gignitur, tum macula quædam albuginea inde fit & naſcitur, quæ tanto craſſior, quanto humor ſtagnans copioſior vel denſior fuerit; ſubinde & latior aut major aut minor evadit, quando plures paucioreſve tubuli à ſtagnante humore ſunt infarcti. An exiccatio Corneæ heic à nonnullis accuſata admitti poſſit, dubitamus! niſi in Senibus totam ſiccari & incraſſari dicamus cum viſionis obſcuritate, ſed tum non Albugo vocari meretur. Occaſio hinc Affectui huic frequentior præbetur ab humore viſcido per arteriolas appulſo, item à puſtulis, variolis, ulcuſculis. Quando igitur vel Ophthalmiæ ulceroſæ, vel Variolæ, in bulbis oculorum enatæ, imperitè vel negligenter tractantur, plerumque in *Leucoma* tale faceſſunt, dum puſtula videlicet ſponte aut per medicamenta rumpit, atque hinc ulcuſculum deterſum & conſolidatum cicatricem ejusmodi albam, atque craſſitiem corneæ minus tranſparentem poſt ſe relinquit. Dumque callus ille Cicatriculæ modò altior modò profundior & denſior eſt, ita maculam nunc amplam & viſum planè intercipientem, nunc exiguam, & viſionem ex parte ſolùm tollentem, nunc oblongam, qui viſionem in pupillâ dividit, atque propriè Cicatrix dicitur, producit. *Cauſæ antecedentes, remotæ.*

Diagnoſis. Affectus unicuique per ſe patet, modò patientis oculum intueri & examinare dignabitur, videbit enim eâ parte, quâ oculi bulbus niger, cœruleus, aut glaucus eſſe ſolet, maculam quandam plus minuſve albugineam & craſſam, inſtar tunicæ cujusdam, indolentem, ſeſeque nunc latiùs nunc breviùs ſupra pupillam extendentem: quandò autem pupilla ex parte eſt obtecta, viſio imminuitur, ſi prorſus obtecta, viſio etiam totaliter aufertur, aut ſi Leucoma tenuius fuerit, & adhuc levi-

leviter transparens, tum visus obscuratur.

Prognosis. *Prognosis.* Affectus si à callo vel cicatrice vel humoris crystallini aut vitrei procidentiâ, vel acu nimis profundè adactâ, originem trahat, est immedicabilis, proin temerè nil promittas; si verò à viscido pituitoso humore provenerit, curari adhuc, licet maximâ cum difficultate, potest. Quæ Albugo pupillam non attingit, similiter linquitur, utpote visionem minimè lædens.

Curatio. *Curatio.* Albugo à stagnatione humoris pituitosi proveniens, desiderat remedia tam interna quàm externa sequenti modo administranda. Ante omnia *purgans Mercuriale*, non autem *emeticum* exhibeatur; Prosunt hic *Pilulæ de succino Crat. Pilulæ Lucis majores*, *Extractum catholicum*, *Extract. pilular. cochiar.* vel *angelicar.* cum *Oleo destill. Fœnicul.* & *Mercur. dulc.* Purganti succedet usus Remediorum *Stomachico-Cephalicorum*, sub formâ *Infusorum*, *Vinorum medicamentorum*, *Tragematum*, *Essentiarum*, *Tinctur.* aut *Spirituum volatil.* cujusmodi sunt v. g. pro adultis.

℞. *Mass. pilul. è Succ. Crat.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. XII.
Resin. Jalapp. gr. ij.
Cremor. ♀ri. gr. j.
Ol. stillat. fœnicul. q. s.
M. F. Pilulæ no. XV. *Inaur. d. ad ch.* pro dosi matutin.

Vel. ℞. *Extr. pilul. Angel.*
Cathol. ana. ℈ß.
Cinnab. ♁ii opt. gr. viij.
Resin. Scammon. gr. iij.
Ol. still. anis. q. s.
M. F. l. a. Pilul. no. XII. *pro dosi.*

℞. *Rad. Angelic.*
Chelidon. maj.
Calam. arom. ana. ʒij.
Lign. Guajac.
Sassaphr. ana. ʒiij.
Herb. Euphras.
Ocym.
Card. bened. ana. Mj.
Summit. Lavend.
Thym. ana. Mß.
Semin. fœnicul. ʒij.
Incisis & contusis affunde Vini albi Veteris Miß. singulis hinc pastibus unciæ quatuor hauriantur.

℞. *Spirit. Sal. ammon. fœnicul.*
Liqu. C. C. succin. ana. ʒiß.
Misc. Dos. m. ac vesp. XX. *gutt.* cum *Aqu. Chelid.*

Vel. ℞. *Essent. Betonic.*
Euphras.
Hyperic.
Spirit. Cochlear. ana. ℥j.
Misc. Dos. XX. *ad* XXX. *gutt.* cum *potu* ord. vel *Aqu. Euphras.* m. ac v.

℞. *Rad. Chelidon. maj.* ʒij.
Valerian.
Herb. Euphras.
Semin. Fœnicul. ana. ʒj.
Rutæ ʒß.
Ebor. ppt. ℥ß.
⊖is volat. C. C. pur. ʒß.
Ocul. ♋. ppt. ʒij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. F. pulv. subt. d. ad scat. Dosis quotidie ʒj. vel ʒiß. *Externè* conveniunt, quæ stagnantem pituitam volatilisare & discutere poterunt, coagulum nimirum acidum *resolvendo* & *edulcorando:*

rando : Quæ inter referimus *Aquam destillatam* ex *ſucco Rutæ*, *Anagallid. Euphr. Scabioſ.* aut *Chelid. maj.* ♁*li albi* vel ⊖*is vol. C. C.* tantillo acuatam. Subinde quadrant *Balſama Ophthalmica* ex *Axungiâ leporinâ*, *felle Lucii piſcis*, *Pinguedine ſerpentum*, cum *Saccharo candido*, *Tutiâ*, *Succino*, *Lapide calaminari*, & ☿*io præcipitato albo* vel *rubro*. *Pulveres* itidem *ophthalmici*, ex *Saccharo ſaturni*, *Tutiâ*, *Succino*, *Lapid. calam. Sacch. cand. alb.* ♁*lo albo* & ſimilibus, oculo inſpergendi. Pro re natâ & *veſicatorium* nuchæ applicabitur, & *capilli* nimis *denſi capitis* abſcindantur. Cicatricem in oculo enatam tutiùs linques quàm verò tanges. In *Diætâ* ab *Aëre craſſo frigido-humido*, & *acri rigido*, vel etiam *nimis æſtuante*, & *acribus halitibus inquinato* : à *Cibis flatulentis*, *craſſis*, *viſcidis*, ut & à *Vini* vel *aceſcentis Liquoris* nimio potu, à *lucubrationibus frequentibus & diuturnis*, ab *immoderato Corporis motu* ſibi ſtudioſe Ægri cavebunt.

ALCOLA, vide *Aphthæ*.

ALOPECIA, vide *Capillorum Defluvium*.

ALPHI, vid. *Vitiligo*.

ALVI FLVXVS ſive DIARRHOEA, eſt ſymptoma excretorum, quo variæ cruditates liquidæ blioſo-aquoſæ frequenter in copiâ per alvum excernuntur.

Afficiuntur heic maximè Inteſtina cum plexibus glandulоſis, è quibus potiſſima fluxus alvini materia in canalem inteſtinorum deſtillat, & fibrillis eorundem muſculoſis, quæ ſimul crebrò irritantur, & multiplici actu hinc criſpatæ excretionem frequentem inſtituunt. Atque hæc ipſamet irritatio, criſpatioque fibrarum frequens, proximè Alvinos ejuſmodi Fluxus producit, quatenus ita non ſolùm motus inteſtinorum periſtalticus augetur, cumque eo fluida materia ad alvum præcipitatur, ſed & Abdominis Diaphragmatiſque muſculi ſimul ſtimulati excretionem crebram promovent. Irritantur autem illæ fibræ ab acrimoniâ humorum, in canalem Inteſtinalem copioſè jugiterque confluentium, ſalſorum aut ſimul bilioſorum & ſeroſorum ; ſive dein ex Ventriculo ſub formâ Chyli ſalſioris & ſeroſioris, ſive è Maſſâ ſanguineâ per plexus glanduloſos inteſtinales, vel etiam Ductum pancreaticum atque biliarium fuerint tranſmiſſi. Occaſionem hinc multiplicem huic ſymptomati præbent, Cibi admodum ſaliti, fumo indurati, Olera Hortorum laxantia, Fructus horæi, inprimis poma, pruna, mala Perſica & Armeniaca, Ceraſa, Baccæ Rubi idæi, Ribes, Vvæ, Muſtum vinaceum, Cereviſia recens vel acida è nitroſis valde aquis cocta, Vina novella & nondum defœcata, vel aliàs acidiuſcula, ſimiliaque copioſius ingeſta.

Cauſa proxima

Cauſa antecedentes.

Quandoque etiam vel Ira immoderata, vel Terror inopinatus, per Bilis aut ſucci pancreatici effuſionem, ad hunc affectum confert. Contribuit huc quoque, apud mollioris inprimis texturæ homines, ipſe aër externus frigidus, hincque verbi gratia obambulatio per pavimentum lapideum nudis pedibus, poros cutaneos conſtringens atque

Cauſa procatarctica.

atque Inſenſilem tranſpirationem impediendo ſeroſitates ad inteſtinorum glandulas repellens. Reverà enim ab omnibus hiſce cauſis externis & procatarcticis, ſeroſo ſalſi bilioſive humores in ſanguine, inque Inteſtinis gigni, cumulari atque confluere poſſunt.

Diagnoſis. Affectus ipſe, ſi quis *Diagnoſin* quærat, ex Ægrorum relatione dignoſcitur: Affligit autem quandoque cum torminibus Ventris & Colicâ, quandoque ſine iiſdem: plerumque Appetitus eſt imminutus, atque ſtomachus emittit frequenter moleſtos ructus: adſunt præterea non raro Inquietudines, flatus atque ſtrepitus Ventris, Murmura hypochondriorum, ob fluctuantem per inteſtinum Colon materiam; ſitis ſubinde jungitur intenſa, dejectio creberrima adeſt; Excrementa autem ſunt vel flaveſcentia ſive bilioſa, vel nigra id eſt acida, vel pituitoſo-viſcida, vel ſeroſa & aquea, vel ſtercorea ac fœtida, vel cineritia, alba, cretacea, pinguia, ſebacea, prout nunc hæ nunc illæ particulæ ſalinæ terreſtres aut ſulphureæ cum aquoſis fuerint permiſtæ. Aliquando etiam fluxus hic contingit cum Teneſmo & Ani ardore, ob acrimoniam ſalſam & pungentem excrementitiæ materiæ.

Prognoſis In *Prognoſi* tenendum Diarrhœam aliam eſſe *criticam*, adeoque Febri continuæ junctam, qua homo vel ſalutem ſuam recuperat, vel mortem ſubit; aliam eſſe *ſymptomaticam*, per ſe ſine alio præcedaneo morbo ortam, quæ ad tertium usque diem absque uſu remediorum tolerari poteſt, ſed ulterius durans ſiſtenda venit; ne quod aliàs facilè contingit, in Dyſenteriam, Cœliacam paſſionem, Lienteriam, aut alium deteriorem Affectum mutetur. In Phthiſi aut Hecticâ Diarrhœæ ſolent eſſe Mortis prodromi. In prægnantibus Diarrhœæ diutius perſeverantes Abortum minantur, inprimis ſi Menſium ſimul fluxus accedat, aut Tormina frequentia, graviaque non ſine Teneſmo jungantur. A nimiâ Ciborum ingeſtorum copiâ, vel à Halecibus aliiſve ſalſis piſcibus ac cibis, vel etiam potu qualicunque, aſſumtis, provenientes Diarrhœæ utplurimum diſcrimine vacant. Bonum eſt ſi excrementa prius liquida, deinceps ſpiſſiora evadere, flatus gigni ac erumpere, incipiant: Pejus autem ubi excrementa redduntur deteriora, viridia, cineritia, nigra, acria, pinguia, graveolentia, cum ſingultu aliiſque ſignis peſſimis, continuè cum virium lapſu apparentia. Lethalis quoque Diarrhœa, ſi Febribus malignis, peſtilentialibus, Peſtique ipſi, ut & Pleuritidi, Peripneumoniæ ſuperaccedat, & hinc ſtatim maximum virium lapſum cum aliis ſymptomatibus gravibus poſt ſe trahat.

Cur *Curatio* hinc pro cauſarum diverſitate inſtituenda venit. Quod ſi à cruditatibus pituitoſis vel ſeroſis plus minus ſalſis & acribus proveniat, ante omnia *purgans* lenius eſt exhibendum, idque vel ex *Rhabarbaro ad* ℥j. cum *Cremoris* ♀*ri* ℈ß. Vel ex *Infuſo foliorum Sennæ* & *Rhabarbari*, vel ex *Syrupo aliquo purgante* cum *Aquâ Cinnam.* & alia convenienti permiſto: v. gr.

℞.

℞. *Rhab. el.* ʒj.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Ol. Still. mac. gtt. ij.
M. F. pulv. ſubt. pro doſi.
Vel ℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.*
Flor. Perſicor. ana. ℥iß.
Aq. Plantag.
Borrag. ana. ℥ß.
Cinnam. ʒij.
Elect. è ſucco Roſar. ʒiß.
M. F. potio. detur ad Vitr. pro doſi.
Vel ℞. *Fol. Senn. opt. mund.* ℥ß.
Rad. Rhab. el.
Scorzon.
Apii.
Caryophyll. ana. ʒj.
Sem. Aniſi.
Cinnam. el.
Cremor. ♀*ri. ana.* ℈iiß.
Inciſis contuſis & in nodulo ligatis affunde Aquæ font. q. ſ. ſtent per noctem, ſequenti manè bulliant parùm, hinc *colaturæ expreſſæ* ℥iiiß. adde *Syrup. Violar. purp.* ℥ß. *d. ad Vitr: pro doſi.* Delicatiores verò non niſi *Clyſmata* tolerant *emollientia* & *eluentia.* v. gr.

℞. *Rad. Alth.*
Lilior. alb.
Scorzon. ana. ʒiij.
Herb. Malv.
Meliſſ.
Parietariæ.
Flor. Chamomill.
Melilot. ana. Mj.
Summit. Cent. min. Mß.
Semin. Cum. ʒij.
Lini ℥ß.
Inciſa & *contuſa eoquè in ſ. q. Aqu. communis* vel *Seri lactis, Colaturæ* ℥xj. adde.
Ol. roſacei ℥iß.
Mell. Violac. ℥ß.
M. F. Clyſter tepidè injiciendus. Poſt hæc proſunt ea, quæ tonum fibrarum Ventriculi & Inteſtinorum irritatum demulcent, atque labefactatum reſtituunt, quæque ſimul & eâdem operâ acres particulas abſorbent, cujuſmodi ſunt *Theriaca Androm. Mithridat. Damocratis*, atque *Orvietanum ad* ʒj. adulto exhibita, vel *Theriac. cœleſt. ad gr. v. in Pilulis* pro doſi data:

℞. *Extr. Tormentill.*
Ther. cœl. ana. gr. v.
Ol. Still. mac. q. ſ.
M. F. l. a. Pilulæ no. vi. d. pro doſi.
Pro pluribus doſibus ſeqq. valent.

℞. *Extr. Conſol. maj.*
Tormentill.
Succi catechu.
Sang. Dracon. ver. ana. ℈j.
Cum oleo Stillat. Mac. f. l. a. Pilulæ no. XL. Manè ac Veſp. decem ſumantur pro doſi.

Quod ſi copia ſeri acris continuè in Inteſtina ſtillet, conducunt & *pulveres diaphoretico-abſorbentes* ex *Terrâ ſigill. Bolo arm. Antim. diaph. Smaragd. ppt. Corall. Unicorn. foſſ. C. C. uſt. Sang. drac. ppt. Diaph. mart.* Quibus pro re natâ addere licet *adſtringentia* ex *Succo catechu. Flor. Balauſt.* pulv. *Rad. Tormentill.* & ſimilibus: Valent & *Nux moſchata*, tàm *ſimplex* quàm *condita*, *Macis*, *Cinam.* aliaque *aromatica.* v. gr.

℞. *Unicorn. foſſ.* ℈iiß.
Bol. armen. ppt.
Terr. ſigill. ana. ℈ij.
Smaragd. ppt.

Corall. rubr. ppt.
C. C. ust. ppt. ana. ʒß.
Nuc. mosch. ℈j.
Laud. opiat. gr. IV.
Sacch. ros. ℈ij.

M. F. pulv. in viij. *part. æq. div. ad ch.* m. ac v. dosis capiatur.

Vel ℞. *Spod. ppt.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Rad. Tormentill.
Succ. Catech.
Nuc. mosch.
Mac. ana. ℈j.
Laud. op. gr. iij.
Sacch. ros. ʒß.

M. F. pulv. subt. in 6 doses æq. ad ch. div. m. ac. v. dosis sumatur. A quibus si speratus effectus non sequitur, protinus ad *anodyna* simul deveniendum est, qualia sunt *Laud. opiat. Essent. opii, Semen Hyoscyam. & Pap. alb.* Singula verò hæc vel sub formâ *pulverum* per se, vel sub formâ *Electuarior.* cum *Conserv. rosar.* atque *plantag.* permista, & *Syrupo Corallorum* nonnihil emollita. v. gr.

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ℥j.
Plantag. ℥ß.
Condit. Nuc. ind. ʒj.
Rad. Cal. arom. ʒß.
Cynosbat. ʒiß.
Confect. Hyacinth.
Bol. Armen. ppt.
Unicorn. foss. ana. ℈ij.
Syrup. Flor. Tunic. q. s.

M. F. Electuar. d. ad Oll. subinde cuspis cultri capiatur. Vel sub formâ *pilularum* cum *extractis Consolidæ majoris* atque *Betonic.* combinata. Sociantur hisce dein subinde *Conditura Cynosbatos*, *Cydoniorum*, *Cornorum*, *Myrtillorum*, *Nuc. mosch. Nuc. Indic. Rad. Symphit.* ut & *Confect. catechu.* Si vires labascant, *Mixtura* parabitur *cardiaca* ex *Aquis plantag. Equiset. Agrimon. Bursæ past. Borrag. Bugloss. Meliss. Fœnic. Chamom. Cinam. cydoniat.* cum *Syrupo Myrtino*, *Cydonior. Corall. Papav. Rhead. Anodyn. Confect. Alkerm.* Vel. *Hyacinth. Matr. perl. ppt. Corall. ppt.* ♁*io diaph.* atque *Theriacâ cœlest.* v. gr.

℞. *Aqu. Borrag.* ℥ij.
Burs. past. ℥j.
Cinam. cydon. ℥ß.
Syrup. Cydonior.
Flor. Tun. ana. ʒiij.
Confect. Hyacinth. ʒj.
Matr. perl. ppt.
Unicorn. foss. ana. ʒß.

M. d. ad Vitr. usurpetur cochleatim. *Euporiston* est, si *Pulvis Nuc. mosch.* vel subinde in *Ovo sorbili* capiatur, vel in *Vino rubro bono* per se, aut cum saccharo simul sorbilletur. Haustulus *Vini Malvatici* aut *Frontiniaci* aut *Hispanici*, absente febri, vel per se, vel cum *frustulo panis tosto*, *Nuce moschatâ*, *Cinamomo*, *Bol. armen. Corall.* & *Saccharo*, aliquoties sumtus non rarò egregiè juvit.

Externè Ventri inungatur *Balsamus* ex *Axung. Capr. Ol. Cydon. Mastich. Nucist. Absynth. Cumin. Anis. Carv. Menth.* & similibus: vel imponatur simul *Emplastrum* de *Crustâ panis*, aut *Crusta sola panis tosta*, *Nucis moschatæ pulvere* conspersa, & *Spir. juniperi* vel *Anth.* vel *Aqu. Cinnam.* irrorata; *Emplastrum* item vel *Cataplasma* ex

ex *Cydoniis in Vini rubro coctis*, cum *pulvere panis toſti*, *Succolat. Maſtich. Menth. Thur. Nuc. moſch.* atque *Cinam.* quibus etiam *Theriacam* cum fructu plures addere ſolent. Aliquando *Empl. tenax è Maſtich. Tacamah. Ol. nuciſt. Bol. armen. Cerâ* atque *Terebinth.* componitur & non ſine ſucceſſu applicatur.

lvi reſſ. ALVI SVPPRESSIO, ADSTRICTIO vel CONSTIPATIO eſt affectio corporis præternaturalis, quâ excrementa alvina præternaturaliter in corpore retinentur, & varias homini moleſtias procreant.

rs cta. Vitium maximè in Inteſtinis craſſis & Alvo, rarò in Inteſtinis tenuibus hæret, quanquam & obſtructio qualiſcunque tenuium huic malo anſam præbeant.

uſa ima *Cauſa proxima* eſt partim fibrarum Inteſtinalium muſculoſarum motus periſtalticus imminutus, abolitus, aut etiam impeditus vel inverſus: partim fibrarum Muſculi ſphincteris adſtrictio nimia. Niſi enim fibræ inteſtinorum carneæ ſuo conſtrictivo motu excrementitiam materiam ad Alvum continuè propellant, & adjuvantibus muſculis Abdominis ſimiliter contractis, è corpore tandem eliminent, ſuppreſſio alvina neceſſariò contingit. Imminuitur vel aboletur illa actio, quando ſtimulatio fibrarum deficit, nihilque adeſt, quod ſtimulum ſufficientem præbeat. Hinc defectus ſive Bilis, ſive Succi glanduloſo-lymphatici aliàs irritantis huc contribuit, ſi ſcilicet ſanguinea maſſa ſpiſſior & viſcidior eſt, quàm ut vel Bilem ſatis acrem, vel ſuccum Pancreaticum, Glanduloſumve inteſtinalem ſufficientem præbeat, quod in Febribus utplurimum evenit. Idem defectus notatur quoque, quando vel Glandulæ Inteſtinales, vel Pancreas, vel Hepar, eſt obſtructum ab humore craſſo, acido, ſicut in Melancholicis & Hypochondriacis vel in Hydropicis contingit. Deficit tandem ſi nunc per Cutis, nunc per Renum glandulas ſanguineum ſerum frequenter & copiosè diffluit. Impeditur Actio fibrarum ſubinde à flatibus nimiùm diſtendentibus; ſubinde à ſcybalis ſiccioribus ac durioribus redditis; ſubinde à Volvulo aut Prolapſu Inteſtinorum, à quibus cauſis, non ſecus atque ab Inflammatione, Subintratione, Vlcere, Coaleſcentiâ, Calculis, ſimilibuſque Actio eadem invertitur & Ileum excitat. Si denique excrementa alvina pauciora & illa minùs acria congeruntur, propter ſucculentam materiam ferè omnem per Lactea vaſa abripi conſuetam, tum ſegnior quoque Alvus redditur, frequenter etiam planè ſupprimitur.

Procatarcticæ verò *Cauſæ* huic malo occaſionem præbentes ſunt Aër nimis æſtuans atque Sudores largos eliciens, Vita multùm ſedentaria, Negligentia in fœcum depoſitione, uſus Ciborum lentorum, viſcidorum & adſtringentium, Ceraſorum cum oſſiculis comeſtorum: Inedia diuturna, potus Vinorum rubrorum adſtringentium, vel Decoctorum maximè ſiccantium è lignis: Somnus largus, Triſtitia & Mœror frequens. Cauſæ procatarcticæ.

Diagnosis. Affectus hic est, in quem Medici Practici apud Ægrotos ferè primò inquirere debent, patescit autem ex simplici relatione Ægrorum. Etenim frequenter subsequi illum solent Colica flatulenta aut biliosa, imò hæc mala sibi invicem subinde ita juncta sunt, ut scire vix liceat, uter alterutrius præcedens causa existat. Comitantur etiam quandoque Cephalalgia, Anxietas pectoris cum inquietudine, tristitiâ, & somno perturbato; Hinc in Passione hypochondriacâ Affectus hic non infrequens. Præterea Morbis à lentore humorum oriundis valde jungitur. Familiaris etiam est pluribus Fœminis, quæ quandoque octidui intervallo alvum vix semel deponunt, atque hinc obnoxiæ existunt variis Catarrhis, ad dentes vel in pectus aut collum depositis, ut & Cephalalgiæ, Palpitationi cordis, aliisque jam supra dictis symptomatibus.

Prognosis Quoad *Prognosin* Affectus hic, si duos tresve solùm duret dies, incommodi tantum non parit, diutius autem protractus, symptomatum prædictorum unum alterumve producet. Imò si validè adstricta maneat Alvus, sensim Intestinorum convulsivam Contractionem aut Inflationem, tandemque & Iliacam passionem inducet; Vnde Herniosi post Alvi contumacem suppressionem plerumque Iliaco morbo intereunt. Quæ autem Adstrictio Inflammationem Intestinorum subsequitur, similiter lethalis existit, propter Gangrænam & Sphacelum simul accedentem. Suppressio à Calculis Intestinorum, his excretis per se curatur; à Coalescentiâ ipsorum autem proveniens, lethalem Ileum post se trahit.

Cura In *Curatione* ad causas attendendum, quod si enim à duritie fœcum & coacervatione excrementorum crassorum atq; durorum oriatur, tum statim *Clys-mata emollientia* aliquot per vices sunt injicienda. v. gr.

℞. *Rad. Lilior. alb.*
Alth. ana. ℥ß.
Herb. 5. *emoll. ana. Mj.*
Semin. Anis.
Cumin. ana. ʒij.
Incis. & contus. coque in q. s. Aqu. font. Colatur. ℔j. adde
Ol. Olivar. ℥ij.
⊖*is Gemm.* ℈ij.
M. F. Clyster.

Vel ℞. *Decoct. Herb.* 5. *emoll. cum Betâ & Sem. Cumin.* ℔j.
Ol. Lilior. alb. ℥iiß.
⊖*is comm.* ʒj.
M. F. Clyster.

Postea autem *Infusum* prodest *Foliorum Sennæ* cum *Rhabarbaro*, *Cremore Tartari*, *Radice Cichor. Cinnam.* & *Prunis.*

℞. *Rad. Liquir.* ʒj.
Rhabarb. ℈ij.
Fol. Senn. s. stip. ℥ß.
Crem. ♀*ri.*
Semin. Fœnicul. ana. ℥j.
Incis. & contus. affunde, Aq. font. q. s. adde
Prun. damasc. no. VI.
Stent per noct. in loco tepid. seq. manè post levem ebullitionem Colaturæ ℥iiß. adde
Syrup. Viol. purp. ℥ß.
Fiat potio detur ad Vitr.

Vel.

Vel ℞. *Tamarindorum pulp.* ℥j.
Fol. Senn. opt. mund. ʒv.
Semin. Anis.
Cinam. opt. ana. ʒj.
Coq. invicem in Aq. font. q. s. Colatur. ℥iij. adde
Syrup. Flor. Persicor. ʒvj.
F. pot. d. ad Vitr.

In cibis quoque utilia sunt ea, quæ plurimò gaudent *succo nitroso*, v. gr. *Serum Lactis*, *Beta*, *Brassica*, *Malva*, *Blitum*, *potus* itidem *aquæ copiosus*, quibus aliquandò substitui poterunt *pinguia* affatim hausta. Nonnunquam in hoc casu alvum laxat potenter, *si homo nudis pedibus in pavimento lapideo centum* vel *plures passus obambulet*, vel *lucubrationi* nocturnæ uni & alteri indulgeat.

Si malum provenit à lentore humorum, similiter *Clysmata* injici possunt, ex *Decocto plantarum emollientium*, cum *Electuario lenitivo*, *Melle mercurial.* aut *violac.* atque *Oleo Lilior. alb.*

℞. *Decoct. Herb. emoll.* ℔j.
Elect. lenitiv.
Ol. Olivar. ana. ℥j.
⊖*is Gemm.* ℈j.
M. F. Clyster statim injiciend.

Postmodum intus exhibebitur vel *Infusum folior. Senn.* uti supra, vel *Syrupus* aliquis *laxativ.* v. gr. *Rosar. solut. s. vel compos. Syrup. Flor. Persic. aut Flor. Acaciar. Syrupus de Cichorio cum Rhabarb.* ad ℥ij. aut iij. vel *Spirit.* sequens *laxativus* absente Febri exhibendus.

℞. *Spirit. Anis.*
Ceras. nigr. ana. ʒß.
Magist. Jalapp.
Resin. Scamm. ana gr. iiij.
Solve lento igne & adde, vel *Syrup. Violar.* vel *Julep. rosacei* ʒij. M. pro dosi.

Aliis arridet fortè magis *Sal. polychr.* ad ℥ß. vel. ʒvj. pro dosi, cum *Ptisanâ* aut *Jusculo* hauriendum; In hoc casu quoque alii *Fumum Tabaci* subinde suctum, non sine successu commendant; Interdum etiam *Butyrum* vel *Oleum Olivar.* optimum. jejuno stomacho ingestum conducunt.

Commendamus hic quoque si Alvus segnis sit, & frequenter adstricta, *Anisum laxativum* ad ʒj. *Passulas* aut *Pruna laxativa* ad ʒvj. *Electuar. de Tamarind.* ad ℥j. *Vini* nondum *defæcati* vel *Cerevisiæ* haustum inconsuetum: *Pilulas Francofurtens. no.* 13. horâ ante cœnam, vel usuales nostras aliasve: Descriptio nostrarum sequens est:

℞. *Mass. pilul. Eman.* ʒj.
Extr. Liquir. ℈j.
Resin. Jalapp. ℈ß.
Elix. propr. q. s.
M. F. pilul. gr. ij. *magnitud.*

Capiantur octo usque ad decem prô dosi ante cœnam; *Serum lactis* quandoque hauriendum, inprimis *tamarindinatum*; *Balnea aquæ dulcis* æstivo tempore; frequentia *Clysmata emollientia*, *Olei*, *Butyri*, *Acetariorum*, *Passularum minor. Acidularum*, *fumi Tabaci* aut *similium* usum, prout Homo nunc in hoc, nunc in illud magis propensus est. *Pulvis* sequens ad ʒj. subinde sumtus multos juvat.

℞. *Pulv. fol. Mercurial.* ℥ß.
Senn. ʒij.
Gemmar. Sambuc. ʒj.
Crem. ♀*ri* ʒiß.

 Cinam.

Cinam. ℈ij.
Sem. Anis. ʒj.
Sacch. alb. ℥ß.
M. F. pulv. subt. d. ad. Scat.

Quandoque unicus *Pulvis Mercurialis* ad ʒj. cum jusculo datus juvat. Nonnunquam solus *Crem.* ♀ri ad ℈ij. vel ʒj. sumtus alvum laxat. Sunt qui eum in finem quotidie vel *Mannæ* frustum, vel ℈j. *Rhabarbari* manducant. Verno & autumnali tempore autem *Vinum medicatum laxans* bibere cum fructu solent, v. gr.

℞. *Radic. Apii.* ℥j.
Liquir. ʒij.
Herb. Agrim. Miß.
Fragar.
Violar.
Meliss. ana. Mj.
Rec. Nasturt. Mß.
Sem. Anis.
Cinnam. el. ana. ʒiß.
Folior. Senn. opt. mund. ℥j.
Agaric. trochisc. ʒvj.
Sal. polychr. ʒij.
Incis. contus. & sacculo illigatis affunde
Vin. alb. Veter. Mj.
Aq. font. Mß.

Stent prima nocte in loco tepido, postea singulis manè Cyathus ℥iiij. exhauriatur.

Quod si in aliis Morbis Constipatio alvi simul adsit, occurremus eo modo, qui suis locis peculiaribus est indigitatus. Alvi obstructio apud Infantes lactentes curatur, exhibendo Nutrici *Infusum folior. Senn.* aliudve *purgans mitius*, Infanti autem injiciendo *Clysmata emollientia*, aut indendo *Suppositoria* varii generis, è *Melle* tantillùm *salito & cocto*, *Butyro* cum *saccharo & Croco*, *Nodulo ex sindone*, cui *Crocus & Saccharum* cum *Albumine ovi* inest, *Sevo Cervino*, *Axungiâ bubulâ*, nonnihil *salitâ*, *Radice Petroselini*, & similibus *Oleo* probè inunctis. Intus autem simul propinabitur *Manna*, subinde in *Jusculo* vel *Lacte soluta* ad ℥ß. vel ℥j. aut *Syrup. Flor. Acac. Flor. Persicor. Rosar. solutiv. simplex*, *Mel rosaceum â* ʒij. *ad* ℥j. vel ℥iß. In Pulmentis semper aliquid *Butyri* cum *Pulvere Radic. Ireos Flor.* & *Sem. Anis.* datur.

Externè in Alvi Suppressionibus prodest *inunctio* totius Abdominis cum *Oleo Chamomillæ*, *Butyro recenti*, *Axungiâ* qualicunque, inprimis *bubulâ*. Vmbilicus verò inungi poterit *Unguento* de *Arthanitâ* cum *Oleo Colocynthidos*, *Pinguedine anserinâ* vel *gallinaceâ*, *felli Tauri inspissato* & similibus. Sæpius *Balneum Aquæ dulcis* cum *incoctione Herbarum emollientium* citò juvit. Æstivo tempore *Aquæ minerales salsulæ* vel *Acidulæ*, vel *Serum Lactis Caprilli* cum regimine diætæ assumi potest, non secus atque *Balneum* aliquod usurpari.

In *Diætâ Olera* hortensia, *oleosa*, *Butyracea*, subinde *salita* amentur. In potu, *Vinum album* concedatur mediocre. *Diæ.*

AMAVROSIS, vide *Gutta Serena.*

AMBLYOPIA, vide *Visus Hebetudo.*

AMBVSTIO, COMBVSTIO, VSTIO, est solutio continui in partibus solidis quibuscunque cum inflammatione, *Ambustio.*

tione, dolore ardente, atque cruſtâ aut veſiculis nunc majoribus nunc minoribus, & inde ſubſequente exulceratione, à rebus urentibus ignitis, producta.

bje-
n. Itaque *Subjectum* hujus mali præbent, tam partes externæ & ſolidæ, molles atque duræ, in quas quidem res urentes incidere poſſunt; quàm etiam nonnunquam palatum atque gula, quæ non raro à deglutitis rebus valde calidis ſimiliter comburuntur.

ffe-
ia. *Differentiæ* Ambuſtionis ſunt variæ, & quidem 1. Ratione graduum, alia extimam ſolùm cutim occupat, & primi gradus Ambuſtio vocatur; Alia cutim atq; panniculum carnoſum ſimul affligit, & ſecundi gradus; Alia tandem ad ſubſtratos uſque muſculos penetrat, & tertii gradus Ambuſtio nuncupatur; 2. Reſpectu ſymptomatum alia Ambuſtio veſiculas majores aut minores excitat; alia nullas, ſed cutim tantùm exſiccat, & ſi gravior evaſerit, cruſtam vel eſcharam producit nigricantem.

uſa
na *Cauſa proxima* hujus Affectûs, ſunt particulæ quorumcunque corporum ardentium igneæ, pyramidales, pungentes, atque ſcindentes, in rapidiſſimo motu exiſtentes, corpori diutiùs breviùſque applicatæ, ejuſque tubulos ac fibrillas dilacerantes, diſcindentes aut criſpantes, & hinc vel ſtatim exſiccantes citra veſiculas, vel cruſtam quoque duram excitantes, vel lympham è dilaceratis vaſculis eliciendo atque coacervando puſtulas excitantes. Ita ferrum, lapides, ligna, aqua, metalla, cera, aliaque corpora inanimata & ardentia igneis ſuis moleculis noxam hanc inferre ſolent. Quo pertinent & Cauteria potentialia, ſive Veſicatoria atque Corroſiva, nec non Calx viva aquæ affuſione æſtuans, fulmen, & combuſtio à globulis ſclopetariis facta.

Non parum in hoc ſitum eſt, ut Combuſtionis ſcias, dignoſcaſque gradum. Et quidem primus illius gradus cognoſcitur, partim ex rubedine ſimplici, ac tantillâ intumeſcentiâ cutis, cum dolore acerbo & pungitivo, partim ex inſtrumenti ſive rei urentis lenitate, partim è breviore applicationis tempore; Contingit autem ferè hic Ambuſtionis gradus ab Aquâ fervente, vel à Pulvere pyrio accenſo, vel à ſcintillâ ignis, vel à Lino, ſtupâ, ſtramine, Cannabi, ſimilibuſque accenſis, ac obiter duntaxat cutim ferientibus. Secundi gradus autem ſymptomata ſunt vehementiora, ignita enim materia corpori Patientis applicata, diutiùs tenetur, vel craſſa, tenaxque exiſtit, ut inde pars in Veſicas attollatur, maximè doleat, ardeat, & rubeſcat; etiam Cutis vel ſimul Panniculus carnoſus affligitur: prout hoc faciunt ſuperiùs recenſita, ſed diutiùs cutim ferientia, item Oleum, oleoſa omnia ac reſinoſa accenſa, Phoſphorus in flammam ſuſcitatus, cera qualiſcunque ardens. Diagno-ſis.

In tertio Ambuſtionis gradu Cutis, Panniculus carnoſus, atque ſubſtrati Muſculi, Venæ, Arteriæ, Nervi, aliique graviùs læduntur, incruſtantur, atque exſiccantur, non ſine ſenſationis ablatione, aut etiam Gangrænâ & Sphacelo. Quale quid contingere obſervatur à Metallis fuſis, Chalybe, Auro,

Auro, ſtanno, lignis, aliiſque duris rebus ignitis, ac corpori diutiùs applicatis.

Prognoſis Si ſpectemus *Prognoſin*, levis Combuſtio facilè ſanatur, nulla etiam remanente Cicatrice. Maxima verò, quæ nimis profundè membranas, vaſa, muſculos, fibras, ac tendines combuſſit, periculi plena eſt, atque non raro Sphacelum, mortemque poſt ſe trahit. Periculoſa etiam Combuſtio habetur partium ſic dictorum nobilium, prout Inteſtinorum, Oculorum, Faucium, Temporum &c. Omnium verè periculoſiſſima à fulmine oboritur, utpote quæ difficiliùs extingui poteſt. Sed & malam quoque eam judicant, quæ ab Aquâ ſalſâ fervidâ, aut ab Alumine, Sapone, ⊖lo, aut etiam ab hauſtu Aquæ corroſivæ fuit inducta. In corpore cacochymico haud difficulter Ambuſtio mutatur in Vlcus malignum atque phagedænicum. Combuſtio nervos & tendines criſpans, facilè convulſiones poſt ſe trahit, & in Sphacelum crebrò mutatur lethalem. A Fulmine excitatæ combuſtiones, non rarò perfectè curantur, & ſanantur. Vidimus ſic Ruſticam, cui cutis dextri brachii ab axillâ uſque ad extremos manus digitos, & cutis ſiniſtri pedis uſque ad digitorum extremitates, penitus exuſta, atque unico temporis momento ita conſumpta fuit, ut nudi comparerent, rubentes & ſucculenti muſculi: & hæc tamen fœmina perfectè reſtituta fuit.

Curatio. In *Curatione*, quod ad *Diætam* ſpectat, *Aër externus*, inprimis *frigidior*, à parte affectâ arceatur, hincque Æger in temperato ſit conclavi. In *victu* exulent omnia *acida*, *ſalſa*, atque nimis *acria* & *aromatizata*, *Somnus* & *Vigiliæ*, *Motus* & *Quies* non præternaturaliter ſint conſtituta, inprimis autem moderationem *Animi pathematum* valdopere ſuademus.

Ipſam quòd attinet partem, ante omnia requiritur, ut fibrillæ dilaceratæ à nimiâ cincinnatione & criſpatione dolorificâ immunes præſtentur, atque humorum circulatio, quamprimùm ſuæ integritati per *volatilia ſpirituoſa* & *ſulphurea*, *alcalina*, *abſorbentia*, quæ particularum ignearum ſpicula abſumunt, reſtituatur. Veteres dixerunt Empyreuma ſive atomos igneas ſtatim eſſe evocandas. Quòd ſi ergo levis ſit combuſtio, res non erit tanti momenti, quin brevi non per *Albumen ovi*, tanquam *volatile blandum remedium*, vel per *Balſama* aut *Olea* convenientia eidem mederi queamus: In hoc autem caſu nonnulli ſtatim, non ſine ratione, partem combuſtam ad educendum Empyreuma igni propiùs admovere, vel *Aquæ Vinoque calidis* aut *Aqu. Calcis vivæ*, *ſpiritui Vini camphorato* permiſtæ & calefactæ, immergere, vel *cepas* in mortario *tuſas* cum *Sale*, aut etiam lintea *muriaticæ* cuidam *æquæ* vel *ſucco Betæ*, *Sempervivi*, *Cochlearum*, vel *Aſtacorum* calenti immerſa, applicare ſolent. Alii currunt ſtatim ad ſua *Unguenta* contra *ambuſtiones*, qualia quidem à diverſis cum ſucceſſu in uſum vocantur. In quibus præferimus *Oleum Lil. alb. Roſarum*, vel *Hyperici*, vel etiam *Butyrum* aut *Axungiam Caninam*, cui folia *Hederæ*

deræ arboreæ aut *Card. bened.* aut *Sempervivi*, aut *Rutæ* recentia & ſucculenta fuerint incocta, cum *Calce vivâ*, *Tutiâ*, aut *Lapide calamin.* permiſta. v. gr.

℞. *Olei Lini.*
Roſar. ana. ℥j.
Unguent. Popul. ℥ij.
Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Chelidon. extr. ℥iß.
Vitell. ovor. no. ij.
Spirit. Vin. Camphor. ℥ß.
Ceruſſ.
Tut. ppt. ana. ʒiß.
Sach. Saturn. ʒj.
M. F. Unguent &c.

Vel ℞. *Pingued. Cervin.* ℥ij.
Axung. Porc. ℥j.
Olei Ovor. ℥iß
Hypericon.
Roſar. ana. ʒvj.
Calc. viv. pulv.
Tut. ppt. ana. ℥ß.
Camph. ʒiß.
M. F. Unguentum.

Vel ℞. *Ungt. alb. camph.* ℥j.
Olei Ovor. ʒvj.
Bol. armen.
Minii.
Lapid. Calam. ppt. ana. ʒiß.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Butyr. rec. n. ſalit.* ℥ij.
Vitell. Ovor. no. ij.
Ol. Hyperic. ℥j.
Calc. viv. ℥ß.
M. d. ad Ollam.

℞. *Fol. rec. Semperv.*
Heder. terr.
Rutæ.
Quercûs. ana, Mj.
Radic. Cepar. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. Butyr. rec. non ſaliti, trajice hinc per colum, agita, donec conſiſtentiam Vnguenti acquiſiverit. Præſtat etiam *Oleum lucernarum* antiquum cum *liquore Lardi* liquefacti; Imò vix citiùs eſt præſtantiusque remedium, quàm ſtatim *Spiritum Vini* calefactum, vel *Spiritum Vini camphoratum*, vel *Spirit. Anthos*, *Lilior. convall.* aut *ſimilem* frequenter applicare.

Combuſtio ſecundi gradus requirit primò applicationem *ſpirituoſorum* ad empyreuma evocandum, quemadmodum eſt *Spirit. vini camphoratus*, *Creta* vel *Calx viva* cum *Spiritu Vini* miſta, *Aqua ad ambuſtionem Quercetani*, *Aqu. Anhaltin. Aqu. Calc. viv.* cum *Alb. ovi.* permiſta; Deinceps Veſiculæ niſi majores ſint, relinquantur, ſi verò majores extiterint, forfice aperiantur, ſed cuticula non auferatur, hinc *Unguento* diligenter Vlcus inungatur ex *Oleo Lini*, *Ovor. Rapar. Roſar. Nucum*, *Hyperici*, *Lil. alborum*, *Violar.* cum *Mucilagine Sem. Cydon.* aut *Pſyllii Aqu. roſ. fact. Calce* item *vivâ*, *Minio*, *Ceruſſâ*, *Lithargyr.* atque *Camphorâ*. v. gr.

℞. *Axung. Murium alpin.* Vel *Porci* ℥ij.
Olei Lin.
Rapar.
Ovor.
Mucilag. Sem. Cyd. Aq. roſ. fact. ana. ℥j.
Ceruſſ.
Lytharg. ana. ℥ß.
Camph. Spir. Vini ſolut. ʒiß.
M. F. Unguent. d. ad Ollam.

Hinc etiam inunctæ Parti pro lubitu

 ſimul

ſimul applicabitur *Epithema* aut *Fomentum* ex *Decocto Herb. traumatic.* ac *cephalicar.* in *Vino albo* facto, cum *Spirit. Vini camphorat. Tinctur. Galb. Spirit. Matricali, Anthos, Meliſſ. Ceraſ. nigr. Lilior. convall.* adſperſ. Placet heic aliis *Cataplaſma* magis ex *ſtercore Bubulo* vel *Fimo columbino, Gallinac. Anſerino*, aut *Equino*, vel *Pomis putridis*, cum *Oleo Ranarum, Bolo armen. Cortex medianus, Sambuci, Momordica, Cepæ, Allia, Fol. Heder. arb. Scordii, Alliar. Salviæ, Plantag. Semperviv. Teleph. Rutæ, Flores Sambuci, Rapiſtr. Malv.* & ſimilia in *Butyro* aut *Oleis cocta* atque *colata*, egregium *Balſamum* exhibent *antipyreticum*, cum *pulveribus* ſupradictis commodè miſcendum.

Si Cruſtæ vel eſcharæ adſint, tum *emollientiâ* ſtatim applicentur, v. gr. *poma putrida* cum *butyro* aut *lardo* miſta; *Cepæ* vel *Allia contuſa* cum *Butyro, Folia Malvæ, Parietar. Verbaſc. Sempervivi, Plantag.* & ſimil. conquaſſata itidem & Cataplaſmatis vice applicata. Vel *avenacea farina* cum *Succo Betæ, Cepar.* &c. *Butyro*, incoquatur, & imponatur. Addere licet *Pulverem fuliginis, Stercus gallinaceum, Saponem venetum.* Si eſchara craſſior ac profundior exiſtat, *ſcarificare* eam poteris pri⁹, antequam modò dicta applicabis. Separatâ eſcharâ Vlcus ſolito more curabis: inprimis heic *Unguentum Baſiliconis* confert. Combuſtio in partibus tendinoſis & nervoſis omnium optimè *Epithematibus* ſuperius jam allegatis curatur. Vbi oſſa ſimul ſunt uſta, vel eximantur forcipe, vel paulatim eorundem ſeparatio expectetur medelâ convenienti, per ſiccorum impoſitionem ſub titulo de Carie indigitatam, citra oleoſorum uſum adhibitâ. Combuſtio à pulvere pyrio nihil peculiare præter hactenus dicta deſiderat, neque opus eſt grana ejusdem pulveris cuti infixa inſtrumentis cum magno dolore & Inflammationis ulterioris periculo eximere, quin eadem vel per ſe ab ipſâ Naturâ foras extruduntur, modò pars nonnihil exulcerata impoſito *Unguento digeſtivo*, cum *Gummi Elemi* & *Galban.* retineatur, ut fibrillæ nimis criſpatæ iterum emolliantur, ſicque natura ſponte illa granula propellere & excutere queat. Tandem & à fulmine inducta Combuſtio iisdem *externis* curari ſolet *topicis*, internè ſaltem exhibendo *antifebrilia*, atque *diaphoretica*, ad ſanguinis circulationem tutam præſtandam.

Oculorum combuſtio eadem requirit medicamina, quæ in Ophthalmiâ conveniunt, inprimis è *Mucilag. Sem. Pſyll.* ac *Cydonior.* parat.

Tertius Ambuſtionis gradus eodem modo ac ſecundus tractatur; per externas *inunctiones, fomentationes*, atque interna *diaphoretica*, *antifebrilia.* Omni modo præſertim Gangræna ac Sphacelus præcaveantur per *Spirit. matricalis, Vini camphor. Tinctur. Caſtor. Tinct. Galb. Balſam. nervin.* applicationem, & alia ſuo loco ad Gangrænam commendata.

AMYGDALARVM Affectus.

Vide *Tonſillarum Morbi.*

ANASARCA. Vide *Hydrops.*

ANÆMIA eſt defectus ſive penuria ſanguinis per univerſum corpus, debitæ Anæmi

debitæ nutritioni, ſanitati ac robori ejusdem conſervando inſufficiens.

Peccat itaque heic Maſſa ſanguinea intra arteriarum venarumque canales contenta, & quidem quantitate deficiente.

Affectus crebrior quam ut à Medicis probè ſemper obſervetur, à variis admodum Cauſis produci ſolitus. Etenim deficit primò ſanguis, quando non ſufficiens chylus, tanquam proxima ſanguinis materia, è primis viis tranſmittitur. Per Chylum inſufficientem heic intelligimus non vitioſum aut cacochymicum humorem, ſed ſuccum laudabilem in Ventriculo probè elaboratum, minori quantitate ſanguinis latici exhibitum, quàm quidem aliàs ad debitam fibrarum elaſticitatem, & copiam ſufficientem Spirituum animalium, pro actionum corporis omnium conſervatione, producendam fieri deberet. Secundò deficit ſanguis, quando ſub Hæmorrhagiâ aliquâ nimiâ per Nares, Pulmones, Alvum, Hæmorrhoides, Vterum, Renes, vel etiam è Vulneribus largiùs effluxit. Accedit huc etiam ſubinde debiti nutrimenti defectus, ob ciborum ſufficientium inopiam. Imò poteſt ſimul per nimios Sudores, Diarrhœam, Dyſenteriam, Fluxum Hepaticum, Diabetem, ſanguis imminui.

Signa diagnoſtica Anæmiæ ſunt, Hæmorrhagia quædam inſignis prægreſſa, virium defectus ſine ullo alio præſente morbo, pallor faciei, ad motum ineptitudo vel ſegnities, ſomnolentia, alimenti penuria ob paupertatem, curtamque domi ſuppellectilem.

Quod *Prognoſin* concernit, etſi Affectus hic apud Practicos hactenus non magnæ fuerit conſiderationis, atque hinc à pauciſſimis vel nullis fuerit adnotatus, publicisque ſcriptis explicatus, frequenter tamen apud homines, ſive alias ſanos ſive ægrotantes, occurrere ſolet, hincque medelam requirere, ne in pejus Ægri diſpoſitio mutetur. Etenim ſanguinis defectum ſubſequi ſolent utplurimum Cachexia, Cacochymia, Apepſia, Hydrops, aliive morbi non contemnendi.

Curatio proin aliqua venit inſtituenda, eaque ferè unicè eo dirigenda, ut Sanguinis floridi ſufficiens copia reſtituatur, quod quidem fit & præſtatur non Venæſectionibus aut purgantibus, non ſudoriferis aut diureticis, ſed ſolis analepticis atque multum nutrientibus Cibis cum addito potu ſpirituoſo convenienti, eoque moderato. Commendamus proin è culinis non tam *Olera* varia, quàm verò inprimis carnes teneriores *Animalium* tam *volatilium* quàm *quadrupedum*, *Panem triticeum* benè fermentatum & coctum, *Juſcula hordeacea*, *farinacea*, *avenacea*. Quibus adde potum moderatum *Vini generoſi*, *tenuis*, digeſtionem Ventriculi optimè juvantis. Placet & uſus *Gelatinarum* ex *pedibus vitulinis*, *Gallinis*, *Gallis gallinaceis*, *Caponibus* factarum, vel *Juſcula conſumata* &c.

Si frequens adſit Hæmorrhagia, è Remediorum adſtringentium Claſſe uſurpanda erunt, quæ ſanguinem nonnihil incraſſare ſolent, v. gr. *Conſervæ Roſar. Plantag. Bellid. Violar. flor. Tunic.* cum *Bolo armen. Terr. ſigill. Corall.*

Matr. perl. ppt. Margaritis ipsis, *Unicornu foss. Confect. Alkerm.* & *Hyacinth.* &c. Pro potu autem inserviet *Emulsio Amygdal.* cum *Aquâ Tormentill.*

Angina. ANGINA est Inflammatio musculorum palatinorum partiumque adjacentium, cum magno ardore, respirandi & deglutiendi difficultate, Colli constrictione quasi laqueo factâ, febre aliisque gravibus symptomatibus Hominem periculosè affligens.

Pars affecta. Afficiuntur heic graviter Fauces, & quidem nunc Larynx cum suis musculis tam communibus quàm propriis, nunc Musculi Linguæ, Pharyngis atque Ossis Hyoidis. Hinc *Differentias* Mali hujus constituunt Auctores varias, sed non nisi à musculorum diversitate oriundas. Etenim *Cynanchen* vocant, quando musculi interni Faucium & Laryngis sine tumore sunt inflammati: *Paracynanchen*, quando Inflammatio hæret in externis Colli musculis: *Synanchen*, quando interni Musculi simul cum Inflammatione tument: & *Parasynanchen*, quando externi Musculi inflammati sunt atque tument. Hæ autem distinctiones in Praxi medicâ tantæ non amplius sunt sive æstimationis sive usus; *Anginæ* enim aut *Cynanches* vocabula, citra curiosiorem hujus aut illius musculi indagationem solùm usurpari solent.

Differentiæ.

Causa. *Causa* hujus Mali *proxima* ferè est stagnatio lymphæ & sanguinis in tubulis Partis affectæ contingens, dum v. gr. lympha acrior justo & acido-salina, plus minus glutinosa, poros istorum tubulorum transire & penetrare nequit, proin hinc subsistens, inque motum intestinum rapidiorem à transeunte cum impetu materiâ subtili adacta, membranulas à se invicem distendit, spiculisque insuper suis pungendo, dolorem ardoremque, nunc sine tumore, nunc etiam cum tumore producit, quando scilicet vascula sanguinea arteriosa simul crispata & constricta sanguini circulanti transitum denegant, & sic eundem noviter continuè appulsum accumulant. *Antecedenter* ad Anginæ productionem contribuunt 1 Cacochymia acida, salino-pituitosa, sive salia austera in sanguineo latice coacervata, atque lympham determinatè sic inviscantia, ut occasione datâ in tubulis musculorum affectorum magis quàm aliarum partium obhæreant. Hinc Arthritici & Podagrici huic Malo quoque præ aliis obnoxii sunt. 2. Febres continuæ, inprimis ardentes aut malignæ, in quibus non rarò ob Lymphæ acris visciditatem faucium musculi inflammantur. 3. Saliva acris & salso-acidiuscula; 4. Bilis aut Succus pancreaticus; vel 5. etiam Chylus ipse acrimoniæ ejusmodi acidæ charactere maligno notatus. 6. Dispositio vasculorum in dictis musculis ad facilem constrictionem inclinantium, imò eandem promtè à turgescentiâ quâdam sanguinis, aut à transeunte forsan potu gelido, acidove austero, acquirentium; quod frequentius tamen evenit illis qui obesiorem colli structuram obtinuerunt. *Causæ externæ* sunt Cibi multum saliti, acidi, austeri, vel etiam fumo indurati, fructus horæi multum sæpiusque comesti, Vina generosa largius hausta, inprimis ea, quæ multis gaudent fixis sulphureisque partibus: Aër vel æstuans,

ſtuans,& ſanguinis turgeſcentiam producens, vel etiam frigidus & particulis rigidis multum imprægnatus, æſtuante præprimis corpore inſpiratus.

Signa *diagnoſtica imminentis* Anginæ ſunt incipiens Difficultas reſpirandi ac deglutiendi, cum Dolore acuto, præcipuè circa fauces moleſto, Ardore palati, ipſiuſque Colli mobilitate difficili, Cephalalgiâ, Maxillarum intumeſcentiâ, Genarum rubore, Salivâ viſcidiore & pauciore, atque ſtertore aliquo in imis faucibus apparente; *Præſentis* verò Anginæ indicia ſunt deglutiendi maxima Difficultas, atque hinc potulentorum per nares frequens rejectio, Salivæ viſciditas magna, Reſpiratio ferè abolita cum Colli conſtrictione ceu laqueo factâ, ſuffocationiſq; metu; Ægrotus ſimul excreare citra intenſiſſimū dolorē nequit, inſigni quin & anxietate præcordiorum ac inquietudine torquetur; Tument in facie & Capite aliquantillum Venæ cum Genarum magno rubore, ardor in faucibus & collo magnus adeſt; Livet aut nigricat Lingua, ſimulque viſcidâ ſalivæ ſalſæ amaræve copia oblinitur; Febris jungitur plus minus acuta, continua, exacerbationibus quandoque moleſtis ſtipata, cum ſiti inextinguibili, delirio non infrequenti, vigiliis perpetuis, oculorum prominentiâ, pulſu parvo, debili, ac ſubinde inæquali aut inordinato.

In *Prognoſi* Affectus hic periculi habendus eſt plenus, ſubinde celeriter & intra 12. ferè horarum ſpatium, hominem interimens: Tumores faucium in Anginâ ſine evidenti ratione evaneſcentes, mortis certiſſimi ſunt prænuntii.

Quo Febris malignior jungitur & ardentior, eo etiam diſcrimen majus, quo autem illa remiſſior, quoque minor adeſt tumor, reſpirandique difficultas levior, eo etiam periculum minus exiſtit. Angina procedente, ſymptomatumque vehementiâ auctâ, ſi ſpuma circa os apparet, lethale ſignum pronunciabitur. Angina in abſceſſum mutata ſuffocat brevi Hominem, niſi pus copioſè excreetur: Tumor ruborque à Collo abſcedens, & in pectus aut aliò proficiſcens cum remittentibus ſymptomatibus ſalutem promittit. Tripliciter ergo finiuntur Anginæ, vel enim citò evaneſcunt, reſtitutâ circulatione, vel paulatim diſcutiuntur, vel ſuppurantur, & interdum in Vlcera diuturna mutantur, vel denique Hominem veluti ſtrangulando interimunt; Anginoſi enim non niſi ſuffocantur, & quidem, ſi morbus graviſſimus, intra diei unius vel alterius ſpatium jugulantur. Qui ſemel Anginam paſſus eſt, facilè in eandem occaſione datâ recidit, ob diſpoſitionem fibrillarum & tubulorum, deinceps faciliùs acriores humorum particulas admittentem.

Curatio abſolvetur ſtagnantis & Inflammantis humoris citâ tutâque reſolutione & diſcuſſione, quod obtineri non melius poteſt, quàm ſtatim Venam in brachio, hinc & Raninas ſub linguâ ſecando; Deinceps ea medicamina exhibendo, quæ tam extus quàm intus ſcopo modò dicto ſatisfacere poſſunt. Externè itaque ſæpiùs inungetur totum Collum *Oleo roſac.* aut *Lil. alb.* ſimilive, hinc imponuntur *lintea* *Curatio.*

duplicata Spir. Vini camphorato aut *theriacali*, cum *Spirit. Lumbr. terrest.* alioque *volatili salino* permisto madefacta:

℞. *Olei Chamom.* (v. gr.
Rosar.
Amygdal. amar.
Violar. ana. ʒiiß.
Lil. alb. ʒiß.
Camphor. ʒj.
M. d. ad oll. Quo Collum ter quotidie inungatur, super imponendo lanam succidam.

Vel ℞. *Spir. Vini camph.*
Theriac. camph. ana. ℥j.
Lumbr. terrest. ℥ß.
Formicar. ʒij.
M. d. ad Vitr. Linteola in hoc madefacta subinde applicentur calidè.

Multum nobis præstitit quoque *Cataplasma* è *Nido Hirundinum*, *Fimo columbino*, *Roob sambuci*, *floribus Sambuci*, *Meliloti*, *Chamomill. Bacc. Laur. Junip. Scord. Rutâ*, & similibus cum *Vino* aut *Lacte* coctum. *Lanam. Succidam nigramque*, *Oleo Rosar.* vel *Amygd. amar.* inunctam alii Collo circumponunt, vel applicant *Emplastrum de Meliloto*, aut *Ceratum simplex* è *Cerâ flavâ* seu *virgineâ* cum *Oleo Lilior. alb. Rosar.* vel *Melilot.* parato. Ditioribus imponi potest *Cataplasma* è *Theriac. Roob. Junip. Camph.* atque *salibus volatilibus*. *Gargarismata* meliora componuntur ex *Decocto Cancror. fluviat. Salv. Major. Scordii*, *Fumar. Brunell. Consolid. med. Flor. Ligustr.* ac *Malv. arbor.* cum *Aq. Simpl.* facto & colato, præprimis si in eodem dein adhuc solvatur *Mucilag. Semin. Psyll. Aq. Chelidon.* extracta, cum *Roob Dianucum*, *Melle rosaceo* ac *Spiritu theriacali simpl.* vel *Camphorat.* v. gr.

℞. *Decoct. Cancr. Fluv.* cum *Salv. Brunell. Flor. Lig.* ℔j.
Mell. rosac. ℥iß.
Roob. Dianuc. ℥j.
Mucilag. Sem. Cydon. Aq. Plantag. fact. ʒvj.
M. d. ad Vitr. Gargarizetur calidè.

Vel ℞. *Aqu. Scabios.*
Brunell.
Flor. Lig. ana. ℥iv.
Roob Dianuc.
Sambuc. ana. ℥iß.
Spirit. Theriac. camph. ʒvj.
M. d. ad Vitr.

Alii sumunt *Aquas destillatas Fumar. Scabios. Brunell. Flor. Ligust. Ulmar.* cum *Roob Dianucum*, *Diamorom*, atque *Mucilagine Semin. Cydon.* & sic in Faucibus frequentem earum haustum calidè tenent, sine multâ gargarisatione & agitatione, utpote quâ plerunque Malum augetur magis quàm minuitur. Si Angina his non obstantibus *Abscessum* minatur, tum omni arte curandum, ut idem promptè maturetur, ruptusq; in Fauces suum pus emittat, quò sic commodè exspui possit; Hunc in finem præstant *Gargarismata* ex *Malvâ*, *Alth. Flor. Chamom. Melilot. Ficubus* atque *Croco* in *Lacte* decoctis. Quibus ad faciliorem ruptionem tandem addere debemus *Allium* vel *Cepas*. Externè in hoc casu simul continuabitur applicatio *Cataplasmatum* supra dictorum, vel imponetur aliud è *Medullâ Panis*, *Radicibus Lil. alb. Alth. Farina. Sem. Lin. Fœni græc. Croco* ac similibus cum *Butyro* & *Oleo Verbasci* coctis. Absces-

Abſceſſus ruptus detergetur elotione frequenti cum *Aq. Chelid. majoris*, *Florum Sambuc. Scordii. Mell. roſac.* ac *Syrup.* è *Roſis ſiccis*, addita *Eſſentiâ Myrrhæ*, *Aloës*, *Bellid. minoris*, *Numulariæ*, &c.

In extremo neceſſitatis caſu, quando Homo tantùm non ſuffocari creditur, ſine ullâ hæſitatione ad *Laryngotomiam* deveniri poſſe præſtantiores Medici & Chirurgi autumant. Sed cùm hoc remedii genus ſubinde periculi plenum ſit, in circumſpectiori Celebriorum aliis Medicorum Praxi in uſum trahi vix ſolet. Quod ſi tamen inſtituere velimus Operationem, ſequenti ferè modo expediri poterit. Primò cutis anterius in Collo ad Laryngem uſque per longitudinem inciditur, hinc diductâ Cute ſcalpellum inter tertium & quartum annulum cartilagineum Bronchii per intermediam tunicam adigitur, foramenque efficitur, in quod Cannula plumbea vel argentea, alis prædita, inditur, & tamdiu ibidem pro äeris inſpiratione relinquitur, donec faucium Inflammatio diſcuſſa fuerit. Poſtmodum exemtâ Cannulâ Vulnus debito modo per *traumatica nervina* conſolidatur.

Quoad *Diætam Aër* ſit maximè temperatus, tranſpirationem inſenſilem minimè impediens; hinc omnis humidus, pluvioſus, fumoſus, auſterus, frigidusque fugitetur. *Cibus* in ipſo Malo præter juſcula minus pinguia nullus præbeatur: Ad præſervationem autem convenit eupeptus, tenuis, parcus, minimè acidus aut auſterus, hincque non adeò ſalſus, vel fumo induratus, vel aliàs lentum, viſcidum, acremque Chylum exhibens. *Potus* convenit ex Hordeo, cum *radic. Scorzoner. Raſur. C. C.* & *Herb. Agrimon.* in Aqu. coctâ, cui vel *Syrupum Viol.* vel *Papav. rh. Citri* aut *Granat. acid.* pro lubitu admiſcere poterimus. *Somnus* moderatus conciliabitur *Emulſionibus refrigerantibus*, ex *Semin. frig.* & *Papav. alb. Animi pathemata* vehementiora cane pejus & angue fugiantur. Si alvus ſit obſtructa, ſolicitabitur Clyſmatibus aut ſuppoſitoriis. Æſtivo tempore potus *Acidularum*, vel *Thermarum* quarundam, veluti *Fabarienſium*, *Embſenſium*, *Plumbarienſium*, cum regimine Diætæ neceſſarius eſt. *Balnea* nocent. *Setaceum* in nuchâ, vel *Fonticulus* in alterutro brachio non ſine fructu excitatur.

ANEVRISMA vel ARTERIÆ DILATATIO eſt tumor alicujus partis mollior, continuò pulſans, digitis facilè cedens, ſed ſtatim iterum ſeſe expandens, ab Arteriæ tunicarum ruptione originem ducens. *Aneuriſma.*

Pars affecta eſt Arteria aliqua hujus vel illius partis: Obſervationes enim teſtantur in Naribus, Brachio, Collo, Pedibus, aliisque membris, Aneuriſmata contigiſſe. Neque tamen in externis tantùm partibus malum hoc evenire ſolet, verum etiam aliquando in internis contigiſſe obſervatum eſt. *Subjectum.*

Pro *Cauſâ proximâ* meritò agnoſcimus rupturam tunicæ Arteriarum internæ, (ex glanduloſâ, fibroſo-membranoſo-muſculoſâ ſubſtantiâ conſtantis) exterioris verò, utut ſæpius *Cauſa.*

pius etiam pertusæ dilatationem. Ruptura illa frequenter à pertusione Arteriæ in Brachio producitur, quando ſanguis è diſruptâ interiori tunicâ copioſiùs effluens, neque citò ſatis per exterioris cartilagineæ tunicæ foramen exire potens, inter utramque adigitur & cumulatur, ſicque ſtagnatione ſimul adeptâ *Tumorem* excitat. Adde quod in hoc caſu non tam tunicæ cartilagineæ, quàm verò eam ſuccingentis externæ tenuioris Vulnus citò coaleſcat, & adducatur, atque hinc circum-circa à ſanguine appulſo dilatetur. Subinde tamen etiam pro antecedentibus Cauſis ponere licet Salia acida atque corroſiva, quæ occaſione datâ in extimis quibuſdam tubulis aut etiam majoribus ſubſiſtentia interiorem tunicam facilè erodunt & aperiunt.

Diagnoſis. Inter *Signa Diagnoſtica* Aneuriſmatis, recenſetur ante omnia tumor mollis & laxus, digitorum applicationi cedens, ſed ſemotis illis ſtatim rediens; Pulſatio præterea in hoc tumore non ſecus ac in Arteriis deprehenditur; Cutis exterior circa Aneuriſma livet ac ſugillata plerumque apparet. Quandoque tamen etiam naturalis color Cutis remanet. Dolor adeſt nunc major nunc minor, prout tenſio membranarum nervearum plus minuſvè potens eſt; Quin & ob preſſionem vicinorum nervorum pars aut membrum contrahitur, vel in ſui motu animali ac voluntario maximè impeditur.

Prognoſis In *Prognoſi* Aneuriſmata majora periculoſa ſunt, difficiliſque Curationis dicenda; Sicut enim per compreſſionem, ſanguiniſque in Arteriam læſam impulſionem evaneſcere rarò ſolent, ita ſive ſponte rumpantur, ſive incautè aperiantur, non niſi Mors per nimiam ſanguinis effuſionem expectanda venit, aut etiamſi non aperiantur, Gangræna tamen ac Sphacelus ſæpè intra aliquot dierum vel hebdomadarum ſpatium ſubſequitur, hominemque è medio tollit. Minora verò, & in minoribus vaſis contingentia, præprimis ſi à validâ Arteriarum dilatatione tantùm contingant, periculo ferè carent. Dantur ſubinde Aneuriſmata, quæ diù ſatis in eodem ſtatu perſiſtunt & quaſi inſanabilia, nihilominus hominem in vivis eſſe permittunt; Quando nimirum ſanguis in Aneuriſmate non ſtagnat, ſed continuò à ſuccedente novo ſanguine in motu tam inteſtino, quàm circulari conſervatur.

Cu[ratio] *Curatio* hujus Affectus in hoc ferè conſiſtere debet, ut quantum poſſibile ſanguis è tumore Aneuriſmatis in canalem arterioſum repellatur, ſicque tumor omnis evanidus reddatur. Quod quidem meliùs fieri nequit, quàm per compreſſionem ipſius Tumoris, *adſtringente* priùs *Emplaſtro obtecti*, ſenſim validiorem redditam atque inſtrumentis aptis cum ligaturâ convenienti inſtitutam. Quadrat itaque huc impoſitio *Laminæ plumbeæ* cum ligaturâ fortiori, ſed ſubinde iterum laxandâ, ne Gangræna acceleretur. Inter *Emplaſtra* imponenda commendantur *Diachalciteos*, *Contra rupturam*, *de Pelle arietinâ*, *de Bolo cum Gypſo*, *Thure*, *Aloë*, *Sperniolâ Crollii*, &

& ſimilia. Sunt, qui ſolâ manu aut digito locum affectum comprimunt, & aliquamdiu compreſſum tenent, id quod in principio hujus Mali valere poteſt ad præcavendam Aneuriſmatis magnitudinem. Quòd ſi poterimus ſupra Aneuriſmatis locum Arteriam comprimere, ſicque ſanguinis arterioſi affluxum impedire, tum lanceolâ licebit Aneuriſma aperire, ſanguinem ibidem cumulatum educere, hincque Vulneri ſtatim inſigne aliquod *ſtypticum* v. gr. *fruſtulum* ⊖*li* goſſypio tenui involutum applicare, ſimulq; ſplenia *Albumine Ovi* imbuta, ac Pulvere quodam conſtringente inſperſa, ſuper imponere, tum denique ligaturam ſtrictiorem immittere. Si fortè ad manus eſt *Tinctura* aliqua *ſtyptica fortiſſima*, eam Chirurgus ſimul in uſum promptiſſimè trahat.

Quòd ſi verò Aneuriſma ſit in arteriâ quâdam majore, tum ab ipſius inciſione eſt abſtinendum, utpote quam Sideratio & Gangræna certiſſimè ſubſequuntur, ſanguine ob pulſum Arteriarum continuum ſiſti inepto. Alii proponunt hic *Cauterium actuale*, ruptæ arteriæ inurendum, quod tamen etiam fallax eſt remedii genus, quoniam eſcharâ abſcedente Hæmorrhagia denuò ſubſequitur. Melius fortè eſt, Arteriam ſupra Aneuriſmatis locum per factam inciſionem detegere, hincque probè ligare, & infra ligaturam diſſecare; poſtea abſcedente ligaturâ extremitatem diſſectæ arteriæ, ſicubi opus, cauterio actuali inurere, interim Aneuriſma aperire, eductoque ex eo ſanguine relictum Vulnus inſtar aliorum Vulnerum Vlcerümque ex
tergere, conſolidare, & ad Cicatricem perducere.

Internè ea ſunt exhibenda, quæ acrimoniam ſanguinis acidam & ſalſam, ſi quæ adſit, edulcorante ſuâ virtute feliciter corrigere valent, in quem cenſum referimus omnia *antifebrilia*, *abſorbentia*, modica *diaphoretica*, ſub formâ *Pulverum*, *Potionum*, *Mixturarum*, & *Apozematum* vulnerariorum exhibita. v. gr.

℞. *Corall. alb. ppt.*
Cryſtall. alb. ppt.
Bol. armen. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ʒj.
M. F. pulv. ſubt. divid. in 8. *partes æqu. m. ac veſp. ſumendas.*

Vel ℞. ♁*n. diaphor.* ʒij.
Ebor. ppt.
Sanguin. Hirc. ppt.
Dent. Apr. ppt. ana. ℈iiij.
M. F. pulv. ſubt. in 12. *doſ. æqu. ad ch. m. ac veſp. dandas.*

℞. *Aqu. Plantag.*
Burſ. paſtor. ana. ℥j.
Syrup. Capill. ♀*ris* ℥ß.
♁*n. diaph.*
Bol. arm. ppt. ana. ℈j.
M. F. Potio d. ad Vitr. pro doſi, ſæpè repetenda.

Vel ℞. *Aqu. Ulmar.*
Flor. Liguſt. ana. ℥iß.
Syrup. Flor. Tunic. ℥j.
Terr. Sigillat. ℈ij.
Confect. Alk. inc. ʒß.
Miſce, detur cochleatim.

℞. *Rad. Biſtort.* ʒij.
Sarſæ parill.
Chinæ.

Lign. Guajac.
Cortic. Lign. Guajac ana. ʒiij.
Herb. Sanic.
Pyrol.
Alchymill.
Millefol. ana. Mj.
Flor. Rosar. rubr. Mß.
Sem. Fœnic. ʒij.
Incis. & contus. coqu. in Aqu. fontanæ Mensur. iiß. *per horam integram, dein Colatura d. ad Vitr. M. ac V. Cyathi dosi haurienda.*

Quando Arteria in Aneurismate sæpiùs aperitur, sanguinemque copiosum fundit, tum superior pars Arteriæ digitis forti⁹ est comprimenda, hinc sanguine è tumore emisso stypticus Pulvis sequens cum *Crepitu Lupi*, *Stupâque Albumini ovi* intinctâ est applicandus, desuper alligando *Laminam Plumbi*:

℞. *Terr. sigill.*
⊖*li dulc.*
Lapid. Hæmat. ppt. ana. ℥j.
Succi Catechu. ʒij.
Sacch. Saturn. ℥ß.
⊖*li ust.* ʒiij.
M. F. Pulv. subt. d. ad Ch.

In *Diæta* Victus sit admodum tenuis, ut sanguinis & humorum copia imminuatur; quem in finem etiam *Venæsectionem* nonnihil largam plerique simul Medici commendant.

Ani procidentia. ANI PROCIDENTIA seu PROLAPSVS est Intestini recti dilatatio, quâ sub fœcum alvinarum excretione cum tenesmo, aut etiam quandoque sine dolore extruditur, hincque sæpius ita prominet, ut difficulter vel à Naturâ retrahi, vel Arte in pristinum locum restitui queat.

Pars affecta est Anus, Culus seu Podex ejusque Intestinum rectum in sui extremitate musculo sphinctere donatum, atque rugosum. Quicquid autem ex Ano procidit, propriè est tunica Alvi laxata, eaque triplex, glandulosa, fibrosa & membranacea externa. *Pa[rs] affe[cta]*

Causa hujus Mali, *proxima* quidem est, violenta & nimia excernendi difficultas, in quâ musculi levatores plus minus relaxati Anum retrahere non valent. *Antecedens* autem est nimia ⊖si cujusdam humoris, in glandulosâ Intestini recti tunicâ collectio, qui suâ acrimoniâ stimulat magnoperè ad excretionem, & serosâ sui portione fibras musculosas valde relaxat. Hinc affectus Pueris & Infantibus, quibus aliàs teneræ sunt & laxæ partes, admodum est familiaris, non secus atque Adultis Dysenteriâ aut Tenesmo laborantibus. Vnde patet quòd Affectus alii præcedanei, prout sunt Diarrhœa longiùs protracta, Dysenteria, Pruritus, & Tenesmus Ani, Hæmorrhoides valde dolentes, aut etiam nimis fluentes, ut & Suppositoria acria crebrò intrusa, Purgantia vehementia, Calculi vesicæ, Vociferatio aut Tussis nimia, Cibi ⊖so-acres atque seroso-humidi ad huncce Affectum, tanquam *Causæ antecedentes remotiores* aut *procatarcticæ*, contribuere valent. *Caus[a]*

Diagnosis hujus mali facilis est: etenim ex relatione partim Ægri vel Adstantium, partim etiam ex ipsâ affecti loci inspectione, clarè satis cognoscitur. Procidentia verò nunc major est,

eſt, pugni minoris magnitudinem non rarò exæquans, magis dolorifica & inflammata: nunc minor lenioriqueꝗ cum dolore affligens. Sunt quibus ſingulis dejectionibus procidit Alvus, & dein ſponte retrahitur. In aliis verò ſemper retrudenda eſt: in nonnullis quoque nec retrahitur, nec retruſa licèt contineri poteſt.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin* Affectus hic pro cauſarum varietate faciliùs difficiliusve curatur: ſi magnus eſt, Ovi magnitudinem exæquans, aut m. major cum inflammatiòne intenſiore conjunctus, tum non ſolùm difficulter reſtituitur, ſed etiam malè tractatus Gangrænam & Sphacelum poſt ſe trahit. Si autem à nervorum muſculoſorum in Ano reſolutione acciderit, tum indolens quidem eſt Prolapſus, ſed difficillimè ſanabilis, quin plerumque fœcum alvinarum incontinentiam excitat.

Curatio. In *Curatione* unicè attendendum, ut Prolapſus intra corpus retrudatur, quod quidem fieri poteſt facilè, ſi non ita magnus ſit: nimirum portio Inteſtini promens *Oleo roſaceo* atque *Myrtino* tepido inuncta cum tenero admodum linteo, eodem *Oleo* immerſo, ſuum in locum reſtituitur. Priùs tamen vel Vrin. vel lixivio quodam calefacto ablui poteſt, quanquam in hunc finem aliis *Lac* cum incoctione *florum Meliloti*, *Chamomillæ*, *Verbaſci*, *Balauſtiorum*, ut & *Fol. Myrt. Querc.* atque *Pulvere Gallar.* magis placeat. Poſt reſtitutionem Æger vel aliquandiu jaceat ſupra Ventrem, cum appoſito ad anum ſacculo adſtringente è prædictis plantis concinnato, atque in *Aquâ Fabrorum* cocto, vel inſideat Aſſeri ex *Ligno Quercûs* parato & nonnihil calefacto, poſtquam Anus *Oleo Myrtino*, *Maſtichis*, *Cydoniorum*, aut etiam *Scarabeorum* inunctus, pulveroque *Olibani*, *Maſtichis*, *Flor. Balauſt. Bol. Armen.* atque *Muſci arborei* fuerit conſperſus. Nonnunquam etiam fumus inſtituitur Ano admittendus, ex pulvere *Myrrhæ*, *Succini*, *Maſtichis*, *Thuris*, *Seminis Papaveris*, *Ligni Juniperini.* &c. Quod ſi Inflammatio & Tumor Inteſtinum prolapſum jam prehenderit, tum fomentis debitis Inflammatio prius eſt abigenda atque hinc demum reſtitutio tentanda.

Intus in hoc Affectu ſemper proſunt Remedia acidum omne abſorbentia, ut & *Oleoſa*; non ſecus atque *Clyſmata* ex *Lacte*, *Cremore Hordei*, *Succis plantar. Naſturcin.* & *Oleis anodynis* parata.

ANOREXIA S. APPETITVS proſtratus eſt ejuſdem ablatio cum faſtidio, ſubinde & nauſeâ affligens, à menſtrui ſtomachici depravatione oriunda. Vocari etiam ſolet *Inappetentia*, *Aſitia*, vel *Apoſitia*. *Anorexia.*

Subjectum. Afficitur hic primariò Ventriculus, cum ſuis nervoſis fibrillis in Oeſophagum expanſis, quatenus debitam vellicationem pro Appetitu ſuſcitando vel non experiuntur vel non ſentiunt.

Cauſa. Cauſa hinc proxima eſt defectus vellicationis in Oeſophago ad Ciborum deſiderium neceſſariæ, & aliàs fieri naturaliter conſuetæ. Vellicationem autem dictam tollit penitus, vel ejus ſenſationem impedit omne id, quod Liquorem gaſtricum inertem reddere

aptum est; quod quidem fit partim à copiâ Assumtorum, quibus aliàs satiari Appetitus dicitur: vel ab humoribus crudis, viscidis crassis in Ventriculo hærentibus, fibrillasque nerveas oblinentibus: vel ab usu pinguium, dulcium, atque viscidorum, activitatem illius Liquoris vel Menstrui stomahici inviscantium. Hinc quamprimum Homo corripitur morbo quodam interno à Lymphæ vitiis oriundo, simul statim Anorexia aderit, cùm in ejusmodi casibus menstruum stomachicum insigniter lædatur. *Causæ procatarcticæ* & *externæ* sunt v. gr. nimia fumi Tabaci suctio, & hinc instituta copiosior salivatio, crebra Vinorum ingurgitatio, Tristitia insignis, Ira vehemens & excessiva, Potus gelidi, Oleorũ haustus enormes, Martialiũ & Alcalinorum vel Terreorum Remediorum diuturnior usus internus, quæ omnia Volatilitatem, atque activam Menstrui gastrici virtutem deprimunt & tollunt. Subinde etiam vellicatio fit, & tamen non percipitur, quando videlicet mens admodum est distracta in deliriis aliisque Cerebri Affectibus.

Diagnosis. Morbus hic per se patet ex simplici Ægrorum querelâ & relatione. Quando autem non percipitur titillatio Oesophagi ab acribus Liquoris gastrici particulis, tum vel delirat ipse homo, vel saltem vires in eo admodum debiles sunt, spirituumque animalium penuria observatur; quale quid in Hecticis atque Senibus Marasmo laborantibus contingit. Interim cum hoc Affectu frequenter, conjungitur magnum fastidium seu aversatio Ciborum, Cardialgia, Nausea, Vomitus, Ardor Ventriculi, Ructus frequentes, &c.

Progn. In *Prognosi* Anorexia Puerorum plus periculi quam Adultorum portendit: si in principium aut statum alicujus Morbi hic Affectus incidat, non adeo periculosus est credendus, si verò in diuturno morbo Appetitus semper remaneat, atro carbone notabitur: è contrario in declinatione rediens Appetitus bonum signum est. Quin in omni ferè Morbo haud malum signum æstimandum, quando citra insigne fastidium Ægri aliquid comedere possunt, si tamen in Morbo aliquo, præprimis Febri Appetitus aliquandiu prostratus subitò iterum redeat, pro lethali signo id habendum est.

Curat. *Curatio* pro diversitate Causarum institui debet: Quod si enim juncta sit Anorexia aliis Morbis, horumque ferè productum sit, tum his curatis lymphæque tam naturali volatilitate quàm circulatione restitutis per se Appetitus sensim redibit. Vbi autem citra notabiles alios Affectus hominem afficit, & producta sit à cruditatibus biliosis, tum suademus statim Vomitorium ex *Tartaro emetico*, vel *Asaro*, aut similibus exhibendum: v. gr.

℞. *Crem.* 🜿*ri gr.* XII.
⊖*is Absynth. gr. v.*
♁ *n. diaph. gr.* iij.
🜿*ri emet. gr.* ij.
M. F. pulv. subt. d. ad. Ch. pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Radic. Asar.* ℈j.
Crem. 🜿*ri* ℈ß.

Gutt.

Gutt. Cambod. gr. ij.
M. F. pulv. subt. d. ad. Ch. pro dosi.
Vel ℞. *Syrup. emet.* ℥ß.
Aqu. Cichor. ʒiij.
Cinam. cyd. ʒij.
M. d. ad. Vitr. pro dosi cum regimine diætæ sumendâ. Hinc verò *Elixir propriet. sine acido* cum *Essentiâ Zedoariæ* & *Absynthii* propinandum: v. gr.
℞. *Elixir propr. s. a.* ʒij.
Essent. Absynth. ʒiß.
Zedoar. ℈ij.
M. d. ad Vitr. dosis à gutt. XII. *ad* XX.
Vel ℞. *Elix. Vitriol. Myns.* ʒij.
d. ad V. dos. 16. *gutt. m. ac. v.*
Vel ℞. *Aqu. still. Nast. aqu.*
Card. bened.
Cich. ana. ℔iß.
M. ac m. & v. Cyathus exhibeatur plenus.

Si *Vomitorium* exhibere consultum non sit, dabuntur pulveres ex *Oculis* ♋. *Bol. Armen. Corall. Specif. stomach. Poter.* & *Sale Absynthii* aliove *lixiviali.* Imò ipse *Cremor* ♁*ri* cum ♁*nio diaph.* aliquoties datus cruditates bilioso-viscidas incidere, atque fluidiores redditas è Ventriculo præcipitare valet.
℞. *Crem.* ♁*ri.*
Pulv. fol. Card. bened.
♁*n. diaph. ana.* ʒj.
M. F. pulv. s. in sex dos. æqual. divid. m. ac v. sumend.

Anorexia à Pituitâ tenaci & viscidâ proveniens tollitur vel dosibus pluribus *Pulveris stomach. Birkmanni M.* ac v. sumtis, vel *Vinis medicatis, purgantibus* & *præparantibus* simul; vel *Pulveres Salini lixiviales* aliquot offeruntur, hincque incisa & fluidior reddita saburra purgantis ope per Alvum aut Vomitum expellitur, quæ inter eminent Emetica superiùs laudata, dein *Jalappa, Scammoneum, Folia Sennæ, Rhabarbari radix* debito modò præscripta. v. gr.
℞. *Salis Absynth.*
Cent. min.
♁*ri* ⊖*lat. ana.* ʒß.
M. F. p. subt. in 3. *dos. æqu. divid. ad ch.*
Vel ℞. *Salis Tamaric.*
Arcan. dupl. Myns.
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph. ana.* ʒß.
Ol. still. garyoph. gutt. IV.
Sacch. ℈ij.
M. F. pulv. subt. in 4. *dos. æqual. m. ac v. sumendas.* Ad purgandum.
℞. *Rad. Jalapp.* ℈j.
Crem. ♁*ri* ℈ß.
Scamm ♁*rat. gr.* ij.
Ol. still. mac. gutt. ij.
M. F. pulv. s. pro dosi.
Vel ℞. *Spir. Anis.* ʒj.
Junip. ℈ß.
Resin. Jalapp. gr. VIII.
Solv. lent. igne, add. Syrup. Viol. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vino ʒj.
M. d. ad. V. p. dosi.

Quod si Appetitus deficiat, ob defectum aut inertiam Menstrui stomachici, revocabitur *Pulvere stomach. Birck. ad* ℈ij. vel ʒj. pro dosi sæpiùs exhibito: vel *Aquâ Apii selini, Nasturt. Card. bened.* & *Cochlear.* sæpiùs *ad* ℥ij. *vel* iij. propinatâ. Vel parabitur pulvis ex *Rad. Aron. Raph. rustic. Specif. stomach. Poter. Cortic. Aurant. Cinam. Anis.* & *Sacch.* Plebeji solo *Pulvere* vel *Absynthii* vel *Matricar. Card.*

Card. bened. Flavedin. Cort. aurant. ſemin. Naſturtii in hoc caſu ſunt contenti.

Quod ſi deficiat Appetitus à nimio uſu Spiritus Vini, vel Medicamentorum abſorbentium & ♂ialium alcalinorum, quemadmodum id contingit in variis Morbis, tum in uſum trahi poteſt *Elixir* ⊖*li Mynſ.* vel *Elix. proprietat. Parac.* vel etiam *Sal* quoddam *eſſentiale* v. gr. *Card. bened. Acetoſellæ, Succi Ribium, Rubi Idæi, Berberum, Citri, Limonum* & ſimile; vel Cremor ♀ri tragematibus uſurpandis permiſceatur.

Antrax. Carbunculus. ANTHRAX ſive CARBVNCVLVS eſt tumor partis cujuſcunque inflammatorius, maximè ardens, rubens, vel etiam nigricans, cruſtamque vel eſcharam in parte affectâ producens, colore vario circumcirca tinctus, & nunc cum nunc ſine exulceratione junctus.

Pars affecta. Afficiuntur in hoc Tumore corporis partes externæ qualeſcunque inprimis tendinoſæ, etenim in glanduloſis magis oboriuntur *Bubones*.

Anthrax autem modò ſolitarius eſt ſine alius morbi conjunctione, modò Peſti ſociatus.

Cauſæ. *Cauſa proxima* ſunt particulæ ⊖ino acidæ & corroſivæ, in locis affectis ſubſiſtentes, undiquaque circa ſe rodentes, ſcindentes, atque criſpantes, ut hinc è tubulis ſic conſtrictis nullus amplius humor vitalis influere queat, ſed pars neceſſariò Gangrænam atque Sphacelum ſubire debeat. *Antecedens* eſt liquor ⊖ino-corroſivus in maſſâ humorali vel genitus vel collectus: Gignitur autem non ita difficulter in maximo æſtu & ebullitione ſanguinis. Colligitur ex particulis è primis viis in quibus Chylus non probè digeſtus eſt, ſed corruptus & acidior redditus in Maſſam circulantem tranſmiſſus. Inter *Cauſas procatarcticas* & *externas*, huc contribuunt *Aër* corroſivis particulis inquinatus, peſtilenſque aut malignus factus, unde facilè tales particulæ ſive per inſpirationem cum Aëre, ſive per deglutitionem cum Cibis, corpus ſubire poſſunt. *Cibi* hinc varii generis ſalſo acri aut acido ſale plurimum gaudentes vel etiam ſeminiis verminoſis inquinati. *Potus* aquarum ſtagnantium corruptarum, aut liquorum auſteriorum: *Iræ* immodicæ; frequens corporis in æſtu aëris exercitium, aut Mœſtitia nimia ac diuturna. Quibus ſingulis Cauſis addere licet Febres malignas, peſtilentes, aut etiam ephemeras leviores gravioreſque, quæ Anthraces frequenter præcedere ſolent.

Diagnosis. Incipit Affectus à puſtulâ exiguâ, una vel pluribus, præcedente pruritu: hinc ſenſim cum ſummo ardore ac dolore increſcit, rubeſcit, liveſcit, nigreſcit: Tumor inde redditur durior, qui in ſui medio & centro quandoque in Vlcus exedens aperitur, aut etiam clauſus & ſiccus manet: Sæpenumero quaquaverſum ambulat, atque vicinas partium fibras depaſcit vel corrumpit. Interdum cruſta, vel Vlcus cruſtoſum ſaltem enaſcitur, modò nigricantis, modò cinerei coloris, cum circulo rubente & ardente: Ablatâ hinc & ſeparatâ cruſtâ, non ſemper pus, ſed mul-

toties

toties spongiosa caro occurrit. Si benignus est adhuc Anthrax ephemera saltem præcessit, vel adhuc juncta est febris & non ita difficulter curabitur. Malignum verò Carbunculum comitantur Febris, Nausea, Vomitus, Palpitatio Cordis, Animi Deliquium, Delirium, Anxietates præcordiorum, Convulsiones, Pestilentia. Nonnunquam primò occurrit pustula quædam albicans, acerrimo dolore pungens, cui succedens Ulcus crustosum, profundè admodum carnem mortificat ac depascit.

Si Carbunculus est minor sine conjunctione symptomatum & morborum graviorum, si magis ruber, non ita profundè depascens, tum omni periculo caret. Quod si autem circa partes magis nobiles hæreant Anthraces, si mox evanescant, si majores sint, si Pestis vel Febris maligna juncta, si maximè nigricans, atque ardens, si in manu vel pede existens totum membrum simul inflammet, tum inter acutissimos morbos numerandus est, & licet quandoque in Peste Anthrax pro critico humore haberi queat, nisi tamen per illius eruptionem maligna symptomata mitigentur, lethalis hæc magis crisis quam salutaris observabitur.

Curatio requirit *Diætam* in Febribus continuis præscribi solitam.

Internè quoque similiter *Antifebrilia diaphoretico-absorbentia* cum *Aquis destillatis* convenientibus diligenter exhibeantur. Etsi Carbunculus benignus sit, sordes primarum viarum vel *Clysmatibus* aliquot emollientibus eluantur, vel leniori cathartico expurgentur. Venæsectionem autem nisi æger sit plethoricus, damnamus.

Externè scopus Medici unicè tendet ad sideratæ s. gangrænatæ portionis à parte sanâ separationem: Quem in finem aliqui statim Scarificationem cum cucurbitulis adhibent, hincque *Cataplasma* è *Theriacâ*, *Melle rosaceo*, atque *Radice Allii* adhibent; Alii sine scarificatione *Cataplasma* è *Pomis putridis dulcibus* cum *Oleo Nucum* coctis imponunt. Nonnulli utuntur *Butyro Antimonii*, quo circa Carbunculos saltem circulum ducunt, unde statim corrupta pars à sanâ secedet. *Emplastrum* quoque s. *Cataplasma* ex *Fuligine*, *Radice Raphani*, *Mithridatio Damocratis*, *Theriacâ*, *Ficubus*, *Rutâ*, *Fermento*, atque *Melle* compositum ad crustæ remotionem multum facit.

Separato Anthrace reliquum Ulcus statim eluetur vel *Urinâ Pueri* vel *Spiritu Vini theriacali camphorato*, cum *Essentiâ Aloes* ac *Myrrhæ*, hinc *digestivum* è *Melle rosaceo*, *Theriacâ*, *Myrrhâ*, *Colophonio*, *Succo Apii*, *Hieracii*, aut *Chondrillæ* concinnatum usurpabitur, atq; ad perfectam usque consolidationem *Emplastrum Norrimbergense* aut *Diapalma* aut *sticticum Crollii* super imponetur.

Anthrax pestilens desiderat internè quidem omnia *Alexipharmaca* debitâ ratione exhibenda; Externè verò *Cataplasmata alexipharmaca* singulis bihoriis repetenda conducunt, è radice *Chelid. Major. Cepar. Aristol. Herb. Scordii*, *Rutæ*. *Thure*, *Aloë*, *Myrrhâ*, *Unguento Basilic. Theriacâ* at- *Anthrax pestilens*.

que

que *Camphorâ* : Vel ſolum *Diaſcordium Fracaſt.* cum *Roob Juniperi*, *Fimo columbino*, *Cepis*, atque *Camphora* applicabitur: Vel *Pulpa Pomorum dulcium putridorum*, cum *Vitello ovi*, *Bolo armenate*, *Butyro* & *Croco* pulveriſato in *Cataplaſma* redigatur, & ſæpius applicetur, donec eſchara fuerit ſemota. Vlcus tandem relictum ſuperiore modo curabitur, non omittendo *Unguentum Ægyptiacum*, ſicubi luxurians Caro illius uſum poſtulaverit.

ANTIADES, Vid. *Tonſillarum Inflammatorius Tumor.*

Aphthæ. APHTHÆ, ALCOLA, ſunt puſtulæ ulceroſæ, nunc albicantes nunc flaveſcentes, aut etiam nigricantes, in oris capacitate, Labiorum internâ facie, atque ſuperficie Linguæ cum aliquali interdum dolore, & ardore effloreſcentes.

Pars affecta. *Pars affecta* proin eſt tunica illa, quæ Os intus undique, nec non Linguam ac Labia circumcingit.

Cauſa. *Cauſa proxima* eſt ſerum aliquod ſalſo-acidum & acre, viſciditate quâdam in tubulis partis affectæ ſtagnans, & cuticulam extimam in altum elevans; Hoc ſerum ſalſo-acidum, ſi valdè acre ac ſulphureo æruginoſum eſt, non tantum Puſtulas excitat, ſed ſimul brevi corrodendo Vlcuſcula manantia format, inſuperque vicinas partes depaſcere pergit, niſi efficacia ejus debitis remediis invertatur, & prorſus deleatur: ſin minus acre verò illud & corroſivum fuerit, tum puſtulas ſolùm elevat, quæ brevi ſiccantur atque evaneſcunt. Subinde humor ille ſtagnans magis ſalſo-muriaticæ quam acidæ eſt texturæ, atque hinc *Aphthas benigniores* producit. *Antecedentes* cauſæ ſunt particulæ ſalſæ, acidæ & acres in Maſſâ ſanguineâ præexiſtentes, Chylus crudior & acidior. Inter *Procatarcticas* numeramus Lac acre Nutricis, Febri qualicunque, vel Cacochymia ſalſâ laborantis, multum etiam Vini bibentis, & acria ſalſa comedentis, Cibos ſalitos & acrioris ſucci, Vinum Infantibus propinatum; Hydrargyri exhibitionem vel inunctionem, ſalſas & acidas Maſſæ humoralis particulas copioſiſſimè ad glandulas Oris præcipitantem.

Patet hic Morbus facilè ex ſolâ Oris aperti inſpectione, Tuburcula vel Puſtulæ inſtar ſemini Milii ſolis acuminatæ, nunc albicantes nunc rubentes, nunc flaventes ac nigricantes, plus minuſve fœtentes inibi deprehenduntur, quæ non ſolùm loquelam, ſed & maſticationem impediunt, & ardente ſæpius dolore moleſtæ exiſtunt. Affligunt maximè propter Fibrarum teneritudinem Infantes & Pueros, rariùs Adultos. Subinde in Vlcuſcula mutantur depaſcentia & ſordida. Quoad differentias; aliæ humidæ, aliæ ſiccæ: aliæ ſymptomaticæ, aliæ criticæ. Quoad numerũ verò nunc pauciores nunc plures effloreſcunt, & aliquando magis Linguam, aliquando magis palatum, gingivas aut membranam buccas internè ſuccingentem affligunt. Reperiuntur etiam *benignæ*, quæ facilè medicamentis cedunt, & *malignæ*, *proſerpentes*, *cancroſæ*, *exedentes*, à Sale cauſtico provenientes, & plerumque curatu difficiles. *Di[...] ſis.* *P[...]*

Quan-

Quantum ad *Prognosin*, Aphthæ fœtidæ, glabræ, nigræ, ulceratæ, inæquales, crustosæ, inveteratæ, in Infantibus lethales existunt, & nunc brevi mortem inferunt, nunc paulatim Oris partes siderando & putrefaciendo necant. Si prodeunt in pestilentialibus aut aliis malignis Febribus, utplurimum mortis prænuntiæ habentur. In Adultis quandoque ita exulcerantur, ut etiam, ossa tandem corrumpendo, Fistulas sordidas excitent. Inæquales & albæ melioris sunt notæ, quæ facilè exurgunt, molliter obhærent, & citò cadunt, modò debitis remediis tractentur.

In *Curatione*, si Infans lactens Aphthis fuerit correptus, tunc Nutrici quidem propinari debent Remedia lactis acrimoniam corrigentia; & sic pro re natâ lenitivum aut laxans medicamen ante omnia dabitur, postea verò Pulveres diaphoretico absorbentes singulis sex horis exhiberi possunt, comp. è *Bezoard. miner. Corall. rubr.* vel *alb. ppt. Cryst all. alb. ppt. Lact. Lun. Unicorn. foss. C. C. pph. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Antimon. Diaphor. Ebor. ppt.* cum largis haustibus Aquar. *Portulac. Lactuc. Endiv. Cichor. Card. bened. Taraxac. Hierac. Chondrill.* & similium. Ipsi Infanti propinari potest vel *Emulsio* refrigerans, absorbens, diaphoretica & edulcorans; vel *Mixtura* ex dictis suprà aquis & pulveribus cum *Syrupo de Alth. Fernel. Syrup. de Nymph. Portulac. Viol.* ac *Papav. rh.* composita. Interim simul *Eclegma* fiat emolliens temperans, humectans, ex *Oxymell. simpl.* vel *squillit. Melle rosac. Mucilag. Cydonior. Seminis*, atque *Roob diamor.* & aliquoties Infantū os inde extergatur. Vel os colluatur cum *Decocto Radic. Alth. Liquir. Raparum, Pastinacæ flav. Brassic. rubr.* cum *Cremore Lactis* & *Saccharo*, dumque videmus benignas sic Aphthas ab acore remedii ruptas & deletas, tunc statim Vlcuscula hinc facta *Melle rosaceo, Roob dianuc. Cret. rubr.* aut *Lapid. Hæmat.* permistis; vel *Aqu. rosar.* cum *Vitell. ovor.* & *Saccharo* frequenter oblinita curabuntur. Mulierculæ simul collis Infantum in sacculo appendunt *Millepedes* quotidie vivos plures, aut Herb. *Chondrill. Hierac.* cujuscunque, *Eupatorii cannabin. Anagallidis*, & similium. In Pueris & Adultis, si opus videbitur, ante omnia *purgans rhabarbarinum* præscribetur, hinc si Æger jam Venæsectioni assueverit, Vena secabitur vel brachii vel sub lingua: Propinabuntur simul internè haustus diaphoretici ex *Aquis destill. Roob Sambuc.* atque *Pulver. absorbent.* supra dictis compositi. Deinceps verò colluetur primum Os, si Aphthæ sint albicantes benignæ, & nondum exulceratæ, cum *Aquâ Nasturt.* vel *Cochl. spirituosâ, Mell. rosac.* & *Oxymell. squillitico*; vel tangentur Aphthæ *Oleo Raparum* cum *Saccharo candido.* Sunt qui tantillùm *Spiritûs Vitrioli* aut *Salis* cum *Aqu. Brunell.* aut flor. *Ligustr.* aut *Plantag.* aut *Cochlear.* permiscent, hincque Os semel aut bis colluunt, donec pustulæ undiquaque sint ruptæ. Tandem Vlcera relicta cum *Mucilagine Seminis Cydoniorum Aqu. Ros. factâ, Melle rosac. Lapid. Hæmat.*

atque *Essent. Numular.* persanantur. Si Aphthæ sint malignæ, usurpabitur extus *Aquâ virid. Plateri*, hinc colluetur Os *Aq. Cochlear. Nasturt. Nuc. Jugland. flor. Ligustr. Plantag.* atque *Trif. fibrin.* cum *Bolo armen.* & similibus. Vel *Decoctum Hordei* aut *Raparum* cum *Spirit. Vin. camphorato*, *Essent. Myrrhæ*, *Aqu. theriac. simpl. Succ. Cancr. fluviatil. rec. express. Succ. Cochlear. Nasturt.* &c. cum *Lacte chalybeato* & *Melle rosaceo* permistum; vel etiam *Decoctum Plantag. Agrimon. Fol. Ligustr. Pilosell. Flor. Rosar. rubr. Bellid. min.* atque *Melilot.* cum *Roob Dianuc. Lapid. prunell. Spirit. Salis dulc.* usurpabitur Gargarismatis loco. Intus dentur quæ prosunt in Febri continuâ & malignâ. Quæ Aphthæ ab *inunctione mercuriali* proveniunt, eo curabuntur modo, qui in Lue venereâ indigitabitur.

Apoplexia. APOPLEXIA est actionum animalium, sensûs nimirum & motûs, nunc subitanea nunc paulatina abolitio, ab influxu Spirituum animalium qualitercunque impedito oriunda. Diverso autem modo hominem affligere solet, & hinc varii ejus gradus, differentiæque exurgunt; communiter dividunt in *levem*, *fortem* & *fortissimam*; *Levis* appellari potest Somnus profundior cum animalium actionum abolitione, unde Æger tamen iterum ad se redit, nullâ vel exiguâ inde labe acquisitâ, sive quoad memoriam sive quoad phantasiam aut ratiocinationem illa contingat. *Fortis* est, quæ gravius affligit, & vel in Hemiplexiam sive Paralysin, vel etiam in Fatuitatem, infantilem senectam, oblivionem, aliamve Mentis læsionem mutatur. *Fortissima* tandem est, in quâ Ægri subitò omni sensu & motu privantur, atque ad has actiones non amplius redeunt, sed vel statim moriuntur, vel sensim respiratione magis offensâ extinguuntur.

Afficitur primariò *Cerebrum*, & quidem ejus pars nunc corticalis, in quâ debita Spirituum animalium secretio non contingit: nunc medullaris, utpote cujus tubuli vel concidunt & angustantur, vel à lympha quadam viscidiore in suis osculis obstruuntur. Inprimis autem oblongatam Cerebri medullam pro subjecto principali hujus Morbi quidam hodierni statuere solent. *Secundariò* totum corpus, quod sensu motuque privatur, affligi dicendum est. *Pa[rs] affecta prim[ario]*

Causa proxima hujus Affectus est prohibitus Spirituum animalium in nervos influxus, ad quem *antecedenter* nunc compressio principii nervorum, ab onere vel extravasati hinc inde sanguinis aut lymphæ, vel ejusdem per circulationem in vasis suis prohibitam stagnantis & accumulati, hincque vasa nimis distendentis excitata: nunc subitanea ipsis Glandulis corticalibus Cerebri contingens obstructio, ab exundante nimium lymphæ copiâ producta contribuit. Hanc verò exundantiam producere valet remotius seri sanguinei vel nimis viscidi tas, vel quod frequentiùs evenit, nimia aucta fluiditas, à quantitate Salium fluidorum in Massâ sanguineâ oberrantium proveniens. Inter *Causas procatar-* *Cau[sa]*

catarcticas & *externas* ad Morbum huncce proclives valde reddit homines hæreditaria diſpoſitio, corporis obeſitas, crapula frequens, victus humido ſalſus quotidie copioſus, vita ſedentaria, inprimis in loco humidiore; conſuetæ evacuationes aliquandiu retardatæ, præprimis Vlcera pedum diuturna ſubitò ſanata.

Signa diagnoſtica, ſunt modò ſubitanea, modò paulatina ſenſûs ac motûs vel iminutio, vel omnimoda abolitio, ſine prævio doloris alicujus ſenſu. Præcedit tamen frequenter interdum Vertigo, Oculorum caligo, Somnolentia inſolita, torpor aliqualis ſenſuum, & ſpontanea quædam laſſitudo, muci aut ſalivæ abundantia, Memoriæ labilitas, Cephalalgia obſcura, ingenii ſtupiditas, ſtridor dentium in ſomno, conſuetarum qualiumcunque evacuationum ſuppreſſio & ſimilia. Præſentem Apoplexiam indigitant ſenſûs motusque privatio nunc paulatina, nunc ſubitanea in toto corpore, vel aliquibus ejus membris. Si totum ſubitò corpus affligitur, tum homo in terram collabitur, ac inſtar Cadaveris ferè hæret cum membris flaccidis, quovis motu voluntario privatis. Quandoque inſtantem Apoplexiæ inſultum cum ſubitaneâ virium debilitate perſentiunt, eumque nonnullis interdum verbis, quibus promptum etiam auxilium expetunt, cognoſcendum præbent. Si fortis ſit Apoplexia calor in toto corpore deprehenditur, cum ſequente primum calido, deinceps autem frigido Sudore: Faciei color non pallidus ſed rubicundus ſimul adeſt, Reſpiratioque ſatis libera; in progreſſu autem homines ſtertunt ac difficulter ſpirant. Quibusdam ſpuma ex ore fluit, in aliis etiam humida ori immiſſa, cum deglutire nequeunt, per nares iterum rejiciuntur, pulſus quandoque naturalis, quandoque verò inæqualis, intermittens, magnus, debilis, interdum & celer. Oculi ſunt clauſi: non ſentiunt Homines, quamvis urantur aut pungantur, membra non rigent, ſed reſoluta languent, & ab Adſtantibus elevata, mox prout in cadavere iterum ſponte concidunt. Sæpè in particulari Apoplexiâ, aut leviori ejus inſultu os in alterutrum latus diducitur, neque ſemper gravior ſtatim paroxyſmus ſubſequitur. Imò haud rarenter ipſa Apoplexia in alterutro tantùm latere totius corporis, aut uno duntaxat membro contingit, cum ſenſûs motûſque ablatione, hinc ubi totum alterutrum latus afflictum eſt, Hemiplexia dicitur; ſubinde loquelæ uſus tollitur, quando videlicet Tracheæ aut Linguæ muſculi Paralyſi afficiuntur. Hinc Apoplexia in *univerſalem* dividitur, in quâ omnes totius corporis partes ſenſu atque motu privantur, & *particularem*, quæ eſt reſolutio vel alterutrius lateris totius, & *Hemiplexia* vocatur, vel alicujus partis ſpecialioris, putà nunc Linguæ, aut muſculi alterutrius Maxillarum lateris; nunc Palpebrarũ; nunc ſphincteris Ani aut Veſicæ; nunc Manuum aut Pedum extremorum. *Apoplexia* differt à *Lethargo*, quòd Lethargici excitari poſſint, & citra Paralyſin in ſomnum re- *Differt à Lethargo*

labantur, præſente ſimul Febre plus minus acutâ, cujus ferè ſymptoma exiſtit; Apoplectici autem forti nimirum inſultu afflicti, difficiliùs excitentur, excitatique paralyſin frequenter incurrant citra Febrim. A *Caro* differt, quia in hoc reſpiratio magis eſt integra, punctique ſentiunt Ægri, in Apoplexiâ autem ſecus. A *ſuffocatione Uteri* diſcrepat, quòd in hac faciei color admodum mutetur, lividusque reddatur, in Apoplexiâ autem ſubinde color magis vividus appareat. A *Lipothymiâ Syncope* diſtinguunt, quòd in hac ſimiliter faciei color expalleſcat, dentes, os, manusque frequenter claudantur, reſpiratio valde exigua, pulſusque vix perceptibilis obſervetur; in Apoplecticis autem os manusque laxæ maneant, Pulſus optimè animadvertatur, & Reſpiratio quanquam interdum difficulter fiat. Tandem à *Catarrho ſuffocativo* diſcernitur, quoniam in hoc ſenſus motusque non aboletur.

A Caro. *A Paſſione hyſtericâ.* *A Syncope.* *A Catarrho ſuffocativo.*

Prognoſis

Quoad *Prognoſin* Apoplexia levis curabilis dicenda, ſed qui tamen ſemel Apoplecticus exſtitit, facilè in eandem poſtliminiò relabitur, ac plerumque tandem eâ moritur, niſi optimo vitæ regimine id præcaveat. Fortis Apoplexia per ſe maximè periculoſa eſt, & ſi non hominem è medio ſtatim tollit, eundem tamen vel paralyticum reddit, vel fatuum ingenio, memoriâve orbatum aut debilitatum relinquit; aut etiam aphonon & alogon efficit, ita quidem ut poſt aliquanti temporis intervallum recurrente novo Apoplexiæ inſultu extinguatur. Apoplexia ſanguinea à ſtagnatione vel extravaſatione ſanguinis aut lymphæ copioſæ, vel valida nervorum compreſſione oriunda, ſicque fortiſſima reddita, hominem vel ſubitò, vel intra paucos dies aut horas, nunc cum nunc ſine præcedaneis Convulſionibus, è medio tollit.

Curat.

In *Curatione* quædam ſunt facienda ſtatim in acceſſu Morbi, quædam extra ipſum paroxyſmum. In *Paroxyſmo*, ſicubi aliquam ſanguinis turgeſcentiam obſervemus, ſtatim venam brachii ſecabimus; ubi verò pituitoſa magis videatur Apoplexia, Vomitus exhibito *emetico* mox procurabitur. v. gr.

℞. *Aqu. bened. Rul.* ℥vj.
Vel Oxyſacch. em. ℥ß.
Aqu. Verben. ℥iij.
Anth.
Cinam. ana. ℨiß.
M. d. ad vitr. pro doſi in Adulto.

Hinc Æger vel ad ambulandum, ſicubi poſſit, omni modo ſolicitabitur, vel ſi jam motus voluntarius ceſſaverit, valde commovebitur, donec ad ſenſum motumque aliqualem redeat.

Quem in finem etiam pro majori minorive rei exigentiâ Naribus *ſternutatoria* inſufflentur, vel *Spiritus volatiles* qualescunque inſpergantur, aut etiam accenſæ Volatiliũ *pennæ* admoveantur. Quin & Capiti toti prius raſo fomentum ex *Spiritu Ceraſor. nigr. Junip. Meliſſ. Anth. Lil. convall.* aut ſimili, cum *Spiritu volatili Lumbric. Tincturâ Caſtorei* cum *ſpiritu Salis armoniaci paratâ*, vel *Spiritu C. C. maximè volatili* ſociato, frequentiſſimè adplicabitur.

Vertici, Temporibus & Nuchæ *Olea destill. Succini, Rutæ, Bacc. Junip. Anthos, Salviæ* &c. inungantur. Frictiones cum linteis calidis undique instituantur. Plantæ pedum verticillo fricentur. Quibus nil efficientibus post *Clysteres* ex radicibus & herbis cephalicis paratos, atque *Felle Tauri, Elect. lenitivo*, vel etiam *Syrup. emetic. Ang. Sal.* acuatos, Bregmati capitis *Cauterium actuale* inuratur; aut hujus loco *Vesicatorium* satis magnum ibidem, aut in Nuchâ vel Brachio utroque admoveatur.

Intus statim *Mixtura antapoplectica* ex Aquis atque Syrupis cephalicis cum *Liquore C. C. succinato, Sale volatili oleoso* qualicunque, *Aqu. Vitæ Matthioli, Spiritu Anth. Aqu. Anhaltin.* & similibus concinnata cochleatim propinabitur. v. gr.

℞. *Aqu. apopl. Bauh.* ℥iß.
Beton.
Centaur. min. ana. ℥ß.
Syrup. de Cinam. ʒvj.
Spirit. C. C. volat. ℈ij.
M. d. ad. v. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Verben.*
Flor. Til.
Salv. ana. ℥j.
Spirit. Anhaltin. ʒvj.
Aqu. Vitæ Matth. ℥ß.
Tinct. Cast. cum Spirit.
Sal. armoniac. par. ʒß.
Lapid. bezoard. occidental. ℈ß.
Sacch. perlat. ʒiß.
M. d. ad. Vitr.

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.* ℥ß.
C. C. volat. ʒij.
M. d. ad. vitr. Dos. 30. gutt. m. ac. vesp.

Vel ℞. *Tinct.* ♄*n.* ʒij.
Spir. Cochlear. ʒiij.
M. d. ad. Vitr. Dos. 20. ad 26. gutt. m. ac. v.

℞. *Cran. hum. ppt.* ℈ij.
Cinnab. nativ. optim.
Bezoard. min. ana. ʒß.
Sal. volat. C. C. ℈j.
M. F. Pulv. s. in 4. doses æqu. ad ch. m. ac. v. sumend.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Pulv. Viper. ppt. ana. ℈j.
Sal. volat. Ebor. ℈ß.
Auri horizontal. gr. XII.
M. F. pulv. subt. in 2. dos. æqu. ad chart.

Itaq; simul pulveres maximè penetrantes, & resolventes, si Homo ad se rediit, frequentius in usum trahi poterunt, ex *Sale Volat. C. C.* aut *Viperar. Cran. human. ppt. Bezoard. mineral. Ægagropilâ, Lap. Bezoard. orientali* vel *occidentali*, & similibus compositi. *Extra paroxysmum* suademus *Vinum medicatum purgans*, ex cephalicis, incidentibus atque purgantibus præparatum. Postea verò commendamus frequentem potum *Herbæ Thee*, aut alius nostratis simili virtute gaudentis. v. gr. *Veronicæ, Betonicæ. Chamædr. Salv. Serpill. Thym. Majoran. Meliss. Lavendul.* Cum quo etiam *Essentia Succini*, vel *Liquor C. C. succinatus*, aut *Sal* quoddam *volatile oleosum*, guttatim per longum tempus sumtum, ab ulterioribus paroxysmis hominem præservare, vel etiam Paralysin, si quæ adest, tollere valet. Eodem collimant & *Elixiria cephalica*, quale est *Aqu. Vitæ Matthiol.* aut etiam *Spirit. Cerasor nigr.*

vel *Meliss.* quotidie cochlearis unius & alterius dosi, ante vel post cibum sumptus. *Balsama apoplectica.* v. gr. *Majoranæ*, *Rut. Succin. Lavend.* in paroxysmo, aut extra eundem subinde non secus ac *Oleum Succini destillatum* Vertici atque Temporibus diu inungi possunt. Tandem vel *Setaceum* in Nuchâ, vel *Fonticulus* unus & alter in Brachiis aut Pedibus excitetur. *Venæsectiones* singulis trimestribus instituantur; subinde & *Cucurbitulæ* cum *scarificatione* applicentur.

APOSITIA, Vid. *Appetitus abolitus.*

APOSTEMA, Vid. *Abscessus.*

Appetentia. Canina. S. Bulimia. APPETENTIA, CANINA, FAMES *Appetitus, auctus, caninus, Bulimia*, est appetitus Ciborum usque adeo auctus, ut Homines continuè esuriant, & Ciborum assumendorum perpetuo desiderio flagrantes, indesinenter ferè oblata edulia devorent.

Pars affecta. Affligitur hinc stomachus quoad fibras œsophagi sui nerveas, in quibus ferè Ciborum assumendorum desiderio ansa prima contingit.

Causa. Etenim *Causa hujus incommodi proxima* est ejusdem partis affectæ vellicatio, sive continua sive frequentissimè repetita, ab humore aliquo plus minus acido-acri, fluido, rodente proveniens. Ad quam proin rosionem contribuit ipse Liquor gastricus, sive Stomachi fermentum depravatum & justo acidius acriusve redditum, qualem quidem texturam à *Causis antecedentibus remotioribus* adipisci potest, nimirum à lymphâ sanguinis nonnihil acriori, vel etiam salivâ in recessu sive occultè acidiore. Nonnunquam & in Febribus, præsertim quartanâ, à superabundante stomachi glandularum lymphâ acidiore, vel in malignis Febribus paulo ante mortem à corrosivis particulis, œsophagi fibras admodum rodentibus, similis Affectus excitari valet.

Procatarcticæ & *externæ causæ* sunt *Aër* valde subtilis, levis & purus, aut etiam particulis nitrosis volatilibus copiosissimè inprægnatus, unde lympha corporis acido-volatilior reddita, causam Affectus proximam producere facilè potest. Sed & calculum suum addunt cibi acidi atque acres frequentius & largius comesti, graviditas in Fœminis, vermes stomachi & intestinorum; potus Acidularum, aliarumve aquarum mineralium, vel liquoris alicujus maximè digerentis, quales sunt Vinum album, tenue & generosum, vel Cerevisia tenuior optiméque defœcata. Exercitia corporis modica neque admodum vehementia.

Affectus hic facilè cognoscitur ex continuis Ægri querelis, cibum usque & usque petentibus atque deglutientibus. Testantur hinc observationes, nonnullos homines nunquam ferè nisi cibos manibus tenentes & comedentes visos esse: sed cùm ventriculum perpetuò saginent, vel frequens inde oboritur vomitus, aut alvi dejectio; vel etiam, si appetitui non continuè satisfiat, Lipothymia viriumque dejectio inde enascuntur. *Diagnosis.*

Morbus hinc facilè in Vomitum diuturnum, Passionem cœliacam, aut Hydropem transit. In declinatione Febrium *Progno[sis]*

Febrium continuarum fames hæc canina ſubitò accedens recidivam utplurimum poſt ſe trahit. In malignis autem circa morbi ſtatum comparens mortis eſt prodromus. In morbis chronicis, prout ſunt quartana, hectica &c. longitudinem morbi denunciat.

io. In *Curatione* ante omnia ſtudendum, ut ventriculus non ſolùm ab onere cruditatum, ſed & à lymphâ acriori gaſtricâ quantum fieri poteſt ſtatim exoneretur, & quidem per exhibitum *emeticum* Ægri viribus proportionatum quale, ex *Syrup. emet. Ang. Sal.* vel *Infuſo Croc. metall.* aut *☿ro emetico*, *Radice Aſari*, *Sale Vitrioli vomitivo fiet.* Quod ſi emetico nullus ſit locus, *Vinum medicatũ* purgans præſcribi poteſt, compoſ. ex *Radicibus Caryophyllatæ*, *Polypodii*, *Chelidonii majoris*, *Rhapontici*, *Herbis. Scolopendr. Hep. Rob. Cuſcut. Agrimon. Plantag. floribus Roſar. rubr. Papav. rhead. Foliis Sennæ*, *Rhabarb. opt. Cort. Winterani*, *Sale Tamaricis*, atque *Limaturâ Chalybis.* Abſoluto hujus uſu, vel ſpirituoſa ſulphurea ex *Spiritu Ceraſor nigror. Aqu. vit. Matthioli*, aliaque non abſimilia in uſum m. ac veſp. per cochlearia trahantur; vel etiam pulveres abſorbentes ex *Diaphoretico martiali*, *Specif. ſtomach. Poterii*, *Croco Martis aperitiv. Unic. foſſill. Corall. Bol. armen.* præſcribantur, ſub ʒß. doſi per plures dies m. ac veſp. ſumendi. Quibus pro lubitu aſſociari poterunt alcalia etiam alia, plus minus volatilia & fixa, v. gr. *Sal. volat. C. C. Lumbric. terreſt. Viper. Ebor. Sem. Naſturtii*, *Cochlear. Dauc.* Salia item lixivialia *Abſynth. Card. bened. Cichor. Centaur. min. Tamaric.* Sunt, qui cum fructu exhibent *Tincturam Martis aperitivam*, vel *Corall.* & *♁nii, cum Eſſent Croc.* & *Opii liquidâ.* Neque hic contemnimus *Fumum Tabaci* ſubinde ſuctum, aut etiam largiores *Vini generoſi* hauſtus, licèt non ad ebrietatem usque multiplicatos.

In Diætâ commendantur inprimis Cibi pingues, lenti, Caro-bubula, porcina, Cerebra animalium, Paſtæ farinaceæ cujuscunque generis, Panis ſecalinus & ſimilia. Quod ſi Lipothymia hominem corripiat, ſolitis remediis inde excitetur, atque poſtmodum dicta remedia in uſum vocentur. *Diæta.*

APPETITVS ABOLITVS, PROSTRATVS, DEJECTVS, Vid. *Anorexia.*

APPETITVS IMMINVTVS, DYSOREXIA, eſt ſymptoma, quo homines minus Ciborum appetunt & comedunt, quàm naturaliter conſueverunt, & quidem cum aliquali laſſitudine. Quia autem hic Affectus ab iisdem cauſis cum *Anorexiâ* producitur, gradu tantùm minore differentibus, hinc & iisdem medicamentis ſanatur; vide proin *Anorexiam.* *Dyſorexia.*

APPETITVS DEPRAVATVS eſt ſymptoma, quo homines loco Ciborum conſuetorum inſuetos, ſubinde etiam planè abſurdos appetunt & comedunt. Duplex eſt hujus ſpecies, quarum altera vocatur *Malacia*, altera verò *Pica*, de qua ſuo loco agitur. *Appetitus depravatus.*

MALACIA verò eſt ſymptoma adpeti-

adpetitûs depravati, quo homo cibos quidem consuetos, sed eos vel crudos planè, & impræparatos, vel nimiâ copiâ appetit & comedit; Carnes. v. gr. crudas diversorum animantium, ita ut observatæ sint desiderio humanæ carnis comedendæ flagrantes, Piper, Zingiber, Farinam, Cineres & similia.

Obtingit Prægnantibus maximè fœminis, quandoque & Virginibus non benè menstruatis, aut Mensium suppressione aliquandiu laborantibus; *Causa.* unde stomachi Liquor, qui naturaliter salino-volatilis blandè acriusculus esse solet, in suâ texturâ mutatur, talemque crasin & configurationem adipiscitur, sub quâ fibras œsophagi nerveas ita vellicat & crispat, ut hinc propagato ad sensorium commune earundem & Spirituum in illis hospitantium præternaturali specifico motu, idea appetendarum & comedendarum rerum absurdarum nascatur. Oportet igitur, ut heterogeneus aliquis humor seroso-acidiusculus, ac certâ particularum suarum configuratione, ad producendam illam specificam vellicationẽ necessariâ, præditus inq; sanguineâ Massâ collectus tandem per Glandulas in Ventriculi cavum illabatur, dictumque Affectum producat. Quando hinc Mensium fluxus ab imprægnatione, vel aliis causis est suppressus, ubi venereæ inprimis cogitationes multæ intervenerunt, tum secretitius humor lyphaticus talem non rarò acrimoniam specificam consequitur. Si figuram aut numerum earundẽ particularum scire exactius desideres, impossibile quid exigis, cùm subtiliora hæc sint, quam ut adcuratè admodum explicari & determinari queant.

Subjectum. Vtut autem hic Affectus Prægnantibus maximè sit familiaris, repeRiuntur tamen etiam in *Ephemeridibus NaturæCuriosorum* observationes v. g. Puellæ bimulæ, Puerorum item eodem afflictorum & laborantium. Retulit mihi ante aliquot annos Matrona nobilis, annum octogesimum jam ingressa, se quadragesimo ætatis suæ anno gravidam desiderio Panum mellitorum, & Spiritûs Vini assumendorum tanto flagrâsse, ut intra 24. horarum spatium ducentos & octoginta octo tales panes, adeoque tot, quot in suis ædibus tum habebat, devorâsse, & dein unius horæ intervallo quatuor libras Spiritûs Vini dephlegmati exhausisse, sine ullâ subsequente noxâ, tandemque filiam sanam & vegetam, in hunc usque diem viventem, peperisse. Vix elapus est abhinc annus, quo Fœmina quædam, sexto jam Mense gravida, in foro piscario alii fæminæ adstiterat, Carpium piscem ementi, dumque hæc monetam Piscatori numerabat, ipsa interim clam pisci caudam amputavit, crudamque comedit.

Diagnosis. Affectus hinc vel ex solâ Ægrotantium aut assistentium relatione cognoscibilis, à *Picâ* differens, quòd in hac absurda, esuique insueta comedantur vel desiderentur, in *Malaciâ* autem esui consueta, sed cruda, aut impræparata appetantur.

Prognosis. Quanquam Malacia per se nullum discrimen portendat, si tamen diu perseveret atque appetitui utcunque irregulari

gulari non satisfiat aliquando, potest etiam periculosos alios morbos, Febrim continuam, Cardialgiam, Colicam, Passionem hypochondriacam, & fortè quid hisce pejus post se trahere. Plerumque tamen Gravidæ primis mensibus tali malo laborantes post quartum gestationis mensem liberantur; si verò ulterius protrahatur, etiam Abortûs periculum infert.

In *Curatione* id præcipuè agendum, ut perversa illa fibrarum stomachicarum stimulatio corrigatur. Fiet hoc, si blandè ante omnia laxemus Alvum, ubi Fœminæ prægnanti sine noxâ sequens exhibere licebit:

℞. *Rhabarb. elect.* ℈iiß.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Scammon. ♁*rat. gr.* ij.
Ol. stillat. Mac. gutt. j.

M. F. pulv. subt. d. ad. ch. Sumatur mane pro dosi cum Jusculo farinaceo, vel alio vehiculo, simul observato regimine diætæ.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhabarb.*
flor. Persic. ana. ℥j.
Elect. è Succ. Rosar. ʒiß.
Aqu. fl. Acac.
Borrag. ana. ℥ß.
Balsam. Embryon. ʒj.

M. F. Potio d. ad. Vitr. Hauriatur summo mane jejuno stomacho pro dosi.

Vel ℞. *Panaceæ solutiv. alcalin. sive Magnesiæ albæ* ℥ß.
Dividatur in 4. doses æquales, quæ cum Aquâ Buglos. vel Plantag. quatridui spatio mane sumantur.

Hæc *Panacea* laxans est blandum, vias primas insensibiliter ferè evacuans, si quid modò purgandum inest, absorbens maximum inodorum & insipidum, adeoque Prægnantibus valde conveniens. Dosis ejus ad ʒij. extendi potest, si ʒj. vel ʒß. effectũ nullum habuerit. Purgato corpore ad usum absorbentium & præcipitantium est deveniendum, quibus liquoris stomachalis perversa activitas blandè destruitur; in hunc finem dari possunt v. gr. seqq.

℞. *Spec. diatr. Santal.*
diamarg. frigid. ana. ℈ij.
Terr. sigillat.
Unicorn. fossil. ana. ʒiß.
Cinam. elect. ℈j.
Sem. Fœnic. ℈ß.
Sacch. cand. alb. ℥j.

M. F. Pulv. subt. d. ad. Scatul. dosis m. ac. vesp. ℈ij. *ad* ʒj. *vel* ℈iiij. *cum Vino albo aut rubro veteri.*

Vel ℞. *Corall. rubr. ppt.*
Ocul. ♋*. ppt. ana.* ʒiß.
Specif. stomach. Poter. ʒj.
Sem. Anis. ʒß.
Sal. Card. bened. ℈j.
Sacch. cand. alb. ℥ß.

M. F. pulv. subt. d. ad. scatul. Sumatur mane ac vesp. ante Cœnam à Drachmâ dimidiâ ad Drachmam integram.

Vel ℞. *Aqu. Betonic.* ℥j.
Meliss.
Plantag. ana. ʒvj.
Naphæ. ℥ß.
Syrup. de Pulegio.
Fumar. ana. ʒiij.
Cinam. ʒij.
Spir. Sal. armon. anis.
Liquor. nitr. fix. ana. ℈ij.

 M. d.

M.d. ad Vitr. Sumatur cochleare plenum singulis trihoriis.

Vel ℞. *Aqu. Borrag.*
Card. bened. ana. ℥iß.
Matricar.
Syrup. de Absynth. ana. ℥ß.
Balsam. Embryon. ʒij.
⊖*is volat. oleos. Sylv.* ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ij.
Diaph. martial. ℈j.

M. d. ad Vitr. m. ac. vesp. capiatur haustulus.

Vel ℞. *Conserv. Fumar.*
Anthos. ana. ʒvj.
Condit. Cort. Aurant. ʒiß.
Nuc. indic. ʒj.
Crystall. alb. ppt. ℈ij.
Bol. Arm. ppt.
Matr. perl. ppt. ana. ℈j.
Ol. Tartar. per deliq. ʒß.
stillat. Mac. gtt. IV.
Syrup. Flor. Tunicæ. q. s.

M. F. Elect. d. ad Oll. Dosis Nucistæ magnitudo m. ac. vesp.

Pro specificis nonnulli commendant cum *Jul. Cæsare Claudin. Cineres ossium Columbarum:* alii laudant *Semen Ammeos, Portulacæ, Plantag. Amylum* in Jure, *Fabas* cum *Saccharo; Aquam Pampinorum Vitis Virgæ Pastoris*, aut *destillatam, Decoctum flor. Chamomill. summit. Aneth.* quibus tamen Aromata atque absorbentia addere possumus. *Decoctum Lignorum lene* pro potu ordinario jungendum; *Venæsectio* etiam administranda, vel *Hirudines* venis hæmorrhoidalibus applicandi. *Vinum Malvaticum, Frontiniacum,* aut *Hispanicum, Balsamus Embryonum, Aqua Cinamomi buglossata* subinde ad cochleare unum vel alterum est concedendum.

Denique indulgendum est interdum Ægrotantibus, permittendumque ut absurda quædam, si valdè desiderata fuerint comedant, modò ne excessus committatur. Sæpè enim ab ejusmodi rebus irregularis Appetitus correctus fuisse notatur; & contrà, si mordicus denegatæ illæ sunt, Fœminæ in Lipothymias & abortiendi discrimen inciderunt. Quod si verò etiam discursu & confabulatione amicâ dehortari possis à desiderio noxiorum, rem certè præstiteris Mulieri uterogerenti maximè salutarem. Denique reperiuntur Matronæ, quæ haustibus quibusdam Acidularum à Malaciâ fuerunt liberatæ.

ARDOR VENTRICULI sive SODA est exhalatio maximè acris, bilioso-acida, è Ventriculo per Oesophagum & Gulam in Palatum elevata, atque Fauces ardente sive urente dolore valdè molestans. *Ard. Ventri culi.*

Pars affecta est Ventriculus primariò, hinc & Gula atque Fauces, quoad fibras suas nervoso-membranaceas, à fervente exhalatione molestatas. *Pars affect.*

Proximè molestiam hanc producit non nisi vitiosa ebullitio alcalinorum atque acidorum humorum in Ventriculo existentium, sub quo effervescentiæ actu particulæ in rapidiorem motum concitatæ exitum hinc inde quærunt, simulque caloris ardorisque sensum producunt. Ebullitio autem illa contingit à concursu particularum alcalinarum & acidarum in Ciborum ingestorum solutione; dum enim Cibi as- *Causa*

bi aſſumti partim maximè pingues aut lenti ſunt, partim de acido alcalinove Sale plurimũ participant,evenit ut nõnullis poſt paſtum horis, ſub Chylificationis actione; particulæ äereo elaſticæ nimium inviſcentur aut comprimantur, hincque cum difficultate penetrantibus Materiæ ſubtilis moleculæ tota maſſa in motum inteſtinum rapidiorem agatur, ac ita ebullientibus vaporibus ſalſo-acribus oleoſis Ardor in Faucium tunicâ producatur. Proin omnes Paſtæ farinaceæ, Caſeus, Butyrum, Cepæ, Allium, Porrum, mellita, ſaccharata, Carnes maximè pingues, Fructus horæi multum comeſti, præprimis ſuperhauſto largius Vino nonnihil auſtero, Sodam frequenter tribus vel quatuor horis poſt paſtum excitant. Vlterius tamen ad eandem contribuunt Studia mox ab aſſumto Cibo reaſſumta, præcipuè dum corpus inflectitur, ſicque bilioſo-ſulphureus humor in Ventriculum quaſi è Duodeno propellitur: deinceps etiam nimia Corporis exercitatio, qua Ciborum ingeſtorum particulæ in Ventriculo vehementius inter ſe agitantur.

Quibus itaque acidus nimis contingit Liquor digeſtivus Ventriculi, illis Soda familiaris eſt, promteque tum excitatur, quando ſeſe Cibis ſupra dictis in Convivio nimium ſaginârunt; vel quando prioribus Cibis nondum planè digeſtis, novos largius ingeſſerunt; quando itidem Vina, inprimis nondum planè defœcata copioſius ingurgitârunt.

Cognoſcitur ex ſolis Hominum querelis; contingit autem nunc ſanis utcunque hominibus, nunc ægris, in quibus variorum morborum ſymptoma eſſe poteſt. Halitus nimirum ſunt acres ſtomachi, qui inter eructandum per Gulam flammeum quaſi ardorem, ſubinde cum Nauſeâ, in Palato efficiunt. Nullus tamen propriè ructus percipitur, ſed tantùm ardens ac veluti urens halitus vel flammeus quaſi Spiritus in Faucibus obhæret, erumpere vix potens. Præcipuè contingit tribus quatuor vel quinque horis poſt paſtum, ubi materia ciborum in ſtatum turgeſcentiæ devenit. Moleſtia eſt ingens, ultra horam vel diutius etiam durans; præprimis ſi vehemens corporis exercitium intervenerit.

In *Prognoſi* multum heic dici nequit, dum præter magnum incommodum faucium omni alio periculo Affectus hic careat. Si tamen duret diutius, tandem Cacochymiam vel Cachexiam poſt ſe trahit. *Prognoſis*

In *Curatione* moleſtiæ præſentis huic indicationi unicè eſt ſatisfaciendum, ut pugnantium inter ſe humorum ebullitio ſedetur, atque deprimatur. Quod quidem fit exhibendo *Pulveres alcalinos* ſpicula ſalium turgeſcentium in ſeſe abſorbentes, aliave ſalina corpuſcula præcipitantes, ſicque particulis in liquore efferveſcente alium prorſus ſitum conciliantes: quales ſunt præ aliis *Panacea ſolutiv. alcalina, ſpecies Diacretæ Mynſ.* vel ſolitariè etiam *Creta alba, Oculi ♋. Bolus Armen. C. C. uſtum, Lapid. Carpion. Grana Thuris, Corall. ppt. Margarit. ppt. Siliquæ dulces comeſtæ, Nux moſchata,* *Curatio.*

ta, *Rad. Liquirit. pulver.* è quibus cum *Saccharo* pulvis uſualis concinnari facilè poteſt, nunc per ſe, & ſiccè, nunc cum *Syrupo Violarum* aut *Aquâ Plantag. Cichor. Hierac. Taraxac.* vel *ſimpl. Aqu. fontan.* ſumendus: à quo pulvere ſæpius in momento Soda extinguitur. v. gr.

℞. *Spec. diacr. Mynſ.* ℥j.
Sacch. alb. ʒvj.
M. F. pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis cuſpis cultri.

Vel ℞. *Cret. alb. Colon.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Corall. alb. ppt. ana. ʒij.
Bol. armen. ppt.
Pulv. rad. Liquir. ana. ʒj.
Sacch. alb. ℥j.
M. F. pulv. ſubt. d. ad Ch. Doſis cuſpis cultri plenus.

Parari ſic etiam poterunt ex iisdem pulveribus cum Saccharo, Aquâ Plantaginis ſoluto, Rotulæ magiſtrales, neceſſitatis tempore frequentius lambendæ. v. gr.

℞. *Corall. alb. ppt.*
Cryſtall. alb. ppt.
Bol. armen. ppt.
Lapid. Carpion. ppt.
Cret. alb. Colon. ana. ʒij.
Nuc. moſch. ʒß.
Conf. Alkerm. inc. ʒj.
Sacch. alb. Aq. Roſar. ſolut. ℥iij.
M. F. l. a. Rotul. d. ad Scat.

Vel ℞. *Magneſ. alb.* ℥j.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cret. alb. Colon. ana. ℥ß.
Pulv. rad. Liquir. ʒij.
Sacch. alb. Aqu. Roſ. ſolut. ℥iij.
M. F. l. a. Rotulæ d. ad Scatul.

Quod ſi poſt ſingulos ferè paſtus hæc Affectio hominem torqueat, tum nihil ubi valdè obſtet, *Vomitorio* aliquo Ventriculus à depravato fermento liberari, hinc verò per aliquot dies *Pulvis* ejusmodi *abſorbens* debitâ ʒß. doſi mane ac veſperi in uſum vocari poterit. Præſervationis gratiâ curatio quoque inſtituitur, ita enim qui crebrius huic Incommodo ſunt obnoxii, tandẽ ab illo feliciſſimè per Potũ *Acidularum, Thermarum ſabarienſium, Succorum* è *Plantis Antiſcorbuticis expreſſorum,* aut *Aquarum* ex Herbis alcalinis aut traumaticis deſtillatarum liberantur. Roſiones Ventriculi ab acrimoniâ Bilis oriundæ præter *Acidularum* vel *Aqu. Plantag. Scabioſ. Taraxac. Endiv. Cichor. Lactuc.* unum aut alterum hauſtum ſimul tolli poſſunt *Pulvere Hepatico rubro, Cremore Tartari, Lapide Prunellæ, Antimonio diaphoretico, Terr. ſigill.* & id genus aliis in pulverem redactis. Finckius *in Enchirid. Pract.* ſequentes commendavit Morſulos. *Præſervatio*

℞. *Cret. alb. Colon.* ℥j.
Ocul. ♋. *ppt.* ℥ß.
Abluantur ter aut quater cum Aquâ Borragin. & Violarum. dein adde
Bol. Armen. ppt. ℈iiß.
Corall. rubr. ppt. ℈ij.
Margarit. ppt. ℈j.
Macis torrefact. ℈ß.
Cinnam. opt. ℈j.
Sacch. cand. alb. Aq. Roſ. ſolut. ℥viij.
M. F. l. a. Morſuli, de quibus tempore Sodæ aliquid comedatur.

Celeberr. Wedelius *Amœnit. Mat. med.*

Med. refert, in Aulis quibusdam solenne esse, solo obtutu *Carlinæ* scandentis, & post florem perfectum in Semen fatiscentis Sodam curare: *novimus* inquit, *Nobilem eruditissimum, qui malo isto mirum quantum vexatus unâ hâc utitur antidoto cum insigni successu, nullâ forsan aliâ de causâ, quàm quòd adspectu illo Archæus moveatur fortius ad resistendum effervescentiæ illi humorum acidorum & biliosorum constringentium.*

Extus Ventriculi regioni cum fructu sæpius tepidè adhibentur roborantia, & effervescentiam quomodocunque compescentia: quemadmodum laudantur inter alia *Oleum omphacinum, rosaceum, myrtinum, Cydonior. Lentisci, Myrtillorum, mastichinum, Absynthii, nardinum.*

In *Diæta* abstinendum à multo usu Ciborum pinguium, Vinorum item largius haustorum, aut Cerevisiæ qualiscunque facilè acescentis. Temperant verò Ardorem Olera humida diluentia, v. gr. *Lactuca, Intybi species, Violæ, Borrago, Acetosa, Trifolium acetosum, folia Vitis, Capreoli Vitium.* Sunt qui Fructus quoque acidulo succo præditos commendant, v. gr. *Poma Citria, Limon. Aurant. Granat. Cerasa, Pruna, Fragas, Uvas crispas, Ribes*, sed minus tamen istos efficaces deprehendimus, imò noxios, si *Vinum* superhaustum fuerit, unde Ardorem planè auctum deprehendi. *Aqua fontana* optima, vel *Decoctum* nobis à multis annis pro potu ordinario consuetum ex *Ligno Sassaphras* & *Radice Filicis*, mirè Sodam compescit & impedit. Aliis placet tempore paroxysmi haustus frequens *Aquarum destillatarum Lactucæ, Portulacæ, Endiviæ, Plantag. Cichor. Bugloss. Acetosæ, Nymphææ*, quibus pro Julepo faciendo quandoque *Syrupus Violar. de Nymph. Portulac.* admisceri potest.

ARIDVRA MEMBRORVM, ATROPHIA, TABES SPECIALIS, Glied-Schwveinung, est Nutritio in hoc vel illo membro tantùm, non autem in toto corpore simul abolita. Diversæ autem partes sunt, quæ hanc Ariduram experiuntur, subinde Oculus alteruter, nonnunquam Brachium vel Crus, Manus aut Pes alteruter ita contabescunt. In his verò partibus non substantia Ossium, Cartilaginum Tendinum aut Membranarum durior & solidior, sed substantia mollior pinguis & carnosa consumitur, atque non tam in longitudine, quàm in amplitudine minuitur. *Aridura, Atrophia specialis.* *Pars affecta.*

Sed notandum tamen, consumtionem unius tantùm partis rarius vel nunquam esse totalem, aut ita perfectam, ut tandem planè consumta pars emoriatur, reliquis membris sanis manentibus; quin aridura aliquousque progreditur, & in certo utplurimum gradu subsistit, cùm semper aliquale nutrimentum, si non sufficiens in partis nutriendæ poros admittatur.

Affectus proin est cognitu facilis ex solo intuitu, & partis, si quæ adest, oppositæ comparatione; nimirum metiri oportet membrum v. gr. Crus aut Brachium, quod tabescere creditur, & cum opposito dein conferendum, sic discrimen ad oculum patebit ex diminutione & flacciditate quadam affectæ *Diagnosis.*

Partis; cùm ſana pars nonnihil ſolidior deprehendetur. Vtplurimum etiam dolor velut terebrans, contundens, aut lancinans partem prehendit ac tenet, præprimis ſi in lecto ſub ſtragulis teneatur; quandoquidem membrum ejusmodi calorem pennarum ſine augmento doloris perpeti ac tolerare nequit. Friget etiam pars tabeſcens magis quàm ſana, & ſicubi homo ad ſudorem ſeſe componit, omnia membra facili ſudore madebunt, exceptâ ſolâ parte areſcente, quæ ſicca, imò utplurimum frigida manebit; unde etiam noſtrates appellant Malum hoc ſæpè ein kaltes Geſicht, quanquam hujus paſſionis ſpeciem Rheumatiſmi, vel Doloris rheumatici nomine indigitare alias ſoleamus. Quando autem tabes membri jam aliquousque progreſſa eſt, tum cutis in ipſo flaccida, rugoſaque evadit, quæ in membris reliquis ſanis durior, atque expanſa magis exiſtit.

Cauſa Nutrimentum itaque deficit in parte, quando hæc vitio quodam laborat, ob quod nutritiæ particulæ ſecerni, atque intra poros admitti ſufficienter nequeunt. Vitium illud eſſe ſolet nunc eroſio, nunc diſciſſio, dilaceratio, contuſio, obſtructio, compreſſio aut tenſio nervulorum membranaceorum. Erodunt ac putrefaciunt humores acres; diſcindunt inſtrumenta varia acuta vulnerantia & ſecantia; dilacerant res maximè externæ: contundunt res graves, ponderoſæ; obſtruunt liquores nonnihil viſcidi; comprimunt tumores vicini qualescunque pituitoſi, ſanguinei aliive; tendunt denique, dolorificè lancinant, atque ſæpius ſpaſmodicè criſpant & contrahunt particulæ acres Lymphæ alicujus inter membranas collectæ, ſtagnantis, ac ſubinde adquiſito qualicunq; ſeſe diffundendi conatu fibras circumſtantes expandentis. Lymphæ ſtagnanti occaſionem haud raram præbent ſudor repercuſſus, frigidus Aër, gelidave Aqua membra calentia ſubitò, vel diu nimis lambens, unde cutis cum vaſis ſubjectis conſtringitur, pori ac tubuli anguſtantur, ſicque Lymphaticus humor in ſuo curſu impeditur. Contingit in uno membro magis quàm in altero, quando unius fibræ fortiores efficacius rigidis circumfluentium corporum particulis obſiſtunt, quàm alterius fibræ teneriores. Itaque cum ob qualemcunque dictarum cauſarum tonus fibrarum nervoſarum in parte nutriendâ mutatur, debilitaturve, tum pori quoque, per quos ſuccus nutritius ex ſanguine tranſcolari debet, ita anguſtantur, ut ſucco tali ſufficienti tranſitum concedant difficilem; hinc & in Paralyſi ob defectum Liquoris nervei, tonum fibris exhibere conſueti, Aridura membrorum contingit. Difficulter & non niſi cum dolore intenſo membra hoc morbo laborantia ferunt ſtragula Lecti, & plumarum ſive pennarum calorem, utpote à quo humor ſtagnans fruſtraneum ſeſe expandendi niſum adipiſcitur, à quo niſu poſtea diſtentæ perpetim membranæ dolent; idque tanto magis, quando tenſio nervorum ſatis magna evadit, humorque ſtagnans è ſuâ ſede dimoveri nequit.

Obſti-

Obstinatum hoc est Malum, sæpiusque diu hominem vexat & excruciat, ut quo se vertere cum doloris levamine queat, penè nesciat; in alium tamē affectum raro mutatur. Si Paralysis nervorum membri in culpâ est, tum dolor nullus affligit, Affectusque curari potest, tum quando nervi non sunt vel discissi vel dilacerati, erosi aut tenacius obstructi, heic enim curatio nulla est speranda.

Curatio proin vel obstructos qualitercunque nervulos aut poros, vel eosdem compressos, aut Per validiorem membranarum expansionem distortos, quale quid Lympha stagnans plus minus viscida & acris producit, respicere solet. Si obstructi sint pori, per quos succus nutritius transire debet, aut propter flaccidi resolutionem nervi, tum intus ante omnia purgans unum vel alterum dabitur, v. gr.

℞. *Mass. pilul. Marocost.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. 15.
Resin. Jalapp. gr. 2. *vel* 3.
Ol. stillat. Lavend. q. s.

*M. F. pilulæ no.*15. *d. ad scat. Sumantur manè jejuno stomacho pro dosi cum regimine diætæ.*

Vel ℞. *Mass. pilul. è succ. Crat. Hydropic. Bont.*
Cinnab. ♄*n. correct. ana.* ℈ß.
Magister. Scam. gr. 2. *vel* 3.
Ol. stillat. Thym. q. s.

M. F. pilulæ no. 15. *Inaur. d. ad scat. Sumantur pro dosi ut supra.*

Vel ℞. *Extr. Cathol.* ℈ß.
Trochiscor. Alhandal. gr. 1.
Cinab. nativ. opt. gr. 8.
Ol. still. Succin. vel Rorism. q. s.

M. F. l. a. Pilulæ no. 10. *vel* 12. *Inaur. d. ad scat. Sumantur pro dosi ut supra.*

Ejusmodi purgantes Pilulæ aliquoties, bis nimirum vel ter in hebdomadâ, dari possunt, ad obstructionis pertinaciam tanto melius superandam; vel etiam Vinum medicatum per epicrasin purgans exhibere licebit: v. gr.

℞. *Rad. Angelic.*
Calam. arom.
Imperat. ana. ʒiij.
Herb. Betonic. Mj.
Majoran.
Meliss.
Ocymi.
Summit. Abrotan.
Centaur. min. ana. Mß.
Flor. Primul. veris p. ij.
Semin. Fœnicul.
Bacc. Junip. ana. ʒiiß.
Fol. Senn. opt. mund. ℥j. ʒij.
Rhab. el. ℥ß.
Rad. Helleb. nigr. ʒiiß.
Cortic. Winteran.
Spic. indic.
⊖*is Juniperi. ana.* ʒj.
Incisis, contusis inque nodulo ligatis, affunde
Vini albi veter.
Aqu. fontan. ana. ℔iiiß. *pond. civil.*

Stent per primam noctem in cineribus calentib⁹, postea singulis diebus mane Cyathus unciarum quatuor plus minus exhauriatur.

Dum verò hoc vino aut præcedentibus remediis utitur Æger, simul alia aperientia blanda in usum vocabit:

bit: & quidem si manè purgans fuerit assumptum, vesperi, si nullum verò sit datum, mane ac vesperi sequentium remediorum unum vel alterum assumat:

℞. *⊖is volat. oleos. Sylv.* ℥ß.
D. ad Vitr. dos. 15. ad 25. guttæ cum
Aquâ Beton. vel Infus. fol. Beton. Meliss. Thee &c.

Vel ℞. *Spirit. Salis arm. fœnicul. aut anisati.* ʒij.
Meliss.
Essent. Succin.
Beton. ana. ʒj.
M. d. ad Vitr. Sumantur 20. aut 30. guttæ pro dosi.

Vel ℞. *Tinct. aperit. Mœb.* ℥ß.
Essent. Trif. fibrin. ʒij.
M. d. ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.* ℥ß.
Tinct. Castor. cum -ᴖ-u Salis arm. parat. ʒij.
M. d. ad Vitr. Dosis 20, 25. vel 30. guttulæ.

Vel ℞. *⊖is vol. ol.* ℥ß.
Essent. Ambr.
Succin. ana. ʒj.
M. d. ad Vitr. Sum. mane ac vesp. 25. guttulæ. pro dosi.

Vel ℞. *Tinctur. ♁ii cum Nitr. par.*
Spirit. ♀ri. ana. ʒij.
M. d. ad Vitr. Dos. 25. ad 30. gutt.

Vel ℞. *Specif. antihect. Pot.*
Spod. ex Ebore ppt. ana. ʒij.
⊖is vol. C. C. purior.
Radic. Ireos flor. ana. ʒj.
Pulv. Fol. Thymi.
Melissæ.
Ocymi. ana, ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. F. pulv. subt. detur ad Scatulam; Dosis ℈ij. *ad* ʒj. *manè ac vesperi cum vehiculo convenienti.*

Vel ℞. *Radic. Aron.*
Sigill. Salom.
Scrophular. ana. ʒj.
Folior. Betonic.
Majoran. ana. ℈ij.
Semin. Anis.
Pœon. ana. ℈iiij.
Corall. rubr. ppt.
♁ii diaphoret. ana. ʒij.
⊖is volat. Fuligin. aut Succin. ʒj.
Sacch. alb. ℥iß.
M. F. pulv. subt. detur ad scat. Sumatur ut supra.

Vel ℞. *Specier. dianth.*
diamor. ana. ʒj.
C. C. philos. ppt. ʒiij.
Rad. Pœon.
Semin. Rorismarin.
⊖is vol. Ebor. aut.
Viperarum. ana. ℈ij.
Sacch. penid. ℥j.
M. F. pulv. subt. d. ad scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Specif. cephalic. Michaël.* ʒvj.
Diaphoret. lunar. ʒij.
Sacch. rosat. ℈iiij.
M. F. pulv. subt. div. in 16. dos. æqu. ad ch. mane ac vesperi sumendas.

Vehiculum ejusmodi Remediorum esse potest, *Infusum fol. Thee, Betonic. Meliss. Ocym. Serpill. Salv. Nasturt. aquat. Beccabung. Plantag. aquat. Trif. fibrin.* &c. cum *Rad. Calam. aromat. Angelic. Caryophyllor. arom. Cort. rec. Aurant.* & similium. Vel *Aquæ destillat.*

lat. talium *Plantarum* largis hauſtibus, aut *Vinum Creticum, Hiſpanicum, Frontiniacum, Hungaricum*, aliudve generoſum modicè ſimul propinabitur. Præterea convenientia ſunt omnia remedia, quæ intus aſſumenda in Paralyſi commendata inveniuntur.

Extus ſi homo ſufficientem ſanguinis quantitatem habeat, Venæſectio in latere Membri affecti celebrabitur poſt purgatum ante omnia corpus, vel Cucurbitulæ cum ſcarificatione dorſo, & ſine ſcarificatione Parti laboranti applicantur. Præterea quotidie mane ac veſperi ejusdem Partis frictiones calidæ & fortes ſatis cum duro panno vel linteo inſtituendæ veniunt, ac deinceps *Unguentum contra Tabem*, qualecunque probatum, diligenter inungendum, quemadmodum hactenus ſequentia cum feliciſſimo ſucceſſu in plurimis uſurpata eſſe comperimus:

℞. *Radic. Angelic.*
Imperat. ana. ʒiij.
Herbar. Calaminth.
Leviſtic.
Origan.
Chamæpith. ana. rec. Mj.
Summitat. Juniper. Pini,
Sabin. ana. rec. Miß.
Lavendul. Mß.
Flor. Chamomill. rec. Mj.
Baccar. Juniper. matur. Mß.
Cancr. vivor. contuſ. no. 7. vel 8.
Inciſis atque leniter invicem contuſis affunde
Vin. alb. veter. ℔iß.
Axung. Porc. rubr.
Ungul. Caballi ana. ℔j.
Coque omnia invicem, usque ad humiditatis omnis evaporationem, hinc cola & exprime Unguentum, cui tamen ulterius permiſce
Ol. ſtillat. Bacc. Juniper.
Spicæ.
laurin. ana. ℥ß.
M. F. Unguentum calidè inungendum.

Vel ℞. *Radic. Calam. arom.* ℥ß.
Summit. Abrot. Miij.
Sabin. Mß.
Herb. Salv. nob.
Urtic.
Perſicar.
Rutæ,
Roriſmarin. ana. Miß.
Bacc. Juniper.
Laur. ana. ʒvj.
Semin. Fœnicul.
Leviſtic. ana. ʒiij.
Inciſ. & contuſis affunde
Vini alb. veteris. ℔ß.
Stent per noctem in loco tepido poſtridie mane adde
Medullæ oſſium bubulor.
Butyr. recent.
Axung. Vulpis vel
Urſi, Taxi aut
Canis, ana. ℥viij.
Coque ſtatim leni igne ad humiditatis conſumtionem, poſtmodum cola, & colato Linimento permiſce ulterius
Pulv. Rad. Pyrethr.
Cyper. rotund. ana. ʒiij.
Semin. Sinap.
Piper. alb. ana. ʒij.
Ol. Lumbr. terr. ℥ß.
Laterum aut
Philoſophorum. ℥j.
M. F. Unguentum detur ad Ollam.

L Vel

Vel ℞. *Sanguin. porcin. vel*
Vitulin. rec. adhuc calent. ℔j.
⊖is commun. ℔ß.
Pulveris Semin. Sinap.
Rad. Euphorb.
Zingiber.
Garyophyll. arom. ana. ʒiiß.
Misce probè super ignem lenem, & adde
Axung. porcin.
Caballin. ana. ℥iij. v. q. f.
Detur ad Ollam ac inungatur calidè.

Alii laudârunt sequentia, quæ contemnendæ virtutis non sunt.

℞. *Ung. dialthææ.*
Olei laurini. ana. ℥vj.
Adipis vulpin.
Taxi, ana. ℥ij.
Ol. Lumbric. terrestr.
Castor.
Cheiri,
Juniperi ex Lignis,
Laterum,
Petræ,
Terebinth.
Succin. nigr.
Spicæ,
Resin. liquidæ. ana. ℥j.
Ceræ citrin.
Terebinth. ana. ℥iiß.
Pulv. Piper. nigr.
Alumin. plumos.
Radic. Pyrethr. ana. ʒvj.
M. F. l. a. Unguentum.

Vel ℞. *Butyr. recent.*
Axung. porcin. ana. ℔ß.
Baccar. matur. Junip. Miij.
Summit. Sabin. incis. Mij.
Misce & coque tamdiu invicem, donec Baccæ Junip. crepare desinant; colatæ dein Pinguedini immisce
Pulv. Baccar. Laur.
Caryophyll. arom.
Piper. nigr.
Zingiber. ana. ℥ß.

Atque sic probè in formam Vnguenti redige, quod calidè semper post frictiones inungi potest.

Sunt qui Cochleas recentes contusas cum Baccis Juniperi, itidem conquassatis, in recenti Butyro nonnihil coquunt, dein per linteum exprimunt, postea agitari curant, usque ad refrigerationem & incrassationem, tandemque permiscent adhuc aliquid de *Spiritu Anthos, Ceras. nigr. Juniperi,* aut *Melissæ.*

Quòd si Vnguentis prædictis addas sufficientem quantitatem *Ceræ, Picis*, ac *Terebinth.* tum habebis Emplastrum itidem efficax, Parti applicandum. Præter hæc Membrum afflictum quotidie per aliquot tempus est ad sudorem compellendum, idque in particulari, quantum possibile, *Laconico*, vel calentem Laterem coctum propè admovendo, vel vaporem calidum maximè ex *Decocto Herbarum cephalico-nervinarum*, aut *Spiritu Vini* accenso, admittendo. Si hæc nil proficiant, *Embrocatio* in locum affectum quotidie semel aut bis, quadrantis horæ spatio, venit admittenda, eaque vel cum Aquâ calente Balneorum aut Thermarum mineralium, vel cum decocto quodam Herbarum cephalicarum. Embrocationes tales excellentium sunt virium, atque sub *Duciæ, la Duche* vel *Touche*, nomine in Thermis Lotha-

Lotharingiæ Plumbariensib⁹ frequentissimæ existunt. Vsus tamen etiam solus, sive Balneatio Thermarum quarumvis v. gr. Fabariensium Rhætiæ, Badensium Helvetiæ, Wisbadensium Wetteraviæ, Embsensium, Carolinarum Bohemiæ aliarumve, malum hoc omne, ni inveteratum fuerit, tollere valet. Non rarum quoque est, *picantia* vel *picationes*, *rubefacientia*, aut ipsa quoque *vesicatoria* patienti membro applicare, utpote à quorum Sale volatili penetrante sæpè stagnans humor dissolvitur aut dissipatur.

Quando compressi sunt à luxato articulo nervi, tum luxatione correctâ statim Aridura cessat. Si verò dilacerati, erosi, discissi, vel amputati iidem sint, tum Vulnus consueto more curabitur, sed Aridura qualiscunque membri præcaveri nequit, quoniam discissi nervi aut tendines nunquam ita amplius regenerantur, ut pristinum tonum partibus impertiri queant. Si Tumores scirrhoso-pituitosi fuerint in culpâ, tum curatio ea est instituenda, qualis in Scirrho commendari solet. Vbi autem facta contusio originem malo præbuit, nil melius, quàm *Spiritum Vini camphoratum*, aut *Herbis cephalicis* atque *Baccis Lauri* & *Juniperi* imprægnatum, calidè sæpius applicare, vel Sacculum iisdem Herbis repletum & Vino incoctum crebrò admovere.

ARQVATVS NIGER, Vid. *Icterus niger.*

ARTHRITIS est dolor Articulorum cum flectendi impotentiâ, subinde & tumore plus minus inflammatorio conjuncta, ac ab humore salino-acido, lento, viscido aut glutinoso, glandulas Articulorum infarciente, hincque tendinum ordines & fasciculos rodente, pungente atque à se invicem distendente oriundus.

Varias hic Affectus admittit *Differentias*: etenim ratione *loci* nunc est in Articulis Pedum, & appellari consuevit *Podagra*; nunc in Articulis Manuum & vocari solet *Chiragra*; nunc in juncturâ Coxendicis vel Ossis Ischii suam figit sedem, sub nomine *Doloris Ischiadici*; nunc in Articulis vertebrarum dorsi atque aliarum partium simul affligit, & *Rheumatismus* nuncupatur. Respectu *durationis* Arthritis dividi potest in *fixam*, quæ diu admodum non sine tumore unum eundemque possidet torquetque Articulum, atque intra octidui vel plurium dierum spatium vix inde recedit: & *vagam*, quæ sine notabili tumore Juncturam quandam occupat, ac intra 24. horarum aut bidui vel tridui spatium iterum cedit, sed in alium mox Articulum transit, sicque de parte in partem subinde per plures septimanas migrat, donec dyscrasiâ Massæ humoralis optimè correctâ penitus cesset & extinguatur. *Ejus differentiæ.*

Proximè igitur Arthritidem in genere producit humor seroso-viscidus, lentus, tartareus & acris, multo Sale fixo, plus minus acido, sed minimè tamen corrosivo constans, ac intra glandulas, Articulorum, internodia frequenter stipantes, earumque tubulos stagnans, non autem uti nonnulli crediderunt, extravasatus. Dum *Causa proxima.*

verò humor sic stagnat, sensim appellentibus jugiter novis particulis accumulatur, hinc vascula distendendo, ac fibras acrimoniâ suâ salsâ lancinando, in vicinis tendinum ac membrarum nervis maximè sensibilibus Dolorem, quem vocant, arthriticum, excitat. Inflammatio dein simul oboritur, quando stagnatio etiam in extremis arteriolis contingit, per quas postea salino-sulphureus Sanguis ob suam crassitiem penetrare nequit. Quod si hinc stagnatio contingat in Talo vel Articulis digitorum pedis, inibique diu fixè hæreat, ac denique tumorem pariat, plus minus inflammatorium, dicitum *Podagra* consuevit, prout in manibus *Chiragra*; in Genubus *Gonagra* &c. nuncupatur. Atque hæ sunt species fixæ *Arthritidis*. Si autem stagnatio levis sit, partemque in tumorem non attollat, nullam inflammationem valdè notabilem pariat, paucis atque horarum intervallis inde iterum recedat, aliumve mox Articulum occupare incipiat, materiæ stagnantis minorem fixitatem aut terrestreitatem præsupponit, atque *Arthritidis vagæ* nomine venit. Tandem si idem humor stagnans ex salsis admodũ fixisque particulis constet, *Arthritidem vagam scorbuticam* inducit.

Causæ antecedente s. Ad causæ istius proximæ collectionem *antecedenter* contribuunt serosæ, salsæ, fixæ, plus minus acidæ ac terrestres particulæ, copiosius in Massâ humorali natæ: hinc & Liquoris gastrici minor volatilitas, ac proinde chylificatio debilitata, & balsamico-volatilium alimenti assumti particularum imbecillis exaltatio. Subinde tamen accusandus venit lentor massæ sanguineæ, à diuturniore morbo inductus: neque enim infrequens est, Arthritidem vagam tali Affectui succedere. Adde quod apud nonnullos hæreditaria sit dispositio humorum ad Arthritidem formandam. In *Caussis procatarcticis* Aër vernalis vel autumnalis, quoad frigus, humiditatem & calorem indies mutabilis plurimum ad multiplicandos Arthritidis paroxysmos confert. Sed nec minorem ansam præbent Cibi sale fixo vel salso copioso, & succo crasso, lento, præditi: Vina in solo vel terrâ calcariâ, cretaceâ & bolari provenientia, crassa, tartarea, minimè diuretica: Cerevisia minus defœcata: Ira frequens & vehemens: Venus nimia crebraque. *Procatarcti[ca]*

Diag[no]sis. Quoad *Diagnosin* Arthritis *fixa* imminere creditur, quando causæ ejusdem præcesserunt, nimirum si Parentes fuerint simul arthritici, si homo Iræ nimiæ, Veneri atque Vino maximopere indulserit, si ex levissimâ causâ, scil: ambulatione aut calceorum novorum attritu, statim dolorem circa Articulos persentiat. Arthritis hæc fixa seu *Podagra* utplurimum homines in virili ætate constitutos primùm prehendere solet, rarius infra aut supra illam ætatem versantes, rarissimè adhuc fœmininum sexum. *Vaga* autem *Arthritis* nulli fermè nec ætati nec sexui parcit. Sicuti & *Rheumatismus*, *Dolorque Ischiadicus* promiscuè homines qualescunque adoriri consuevit. *Præsentem* verò Arthritidem *fixam* indigitant vehemens dolor pun-

pungens, tensivus, ardens ac pulsans; tandem etiam tumor atque rubor, cum flectendi impotentiâ in Articuli unius vel plurium affectorum regione, ac circa eam. In principio hic Morbus ferè solum Articulum pollicis pedis semel aut aliquoties invadit, postea autem ulterius obambulando etiam alios Articulos sensim corripere solet. Novi paroxysmi ferè semper inchoant cum Febri ephemerâ, plus minus intensâ siti, & appetitu imminutò, aut prostrato. In progressu autem paroxysmi subinde appetitus utcunque bonus adest. Sæpè etiam ex improviso hi dolores aliquem corripiunt. Tumor cum rubedine aliquâ mox citius mox tardius supervenit: aliâs etiam citra manifestam rubedinem tumor iste magis œdematicus videtur. In carnosis autem Coxæ vel Homaplatæ locis tumor ejusmodi non comparet, saltem visibilis non est. Symptomata dein ista diutius in eâdem parte, & quidem frequenter ad octo, decem pluresve dies permanent, licèt enim sæviens dolor plerumque intra biduum aut triduum mitior evadat, subsistit tamen postea adhuc tumor, isque non nisi paulatim discutitur. Dum verò sic unum Affectus Articulum deserere incipit, mox alium illico prehendit, nonnunquam etiam duos vel tres in brachiis aut pedibus eodem tempore simul tenet, ut adeo totum Paroxysmi arthritici tempus non raro ad duos aut tres pluresve menses extendatur. Subinde paroxysmi levius & mitius Ægrum habent, subinde gravius affligunt, prout nunc plures & graviores, nunc etiam leviores causæ morbificæ in circulante massa existunt, Ægerque diætæ laudabiliori aut deteriori indulserit. Podagra autem succedente tempore, & postquam per plurimos jam annos hominem est excruciata, nodosa ac tophacea redditur, cum tendinum exiccatione, & membrorum incuravatione, sive contracturâ: in quâ quidem, juxta internodia digitorũ Manus vel Pedis, frequenter tubercula dura nascuntur, quæ successu temporis suppurata & aperta nunc album fluidum ac lentum pus, nunc materiam gypsi vel calcis instar concretam, albam maximè & friabilem, exhibere solent, quæ siccata veram calcem refert, sæpè etiam intra Articulos ipsos in calculos plures paucioresve inæquales plus minus indurata mutatur & convertitur. *Podagra nodosa.* Arthritidem *præsentem vagam* produnt eadem symptomata modò dicta (exceptis nodis atque contracturis) citra notabilem plerumque tumorem Articulos prehendentia, sed citò & intra paucarum horarum spatium sæpissimè iterum evanescentia, inque alium Articulum migrantia. Vbi tamen causa morbifica fixioris nonnihil est texturæ, malum hoc etiam ad duos vel tres dies unum torquere locum potest. *Signa præsentis mali vagi.* Morbo huic, plerumque conjuncta est Febricula continua lenta cum siti, anorexiâ, maximâ lassitudine, subinde & Cephalalgia, Alvi constipatione, Pulsu celeri minusque forti, Vrinæ crassitie & turbatione, non sine sedimento vel corallino vel cinereo. Tota autem morbi periodus utplurimum per integrum mensem durat, sæpius etiam ultra tri-

meſtre, imò ad ſemeſtre protrahitur; ſed qui ſemel eundem eſt expertus rarò ſecundâ, aut tertiâ vice in eum incidit: cùm è contrario *fixâ* Arthritis ſingulis añis, bienniis aut trienniis ſemel vel pluries redire ſoleat. *Iſchiadic⁹ dolor* hyberno tempore diu durare, æſtivo autem citiùs ſuam periodum abſolvere, hominemque citra aliorum Articulorum offenſionem vexare conſuevit. Etenim pluries obſervavimus, non podagricos Homines, ſed alios quoscunque Iſchiadico affectu magis affligi. Denique & hoc notabile, Podagricos, ſi obeſiores fuerint, frequenter ante inſultum paroxyſmi Glandularum palatinarum, fauciumque inflammatione, quandoque in Abſceſſum abeunte, laborare.

Prognoſis *Prognoſis* nobis indicat in genere, omnem Arthritidem, qualiscunque fuerit, non quidē per ſe adeo periculoſam, ſed dolorum tamen vehementiâ moleſtiſſimam, atque duratione ſæpius contumacem exiſtere. Fixa etiam Arthritis, quæ quotannis ferè aliquoties affligit, & irradicabilis apud plerosque Ægros exiſtit, tandem citius vel tardius contracturam affert, nonnullaque eorum membra ad motum aut greſſum impotentia reddit. Chronicus ergo hic eſt Affectus, à Juventute aut virili ætate ad ſenium usque incertis temporum intervallis affligens. Tandem cum materia arthritica non amplius externa membra petit; ſed intus ſubſiſtere incipit, morbos vel acutos vel lentos atque lethales poſt ſe trahit, v. gr. Febres ardentes, Inflammationes viſcerum, Apoplexias, Convulſiones, Aſthmata, Orthopnœam, Tuſſim, Cordis palpitationes, Hydropes pectoris, Phthiſes, Nephritides intenſiſſimas, Vomitus continuos, Hecticam, &c. Inprimis autem hoc notetur, Nephritidem Podagræ ſæpius conjungi, & quidem nunc antecedere nunc ſubſequi paroxyſmum Arthriticum. Fixa porrò Arthritis malum eſt ferè incurabile inprimis ubi nodoſa fuerit reddita, profundas jam egerit radices, ac per malum victûs regimen jugiter acuta ſit, aut etiamubi hæreditaria extiterit. Spes autem nonnulla Curationis ſupereſt, cùm morbus adhuc eſt in principio inque juvenili corpore. Arthritis *vaga* ſine *Scorbuto* minus eſt periculoſa, & ſemel perfectè curata vix amplius redit: poterit tamen intempeſtivâ Diætâ in Arthritidem fixam in Viris mutari. Arthritis *vaga ſcorbutica* autem frequentius revertitur, niſi ipſius Scorbuti cauſæ antecedentes ſint eradicatæ. *Iſchiadicus* dolor quandoq; per eroſionem ligamenti, in Acetabulo oſſis Iſchii ſiti, luxationem femoris poſt ſe trahere, hominemque ſic claudum reddere valet. *Rheumatiſmus* tandem omnium feliciſſimè per diſcuſſionem Lymphæ non adeo tenacis curatur.

In *Curatione* Arthritidis fixæ commendamus Diætam à Blancardo in *Tractatu de Podagrâ* deſcriptam, quæ ſi diligentiſſimè obſervetur, hominem juvare plurimùm, & ſi non planè ab affectu liberare, à frequentioribus tamen paroxyſmis tutos præſtare valet. In Paroxyſmi autem arthritici principio poſt *Clyſma* unum alte-

alterumve injectum, (à purgantibus enim ceu magis lædentibus jure abstinemus) Venæsectionem nullatenus reformidamus, præprimis si homo tantillum sit plethoricus.

℞. *Radic. Aristol.* ℥ß.
Gentian. ʒij.
Herb. 5. emoll.
Salviæ, ana. Mj.
Bacc. Junip. ʒij.
Incis. & contus. coque in sufficient q. Aq. font. Colaturæ ℥xij. *adde*
Ol. rosac. ℥ij.
Mell. mercur. ℥j.
M. F. Clysma tepidè applicandum.

Postmodum statim mane ac vesp. pulveres diaphoreticos ex *Bezoardico miner. Ocul.* ♋. *C. C. philos. ppt. Ebor. ppt. Antimon. diaphoret. Conch. ppt. Lumbric. ppt. Milleped. ppt. Cinnabari nativâ* vel *Antim. correct. Semin. Fœnicul. Rad. Petasitid. atque Chelid. maj. Cryst̄all. alb. ppt. Pulvere viperino*, aut similibus præscribimus, cum haustu *Aqu. Nasturt. Apii selini, Cherefol. Card. bened.* &c. sumendos, & per plures dies continuandos, reiterando subinde, ubi opus videtur, *Clysterem.*

℞. *Pulv. Viper. ppt.* ʒij.
Antim. diaph.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ʒj.
M. F. pulv. subt. in 8. *dos. æq. ad Ch. mane ac vesp. sumend.*

Vel ℞. *Cryst. alb. ppt.*
Antim. diaph.
Lumbr. terr. ppt.
Cinnab. nat. opt.
Radic. Petasit.
Semin. fœnicul. ana, ʒj.
M. F. pulv. subt. Div. in 12. *dos. æq. m. ac v. cum jusculo sumendas.* Potest & Mixtura sequens diaphoretica propinari:

℞. *Aq. Absynth.*
Card. bened.
Plantagin.
Scabios. ana. ℥ij.
Roob Sambuc. ℥ß.
Ant. diaphor.
C. C. philos. ppt. ana. ℥ß.
M. d. ad Vitr. singulis trihoriis 3. *cochlearia capiantur.*

Mane ac vesperi etiam per aliquot hebdomadas Cyathus exhauriatur *Aquâ Nasturt. aquat. Chelidon. major. Cochlear. Centaur. minor. Absynth. Scabios. Agrimon.* &c. repletus. Vel haustus *destillati Hippenterorum.* Pro potu ordinario cedat *Decoctum Lign. Sassaph. Quajac.* &c. Sequens Decoctum intra quatriduum Arthritidis dolores compescuit:

℞. *Radic. Chin.* ℥ß.
Hermodactyl. ʒj.
Lign. Sassaphr.
Guajac.
Quercin. ana. ʒvj.
Semin. Fœnic. ʒij.
Coque per bihorium in Aqu. fontan. mens. ij. *& Vini albi veteris* Mß. *Colaturæ* ℥iij. *singulis sex horis hauriantur.*

Externè nihil admittimus fermè præter *Bolum armenatem, Radicem Liquirit. pulveris. Terram sigillatam, Lapid. calamin. ppt. Pulv. flor. Sambuc. Cretam albam, Farinam secalinam tostam*, & *Camphoram*, invicem mixta, atque cum linteis applicata. Sunt, qui etiam *Ceratum simplex* vel *Diapalma*,

ma, vel etiam ſequens cum Fructu applicant:

℞. *Cer. alb.*
Ol. roſac. ana. ℥j.
Camphor. ʒij.
Lapid. calam.
Bol. armen.
Oliban.
Maſtich. ana. ʒiß.
M. F. Ceratum.

Cura Arthritis vaga. *Arthritis vaga* curabitur feliciſſimè & citiſſimè, in principio ſtatim exhibendo laxativum ex unciis aliquot *Syrup. Flor. Perſic.* vel *de Cich. cum Rhabarb. Roſar. ſolut. compoſit.* & hinc Venam brachii ſecando, eamque ſemel aut bis intra octiduum repetendo. Interea tamen ſimul m. ac veſp. propinandæ ℥iiij. pluresve, *Aquæ deſtillatæ Naſturtii. aquat. Card. bened. Fumar. Cherefol. Apii Selin. & Cochlear.* Vbi notandum, quòd hæ plantæ recentes invicem mixtæ & conciſæ, unà cum nonnullis *Fimi Caballi, Avenâ probè ſaginati, bolis deſtillatæ*, liquorem huic morbo perſanando aptiſſimum exhibeant. Vel poterit *Spiritus Cochleariæ, Naſturt. aquat.* proprio è ſucco factus, ad gutt. 30. vel 40. m. ac. v. ſumi. *Eſſentia* autem *Trifolii fibrini* ad gutt. 30. tantum dari eundem in finem poteſt. In uſu verò *Aquæ* modò dictæ *Hippenterorum* per aliquot hebdomadas eſt continuandum, ac interea ſubinde ſimul doſis una vel altera de *Pulvere* quodam *antarthritico* ex *Conchis, Sem. Naſturt.* atque *Cinnabari nat. opt. Pulv. Viper. ppt. Ebore ppt.* exhibenda. In Diætâ pro potu ordinario convenit *Decoctum Lignorum, Rad. Hermod. Gramin. Filic. Paſſular.* &c. *Juſcula* dein optima *carnis*, interdum *Herbis antiſcorbuticis* alterata, ſunt danda. Ab acidis, ſalſis, abſtinendum. &c.

Externè Sacculi ex *Avenâ, Ciceribus, Lentibus, Floribus Sambuci, Chamomill. Foliis Solani* &c. compoſiti, ſiccè & probè calefacti imponantur. *Emplaſtra de Meliloto, de Baccis Lauri* cum *Cinnab. communi, Myrrhæ, Bolo armenat. Antim. diaph. Camphor.* in quibusdam proſunt. Rarò autem *oleoſa* vel *ſpirituoſa* applicata conducunt. Lintea autem fumigata, fumo nimirum *Maſtichis, Olibani, Ungularum Caball. Herb. Menth. Aneth. Flor. Chamomill. Melilot. Sambuc. Semin. Cumin. Aniſ. Dauci, Raſur. Lign. Juniper.* &c. imbuta, & calidiſſimè impoſita ſæpius citò dolorem omnem auferunt.

Rheumatiſmus, ſi pertinaciter duret, iisdem cum vagâ Arthritide remediis ſenſim tollitur. *Cur. Rheuma.*

In utroque tamen Affectu quoad fontem Chirurgicum *Venæſectiones* non ſunt negligendæ, & quidem ab initio ſtatim easdem ter in ſeptimanâ inſtituere convenit, ſi modò ſanguinis ſufficiens quantitas adfuerit, qui per inciſam venam extractus cruſtâ pituitoſâ, tenaci, albâ vel cinericiâ utplurimùm poſt coagulationem obtegetur. Præterea externa remedia nulla uſurpentur alia, quàm quæ ſuperius jam commendata extant. *Clyſmata* inprimis frequentia, emollientia, laxantia, & anodyna heic levamen afferre poſſunt, v. gr.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Alth.*
Liquirit.
Lil. alb. ana. ℥j.
Herb. Alth.
Malv.
Betæ,
Betonic.
Calaminth. ana. Mj.
Summit. Aneth.
Flor. Chamom. ana. Miß.
Stœch. p. ij.
Semin. Lini.
Fœni græc.
Cumin. ana. ℥ß.
Incis & contuſ. coqu. in ſ. qu. Aqu. font. Colaturæ ℥xj. adde
Mell. mercurial. ℥j.
Olei Verbaſc. ℥iß.
Tereb. Vitell. Ov. ſolut. ʒij.
Salis Gemm. ʒß.
M. F. Clyſter. aliquoties applicandus.

Vel ℞. *Radic. Malv.* ℥j.
Enul. camp.
Ireos noſtr. ana. ℥ß.
Herb. Mercurial.
Violar. ana. Miß.
Meliſſ.
Chamæpith.
Majoran. ana. Mj.
Flor. Hyperic.
Calend. ana. Mß.
Semin. Fœnic.
Seſeleos ana. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. Aqu. font. *Colatur.* ℔. j. adde
Elect. lenit. vel
de Hier. Logad. ℥j.
Olei chamæmel. ℥iß.
Rut. ʒvj.
⊖*is commun.* ℈ij.
M. F. Clyſter. tepidè injiciendus.

Vel ℞. *Decoct. Herb. emoll. Salv. Cheref.* & *Furf.* ℔j.
Olei Nucum.
Lil. alb.
Mellis. ana. ℥j.
Salis commun. ʒj.
M. F. Clyſter tepidè inſpergendus.

Vel ℞. *Aqu. muriat. v. gr.*
Braſſic. Sale cond. vel
Urin. Pueror. ℥x.
Olei Amygd. dulc. rec. expreſſ.
Violar. ana. ℥j. *vel*
Olei Olivar. ℥iiß.
Mellis anthoſ. ℥j.
M. F. Clyſma tepidè infundendum.

Arthritis vaga ſcorbutica, quia ſcorbuti eſt ſymptoma ac ſoboles, nulla peculiaria remedia deſiderat, ſed ſponte cedit, quamprimum radices Scorbuti erutæ ſunt. *Deſtillatum* tamen *equinum* per plures hebdomadas uſurpatum; vel *Potus Thermarum Fabariens.* aut ſimilium, uſus item *Panaceæ alcalin. ſolut.* valde conducit. *Arthritis ſcorbutica.*

Tandem *Iſchiadicus dolor* ante omnia purgans requirit debitâ doſi exhibitum, & cum Mercurio dulci permiſtum. v. g.

℞. *Mercur. dulc. opt.*
Rad. Jalapp. ana. ℈j.
Crem. Tart. ℈ß.
Ol. deſtill. Roriſm. gutt. ij.
Scamm. ſulphurat. gr. iij.
M. F. pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Extract. Cath.* ℈j.
Mercur. dulc. gr. XV.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Ol. deſtill. Succ. q. ſ.
M. F. l. a. Pilulæ no. XV. *d. pro doſi.*

Dein *Venæsectionem* in Pede lateris affecti commendamus, & loco dolenti *Emplastrum Norimbergense* alutæ superinductum applicamus.

Internè etiam per aliquot dies m. ac. vesp. Pulv. diaphoretico-anodynus ex *Antimon. diaph. Bezoard. mineral. Lumbr. terrest. Asell. ppt. Ebor. ppt.* &c. cum *Sale volatili C. C.* vel *Viperar.* in *Aqu. destillat. Chamædr.* aut *Betonic.* propinamus.

℞. *Antim. diaph.*
Spod. ppt. ana. ℈j.
Sal. volat. C. C. ℈ß.
Sacch. ros. ℈j.

M. F. pulv. s. in 2. doses mane ac vesp. sumend.

Vel ℞. *Antimon. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℈j.
Nitr. ppt. ℈ß.
Camph. gr. vj.

M. F. pulv. s. in 2. dos. æqu. ad ch. m. ac. vesp. sumend.

Vel ℞. *Cryst all. alb. ppt.*
Pulv. Viper. ppt.
Lumbr. terrest. ppt.
Bezoard. min. ana. ʒß.

M. F. p. s. in 4. dos. æqu. ad ch. m. ac. v. sumend. cum jusculo.

Quibus nihil vel parum proficientibus *externè* simul inter continuatum eorum usum femur sudare facimus copiosè, vel applicando, quam prope id fieri potest, *Lateres ignitos Vino rubro* extinctos, & linteo eodem *Vino* malido involutos; vel *Panem è clibano recens extractum*, ferventemque admovemus, eorumque usum mane ac vesperi repetimus. Quod si neque his dolor leniatur, serumque in profundo stagnans benè discuti nequeat, *Vesicatorium* amplum femoris in medio applicare jubemus, & internè ne ab hoc remedio stranguria oboriatur, aliquot haustus *Emulsionis seminum frigidorum* concedimus. Ac si nec tum Æger liberetur, Ferrum satis latum & rotundum ignitum bis vel ter Ischio sive Coxendici, quam propè Æger ferre poterit, admovetur, donec observemus valde minutum esse dolorem. Interim *Purgatio mercurialis* post XII. vel XV. dies reiteranda venit. Loco pulverum etiam internè Pilulæ ex eâdem materiâ cum *Extracto Trifolii fibrin. Betonicæ*, & *Theriacâ Cœlesti* concinnari poterunt, sicque cum vehiculo convenienti aut cum infuso Herbæ Thee exhiberi. Quod si Aquâ Thermarum Fabariensium ad manus sit, hyberno etiam tempore non secus atque per æstatem extra fontem bibi cum fructu poterunt, ceu valdè penetrantes, & partim ipsum lentorem humorum corrigentes, partim & stagnantem in loco affecto lympham in pristinum fluorem redigentes.

In omni verò Arthritide specifica Remedia antarthritica, eaque diversa à diversis Medicis commendari solent, subinde cum successu data, inprimis si optima simul Diæta fuerit observata. Inter illa recensemus, quæ quidem ipsi vidimus à nonnullis feliciter usurpata; v. gr. Rem. Spec.

℞. *Lumbr. terrest. ppt.* ℥ß.
Antim. diaph. ʒij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Unicorn. fossil.
C. C. phil. ppt.

Cinnab.

Cinnab. nativ. ana. ʒj.

M. F. pulv. in 12. *doses redigendus,* & *quotidie mane sumendus.*

Pulvis antarthriticus *Celeberrimi Scaffhusiensium Archiatri, D. D. Wepferi* sequens aliquando fuit:

℞. *Lumbr. terrest. pp.* ℥ß.
Ungul. Alc. ppt.
C. C. phil. ppt. ana. ʒij.
Antim. diaphor. ʒiß.
Sal. volat. C. C. ʒß.
Camphor. ℈ß.
Ol. Nucist. expr. gr. 8.
Sacch. albiss. ℥ij.

M. F. pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis ʒj. *mane ac vesperi.*

Pulvis antipodagricus *P. Capucini, Itali*, uti quidem nobiscum communicatus fuit ab Illustriss. DN. *Barone* de Reding, *Suitensi-Helvetio*, qui cum per plures annos ob gravissimos & frequentissimos Insultus podagricos suis amplius pedibus insistere atque incedere nequiverat, eo ultra annum felicissimo cum virium corporis redeuntium & incessûs facilis successu usus fuit, sequens est:

℞. *Radic. Aristoloch. rot. ver.*
Rhabarb. Monach.
Gentian. maj. luteæ.
Herb. Chamædr.
Chamæpith. s. Ivæ arthetic.
Sum̄it. Centaur. minor. ana. q. v.

Siccentur in aëre singula seorsim; hinc pulverisentur tenuiter, & partibus æqualibus invicem misceantur. Sume quotidie sub vesperam hujus Pulveris ʒß. *ad* ʒj. *Affunde Vini boni albi veteris, tenuis, probè defœcati, ac diuretici* ℥ij. *stet per noctem in loco tepido; postridie mane Pulvis cum Vino simul hauriatur; atque sic per integros plures menses, imò per integrum annum quotidie semel reiteretur. Secundo autem anno bis hebdomadatim; tertio tandem anno semel aut bis in mense debet assumi.* Vel sequens potest usurpari:

℞. *Antim. diaph.* ℥ß.
C. C. pph. ppt.
Matr. Perlar. ppt.
Cinnab. nat. opt.
Unicorn. fossil. ana. ʒj.
Laud. Opiat. gr. vj.

M. F. pulv. subt. in XII. *dos. æqu. divid. m. ac. vesp. sumend.*

Aliis placet seqq.

℞. *Pulv. Herb. Chamæpith.*
Flor. Primul. Ver.
Lil. convall. ana. ʒij.
Cinam. opt. ʒj.
Zingiber. ʒß.
Semin. Anis.
Nasturt.
Dauc.
Cochlear.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ʒj.
Fol. Senn. finest.
Rhab. opt. ana. ℈iiß.
Sacch. albiss. ℥iij.

M. F. pulv. s. cujus dosis ʒj. *cum Aq. Card. bened. & Chelid. maj. quotidie per longum tempus assumitur.*

Commendant alii etiam *Potum lactis bubuli* per unum pluresve annos continuatum. Optimum verò Podagram, si nodosa haud fuerit, sanandi arcanum extra Paroxysmum est adcurata Diætæ observatio, quantum quidem in *Victu, Vino, Venere & Irâ* consistit; in his enim si quis rectè se gesserit,

gesserit, à Podagra non amplius, vel rarius saltem affligetur, atque mitius etiam tractabitur. *Victus* autem quàm *exquisitissimus* & *simplicissimus* requiritur, ab aciditate, salsedine excedente, lentore, & viscositate omni alienus. Culpantur hinc *Carnes duriores*, *fumo siccatæ*, *aceto immersæ*, ac solutu difficiles, *Casei* qualescunque, Ova *frixa* atque ad *duritiem cocta*, *Pastæ farinaceæ*, *Placentæ*, *Cochleæ*, *Astaci*, *Ostreæ*, *Pisces limosi* ac tenacioris carnis, vel siccati, salitive, *Olera salita* aut *muriatica*, *Fungi terrestres* varii & similia. In usu quoque optimorum aliàs Ciborum *quantitas modica* quolibet pastu assumenda, excessus rari committendi, vel si aliquando datâ occasione fiant, jejunio corrigendi. A *Vino*, *Cerevisiâ*, *Hydromelite*, & simili potu haud difficulter acescente, vel penitus, vel saltem per annos aliquot est abstinendum, aut certè parcissimis haustibus bibendi veniunt ejusmodi liquores: horum verò loco Aqua vel purissima, vel cum incoctione lignorum & similium, aciditatem nullam causantium, pro ordinario potu est seligenda, à quo diutissimè continuato Paroxysmi podagrici & rariores longè & mitiores etiam evadunt, id quod jam à pluribus annis in hominibus excellenter podagricis expertus fui. Decennium vix elabitur, quo Aurifaber quidam nostras 36. ætatis annum egrediens, summè podagricus simul & nephriticus, post Arthritidis paroxysmum Ischuriam vesicalem, à calculo orificium Vesicæ crispante ortam, incidit, atque ne guttulam quidem Vrinæ emittere potuit, unde repleta tridui spatio Vesica rupturam, vel certè Convulsiones lethales minabatur, frustra adhibitis quibuscunque remediis internis, externisque, donec tandem frater meus *Jacobus Zuingerus*, *Chirurgus expertus*, Catheterem, post situm atque decubitum Ægrotantis diversimodè mutatum, in Vesicam intrudere, sicque Vrinam omnem emittere potuerit, secuto demum póst bidui spatium Lapillo minuto, & copioso sabulo. Hoc autem symptomate, quod mortem propemodum attulerat, maximè territus Vir, cum largiorem Vini potum sæpius haustum illi occasionem dedisse persuasus esset, protinus animo statuit firmo, se Vini usui ordinario valedicturum; id quod in hunc usque diem felici cum successu præstitit, ordinariè nil nisi Ptisanam, nobis consuetam ac familiarem, ex Decoct. Radic. Sarsæ parillæ & Filicis constantem, bibens, & rarius Vini defœcati optimè, perq; Vrinam pellentis, plenum unum vel alterum vitrum exhauriens; unde non tantùm Renes atque Vesica ab omni sabulo purgatæ fuerunt, sed ab eo quoque tempore Nephritis omnis cessavit, & Paroxysmi arthritici, qui bis vel ter quotannis Hominem magnâ cum vehementiâ afflixerant, adeo rari ac mites redditi fuerunt, ut se vix amplius Podagricum esse persentiat. Ab isto tempore plures alii Podagrici eandem vivendi ac bibendi rationem, usu quotidiano Vini repudiato, ineuntes maximum levamen invenerunt. Sed & *Veneris* exercitium vel omnino est intermittendum, vel rarissimè profectò insti-

tuen-

tuendum, utpote à quo Spirituum latex valde debilitari solet. Rustici hinc nostris in oris nulli evadunt podagrici, quoniam strenuè corpus suis in laboribus exercendo ita fatigantur, ut Veneri litare multum nequeant, ac simul ob facultatum penuriam quotidiano Vini potu carere debeant. *Ira* denique est maximè fugienda, præcipuè vehemens & crebra, ob quam Podagrici sæpè novos accelerant paroxysmos.

Præterea nonnulli usu *Thermarum Fabariensium*, *Plumbariensium*, *Embsensium*, aliarumve in *Arthritide frigidâ*, à sero minus acri sed pituitoso lento provenienti; alii verò in *Podagrâ* magis, ut sic loquar, calidâ *Acidularum* potu numerum atque vehementiam Paroxysmorum se minuisse testantur. Potum *Lactis asinini* aliquibus jam senescentibus Podagricis levamen attulisse magnum novimus. Viginti quatuor doses *Panaceæ solutivæ alcalinæ* etiam sumptæ multum conferre debent ad sanguinem Podagricorum planè emendandum. Pro specificis dein antarthriticis habentur *Chamæpithis*, quæ *Iva* proin *arthetica* dicitur, *Primula veris*, *Betonica*, *Salvia*, *Acorus*, *Stœchas*, *Serpillum*, *Origanum* &c: è quibus *Decocta*, *Pulveres*, *Conservæ*, atque *Syrupi* fieri & concinari possunt, frequenti usu probata remedia.

Externa tandem plura à pluribus magni fiunt, inprimis autem *Moxæ inustio*, olim usitata, quâ certè dolor confestim quidem cessabat, sed insimul paulatim tendines Articulorum ita siccabantur, ut tandem contractura subsequeretur. Ab aliis æstimatur *Balneum Urinæ humanæ*, *Spiritus Salis armoniaci Aquâ Ulmariæ* dilutus, & parti dolenti cum pennâ calidè frequenter illitus, *Liquor solutorum Limacum in Vase cupreo* cum *Sale*, *Succus* aut *Aqua destillata Foliorum Lappæ majoris* sæpius calidè applicata, & plura ejusdem farinæ. Quidam etiam Cataplasmata nunc è *Rapis* in *Aquâ decoctis*, nunc è *Farinâ Fabar.* cum *Aquâ nivis*, nunc è *Croco Radic. Ulmar. Alth.* cum *Aquâ Solani* faciunt & imponunt. Valde conduxisse aliquibus Podagricis notavimus, si statim post paroxysmum manus atque pedes, ipsumque corpus usque ad scrobiculum Cordis immerserunt aliquot vicib⁹ *Balneo* calenti *Aquæ dulcis*, cui permistum fuerat *Lixivium lignorum Fagi*, *Quercûs*, *Juniperi*, *Sarmentorum Vitis*, *Ossium equinorum*, *bovinorum*, *cervinorum*, vel *caprinorum*; simulque incoctæ *Herbæ Altheæ*, *Consolid. maj. Virg. aur. Serpill. Lavendul. Chamæpith. Chamædr. Beton. Salv. Summitat. & Lignum Juniperi*, *Strobili Pini* &c. cum *Sulphuris communis* & *Aluminis* aliquâ portione, additis etiam *interaneis Animalium*. Robur deniq; Articulis conciliant extra Paroxysmum *Thermæ* quædam ad tempus usurpatæ *sulphureæ*, *salsæ*, *nitrosæ*, item Acervus acinorum vinaceorum, ab Uvis nigris expressis congestus, & effervescendo calens. In paroxysmo membra continuè fovenda sunt Pelle leporinâ aut felinâ.

Sunt, qui Emplastrum discutiens mox applicant, quando dolor paroxysmi arthritici inchoat. v. gr. *Empl.* *diapho-*

diaphoret. Mynſ. de Meliloto, de Baccis Lauri, cum *Camphorâ* vel *Reſinâ laricea* & *Opio*. Qui adſtringentia Emplaſtra adhibent, peſſimè faciunt, quoniam materiam morbificam veluti repellunt intra corpus, unde poſtmodum ea in partes internas præcipitata longè pejora mala, Apoplexiam, Aſthma, Hydropem pectoris, Aſcitem, Phthiſin aut Hecticam excitat. Orientales quidam Populi ſtatim atque Dolor arthriticus membrum prehendit, Cataplaſma è contuſis *foliis Lappæ majoris, Alliariæ* & *Ranũculorũ* paratũ Articulo dolenti tepidè unâ vel alterâ vice applicant, usque dum rubefiat admodum & in veſicam attollatur, quâ dein apertâ ſerum effluere permittunt, & mox *foliũ Braſſicæ* tepefactum per diem unum vel alterum cum inuncto Butyro, tandem *Emplaſt. alb. coct.* ſive *de Spermate Ranarum* applicant, ſicque intra paucorum dierum ſpatium à paroxyſmo arthritico liberantur. Plurima etiam alia externa circumferuntur atque commendantur, quorum deſcriptiones prolixè in *Praxi Plateri, Operibus Ettmülleri*, atque *Boneti Theſauro Medico-Practico* reperiuntur, ſed pleraque tamen, ſi non circumſpectè uſurpentur, plus nocent quàm proſunt.

ASCARIDES, Vid. *Lumbrici.*

ASCITES, Vid. *Hydrops.*

Aſthma. ASTHMA, Ἆσθμα, ab Ἄημι, Flo S iro, in genere quælibet eſt *anhelitus* vel *ſpirandi difficultas, Reſpiratio difficilis, Anhelitus gravis*, adeoque ſymptoma Reſpirationis offenſæ. Læditur autem *Reſpiratio*, actio illa corporis ex vitali & animali mixta, quando vel *aboletur planè*, vel *gravis* plus minus redditur; ſive dein hoc in utroque inſpirationis & exſpirationis actu, ſive in exſpiratione tantũ volũtariâ quoad vocem & lòquelam contingat. Aboleri non poteſt diu reſpiratio ſine vitæ diſcrimine, & morte ſubſequente; ceſſat tamen aliquando ad tempus, vel ſaltem adeo obſcurè procedit, ut ab adſtantibus, etiam plumâ naribus Ægrotantis admotâ, percipi nequeat. *Aſthmate* hinc, ſive reſpirandi difficultate laborare dicuntur homines, quando crebrò & majore vel minore cum labore atque impedimento Spiritum ducunt, à quacunque demum cauſâ id contingat.

Differentiæ Aſthmatis, graduum quidem reſpectu, tres numerantur, quarum *prima* eaque levior eſt *Dyſpnœa*, in quâ homo graviter quidem ſed ſine ullâ utplurimum Febre, ſine ſono, ſine angore magno aut anhelatione forti, reſpirat. *Secunda* eſt *Aſthma* propriè ſic dictum, quando Patiens cum ſibilo, aut anhelatione ſonorâ difficulter reſpirare cogitur. *Tertia* vocatur *Orthopnœa*, in quâ Homo non niſi erectâ cervice, thorace elevato, erectoque corporis trunco, ſive ſtans, ſive ſedens, aut ſedendo decumbens in lecto Spiritum trahere cogitur. Id autem ſi cum magno conatu fiat, ita ut præſens ſuffocationis periculum adſit, tum *Suffocatio* vel *Strangulatio* nuncupatur. *Differentiæ.*

Principaliter heic *affligitur Pulmonis* tenera, mollis atque veſiculoſa ſubſtantia, quoad fiſtulas ſuas tracheales & veſiculas, à qualicunque demum *Pars affecta.*

cauſâ

causâ præternaturaliter angustatas. *Minùs principaliter* autem, sed utplurimum tamen prius, aliæ quoque partes, tam internæ quàm externæ, ad Respirationis actionem aliàs contribuentes afficiuntur, & læsæ deprehenduntur.

Proxima videlicet Asthmatis cujuscunque causa est bronchiorum sive ramorum Asperæ Arteriæ, & Vesicularum pulmonalium angustia, quam diversæ admodum, eæque longè plures efficere possunt causæ *antecedentes*; idque vel obstruendo aut infarciendo, vel comprimendo, vel spasmodicè constringendo. *Obstruunt* & *infarciunt* catarrhi sive humores serosi, plus minus viscosi, tenaces, crassi aut fluidi, lentè vel confertim & subitò substantiam Pulmonum implentes, noctu & humidâ tempestate maximè contingentes; sanguis itidem extravasatus in Hæmoptoë, & Vesiculas sensim aut citò occupans; calculi in substantia Pulmonum nati, aut pulveris per Inspirationem in Pulmones intromissi copia, quemadmodum id Lapicidis subinde evenit; purulenta materia è ruptâ Vomicâ, Vlcus Pulmonis, Oris & Narium qualiscunque obturatio, in Apoplexiâ, Epilepsiâ; Faucium major vel minor obturatio in tumore Amygdalarum, Uvulæ; Anginâ, Strumâ, Bronchocele; vel Abscessu in vesiculas pneumonis effusa; *Comprimunt* obesitas nimia, Sanguis æstuans per vasa pneumonica decurrens, Tumores item vicini inflammatorii, erysipelatosi, scirrhosi, alii; ut & pus vel serum in cavitate Pectoris ex Pleuritide aut Hydrope collectum; Aquæ porrò Abdomen valde expandentes, inferiores Thoracis costas diducentes, & sic Diaphragma nimis tendentes; Ventriculus à cibis, vel veneno interdum nimis expansus; Luxatio primæ Cervicis vertebræ; Flatus copiosi in Abdominis visceribus collecti, & hinc inde dispersi, ita ut Diaphragma in motu suo præpediatur. Huc pertinent angustia pectoris nativa, vel adquisita in gibositate; pulmonis cum pleurâ connexio, vel coalescentia post Pleuritidem; Fractura costæ unius aut alterius introrsum detrusæ, Luxatio itidem Costarum introrsum reflectentium, *spasmodica* constrictio fit in Cardialgiâ, Polypo Cordis, Incubo, utplurimum ab humore seroso-salso vel acido-acri mucoso, plus minus lancinante, rodente, pungente & crispante; qui simul interdum musculos Diaphragmatis, fibras item nervoso membranaceas trachearum & vesicularum pneumonicarum contrahit. Ita & spasmus Musculorum pectoralium, à flatu aut lymphâ inter illos hærente ac expandente oriundus, Thoracis motum impediendo; nec non convulsiva crispatio nervorum pneumonicorum, per consensum in suffocatione hystericâ, Lumbricis intestinorum, Colicâ flatulentâ, Passione nephriticâ contingens, Anhelitûs difficultatem similiter inducit. *Periodicum* denique Asthma fixam quandam aut glutinosam acriusculam pituitam, aliquo in pectoris loco hærentem materiam, nervos pe-

rio dicè crispantem pro sua causâ agnoscit.

Species Asthmatis. Asthma proin respectu diversarum causarum, atque accidentium conjunctorum diversas agnoscit species, epithetis diversis etiam insignitas. Ita enim Asthma *humorosum* appellatur, quod ab humorum vitio suam habet originem, comitemque sæpius Tussim obtinet: Asthma *convulsivum* sive *spasmodicum* ac *siccum*, quod cum aliquali nervorum pneumonicorum aut diaphragmaticorum constrictione contingit, cum que Tussi vel nullâ, vel siccâ affligit; *compressivum* & *strangulatorium*, à compressione Pulmonis aut asperæ Arteriæ qualicunque proveniens: Asthma *sympathicum*, quod per consensum nervorum in aliis partibus, v. gr. Stomacho, Vtero, Intestinis &c. graviter afflictorum oboritur; *idiopathicum*, quod læsionem Pulmonis ipsius subsequitur: *scorbuticum*, quod *Scorbuti* morbo jungitur: *periodicum*, quod per certa incertave intervalla gravius, mitiusque redit: *breve* aut *diuturnum*: *recens* vel *inveteratum*: *hæreditarium* vel *adventitium*.

Diagnosis. Si *Diagnosin* spectes, facilè quis præsentem respirandi difficultatem, imò & ejusdem species, ex solo Ægrotantis intuitu atque examine cognoscet. Gravius vel mitius hominem affligit, nunc subitò accedens, nec adeo diù durans; nunc sensim occurrens, atque à tenaciore causâ proveniens, & contumaciter durans. Jacentes plerumque & supinè ac profundius dorso incumbentes, noctu itidem, atque hybernâ vel pluviosâ tempestate, ubi crassior est Aër, difficilius adhuc respirant; ut singulis ferè momentis ultimum se spiritum trahere autument. Nunc inspiratio, nunc exspiratio est laboriosior; anguntur etiam magis vel minus Ægri in pectore. Conjuncta est hæc molestia cum variis Ægritudinibus aliis, imò eorundem est crebrum accidens; ita enim comitatur sæpè Febres continuas, Peripneumonias, Pleuritides, Hydropes Pectoris, Ascitem, Tympanitidem, Vomicas, Vlcera, Scirrhos, Tussim Infarctus Pulmonum, Phthisin, Polypum Cordis, Spasmos atque Dolores musculorum pectoralium & intercostalium. Si *scorbuticum* fuerit Asthma, ex Scorbuti variis accidentibus conjunctis, nimirum inflationibus ac ructibus Ventriculi, Cardialgiâ crebrâ, Nauseâ, Vomitu, tensionibus hypochondriorum sensilibus, borborygmis Ventris, cordis frequenti Palpitatione, sputatione crebrâ, cum intercurrente tamen siccitate oris, Pavoribus in somno, Anxietate, Cephalalgiâ, aliisque cognosci poterit. Si *Uterinum* fuerit Asthma, subitò accidere, nec diu durare solet sine Tussi aut Febre; *Stomachalis* Dyspnœa cum maximâ utplurimum Cardialgiâ, Tussi, materiæ viscidæ exspuitione, Nauseâ ac vomendi quodam desiderio, sæpè & ventris inflatione hominẽ excruciat. Si Catarrhus vel mucus hæreat in Pulmone, atque sic *humorosum Asthma* producat, Tussis aderit plus minus humida, sonitus interdum aut sibilus, ab aëre in respirationis actu materiam tracheis impactam mobilem cum aliquo labore penetrante, oriundus

dus auditur. *Convulsivum* Asthma repentinè hominem prehendit, quandoque & subitò iterum cessat; plerumque solet esse periodicum; familiare hystericis Fœminis, scorbuticis, hypochondriacis, imò & illis, qui Hydrope pectoris laborant, sicut suo monstratur loco. *Ichorosum* Asthma ab effusâ in Vesiculas pulmonales lymphâ tenui productum, ex Tussi plerumque ferinâ, siccâ, sine exscreatione cognosci solet.

In *Prognosi* omne Asthma morbus est gravis, & eventûs ratione suspectus habendus; qui inprimis cum Febre ardente conjunctus pro periculoso si non lethali est habendus. Citra Febrim autem Asthma nonnullis præprimis valde obesis, aut gibbosis, nativâ quin & thoracis angustiâ laborantibus, quibus item Pulmo hinc inde Pleuræ membranæ est adnatus, consuetum esse, ac usque ad vitæ terminum sine ullo remedio perdurare solet. Asthma convulsivum periodicum difficulter curatur, nonnunquam in Phthisin aut pectoris Hydropem immedicabilem transit. Quod verò Asthma cum aliis Affectibus & Morbis est conjunctum, iis curatis per se evanescit; si verò illi curari nequeunt, tum nec Asthma sanari poterit.

Curatio itaque pro diversitate circumstantiarum atque causarum, diversimodè est instituenda, quod si humorosum fuerit Asthma, & à Pituitâ crassâ lentâ, viscidâ, Pulmonum vesiculas infarciente oriatur, tum purgans ante omnia est exhibendum, v. gr. ex *Mass. pilul. è Gumm. ammon.* vel *è Sagapen.* cum *Milleped. Jalapp.* in *Spirit. Anis.* & *Ceras nigr. solut.* Purgantis operatione finitâ ad decocta pectoralia, mane ac vesperi calidè bibenda, est accedendum: non negligendo *Venæsectionem*, sicubi corpus sit plethoricum, aut sufficiente sanguinis quantitate impletum. Heic etiam prosunt *Aquæ è Plantis antiscorbuticis destillatæ*, atque vel trium unciarum dosi frequenter potæ. Quibus *Pilulæ* arrident, iis parari poterunt è *Gummi arabico* vel *ammoniaco*, cum *Seminibus Nasturtii*, *Cochleariæ*, *Napi*, ac *Floribus Benzoin* vel *Sulphuris*; v. gr.

℞. *Gumm. ammoniac.* ʒß.
arab. ℈j.
Aqu. Hyssop. q. s.
Solutis leni igne adde
Spir. Salis armon. anis. ℈ß.
Flor. Benzoin. gr. vj.
Syrup. de Erys. Lobel. ℥ß.
detur ad Vitrum & sumatur pro dosi.

Vel ℞. *Gumm. ammoniac.* ℈ij.
Aqu. veronic. q. s.
solutis probè adde
Syrup. Bellid. min.
de Hyssop. ana. ʒij.
Balsam. Sulphuris anis. ℈ß.
detur ad Vitr. & hauriatur pro dosi, quæ pluries mane ac vesp. repeti potest.

Vel ℞. *Oxymel. squillit.*
Syrup. de Jujub. ana. ℥iß.
Aqu. Scabios.
Flor. Til.
Anis. vel
Fœnic. ana. ℥j.
Spir. Sal. armon. fœnic. vel
Salis volat. oleos. ʒj.
Essent. Helen. ℈ij.
M. d.

M. d. ad Vitr. Singulis trihoriis unum vel alterum cochleare plenum sumatur.

Vel ℞. *Oxymel. helleborat. Gesn.* ℥ij.
Syrup. de Farfar. ℥j.
Aqu. Beton.
Fœnic. ana. ʒvj.

Misce d. ad Vitr. Mane ac vesperi quotidie duo cochlearia sumantur.

Vel ℞. *Salis volat. oleos.* ʒij.
Essent. Croc.
Zedoar. ana. ʒj.
Myrrh. ℈ij.

Misc. d. ad Vitr. Dosis m. ac. vesp. gutt. 30. vel plures cum Aquâ Veronic.

Vel ℞. *Bals. Sulphur. terebinthin.* ʒij.
Essent. Helen.
Veron. ana. ʒj.

Misc. d. ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Aqu. antasthmat. cujuscunque* ℥iij.
Veronic. ℥iß.
Syrup. de Hed. terr. ℥j.

Misc. d. ad Vitr. singulis bihoriis vel trihoriis cochleare plenum hauriatur.

Ficus etiam aliquot inciduntur, aut *Saccharum cand. album* conteritur, *Spiritus* hinc *Ceras. ardens* superaffunditur, accenditur, & postquam deflagravit, quicquid superest liquoris & materiæ cochlearium aliquot dosi subinde deglutitur. *Mixtura simplex D. Ludov. Tinctura Castor. cum Spir. Sal. arm. parat Spiritus C. C.* vel *Eboris, Viperarum*, similisque alius volatilis, *Tinctura bezoardica, Essentia Lignorum, viperina, Liquor C. C. succinatus, Elixir cephalic.* item *carminativum*, ad guttas 20.30. aut 40. cum vehiculo convenienti non sine successu capiuntur, modò in eorum usu aliquandiu continuetur. Horum vices præstant *Salia volatil. C. C. Viper. Ebor. Succin.* ac similia ad 5. 6. plurave grana quotidie per longum tempum cum Infuso Thee, vel alio vehiculo data. *Panacea* etiam *solutiva alcalina* per plures hebdomadas quotidie dosi ʒj. vel ʒiß. sumpta cum vehiculo debito insensibiliter ferè resolvit blennam viscidam Visceribus inhærentem, eamque postea blandè per alvum educit. Sequentem etiam *Aquam antasthmaticam* in hâc Astmatis specie excellentem sæpius deprehendimus:

℞. *Rad. Irid. florent.* ℥j.
Aristol. rot. ver.
Helen.
Squill. marin. ana. ʒvj.
Fol. Heder. terrest.
Salv. nobil.
Hyssop.
Meliß.
Veron. ana. Miß.
Baccar. Junip.
Semin. Anis.
Fœnic.
Urtic. ana. ℥ß.
Cinam. opt. ʒvj.
Cardamom.
Cubebar. ana. ʒij.
Incisis & contusis affunde
Vini Malvatic. vel Hispan. vel Hungar. vel Frontiniac. opt. ℔ij.
Spir. Ceras. nigr. opt. ℔j.

Stent per 6. vel 8. dies in leni digestione intra Cucurbitam vitream, cum superimposito Alembico. Postmodum adde adhuc

Aqu.

Aqu. Veronic.
Scabios. ana. ℥viij.
Hed. terr.
Flor. Acac. ana. ℥iiij.
Herb. rec. Nasturt. hortens.
Fol. & Flor. rec. Bellid. min. ana. incis. Mij.
Pulmon. Vitul. aut Vulp. rec. extract. & concis. no. j.
Sang. Hirc. vel Cerv. rec. adhuc calentis ℔j.

Hinc imposito statim Alembico rostrato in Balneo Mar. vel Aren. destillentur leni igne in Aquam spirituosam, quæ dein *Saccharo cand. albo* tantillum pro lubitu edulcorata subinde cochleatim exhiberi & assumi potest, ad incisionem, attenuationem & exscreationem muci Pulmonum viscidi promovendam. Valet & *Aqua antasthmatica Giessensis*, cochleatim sumta; non secus atque *Elixir* qualecunque *balsamicum incidens pectorale*, quemadmodum sequens expertum est:

℞. *Spir. Ceras. nigr.* ℔iß.
Vini ex Infusione Fragor. & Rubi idæi fruct. ana. ℥iv.
Cochlear. ℥iiß.
Cinam. acut. ℥ß.
Galang.
Cort. Winteran.
Zingiber. ana. ʒij.
Caryophyllor. arom.
Cardam. minor.
Macis ana. ʒj.
Semin. Fœnic.
Rad. Ireos florent. ana. ℥ß.
Summitat. Majoram.
Anth.
Thym. ana. Mj.
Flor. Anthos.
Betonic.
Salv. ana. pij.
Sacch. cand. alb. ℥vj. *vel* ℥viij, *aut plures.*

Incis. & contus. inde vitro probè clauso, stent in digestione per aliquot dies; postmodum Tinctura rubicunda expressa & filtrata servetur ad usum. Dosis est Cochleare plenum subinde noctu horâ somni. Prodest heic etiam *Destillatum Hippenterorum* cum Herbis antiscorbuticis ac incidentibus, superaffusâ simul portione Vini albi veteris, paratum, ad ℥iij. quotidie bis datum, & quidem per plures hebdomadas. Si quis suam propriam *Urinam* aliquoties haurire non fastidiat, citò etiam à suo Asthmate humoroso liberari poterit. *Juscula* Herbarum antiscorbuticarum succo alterata, vel *succus* ipse tali *Herbarum* quotidie semel vel bis assumtus ad ℥ij. vel ℥iij. effectum similiter laudabilem præstat. Maximè etiam conducunt *Infusa* aut *Decocta pectoralia* atque *traumatica*, in *Aquâ fontan.* vel mediâ parte *Vini* & *Aquæ* facta, ex *Radicibus Ireos florentin. Aristol. rot. ver. Tussilag. Succis. Filipend. Gentian. Pimpinell. Vincetox. Apii*, *Herbis Alchymill. Betonic. Marrub. alb. Veronic. Hyssop. Adianth. Meliß. Matricar. Scab. Saturejæ*, *Scordii*, *Alliariæ*, *Card. bened. Pyrol. Millefol. Heder. terrestr. Baccis Junip. Laur. Ficubus*, *Jujubis*, *Pistaciis*, *Passulis majoribus exacinat. Seminib. Anis. Carv. Fœnic. Lign. Guajac. Sassaph.* & similibus. *Sperma Ceti ad* ʒj. in *Jusculo* vel *Infuso Theé* solutum, & statim haustum sæpè multum juvat; vel

sequens *Puls* inde parata, ac sensim absorbta multum levaminis affert:

℞. *Olei Amygd. dulc. rec. express.* ℥iiß.
Axung. Canin. rec. ℥ß.
Spermat. Ceti. rec. ʒij.
Invicem probè solutis & mixtis adde
Sacch. cand. alb. pulveris. ʒvj.
Essent. Croc. ʒß.
Spir. Sal. armon. anis. ℈ij.
M. d. ad Oll. subinde cochleare plenum hauriatur.

Quod si hæc nihil efficiant remedia, tum verno aut æstivo tempore *Thermales Aquæ v. gr. Plumbarienses. Lotharing. Burbonenses. Burgund. Fabarienses*, & *Salsulæ Rhæticæ*, aliæve cum debito regimine Diætæ in potu maximè veniunt usurpandæ. Vel *Infusum Millepedum* per aliquot hebdomadas est potandum, quod suo Sale volatili magnam incidendi, aperiendi & resolvendi vim obtinet. Nimirum 20. 30. *pluresve Millepedes vivi quotidie mane ac vesperi, antè probè loti, & dein contusi sumuntur, superaffunditur illis vel Aqua Veronic. Cherefol. Hyssop. Nasturt. flor. Acac. aut similis. vel Decoctum qualecunque pectorale, vel etiam Vinum album vetus, tenue, probè defæcatum ad uncias duas vel tres, cum aliquot drachmis Aqu. Cinam. servatur hinc in Cineribus calidis probè tecta, postea exprimitur Liquor per linteum & hauritur. Sic Decoctum etiam Granor. Coffeè tostorum cum Croco & Caryophyllis aromat. injectis* diu sorbillatum prodest.

Cura Asthmatis à Catarrho tenui. Si *Catarrhus tenuis*, in Vesiculas pulmonis effusus, existat causa Asthmatis, tum statim Clysma quoddam injiciendum, detergens satis & irritans. v. gr.

℞. *Radic. Lilior. alb.* ℥j.
Imperat. ℥ß.
Herb. Violar.
Parietar.
Malv. ana. Mß.
Hyssop.
Erysim. ana. Mj.
Flor. Genist.
Salv. ana. Mß.
Bacc. Junip.
Semin. Lini.
Anis. ana. ℥ß.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. fontan. Colatur. ℔j. *in Adultis admisce*
Elect. de Hiera picr. ℥j.
Ol. Olivar. ℥iß.
Sal. commun. ʒj.
M. F. Clyster tepidè injiciendus.

Vel similiter *Clysma euporiston* fieri potest ex *Aquæ muriaticæ* ℥℔. *Lactis vaccin. vel caprill.* ℥iij. *Mellis rosac.* ℥j. *Olei Olivar.* ℥ij. & tepidè aliquoties infundi.

Post Clysma si vomendi desiderium adfuerit, ipseque Æger haud difficilis ad vomendum sit, tum præmissâ tantillâ sanguinis per venam in brachio aut pede sectam extractione, emeticum exhiberi potest. v. gr.

℞. *Guttæ Gamandr. gr.* 8. *vel* 9.
Crem. Tartar. vel
Salis essent. Rub. idæi, Acetosell. aut Card. bened. gr. 6.
Ol. stillat. Mac. gutt. j.
Sacch. rosat. ℈ß.
M. F. pulvis d. ad chart. sumatur statim unâ vice.

Vel

Vel ℞. *Sal. essential. Citr. vel*
Crem. Tart. ℈ß.
Sal. Helen. gr. v.
Tart. emet. gr. ij.
Sacch. rosat. gr. viij.
M. F. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi.

Vel ℞. *Oxysacch. emet.* ℥iij. *aut* ℥ß.
Syrup. de Erysim. Lob. ℥j.
Aqu. Fœnic.
Succis. ana. ℥iij.
M. d. ad Vitr. pro dosi.

Præmissis his universalibus statim *Eclegma* vel *Electuarium incrassans* est ordinandum. v. gr.

℞. *Dicod. Montan.*
Syrup. de Jujub.
Aqu. Plantag.
Borrag. ana. ℥j.
Essent. Succin. ʒß.
Spec. diatr. frig. ℈ij.
M. d. ad Vitr. sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Conserv. fl. Rosar. rubr.*
Fumar. ana. ʒvj.
Nuc. Indic. cond. ʒj.
Condit. Cynosb. ʒiß.
Unic. fossil.
Succin. alb. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ℈ij.
Syrup. de Farf. q. s.
M. F. Elect. d. ad Pyxid. Dosis singulis trihoriis magnitudo Nucistæ.

Si quis Pulverem malit, ex *Bolo arm. ppt. Terr. sigillat. Sang. Dracon. vero, Unic. foss. Succin. alb. ppt. Corall. rubr. ppt. C. C. vel Ebor. ust. Fol. Lichen. petr. Pilosell. Beton. Majoran. flor. Ros. rubr. Salv. Nuce mosch.* & similibus parare, cum æquali *Sacchar. cand. albi.* quantitate permiscere, & ʒj. dosi quotidie bis aliquandiu usurpare poterit.

In ipso etiam tali Paroxysmo singulis trihoriis, vel quadrihoriis 20. 30. vel 40. guttæ *Tincturæ antiphthis.* Vel *Tinct. Mart. adstring. cum Aqu. Plantag. Burs. Pastor.* ac *Syrup. Papap. errat.* sumi possunt. Quod si Corpus vomitorio purgare non licet, Purgans nihilominus per inferiora præscribetur, & quidem, si sumi possunt, è Pilulis. v. gr.

℞. *Mass. Pilul. Marocost.* ℈j.
Resin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. stillat. Mac. q. s.
M. F. l. a. Pilulæ no. 12. *Inaurat. d. ad ch. & sumantur pro dosi cum regimine Diætæ.*

Vel *Syrupus flor. Acac.* aut *flor. Persic.* ad ℥iij. cum *Aquâ Hyssopi* propinari potest. Nocte hinc unâ vel alterâ *Pilulæ catarrhales* dandæ; v. gr.

℞. *Mass. pilul. è Styrac. gr.* vij.
Cynogloss. gr. j.
Extract. Betonic. gr. iiij.
Ol. stillat. Mac. q. s.
M. F. Pilulæ no. vij. *Inaur. dentur pro dosi.*

In *Asthmate scorbutico* atque *hypochondriaco* minera morbifica remediis antiscorbuticis & spleneticis ex haurienda venit. In Paroxysmo hinc Asthmatis hujus *Clysma* unum vel alterum infundetur, probè *emolliens* atque *detergens*; dosis etiam *spermatis Ceti* ad ʒj. in *jusculo* dabitur; Mixtura simul sequens vel similis, cochleatim propinanda, ordinabitur: *Cura Asthmatis scorbutici vel hypochondriaci.*

℞. *Aqu. Veronic.* ℥ij.
Heder. terr.

Fumar. ana. ℥j.
Syrup. Capill. Vener.
Papav. rhead. ana. ʒvj.
Spir. Sal. armon. vel
Tinct. Cast. cum Spir. Sal. armon. par. ʒj.
Theriac. cœlest. ℈ß.
Cinnab. antimon. optim. ʒß.
Diaphor. Jovial. ℈ij.
Misc. detur ad Vitrum.

Noctu etiam horâ somni dosis *Pilularum antasthmaticarum* exhiberi potest. v. gr.

℞. *Extract. Fumar.*
Trifol. fibr. ana. gr. iv.
Maß. pilul. de Styrac. gr. 8.
Essent. Myrrh. q. s.
M. fiant Pilulæ no. 10. *Inaur. d. ad ch. sumantur unâ vice cum Syrup. de Farfarâ aut simili.*

Si continuat Asthma, nunc fortius nunc mitius hominem excruciare, usus *Mixturæ* cujusdam simul continuabitur; quemadmodum factâ mutatione sequens esse potest. v. gr.

℞. *Aqu. Solan. commun.*
Endiv.
Scabiof. ana. ℥j.
fl. Acac. ʒvj.
Syrup. de Alth. Fern. vel
Jujubin. ℥j.
de succo Nicotian. ℥ß.
Essent. Croc.
Succin. ana, ʒß.
Spir. Cochlear. ℈ij.
Mixta dentur ad Vitr. ac singulis trihoriis vel quadrihoriis duo cochlearia capiantur.

Juxta hanc mixturam mane ac vesperi *Infusum Millepedum* cum *Vino* vel *Aquâ Fumar.* ac *Hyssopi* paratum hauriatur. Vel *Juscula Herbis Cochleariæ, Nasturt. cujusvis. Plantag. aquat. Cherefol. Piperitidis, Beccabungæ, Trifol. fibrin. Borragin.* aliisve *alterata*; aut *Succi* earundem *Herbarum expressi* man. ac vesp. *dosi* ℥iij. vel ℥iv. diligenter præbeantur. Vel *Radicis Bryoniæ* ℥j infundatur in *Aqu. Veron.* atque *flor. Acac.* s. q. addito, si lubet, *Semine Anis.* aut *Fœnicul.* & tantillo *Flor. Salis armoniac.* hincque m. ac vesp. *unciæ tres* vel *quatuor Sacchoro edulcoratæ* propinentur. Vel *Decocti* alicujus *pectoralis* dosis capiatur; v. gr.

℞. *Radic. Alth.*
Tussilag.
Aristol. rot. ver.
Ireos flor.
Fœnic. ana. ℥ß.
Herb. Agrimon.
Scolopendr. ana. Mj.
Cuscut.
Hyssop.
Card. bened. ana. Mß.
Sem. Anis.
Seseleos.
Bacc. Juniper. ana. ʒij.
Ficuum ping. par. jv.
Passul. maj. exacin. ℥iß.
Incis. & contus. coqu. in Aqu. fontan. Mens. iiß. *in Vase clauso per horam integram supra ignem lenem, in fine addendo Mellis Violar.* ℥ij. *Colatura d. ad Vitr.*

Vel ℞. *Radic. Scrophular.*
Card. bened. ana. ℥ß.
Helen. ʒij.
Herb. Veron.
Marrub. alb.

Hed.

Hed. terr.
Flor. Bellid min. ana. Mj.
Sem. Fœnic. ℥iij.
Jujubar. par. vj.

Incis. & contus. coque per quadrantem horæ in Aqu. fontan. & seri Lactis ana. ℔iij.

In fine adde Sacch. cand. alb. ℥vj. *Hinc Colatura detur ad Vitr. Dosis* ℥iij. *vel* ℥jv. *mane ac vesp. calidè.*

Vel mane ac vesp. ʒß. *ad* ℈ij. *Salis polychresti* cum haustu *Aqu. Nasturt.* & *Veronic.* per aliquot dies aut hebdomadas capiatur. Vel sequens *Pulvis* usurpetur eundem in finem:

℞. *Radic. Ireos florent.*
Sigill. Salom.
Trifol. fibr.
Aron. ana. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.*
Diaph. Jovial. ana. ʒij.
Sal. volat. C. C. aut Ebor. ℈ij.
Semin. Anis. vel communis vel stellat. ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. F. pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒß. *ad* ℈ij. *cum vehiculo convenienti.*

Vel ℞. *Spec. diatrag. frig.*
diair. simpl.
Millep. ppt. ana. ʒj.
Lact. aut Flor. Sulphur. ʒß.
Specif. antih. Pot. ʒiß.
Pulv. fol. Veron.
Hyssop. ana. ℈ij.
Semin. Fœnic. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥ij.

M. F. pulv. subt. d. ad scat. Dosis ut supra.

Vel *Panacea solutiva alcalina* per aliquot hebdomadas mane ad ʒj. cum *Aqu. Fumar. Cherefol. Nasturt. Borrag. Scolopendr.* &c. & per reliquum diei spatium Mixtura quædam superius ordinata sumatur. Interea *Fonticulus* in alterutro Brachio, vel in Brachio ac Pede alterutro simul excitetur. Æstivo tempore *Thermæ Fabarienses* vel *Emsenses*, vel *Plumbarienses* hauriantur, præmittendo per quatuor, quinque, aut sex pluresve dies potum *Aquæ* alicujus *mineralis salsæ*, quemadmodum in *Burgundiâ* ad *Burbonium*, in *Rhætiâ* ad *fontem Salsularum* reperiuntur, unde pluries sine torminibus laxantur homines, sicque ab onere seri superflui liberantur. *Sal volatile oleos. Spiritus Cochleariæ, Salis armoniaci, Sanguin. human. Urinæ, C. C. Eboris*, similisque *volatilis* ad *gutt.* 20. 30. *pluresque* cum *Infuso fol. Thee* vel *Aquâ* aliquâ *destillatâ* mane ac vesp. assumi quoque potest. *Celeberr.* Wedelius suam extollit *Tincturam Martis helleboratam.* Prosunt etiam *Elixiria pectoralia* v. gr. *Rolfincii, Michaelis*, aliorum. Si quis *Fumum Nicotianæ* tolerare potest, fortè & hic aliquid adjumenti præstare posset. Extus totum Pectus, quoad costarum regio ante ac retro pertendit, *Oleo Lini, Chamomill. Aneth. Vulpin. Lilior. alb. Amygdalar. Melilot. è floribus Slotani, Unguento dialtheæ, rubro potabili, pectorali resumtivo, Axungiâ Anatum, Canis, Capon. Anserum, leporinâ, vulpinâ, cervinâ*, aut similibus quotidiè bis valdè inungere simul non sine fructu consuevimus. Denique *Pediluvia* ex *Decocto Herbarum Serpilli, Origani, Hyssopi, Chamomill.*

Meli-

Meliloti, Cinerum, Furfuris. &c. in *Aquâ* aut *Lixivii parte mediâ* parata, frequenter in usum vocentur. Si fortè Animi deliquia superveniant, tum *Balsamus Rutæ, Succini, Majoranæ, apoplectic.* Vel *Sal. vol. C. C.* aliudve, vel *Spiritus volatilis* qualiscunque, vel *Spir. Regin. Hungar.* aut *apoplecticus* alius crebrò Naribus, capitis Vertici atque Temporibus calidè applicari debet, usque dum Patiens ad se & Spiritum faciliorem redeat.

Curatio Asthmatis convulsivi & periodici. In Asthmate *convulsivo* atque *periodico*, dum paroxysmus adest, Clyster emolliens atque detergens statim injiciendus, isque etiam pro rei exigentiâ semel vel bis reiterandus. Hinc vel *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicandæ, vel *Vena brachii* aut *pedis secanda*, sanguisque ad uncias sex, septem, pluresve extrahendus est. *Mixtura* dein statim *antispasmodica* cochleatim sæpius exhiberi potest, eaque parata ex *Aquis destill. Chamomill. Anethi, Cochlear. Nasturt. flor. Til. Melissæ, Matricariæ, Pulegii, Menth. Pœon. Florum omnium, Solani communis, Syrupis Papaveris rhead. Sempervivi, de Pœon. de Succo Nicotianæ, Diacodio Montan. cum Liquore C. C. succinat. Spiritu theriacal. camphorat. spiritu Salis armoniac. cum Gummi. ammoniaco destillato, Tincturâ Castorei cum spir. Salis armoniaci parat. Tincturâ vel Essentiâ anodynâ, Sale volatili oleoso, Essentiâ Croci, Spiritu antasthmatico Myns.* v. gr.

℞. *Aqu. Pœon. mar.*
Semperviv. ana. ℥iß.
Flor. omnium. ℥j.
Syrup. de Hed. terr.
anod. ana. ʒvj.
⊖*is volatil. oleos.* ʒj.
Bezoard. min. ʒß.
M. d. ad Vitr. subinde cochleare plenum capiatur.

Vel ℞. *Aqu. fl. Til.* ℥iß.
Chamomill. ℥j.
Puleg. ℥ß.
Diacod. Mont. ʒvj.
Syrup. de Succo Nicot. ℥ß.
Spir. theriacal. camph. ℈ij.
Ungul. Alc. ppt.
Unicorn. marin. ppt.
Cinnab. ♁ *n. correct. ana.* ℈j.
Misc. detur ad Vitr. sumatur ut supra.

Observavimus & *Sal polychrestum* quotidiè mane ad ʒj. cum granis quinque vel sex *Salis volatilis C. C.* aut *Viperar. Eboris, Succin.* &c. in vehiculo conveniente sumtum, mira aliquando præstitisse, modò per integram septimanam vel etiam longiùs hauriri potuerit. Ita & *Succus è Sempervivo majore, Rutâ, Cherefolio, Nasturtio, Cardamine, Cochleariâ, Beccabungâ, Hederâ terr. Malvâ* & similibus recenter expressus, filtratus, atque ℥ij dosi mane ac vesp. per aliquot hebdomadas haustus levamen sæpius haud contemnendum attulit. Pariter prodest *Infusum Millepedum*, vel etiam *Destillatum Hippenterorum* item *Panacea solutiva alcalina* per 15. dies semel quotidie primò quidem *ad* ʒij. vel ʒiij. hinc *minore dosi usque ad* ʒß. *vel* ℈ij. exhibita juvit. Æstivo tempore potus *Salsularum mineralium Rhæticarum*, vel *Burbonicarum*, vel *Emsensium* in usum trahendus, ad minimum per

octo

octo dies, à quibus ita sufficienter purgatus atque extersus Æger ad potum *Lactis atiniani*, *caprilli*, vel *Thermarum Fabariensium*, *Plumbariensiũ*, aliarumve sese accingere potest, non sine spe recuperandæ sanitatis integræ. Si quis verò *Acidulas Sualbacenses*, vel similes alias frigidas diureticas, suo in stomacho ferre queat, neque præterea teneram nimis Pulmonum texturam habeat, is certè tales Aquis, cœterisque Liquoribus calentibus præferre haud cunctabitur. Multi *Sperma Ceti ad* ℥j. sæpius in *Jusculo* solutum & haustum deprehendunt esse in hoc morbo valde proficuum.

Vel ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Axung. Can. ℥ß.
Sperm. Cet. rec. ʒiß.
Tinct. Croc.
Spir. Sal. arm. anis. ana. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥ß.
Misc. detur ad Fictile, & singulis quadrihoriis inde aliquid lambatur.

Sed & *Pulvis antasthmaticus* aliquis ex absorbentibus antispasmodicis paratus conducit, diligenter in usum vocatus. v. gr.

℞. *Radic. Pœon.* ʒj.
Valerian. ℈ij.
Ras. Ebor. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ʒiß.
Bezoard. miner.
Milleped. ppt.
Cinnab. ♄n. correct.
Diaph. ♃vial. ana. ʒj.
Laud. opiat. gr. vj.
Sacch. cand. alb. ʒvj.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. sumatur hinc m. ac vesp. ʒß. *vel* ℈ij. *dosis cum Infus. fol. Theé vel Beton.*

Vel ℞. *Ungul. Alc. ppt.* ℈iiij.
Semin. Pœon.
Aquileg.
C. C. phil. ppt.
Ægagropil. subtiliß. trit. ana. ʒj.
Diaphor. lunar. ℈ij.
Laud. opiat. gr. vj.
Sacch. cand. alb. ʒvj.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ut supra.

Noctu subinde Pilulæ sequent. horâ somni capiantur ab Adultis:

℞. *Extract. Trifol. fibrin. gr.* jv.
Croci. gr. ij.
Massæ Pilular. è Styrac. gr. v.
Cynogloß. gr. j.
Ol. stillat. Lavend. q. s.
M. f. l. a. Pilulæ. no. 9. *Inaur. d. ad ch. sumantur pro dosi.*

Vel ℞. *Extract. Veron.*
Liquirit.
Pœon. ana. gr. ij.
Theriac. cœlest. gr. v.
Essent. Croc. q. s.
M. f. Pilulæ num. 8. *Inaur. d. ad ch. Capiantur unâ dosi:*

Vel ℞. *Extr. Hed. terr. gr.* v.
Maß. Pilul. è Cynogl. gr. ij.
Salis volat. Succin. gr. iij.
Essent. Croc. q. s.
M. f. l. a. Pilulæ num. 7. *Inaur. dentur ad Scat. sumantur* unâ *vice.*

Interea Æger ejusmodi non solùm in Paroxysmo, sed singulis propemodum mensibus *Cucurbitulas cum scarificatione* admittat, nisi ab his malè se habere aliquoties expertus fuerit. Singulis verò trimestribus, ubi id com-

plexio Hominis tolerabit, ſanguis per *Venæſectionem* extrahetur. Juxta hæc ſimul vel *Setaceum in Nuchâ*, vel *Fonticulus* in *Brachio*, forſan & *Pede* ſimul excitabitur, quo certè remedio multi heic in tali Affectu maximè adjuti, atque ab inſequente alias Apoplexiâ vel Hydrope planè liberati, aut certè diu præſervati fuerunt.

Cura Aſthmatis ſymptomatici. Quod ſi denique Aſthma alios Morbos qualescunque, tanquam umbra corpus vel effectus ſuam cauſam ſequatur, tum Morbi ejusmodi principaliter ſunt curandi, utpote quibus ſublatis ipſum Aſthmatis ſymptoma per ſe ceſſabit. Interim remedia *antaſthmatica* nihilominus aliis ſunt intermiſcenda.

Atecnia ATECNIA, *Carentia liberorum*, eſt *Sterilitas humana*, de quâ ſuo loco agitur.

Atheroma. ATHEROMA, Ἀθήρωμα, ατος, ab Ἀθάρα, *Æolicè* Ἀθήρα, quæ vox *pulticulæ* vel *polentæ* genus apud Græcos olim ſonuit, eſt Tumor cyſticus major vel minor, indolens, cuti concolor, mollis, in variis corporis partibus ſubter cutim tenui ex principio natus, atque ſenſim auctus, in quo materia quædem ſeroſa, & quaſi caſeoſa albicans pulticulæ inſtar, collecta hæret atque manet.

Diagnoſis. Hic Tumor frequentius in Capite ſubter cutim enaſcitur, cumque hæc arctè ſatis cranio adhæreſcat, in latum ſeſe magis extendit, & ita ſubinde *Teſtudinis* vel *Talpæ* nomine venit. Sed & in aliis partibus gignitur, vidimus enim nos in Scapulâ dextrâ duorum annorum ſpatio genitum Atheroma, quod quartâ capitis humani partem ſuâ amplitudine exæquabat. Cyſticum eſſe tumorem vel inde cognoſci debet, quod ſubter cutim mobilis ſit hinc inde, & tenui tantùm radice alicubi adnatus. *Atheroma* verò exiſtere ipſius mollities indigitat, *Meliceridis* enim Tumor denſior atque ſolidior exiſtit, & *Steatoma* Hepatis vel Renum denſitatem atque duritiem ſuâ conſiſtentiâ refert. Quòd ſi aperiatur Atheroma, materia effluet ſeroſa pultacea, utplurimum cineritia, ſubinde aliquid caſeoſi, inſtar lactis coagulati in ſeſe continens. Indolens præterea eſt tumor à tenui radice enaſcens, atque affluente paulatim novâ materiâ lentè increſcens. Quando igitur humor Atheromatis nullam acrimoniam adipiſcitur tum diutiſſimè illud durare poteſt & ſolet ſine ullâ mutatione, niſi quòd lento gradu incrementum capiat, ac tandem, ſi folliculus membranaceus ſeſe expandi ulterius non patitur, in eadem magnitudine perſiſtat. Quando autem materia tumoris acido-acris evadit, tum circum circa rodere, pericranium dolorificè pungere, ipſumque tandem os Cranii corrumpere & carioſum reddere valet, niſi aperto tumore humor effluere permittatur. *Prog*

Oriri autem videtur Atheroma non niſi à vaſculo lymphatico, aut à membranulâ ſive veſiculâ membranaceâ, quæ nutritium ſuccum recipere & continere ſolet, vel diſruptâ vel præternaturaliter dilatatâ, qualiſcunque demum huc contribuerit cauſa antecedens, comprimens nimirū vel contundens *Cauſ*

dens

dens in lapſu vel ictu, aut ſimilis alia, ob quam dein non ſolùm guttulæ ſucci nutritii vel lymphæ copiâ præternaturali ſenſim excernuntur, colliguntur, vasq; lymphaticū (veluti ſanguis Venā in Varice, aut Arteriam & membranas circumſtantes in Aneuriſmate) p. n. expandunt, ſed & particulæ ſeroſo-aquoſæ aliæ, quæ perfectè coagulari & indurari nequeunt, ex humorali maſſâ prodeunt, atque hinc intra membranulam peculiarem, quæ ſubinde ab ipſo ſucco affluente nutritionem, incrementum & expanſionem adipiſcitur, coactæ, cumulatæque cyſticum Tumorem efficiunt, eumque indolentem, dum humor acris non eſt, ſed dulcis adhuc; cutique concolorem, quia tumor ſubter cutim planè eſt, neque adeo humor in folliculo contentus tranſparere ullo modo valet. Quando autem materia tumoris ab accedentibus forſan è ſanguine circulante particulis ſalino-acutis evadit acris, tum illa pungendo, lancinando, & rodendo fibras membranaceas dolorem inferre demum ſolet.

Poteſt etiam Glandula quædam & obſtructa, ac intumeſcens, vaſculum Lymphaticum adjacens comprimere, ſic ad ejus extenſionem ſive expanſionem præternaturalem contribuere. Facit denique humoris affluentis diverſa textura & craſis, ut Tumor evadat vel *Atheroma* vel *Meliceris* vel *Steatoma*.

Quod *Curationem* attinet, requirit Tumor hic non ſecus atque Meliceris vel Steatoma ſui ablationem per remedia diſcutientia vel auxilia extirpantia. Diſcuti nonnunquam poteſt, ſi junior vel recens adhuc fuerit; nimirum corpus purgare oportet ante omnia ſequentibus, vel ſimilibus Pilulis:

℞. *Maſſæ Pilul. Emanuel. vel*
Marocoſt. gr. xv.
Extract. Helleb. nigr. gr. v.
Mercur. dulc. opt. gr. 10.
Ol. ſtillat. Succin. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ no. 15. *Inauratæ dentur pro doſi matutinâ, cum regimine diætæ ſumendâ.*

Si Pilulas faſtidiat homo, dari poterit Pulvis laxans. v. gr.

℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Crem. Tartar.
Mercur. dulc. opt. ana. ℈ß.
Scammon. ſulphur. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Mac. gutt. j.
M. f. Pulv. ſubt. Sumatur unâ vice mane jejunio ſtomacho.

Purgato ſemel, vel ſi opus videbitur, bis corpore, intus & extus volatilia, attenuantia, reſolventia ac diſcutientia in uſum vocari debent. Intus proſunt *Salia volatilia C. C. Eboris, Serpentum* vel *Viperarum, Succini*, quæ ad quinque plurave grana quotidie mane ac veſperi cum *Infuſo fol. Thée, Beton.* vel *Vino*, vel *Ptiſanâ ordinariâ* exhibentur. *Sal* autē *volatile oleoſum* qualecunque *ad guttas* 20. aut 30. dabitur m. ac veſp. cum vehiculo ſimili, vel *Aquâ deſtill. Beton. Verben. Fœniculi.* Sequens pulvis etiam proficuus:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Scrophular. ana. ʒiß.
Sigill. Salomon.
Folior. Beton.

Ocym. ana. ℥j.
Ebor. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℥ij.
Sal. volat. C. C. ℈ij.
Semin. Fœnic. ℥ß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ℈ij. *vel* ℥j. *m. ac veſp. cum vehiculo conveniente.*

Remedia topica. Extus Tumor aliquandiu bis, ter aut etiam pluries calidè lavandus eſt *Spiritu Anthos, Meliſſæ, Lumbric. terreſtr. Carminativo Sylvii, Anhaltino, Baccarum Juniperi*, atque deſuper applicanda fomentatio calida adſtringens, ſimul & diſcutiens, v. gr.

℞. *Radic. Scrophul.*
Tormentill.
Biſtort. ana. ℥vj.
Angelic. ℥ß.
Herb. Pentaphyll.
Salv.
Aneth.
Polygon. ana. Miß.
Flor. Balauſt. Mj.
Cortic. Tamar.
Granat. ana. ℥iij.
Inciſ. & contuſ. coque in Vini ſ. q. Lintea poſtmodum huic liquori immerſa, expreſſaque calidè applicentur.

Loco Spirituum ſuperiorum illiniri vel inungi poſſunt Olea reſolventia, v. gr. *Laurinum, Philoſophorum, Laterum, Anethi, Galbanetum Paracelſi, Unguentum martiatum*, & ſimilia. Juxta hæc *Emplaſtra* quoque proſunt, v. grat. *Empl. de Cicutâ, de Nicotianâ, de Ladano, de Galbano crocatum, de Ranis Vigonis cum Mercurio.* Vel *Reſina Pini* cum *Cinnab. factit. Camphorâ, Gummi ammoniac. Galbano, Ceraſorum, Styrace calamitâ, Radice Scrophulariæ, Bryon. Baccis Lauri, Juniperi*, atque *Oleo Philoſophorum* vel *laurino* in Emplaſtrum redigatur, ac ita imponatur.

Quando autem Tumor eſt inveteratus, ſicque diſcuti nequeat amplius, tum ad ſuppurationem aliqui Jatro-Chirurgi promovendum, vel cauſticis ſive cathæreticis ad radicem usque erodendum illum eſſe credunt. Verùm hanc medendi methodum in Tumoribus ejusmodi tunicatis neutiquam probamus, utpote & longam nimis, & facilè vel cancroſum vel fiſtuloſum Vlcus poſt ſe trahentem. Præferimus è contrario folliculi exciſionem integram, ſi fieri poſſit commodè, quæ hac ratione perficitur: *Tum[or] exciſ[io]* inciditur Cutis per longitudinem, non autem in crucem, quousque neceſſarium eſſe videbitur, usque ad ipſum folliculum, hic dein integer usque ad radicem ſuam ſeparatur ab ambientibus omnibus membranis, in radice autem acu perfoditur, circa acum injicitur funiculus ſericeus, ſicque Tumor in ipſâ radice firmiſſimo nodo ligatur, & hinc ſtatim cis ligaturam exſcinditur totus, quo facto deligatio fit ſicuti in recentibus Vulneribus conſuetum eſt. In primâ tamen deligatione fila linea carpta Vino, cui *Lardum, Betonica, Scordium* vel *Alliaria, Scabioſa*, & ſimilia prius fuerunt incocta, imerguntur, atque foramini Vulneris immittuntur, deſuper applicato calente fomento, quod ex decocto Herbarum diſcutientium, & balſamico-cephalicarum in Vino paratum eſſe debet.

Sequen-

Sequentibus deligationibus *digestivum Hildani*, aut simile cum *Elixiri amaro* Vulneri immittitur, *Oleum Hyperici, Rosarum*, & *Chamomillæ* circa Tumoris locum inungitur calidè, desuper imponitur *Emplastrum diapalma*, vel *diasulphuris Rulandi*, vel *Diachylum simpl.* simulque adhuc *Fomentum* continuatur, usque dum contracta omninò cutis fuerit, jamque ejus consolidatio aliquousque perrexerit; tandem solo *digestivo* & *Emplastro* deligatio usque ad Cicatricem perficitur. Notandum tamen, quando funiculus sericeus decidit ex Vulnere, statim immittenda esse fila carpta, aliquo *Elixiri amaro* imbuta, quo Remedii genere radix Tumoris planè destruitur, sicque novo generando materia præciditur.

Quod si folliculus Tumoris integer eximi nequeat, tum nihilominus separandus, quantum fieri potest, reliquiæ dein *Unguento Ægyptiaco*, quod *Ungt. digestivo* permiscetur, destrui possunt, quo facto simplex *Unguentum digestivum*, cui *Mel rosaceum* & *Elixir amarum* sociatur, in usum vocatur, donec Vulnus ad Cicatricem procedat; ubi deligatio superius commendata postmodum est instituenda, & ad Cicatricem usque continuanda.

ATROPHIA, Vid. *Marasmus*.

AVDITVS ABOLITVS, SVRDITAS, Κώφωσις, Κωφότης, Ανηκόια, *Auditûs defectus*, est omnimoda auditorii sensûs in alterutrâ vel utraque Aure ablatio, à variis causis oriunda. In genere proin affliguntur Aures, & quidem harum modò alterutra, modò utraque, sive quoad meatum auditorium, sive quoad tympanum, ejusque membranam, sinus varios, atque cochleam; sive denique quoad Nervos acusticos.

Hinc & à diversissimis grave hoc malum causis produci solet: primò enim sæpè obstruitur auditorius meatus, vel etiam tympanum aut trochlea, à crasso, lento & viscoso quodam cerumine; aut à lymphâ copiosâ ceu catarrho in plurimis tubulis stagnante, eosque expandente, & sic meatum claudente; aut à carunculâ quadam enascente; aut à pure ex Abscessu rupto, ut hinc sonorus aër ad tympanum sese diffundere nequeat. Tumor dein etiam qualiscunque Auris meatum comprimens, vel quovis alio modo occludens idem præstat. Porrò membranæ tympani vitio Cophosis evenit, si flaccidum aut tensum nimis reddatur, vel prorsus erodatur, pertundatur, aut à vehementi quodam sono rumpatur. Imò si fibræ tendinosæ, quibus ossicula tympani adhærent, resolvantur, suumque tensionis officium præstare nequeant, Surditas vel certè gravis Auditus similiter oboritur. Causa.

His addimus Nervi auditorii obstructionem, resolutionem, erosionem, tenaci muco oblinitionem atque tensionem nimiam, ut suo hinc munere defungi nequeat; nec non meatûs auditorii, aliarumve partium, ad sensum Auditûs contribuentium vitium nativum, sive structuram præternaturalem, ob quam sonorus aër vel penetrare ad omnes Aurium meatus, & acusticum nervum nequit, vel pene-

trans utcunque tympani tamen membranam aut nullam prorsus, aut osseam planè invenit, aut auditorium etiam Nervum debito modo percellere haud valet. Non rarum est etiam, in Apoplecticis insultibus, Febri malignâ, difficultate partûs similiter Cophosin obooriri, idque vel per obstructionem nervorum auditoriorum, vel per viscidos catarrhos ad Aures depositos.

Diagnosis. Per se hic Affectus ex simplici Ægrotantium relatione cognoscitur; notandum tamen, non semper utramque Aurem surditate affligi, sed subinde tantùm unam, dum ex alterâ interim homines optimè audiunt. Aboletur autem hic sensus omninò, ita ut vel nullum penitus sonitum, quantuscunque in aëre externo fiat, percipiant, vel etiamsi fortè quendam auribus sonum hauriant, illius tamën differentias probè discernere, quidque significet, cognoscere & dijudicare nequeant. Qui ab ortu Surdi sunt, simul muti existunt, *surditatem* hinc *nativam* vel *originalem* appellant. Dantur tamen *Surdi*, qui seipsos loquentes quodammodo audiunt, etiamsi alios nullatenus audiant sonos. Sicuti autem Cœci subinde tactûs ministerio non solùm magnitudines & figuras objectorum distinguere posse observantur; ita etiam Surdi interdum aliorum nervorum ministerio sonos in aëre contingentes cognoscere atque discernere valent, dum nimirum vel ore hiante, vel in vertice capitis voces loquentium excipiunt, unde alii patentes nervi simili modo cum nervis acusticis perculsi speciem sonitûs in cerebro Surdi producant.

Prognosis. In *Prognosi* Surditatem immedicabilem eam statim pronunciamus, quæ à nativitate est contracta, adeoque homini coæva; quæ item à disrupto tympano, erosis, resolutis, dilaceratis, ruptis, aut muco tenaci oblinitis nervis acusticis; vel à scirrhoso tuberculo, meatum auditorium opplente, oboritur; quæ denique à pertinaci ac diuturnâ eorundem nervulorum obstructione nascitur. Verùm quando in Febri acutâ malignâve circa Morbi statum accedit, uti salutarem crisin portendit, ita post aliquot hebdomadas iterum dissipatur sponte; neque perfecta hæc Surditas esse solet, sed difficilis solùm Auditus. Etiam à copiâ Ceruminis, vel Abscessu & Vlcere meatûs auditorii, nisi erosi & exesi planè sint nervi, oriunda Surditas curabilis existit. Subinde tamen diuturnum est malum, si tenacem auditorii meatûs aut labyrinthi pituitam pro causâ agnoscit.

Curatio. In *Curatione* ergo ad causas diversas est attendendum, juxta quas medendi methodus est instituenda. Si à Cerumine cumulato, viscido, crasso, tenaci, aut indurato originem traxerit, tunc licet quidem ante omnia corpus expurgare v. g. sequenti medicamine.

℞. *Mass. pilul. è Succ. Crat.*
Marocost. ana. ℈ß.
Cinnab. nativ. opt. gr. viij.
Resin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. still at. Rorism. q. s.
M. f. l. a. pilulæ no. xiij. *Inaur. sumantur mane pro dosi cum regimine diætæ.*

Dein extus omni arte Cerumen illud

illud prius est emolliendum, ac deinceps auriscalpro eximendum Emollitur, si *Succus fol. Malvæ*, *Sempervivi*, *Violariæ*, *Altheæ*, *Parietariæ*, *Mercurialis*, *Telephii*, vel similis subinde calidè cum bombace Auribus immittatur; vel si succo huic *Oleum rosaceum* aut *Amygdalarum amararum* permisceatur, priusquam indatur. Hoc pluries præstito tentanda est Ceruminis extractio; si parum ejus extrahere valemus, emollitio continuanda, & extractio ulterius instituenda: si difficilis hac ratione emollitio contingit, tum sacculi ex herbis emollientibus facti Aquæ sunt incoquendi, & hinc calidè Auribus applicandi tamdiu, donec emollitum cerumen eximi queat. Etiam Emollientibus sequentem in modum coctis, spongia est immergenda, exprimenda parum, atque Auribus calidè crebrò applicanda. Imò Decoctum tale ope Syringæ sæpe in Aures inspergi posset, ad meliorem emollitionem.

℞. *Rad. Lil. alb.*
Alth.
Pimpinell.
Vincetox. ana. ℥iiß.
Herb. Euphras.
Artemis.
Parietar.
Malv.
Mercur. } *Recentium si haberi possint.*
Rutæ.
Flor. Melilot.
Verbasc. ana. Mj.
Sem. Lini. ℥ß.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aquæ fontan. In fine coctionis adde *Mellis Rosac. vel Violar.* ℥j. Colatura vocetur in usum calidè.

Infusum vel Decoctum *Herb. Theè, Chamædr. Betonic. Mercurial. Parietar. Flor. Bellid. min. Primulæ Veris* interea quotidie simul bibendum semel vel bis. Vinum album bonum vetus ac tenue, pro ordinario potu est concedendum; à fructibus horæis, caseo, carnibus dyspeptis est abstinendum.

Si Cophosis proveniat ab obstructione nervi acustici, tum purgans supra scriptum, vel sequens est sumendum.

℞. *Spirit. Anth.* ʒj.
Anis. ℈j.
Resin. Scammon. gr. viij. *vel* jx.
Solut. lento igne adde
Syrup. de Beton. ʒij.
Aqu. Cinam. c. vin. ʒj.
M. f. Potiuncula d. ad Vitrum pro dosi matutinâ.

Postmodum Vesicatoria pone Aures utrinque sunt applicanda. Vel Cucurbitulæ cum scarificatione priùs Nuchæ & Dorso sunt apponendæ. Infusum Theè sequens quotidie per longum tempus bibendum:

℞. *Rad. Calam. arom.* ʒiij.
Vincetox. ʒvj.
Lign. Guajac.
Sassaph. ana. ℥j.
Fol. Theè opt. ℥ij.
Herb. Beton.
Veronic.
Meliß.
Beccabung.
Nasturt. aquat. ana. ℥j.
Cinam. elect. ʒij.

Incis.

Incis. & contus. d. ad Pyxidem, usurpentur ℥ij. vel ℥iij. pro dosi.

Frequenter simul gutt. 16. vel 20. *Salis volatilis oleos. Sylvii*, vel *Essent. Succin. Spir. Sal. armon. anis. vel fœniculat.* sunt dandæ. Errhinus pulvis bis vel ter quotidie naribus est attrahendus. v. gr.

℞. *Radic. Ireos florent.* ℥iij.
Fol. Betonic.
Nicotian. ana. ℥vj.
Meliss.
Ocymi.
Thymi. ana. ℥ij.
Majoran.
Flor. Anth.
Salv.
Primul. Ver.
Cheiri.
Lil. convall. ana. ℥j.
Storac. Calamit. ℈iiij.
Ambr. Sacch. trit. gr. vj.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Aurium cavitati frequenter intrudatur calidè *Bombacis Aquâ acusticâ Mynsichti*, vel *Spiritu Anth. ac Lil. convall.* imbuti frustum. Vertici Capitis raso Emplastrum de Betonic. cum Tacamahacâ imponatur.

In progressu & diuturnitate mali Vinum medicatum purgans est præscribendum; hinc Fonticulus vel in Nuchâ vel in sinistro Brachio est excitandus. Tragema quoque cephalicum in usum vocandum. v. gr.

℞. *Specier. Imperat.*
Dianth. ana. ℥ij.
Pulv. Fol. Majoran. ℥iiß.
Salv.
Flor. Betonic.
Lil. convall. ana. ℥j.
Corall. rubr. ppt.
Dent. aprin. ppt. ana. ℥ß.
Sacch. albi. ℥vj.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatulam. Dosis mane ac vesp. ℥ij. *vel plus.*

Si à frequenti stagnatione Lymphæ intra tubulos & poros tunicæ meatûs auditorii (quam stagnationem cum vel sine extravasatione contingentem Veteres sub nomine Catarrhi exprimere consueverunt,) Surditas gignatur, tum in curatione eodem modo procedimus, quo in casu præcedenti fecimus; addimus tamen adhuc sacculos ex Herbis & Seminibus carminativis compositos, atque siccè, calidéque applicatos, v. gr.

℞. *Radic. Angelic.*
Imperat.
Galang. ana. ℥j.
Herb. Meliss.
Artemis.
Salv.
Beton.
Origan.
Aneth.
Absynth.
Summit. Amarac.
Thym. ana. Mj.
Semin. Fœnic.
Carv.
Anis. ana. ℥ß.
Incis. & contus. tenuiter d. ad ch. Insuantur Sacculo interpassato, & calidè applicentur.

Imò farinæ jam fermentatæ immiscetur contusum *Semen Fœniculi*, vel *Carvi*, vel *Anethi, Anisi*, cum Pulvere *Folior Amarac. Aneth. Rorismarin.* &c. hinc

hinc Clibano immittitur, ad dimidium tempus excoquitur, dein in medio dividitur, ac utrique Auri pars calidè applicatur.

Ab Absceſſu, Vlcere, Inflammatione proveniens Cophoſis curatur, ſi tales morbi fuerint prius è medio ſublati, de quo vide Aurium morbos.

Reliquæ Surditatis Cauſæ ſunt inextirpabiles.

u AVDITVS IMMINVTVS, GRAVIS, DIFFICILIS, Βαρυκοΐα, Δυσηκοΐα, ſymptoma Auditionis læſæ, quo homines ægrè ſonos percipere ac diſcernere nôrunt, niſi altos admodum & elevatos, ita ut qui cum illis ſermocinari geſtiunt, ſuam extollere vocem, ſæpè etiam clamare cogantur. *Gradualis* eſt in hoc Affectu *differentia*, dum alii aliis melius vel difficilius audiunt. Apud nonnullos etiam tam gravis eſt Auditus, ut niſi quis in patulas ipſorum Aures cum vociferatione loquatur, nihil prorſus intelligere valeant.

io- a. Si ætiologiam hujus Affectionis ſpectemus, proximè quidem hic accuſare debemus fibrarum Nervi auditorii tonum & activitatem debilitatam, ſive id Nervi ipſius, ſive reliquarum Auris partium vitio contingat. Imò etiam Cerebri morbus gravior in principio Nervi acuſtici aliqualem compreſſionem, obſtructionem aut debilitatem efficiens, huic Auditûs difficultati anſam præbet. Nervus autem auditorius ipſemet vel flaccidior ab humoris affluentis cingentisve copiâ in complexione hominis pituitoſâ redditus, vel ſiccior in temperamento oppoſito, aut in ſenectute factus ad idem incommodum contribuit. Cœteræ dein cauſæ pleræque, à quibus Auditum penitus aboleri ſupra indigitavimus, mitiore gradu Aurium ſtructuram offendentes, Barycojam quoque excitant. Inprimis autem accuſamus meatuum auditoriorum obſtructionem, nondum totalem aut perfectam, à muco viſcido, tenaci, cerumine copioſo indurato, tuberculo vel excreſcentiâ carnoſâ, rebus illapſis, abſceſſu, ulcere, catarrho ſeroſo copiosè ex auribus fluente, ſimilibusque aliis rebus productam. Huc pertinet Auris externæ abſciſſio, ob quam ſenſus auditionis quoque imminuitur; conformatio item partis præternaturalis, ſive nativa, aut hæreditaria, ſive adventitia; & ſpirituum ad Nervos acuſticos depluentium inopia.

Hinc pro cauſarum diverſitate Barycoja facilior aut difficilior curatu. Quæ nativa vel hæreditaria eſt, à conformatione perverſâ oriunda, curationem vix ullam admittit. Quæ autem in malignis Febribus circa ſtatum morbi hominibus contingit, prænuncia criſeos utplurimum ſalutaris eſſe ſolet, per narium Hæmorrhagiam plerunque futuræ, & per ſe tandem redeuntibus corporis viribus, reſtitutaque ſufficientium ſpirituum ad acuſticos Nervos diſtributione ceſſat. *Prognoſis*

Quando igitur eædem cauſæ Barycojam producunt, quas Surditatem excitare in præcedenti Affectu diximus, eadem etiam curatio inſtitui poterit. Attamen monere heic debe- *Curatio.*

mus, quod illi, quibus propter Aurium externarum amputationem difficilior auditus est factus, instrumento aliquo externo, nimirum exiguâ quadam tubâ ex argento, aliove metallo factâ, atque ad aures applicatâ externos sonos recipere, eosq; distinctissimè audire soleant. Tuba autem talis infundibuli figuram habet, & acutæ suæ partis foramine auris meatui applicatur, oppositâ ampliore versus aërem externum porrectâ. Hoc instrumentum vicem replet Auris externæ, admissumque aërem sonorum facilè reflectit, ac defert in meatum auditorium.

Dein & in illis, quorum aures à pituitâ qualicunque viscidâ, tenaci, præprimis retro membranam tympani, sunt impletæ; vel quorum acustici nervi tonũ imbecillem sunt nacti, Embrocatio frequens cum *calente Decocto Herbarum cephalicarum* ac *nervinarum* in nucham quotidie mane ac vesperi per aliquot hebdomadas, quadrantis semper horæ spatio, non sine fructu institui potest. In *Thermis Plumbariis* Lotharingiæ vocant talem medendi modum *Duciam*, & frequenter à Balneatoribus exercetur in illis, qui quidem necessarium sibi credunt esse hoc auxilii genus.

Tuberculum fungosum. Triennium vix elabitur, cùm ad Filiam Pastoris cujusdam extra Vrbem 25. annos natam, vocarer, sinistrâ aure tantùm non planè surdam; rara erat mali causa, nimirùm tuberculum fungoso-carnosum, livido-rubicundum, hactenus indolens, quod ex meatu auditorio intra anni spatium paulatim ad magnitudinem Avellanæ nucis crescendo, illi⁹ ostium jam jam occludere cœperat, cancrosumque tumorem minabatur. Examinato probè hoc malo, initoque cum præsente Chirurgo consilio, conclusum fuit, purgans ante omnia esse dandum, hinc Venam brachii secandam, ulterius Tincturam purificantem cum decocto Herbarum traumaticarum per plures hebdomadas exhibendam, hinc purgans unâ vel alterâ vice repetendum; atque inter hæc topica quoque applicanda. Cùm autem Filia sanguineo-melancholica esse videretur, & hactenus mensium fluxu naturali gauderet, sequentes ordinatæ fuerunt Pillulæ:

℞. *Mass. pilul. è Succino Craton.* *gr.* xv.
Extract. Helleb. nigr. gr. v.
Cinnab. nativ. opt. ℈ß.
Resin. Scammon. gr. ij.
Ol. stillat. Rorismar. q. s.
M. f. Pilul. num. 14. *Inaur. d. ad ch. pro dosi matut.*

Tinctura sequens fuit:

℞. *Tinct. ♁n. cum Nitr. par.* ℥ß.
Essent. Betonic.
Lignor. ana. ʒiß.
Aqu. Cinam. cum Vin. destill. ʒj.
M. detur ad Vitr. Dosis 25. *ad* 30. *gutt. m. ac vesp. cum Decocto traumatico seqq.*

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Aristol. rot. ver. ana. ℥ß.
Herb. Betonic.
Sanicul.
Pyrol.
Vinc. pervinc.
Millefol.

Alchy-

Alchymill. ana. Mj.
Flor. Primul. ver.
Salv. ana. Mß.
Incisa d. ad chart. Manipulus hinc coquatur parum in Aquæ fontan. ℔iij. *& Vini albi veter.* ℔iß. *De colaturâ mane ac vesperi tres vel quatuor unciæ hauriantur.*

Extus Tuberculum, quousque possibile erat, sericeo filo circumligato validè stringebatur, sicque manebat donec sponte frustum inde decidebat, hinc statim ablato simul filo, Tuberculi reliquum filis carptis tegebatur, sequenti digestivo oblinitis:

℞. *Terebinth. Vitell. Ovor. solut.* ℨvj.
Mellis rosac. ℥ß.
Myrrh. elect. ℨj.
Aloës succotrin. ℈ij.
Garyophyll. arom. gr. iv.
Misc. detur ad Pyxid.

Prius tamen ablutum semper fuerat *Tincturâ* sequenti:

℞. *Myrrh. elect.*
Thur. masc.
Aloës succotr. ana. ℥ß.
Theriac. Androm.
Radic. Aristol. rot. ver.
Gentian. ana. ℨij.
Hellebor. nigr. ℨj.
Incis. & contusis affunde
Spir. Vin. ♀*risat. q. s. ad* eminentiam quatuor vel plurium digitorum, *stent, donec extracta sit Tinctura.*

Sequenti die novum denuo frustulum Tuberculi, præparatis ad hanc rem aptis ac subtilibus instrumentis ligabatur, & priori modo tractabatur. Atque sic tertiâ quartaque vice, intra meatum ipsum subtiliter institutâ, operatione tandem ad radicem Tuberculi perventum est, quæ dein, solâ Tincturâ modò descriptâ, pluries tacta, cum applicato desuper Vnguento superiori digestivo, intra paucarũ hebdomadarum spaciũ extirpata fuit, ita ut hactenus nunquam repullulârit Tumor, sensusque Auditûs integer redierit atque permanserit.

Aurium *Ulcus* quomodo tractandum sit, paulo infra docetur. *Vulnus* autem curatur generali methodo, suo loco traditâ.

Si Catarrhi plus minus crassi, vel Lympha suis in vasculis obhærens & stagnans in culpâ fuerit, acustica remedia attenuantia, resolventia, atque discutientia diligenter in usum sunt vocanda, quemadmodum præter ea, quæ supra adversus Surditatem commendata fuerunt, adhuc sequentia non sine successu felici usurpavimus. Nimirum purgato prius corpore semel aut pluries, exhibitis *Pilulis cephalico-catarthicis, Errhina, Sternutatoria*, atque *Apophlegmatizantia*, in usum trahimus: v. gr.

℞. *Radic. Ireos flor.* ℥j
Pyrethr. ℨiiß.
Fol. Beton.
Salviæ.
Thymi, ana. ℥ß.
Majoran.
Summit. Lavendul.
Rorismarin.
Flor. Violar. purpur.
Lil. Convall.
Granor. Styrac. calamit. ana. ℨij.
Rasur. Lign. rhod. ℥ß.

P 2 *M. f.*

M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. mane ac vesperi aliquid naribus immittatur.

Si fragrantem magis, nec minus efficacem desideres, tum

℞. *Folior. Tabac. Virgin.* ℥iß.
Radic. Ireos flor. ℥ß.
Cyper. rotund. ʒij.
Lign. Rhod. ʒiij.
Herb. Betonic. ʒvj.
Melìß.
Ocym. ana. ʒiß.
Flor. Rosar. Damascen.
Lavend.
Semin. Nigell.
Cinam. elect.
Styrac. calam.
Asæ dulc. ana. ʒj.
Zibeth. gr. v.
Mosch. oriental. Spirit. Ros. solut. gr. viij.

M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Usurpetur quotidie aliquoties.

Euporistus magis Pulvis est seqq.

℞. *Fol. Betonic.*
Nicotian. ana. ℥iß.
Flor. Lavendul. ʒij.
Lil. convall.
Semin. Nigell. ana. ʒiß.

M. f. Pulv. subt. d. ad scat.

Ad salivam autem copiosiorem eliciendam masticatorium usurpandum est, quem in finem commodissimi sunt *Trochisci sublinguales* v. gr. sequentes:

℞. *Radic. Angelic.*
Pyrethr.
Calam. arom. ana. ʒj.
Cinam. elect.
Cubebar. ana. ℈ij.
Semin. Fœnicul. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Cinam. fact. q. s.

M. f. l. a. Trochisc. d. ad scatul. Sæpe lambatur unus vel alter.

Si quis amet *Fumum Tabaci*, sequens fragrantissimus commendari poterit, nisi communem prætulerit, quotidie usurpandus:

℞. *Tabaci Virginian. vel Hanoviensis, aut. Nostratis opt.* ℔ß.
Folior. Beton.
Melìß. ana. ℥j.
Styrac. Calamit. ʒvj.
Semin. Fœnicul.
Anis. ana. ʒiß.
Mosch. oriental. Spirit. Ros. solut. ℈j.

Incisa & contus. misce, & asserva in Pyxide ad usum.

His igitur remediis si excrementa seroso-mucosa per os & nares frequenter eliciuntur, tum sæpè fit revulsio causæ morbificæ ab Auribus. Quod si humor peccans nondum crassus fuerit, sanguinisque & seri copiâ homo præditus, tum scarificatio dorsi menstruatim repetita proderit. In crassiore autem ac tenaciore catarrho emollientia ac discutientia maximè usurpanda; præstat hoc *Oleum Amygd. dulc.* vel *amar. rec. expreß.* vel solum, vel cum guttulis quibusdam *Olei laurini, nardini*, aut *Gran. Junip. destill.* permixtum. Alii *Oleum Terebinth. Laterum*, vel *Spicæ vitello ovorum* permixtum Auribus indunt. Valent etiam *Axungiæ Canis, Murium alpin. Caponum, Anatum, Castor. Pinguedo Anguill. Fella Leporis,* Truttæ,

Truttæ, Corvorum, Serpentis, Tauri, Anguill. Succi Herbarum Semperviv. Absynth. fol. Persicorum Salic. rubr. Cyclaminis, Aneth. Verbasci, Taraxaconis, Urtic. Hieracei, Ceparum, Ovorum Formicar. trit. Olea Chamomill. Verbasc. Aneth. Rosar. Vitell. ovor. Violar. Scorpionum, Formicar. item Olea destillata Cherefol. Fœnicul. Lavendul. Majoran. Nuc. mosch. Rorismar. Salv. Rutæ, Aneth. Thymi, Spiritus Anthos, Lavendul. qualiscunque Antapoplectic. Spir. Sal. armon. urinos. vel *oleos. Urina leporina,* quæ ita sunt invicem miscenda, & Auribus quotidie cum Bombace indenda, ne vel inflammatio, vel excoriatio quædam inde oboriatur. Circa Aures, & in Temporibus etiam Vnguenta ac Balsama inungi possunt, v. gr.

℞. *Axung. Anatum* ℥ ß,
Olei Aneth.
Scorpion. Matth. ana. ℥ij.
still. Spic.
Lavend.
Majoran. ana. gutt. vj.
Gran. Juniper. ℈ß.
M. d. ad Fictile, m. ac vesp. inunctio fiat calidè.

Sed maximi momenti sunt fomentationes Aurium diutius institutæ, quales heic fieri possunt è *Radicibus Alth. Malv. Lil. alb. Angelic. Dictamn. Cretic. Doronic. Hellebor. nigr. Calam. aromat. Foliis & Herbis Lauri, Alth. Salicis, Malvæ, Meliss. Majoran. Origani, Hyssopi, Absynth. Aneth. Abrotan. Levistic. Calaminth. Serpill. Thym. Beton. Chamædr. Flor. Stœchad. Chamom. Melilot. Salv. Baccar. Junip. Laur. Semin. Lin. Fœni græc. Anis. Fœnic. Carv.* & similibus *Sacculo* inditis, qui dein *Aquæ* primùm & *Lacti* incoctus, atque expressus calidè Auribus per plures dies applicari debet, quousque nimirum opus esse creditur ad emollitionem, attenuationem ac resolutionem humoris tenacis præstandam. Deinceps autem Discussio ejusdem humoris tentanda est *Vapore decocti* earundem Herbarum in *Vino* facti, qui *Vapor* per Infundibulum excipi quotidie bis vel pluries Auribus potest. Alii *Acervum Formicarum totum cum Ovis contusum*, & cum *Herbis Meliss. Aneth. Baccis Junip. & Seminib. carminativis* mixtum in *Aceto* & *Aqua* coquunt, vase ex parte obturato, hinc *Vaporem* Auribus excipiunt. Vidimus etiam cum successu sequentem Vaporem usurpatum, nimirum *Spirit. Salis armon. urinosus* vel solus, vel cum *Spiritu Anthos*, aut *Decocto herbarum cephalicar.* & *Seminum carminativ.* in *Vino facto*, permistus immittebatur Cucurbitæ vitreæ minutæ, sex liquoris uncias vix capienti, longo, angusto, & superius recurvo collo præditæ; hujus dein colli extremitas Auris cavitati applicabatur, fundum autem Cucurbitæ super Prunas, aut in Arenâ Cineribusve admodum calentibus tenebatur, sic spirituosus Liquor sensim incalescens suos per collum angustum Cucurbitæ vapores calentes in Aurem mittebat; atque his Vaporibus pluries exceptis tandem Catarrhus fuerat discussus, cum sensu Auditûs subsequente integro.

Laudantur dein etiam euporista varia discutientia; v. gr. Sume *Herbam*

bam recent. Leviſtic. Allii & *Fœnicul.* contuſas linteo involve, hinc paſtæ farinaceæ immitte, atque in clibano cum alio pane coque; ſi coctio fuit peracta, panem exime, diſſeca, & nodulum Herbaceum exprime, ſic obtinebis *Liquorem*, qui ſæpius cum bombace auribus immiſſus Auditum revocat. Vel excava grandem quandam *radicem Cepæ, immitte Succum* ex herbis *Anethi*, vel *Abſynth. Alliariæ, Cichorii, Taraxaconis, Hieracii cujuscunque, Chelidoniæ majoris*, expreſſum, hinc *Cepam madidæ ſtupæ involutam* coque ſub cineribus, tandemque ſuccum ex toto exprime ac filtra, eumque ſæpius in Aures calidiuſcule inſtilla. Vel *Herbar. Cichorii, Endiv. Chelidon. major. Taraxac. Urtic. urent.* una cum *Radicib.* in Clibano ſicca, hinc pulverem Ollæ terreæ novæ immitte, hanc operculo benè coopertam per quinque vel plures dies ſub terrâ conde, & ſepeli, ſic Pulvis in *Liquorem* abibit, qui dein uſurpari poteſt uti ſuperiores.

Intus tandem ſequens Tragema diutiſſimè uſurpatum juvare poteſt:

℞. *Radic. Taraxacon.* ℥ß.
Chelidon. major.
Angelic. ana. ʒij.
Fol. Betonic.
Semin. Fœnic.
Flor. Calend.
Primul. Ver.
Salv. ana. ʒj.
Raſur. Ebor. ʒiij.
Cubebar.
Cinam. opt. ana. ʒiß.
Sacch. Penid. ℥vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis quotidie ſemel aut bis ʒj. *cum vehiculo conveniente.*

Obauditio. AVDITVS DEPRAVATVS, OBAVDITIO eſt ſymptoma Auditionis læſæ, quando vel ſonus externus falsè percipitur, propter motum quendam ſive aëris, ſive humoris in aure exiſtentis, ſtagnantisve internum præternaturalem obſtrepentem; vel ſonitus quidam intra auris cavitatem producitur, etiamſi nullus extra aurem in aëre contingat.

Pars affect. Læditur heic maximè aër internus auris, dum à quacunque demum causâ præternaturaliter agitatur, atque tremulum motum adipiſcitur; qui motus poſtea vel aliquandiu ſine intermiſſione durat, vel per vices ſolùm producitur, ac modò hujus, modò illius ſonitûs extraordinarii ſpecie hominem moleſtat & inquietum reddit.

Cauſ. Quando igitur liquor aliquis flatuoſo-ſeroſus in tubulis aut poris interioris Aurium cavitatis obhæret, ita ut neque tranſpirare, neque ſuum per tubulos curſum proſequi poſſit, tum particulæ ejusmodi humoris, à pulſatione vicinarum arteriolarum, vel ab æthere cum aliquantillo labore tranſeunte plus minus vehementer concuſſæ motum tremulum impetrant, huncque dein proximo aëris, & per hunc nervi acuſtici papillulis impertiunt, ſicque ſonitûs cujusdam, extra aurem non contingentis, ſenſum excitant. Flatuoſus ille humor in Tympano retro membranulam ſubinde etiam colligitur, ex humorali maſſâ circulante eo plus minus copioſè depoſitus, cumque dein aër ejus loci humori tali permiſce-

miſcetur, & ſpumoſas veſiculas excitat, tum æthereæ particulæ rectilineo, quo penetrare ac tranſire conantur, motu in ſpumoſum liquorem impingentes tremulam facilè agitationem, atque hinc ſonitum præternaturalem homini moleſtum, producunt, ſimilem ferè illi, quem experiuntur, qui aurium cavitatem vel digito claudunt, vel aquâ replent. Accidit etiam ſæpe, ut tubuli Aurium membranacei ob ſtagnantem, vel tardius tranſeuntem humorē, præternaturaliter expanſæ meatûs auditorii ac tympani ſinus anguſtet, unde ſubtilis materia tranſitûs ſui rectilinei obſtacula inveniens tremere particulas facit aëreas, à quibus dein vibratæ nervi acuſtici fibrillæ, per motum ſuum usque ad meditullium cerebri continuatum, ideam ſonitûs cujusdam excitant.

Sonitus autem iſte, utcunque homini ſatis moleſtus, gravis tamen non eſt, neque intenſus adeo, quemadmodum ab objectis externis ſæpius in aëre produci ſolet. Vnde plures ſpecie diſtinctos cum *Platero* obſervant Practici, quorum *primus* vocatur *Tinnitus Aurium*, quando ſonitus ille Aurium tintinnabuli cujusdam, aut hujus illiusve campanæ pulſatæ acutam reſonantiam exprimit; *ſecundus* dicitur *Sibilus*, quando ſonitus auditur inſtar ſtrepitûs, quem flat⁹ edit per oblongo anguſtum foramen coactus; ita ut continuè perſonet inſtar ſyllabæ Si: *tertius* appellatur *Pulſus*, cùm ſonus auditur inſtar illius, qui vel à vapore ex Æolipila vi ignis propulſo, vel ab aëre è folle in carbones ignitos leniter & continuè efflato producitur: *quartus* nuncupatur *Fluctus* vel *Fluctuatio* aut *Murmur*, quando continuè ſonitus auditur fluctuantium aquarum ſtrepitui haud abſimilis; *quartus* dicitur *Suſurrus* quando auditur ſonus inſtar cantilenæ Veſparum, Apum, Muſcarum, &c. Sunt tamen adhuc aliæ forſan ejusmodi p. nat. Sonituum in auribus differentiæ, ſed quæ forſan ex hactenus deſcriptis ſunt comixtæ, & hinc peculiari nomine indignæ generaliter duntaxat *Strepitus Aurium* appellantur. Omnes verò hæ ſpecies non niſi à diverſâ aëris, ſive in aurium ſinibus exiſtentis, ſive per anguſtiā meatûs præternaturaliter tranſeuntis, trepidatione proveniunt.

Fluctus. *Murmur.* *Suſurrus* *Strepitus Aurium*

Affligit hominem Obauditio nunc per ſe ſine aliûs qualiscunque Morbi conjunctione; nunc verò eſt ſymptoma Ægritudinis cujusdam præcedentis, v. gr. Febris, Cephalalgiæ aut aliarum.

Prognoſis

Affectus hic quandoque brevi, quandoque diu durat, atque non ſolùm homini valde moleſtus evadit, ſed & in Surditatis diſcrimen conjicit. Si fortè ſtagnatio humoris in Aure major & uberior evenit, tum obſtructionem inflammatoriam, in Abſceſſum & Vlcus facilè abientem, poſt ſe trahit. Quandoque Tinnitus ſolet eſſe prodromus Lipothymiæ, Paſſionis hyſtericæ, Vertiginis, aut Apoplectici inſultûs. Quæ tandem Obauditio ultra biennium jam duravit, ſanabilis vix eſt, quoniam radices nimis firmas jam egit intra Aures.

Curatio.

Quod ſi proin *Obauditio* qualiscunque fuerit alicujus morbi ſymptoma,

ma, tum vel per ſe ceſſabit Morbo curato; vel certè externis remediis mitigabitur, prout mox demonſtrabimus. Quando enim nullus morbus præceſſit, aut comes adhuc ſit, tum ante omnia corpus expurgandum eſt, ſequenti aut ſimili medicamine, per inferiora operante:

℞. *Maſſ. Pilul. è Succ. Craton.*
Extract. cathol. ana. ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. 12.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtillat. Roriſm. q. ſ.
M. f. Pilulæ no. 14. *Inauratæ ſumantur unâ vice jejuno ſtomacho mane cum regimine diætæ.*

Vel ℞. *Aqu. Vitæ Matthiol.* ℥j.
Spirit. Anth. ℈ß.
Reſinæ Scammon. vel Jalapp. gran. 8.
Solutis leni igne adde
Syrup. de Fumar. vel Cinam. vel Julepi roſacei ℥ij.
Detur ad Vitr. ſumatur ut ſupra.

Vel etiam *Vinum medicatum purgans*, ſive *Apozema catarthicum*, aut *Panacea ſolutiva alcalina* pluries exhibetur. Poſtea *Venæſectio* vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* laudantur, prò rei exigentiâ adminiſtrandæ. Deſuper verò mox *Tragema* ex *Aromatibus cum radic. Valerian. Petaſit. Fol. Betonic. Majoran. Semin. Anis. Fœnic. Naſturt. Bacc. Junip.* &c. præſcribetur, ac diligenter ab Ægro ſumetur; v. gr.

℞. *Specier. dianth.*
diatr. ſant.
diamoſch. dulc. ana. ℥j.
Radic. Petaſit. ℈ij.
Valerian.
Meu. ana. ʒß.
Semin. Anis. ℈iiß.
Aquileg. ʒß.
Raſur. Ebor. ℥ß.
Sacch. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. Doſis ʒij. *ſemel aut bis quotidie.*

Vel loco Tragematis *Sal volatile oleoſum Sylv.* aut *Eſſent. Ambr. Beton. Succin. Galang. Doronic. Angelic. Cinamom.* per hebdomadam vel ulterius, m. ac veſp. ad gutt. 16. vel 20. cum vehiculo conveniente dabitur.

Extus autem ad humorem ſtagnantem diſcutiendum, meatum auris magis patulum reddendum Vapor ſubinde Auribus excipiatur, v. gr. ex *Herbis Malv. Meliſſ. Salviæ, Parietar. Menth. Origan. Ocym. Abſynth. Urtic. Aneth. Majoran. Verben. Baccis Juniperi, Lauri, Florib. Stœch. Chamomill. Seminibus Lini, Fœni græci, Fœniculi, Aniſi, Carvi, Cicutæ, Papaverum* invicem mixtis atque Aceto & Aquæ incoctis. Vel *Panis* cum *Baccis Lauri, Juniper. Semin. Anis. Cumin. Fœniculi, Naſturtii, Petroſelini, Dauci, Foliis Anethi, Menth. Cicutæ, Origani* &c. in Clibano coctus, hinc extractus, atque per medium diviſus, ulteriusque *Spiritu* quodam *aromatico, apoplectico, Lil. convall. Anth. carminativo, Aniſi*, aut ſimili irroratus Auribus applicari poteſt. Vel *Lintea calentia*, ac fumo *Pulveris Maſtich. Thuris, Ladani, Storacis calamit. fol. Menth. Meliſſ. Ocym. Flor. Sambuc. Salv. Semin. Cumin. Carv. Anis.* & ſimil. imbuta frequenter admovebuntur. Faciunt quoque *Sacculos* ex

Radici-

Radicibus, *Herbis*, *Seminibus carminativis* ac *cephalicis*, eosque *Vino* vel *simplici*, vel cum *Aquâ* aut *Lixivio* mixto incoctos, expressosque calidè Auribus cum fructu applicant. Vel *Succus Cochleariæ*, *Raphani*, *Porri*, *Cepar. Rutæ*, *Violariæ*, *Origani*, *Folior. Vitium*, *Meliss. Marrubii alb. Taraxac. Succis Hieraciorum*, *Cyclamin.* &c. Vel *Spiritus* aliquis *aromaticus*, *cephalicus*, *carminativus*, aut *Spirit. Formic. Lumbr. terr. Salis armon. anis. cum Succo Semperviv. Cymbalariæ*; Vel *Zybethum* solum, vel *Succus è Cancris fluviatilib. Cochleis*, *Formicarum Ovis*, expressus, cum tantillo *Spiritus Cochleariæ* permixtus, & gossypio exceptus calidè Auribus intruditur, non sine successu. Alii immittunt *Oleum Amygdal. dulc.* vel *Rosar. Nardin. Violar. Verbasci* &c. admiscent guttulas aliquot *Olei destillat. Rutæ*, *Lavendul. Rorismar. Thymi*, *Baccar. Juniperi*. Si quis talia vel humida, vel oleosa ac spirituosa tolerare suis in Auribus nequeat, ei Sacculos paramus ex *Herbis*, *Seminibus* & *Baccis discutientibus*, eosque dein calefactos Auribus applicamus, atque sæpè Auribus admovemus, uti suprà dictum.

Juxta hæc prosunt *Errhina*, *Sternutatoria*, *Masticatoria*, & ea denique omnia, quæ in Aurium obstructione infra commendantur.

AVRIGO, vide *Icterus Flavus*.

AVRIS OBSTRVCTIO, est meatûs auditorii à lento ac viscido quodam humore, aut cerumine aliâve quâdam re facta obstructio, cum Auditionis imminutione vel abolitione. Læditur nimirum heic canalis Aurium sive ante membranam tympani, sive etiam retrò illam in sinus processus mastoidei, & cavitates ossis petrosi tendens.

Itaque *Causa proxima* est omne id, quod cavitates modò dictas opplere & infarcire potest; sive sit pituita quædam viscida, sub catarrhi nomine veniens; sive cerumen copiosius, & sui morâ ibidem tenacius redditum; sive lympha copiosa tenuis, quæ aliàs effluere in Infantibus frequenter solet; sive Vermis; sive res aliqua dura in Aurem per infortunium delapsa; sive denique pus aut sanies quædam ex Vlcere jugiter emanans. *Causa.*

Quoad *diagnosin* Obstructio cognoscitur ex Auditu imminuto, vel abolito à rebus in meatu dicto plus minus conspicuis. Si viscida est pituita, aut etiam humor tenuis copiosus, meatum valdè angustans, tum plerumque sibilus aut tinnitus simul oboritur. Quandoque junctus adest dolor, si res obstruens vel acrimoniâ quadam pungat, vel copiâ distendat. Vermes intolerabilem quandam molestiam excitant. Pus effluxu suo cognoscitur. *Diagnosis.*

Si spectes *prognosin*, Obstructio ab humore tenaci profundiùs latente, Obauditionem difficulter curabilem, & si in Tympano vel retro hanc cavitatem existat, prorsus ferè immedicabilem, si non Surditatem totalem inducit. Ab aliis verò rebus excitata, inprimis si causa morbifica ad Oculum pateat, facilius curatur. *Prognosis*

In *Curatione* ad causas respiciendum proximas, externâ utplurimum *Curatio.*

ope tollendas. Quod si proin humor tenax aut cerumen crassius, nondum induratum, in meatu hæreat, tum *Auriscalpiis* sub meridiem ex Aure, versus Solis lumen porrectâ, est eximendum, si verò siccius illud sit ac jam duriusculum, tum prius nonnihil emolliendũ venit, sive cum *Oleo amygdalino* sive cum *Lacte* aut *Succo Sempervivi* ac *Malvæ* calente. Si obstructio contigerit ab humore lymphatico tenui, tum ante omnia purgans est præscribendum, sive ex *Pilulis cum ☿rio dulci*, sive ex *Infuso folior. Senæ* & *Rhabarb.* cum *Betonic.* & *Agrimon.* v. gr.

℞. *Extract. Pilul. aurear.* ℈ß.
Maß. Pilul. è Succ. Crat. gr. viij.
Merc. dulc. opt. ℈ß.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Ol. still. Fœnic. q. s.
M. f. l. Pilul. num. xij. *Inaur. d. ad ch. pro dosi.*

℞. *Rad. Helen. Irid. Fl. ana* ʒj.
Fol. Sen. m. ℥ß.
Rhab. el. ʒj.
Semin. Anis. ℈iiij.
Crem. ♀r. ℈ij.
Incis. & contus. inq; nodulo ligatis affunde per noctem Aqu. Scab. q. s. sequenti mane bulliant parum, Colat. ℥iiiß. *adde Syrup. Flor. Acac.* ℥ß. *d. ad Vitr. pro dosi.*

Dein *Oleo Amygdalarum amararum*, *Melleve rosaceo* Auris est extergenda, tandemque admissione *fumi* è *Rasurâ Lign. Juniper. Mastich. Succin.* & *Storac.* paulatim est exsiccanda. Intus quoque *Decoctum Radicis Chinæ* & *Lignorum* aliquoties per diem exhibendum. Prosunt & hic *Lac tepidum* cum *Melle rosaceo* permixtum, ac Auri subinde inditum; vel *Oleum Rosarum*, aut *Violaceum* cum *Essentiâ Croci* & ⌒u *Regin. Hung.* Vel *Spirit. Formicar. Cochlear.* Item *Aqua Mellis* cum ⌒u aut *Essent. Sem. Fœnic. Essentiâ* item *Plantag.* & *Myrrh.* permixta. Placent aliis *Vinum*, in quo *Radix Ireos* aut *Angelicæ* cum *Myrrh. Storac.* & *Croc.* sunt cocta; vel etiam *Vinum Alumine* nonnihil acuatum, & tepidiusculè immissum. Quod si *Aqua* vel *aqueum* quid in Aures inciderit, quemadmodum hoc natantibus & aquæ immersis contingit, tum Auris prona est habenda, ut liquor effluere possit, vel Æger super pede à directo Auris affectæ exitiat, capite in aurem inclinante. Veteres *Oleum Anisi* infundebant. Et si his modis liquor exeat, tum per immissam Syringam extrahi poterit, aut spongiola sicca Auri immittatur, ut humorem absorbeat. Tandem & sternutatio excitari solet, ad eliminandum, quicquid in Auris meatu hæret.

Si Obstructio orta est ab illapso vel innato quodam Verme, tum vivus, ille si possibile, provocandus est dulcibus, v. gr. *Pomo dulci asso*, vel *Fermento* cum *Melle* applicatis. Vbi hoc frustra fuerit, necandus est infuso *Succo Absynthii*, *Cent. min. Aneth.* vel *Oleo nucleor. Persic. Amygdal. amarar. Absynth.* vel etiam ⌒u *Vini* aut ⌒u quocunque alio *vinoso cephalico.* Interfectus dein educitur immissâ turundâ *Terebinthinâ* imbutâ, utpote cui facilè adhærescit, vel commodis instrumentis extrahitur. Si verò res duræ in Aures inciderint, tum meatus illarum primùm

Ob- ctio Ver-

A ali- psis

primùm *Oleo rosaceo*, *Violaceo* aut *Verbascino* emolliendus atque lubricandus, dein instrumentis res ipsa venit extrahenda. Si Obstructio hæreat in tympano, retro membranulam, tum purgans mercuriale statim exhibebitur, vel *Vinum medicatum cephalico-purgans* per aliquot dies propinabitur, hinc verò *Sacculi carminativi* ex *flor. Chamom. Melilot. Herb. Matricar. Menth. Meliss. Tanacet. odorat. Ozym. Semin. Aneth. Cumin. Dauc. Baccis Juniperi* vel *Lauri*, in *Vino albo* decocti & expressi calidè frequenter applicabuntur. Quorum tamen loco aliis magis arridet *Panis rec.* è clibano extractus, per medium discissus, & sic cum linteo Auribus applicatus. In Plethoricis *Venæsectio* aut *Cucurbitulæ* cum *scarificatione* non sunt contemnendæ.

AVRIS VLCVS est solutio continui in Aure, ejusque inprimis meatu ab humore acri & erodente producta Afficitur autem & exulceratur maximè tunica, tam membranosa quàm glandulosa, meatum auditorium succingens, hinc inde glandulis obsita. Quandoque & externa Auris Vlcere quodam affligitur, & Saniem fundit.

Proximè talem morbum producit humor seroso-salsus plus minus acris &corrosivus,in tubulis membranæ Aurium stagnans,atque hinc fibrillas sensim exedens & dilacerans. Aliquando tamen & Vulnera, res item duræ & acutæ in meatum illapsæ, Vermes atque Inflammatio ad productionem Vlceris talis *antecedenter* contribuere possunt. Inprimis autem humores acres massæ sanguineæ ad glandulas Aurium præcipitatæ proximam illius causam excitare valent, tantoque id magis, quando simul ab aëre inclementi frigido & humido, sanguinis transpirationem insigniter impediente, pori Aurium cutanei fuerunt constipati.

Signa hujus Affectûs *diagnostica* sunt dolor & punctio plus minus gravis in Auris cavitate, cum tinnitu ac saniei nunc ichorosæ nunc purulentæ & crassioris, nunc etiam serosi tantùm humoris effluxu conjunctus. Affectus non tantùm Pueris familiaris, sed & Adultis, scorbuticis, aut Lue ♀reâ laborantibus subinde contingens. *Diagnosis.*

Quantum ad *Prognosin*, si Vlcus hæreat in parte meatûs auditorii magis externâ, tum non multum discriminis aut difficultatis in se habet: ast ubi profundius intra meatum existit, ac insuper humor stagnans valdè corrosivus deprehenditur, tum periculum est, ne ipsa Ossa per erosionem & consumtionem vicinarum fibrillarum cariosa evadant, sicque Fistula enascatur, non nisi diuturno temporis spatio aut etiam nullo unquam tempore curabilis. Vidimus nos tale Vlcus in Viro sexagenario Hecticam lethalem produxisse. *Prognosis*

In *Curatione* eo diligenter annitendum, ut ad radicem Vlceris, quantum possibile est, deveniamus, illam dein mundificemus, ac tandem *Ulcus* probè consolidemus. Quem in finē ante omnia purgans ex *Pilulis catholicis* cum ☿*rio dulci*, vel *Vinum medicatum* præscribatur. *Curatio.*

℞. *Extract. cathol.*
Merc. dulc. ana. ℈j.

 Resin.

Resin. Jalapp. gr. iij.
Ol. still. Succ. q. s.
M. f. l. a. Pilul. num. xv. *Inaur. sumantur. pro dosi mane.*

Vel ℞. *Radic. Aristoloch.*
Pimpinell.
Cal. arom. ana. ℥ß.
Herb. Betonic.
Origan.
Virg. aur. ana. Mj.
Summit. Abs. Mß.
Semin. Dauc. ʒij.
Fol. Sen. opt. m. ℥j.
Rhab. elect. ʒij.
Agar. troch. ℥ß.
⊖*is polychr.* ʒiß.
Cinam. opt. ℈iiij.
Incis. contus. & sacculo inditis affunde
Vin. alb. vet. Mj.
Aqu. Beton. Mß.
Singulis hinc mane Cyathus exhauriatur cum Regim. Diætæ.

Post hæc intus quotidie *Decoctum Lignorum* cum Herbis traumaticis paratum, tanquam validè exsiccans propinabitur, simulque de *Essentiâ Bellid. min. Virg. aureæ, Numul. Hyperic. Gramin. Parnaß. Myrrh.* aliâve traumaticâ bis quotidie 30. guttulæ exhibebuntur.

Extus ad detersionem Vlceris prosunt *Succi Chondrillæ, Hieracii, Urtic. Apii, Taraxac. Plantag. Cepar. Geranii Robertiani, Alliariæ, Scordii, Ulmar.* cum *Melle rosaceo, Essent. Aloës, Myrrh.* quibus tepidiusculè frequenter Auris extergeri potest. Post detersionem simul usurpare licet *Unguentum nutritum* cum *Tutiâ Sacch.* ♄*ni* & *Oleo Ovorum.*

℞. *Unguent. nutr.* ℥j.
Tut. ppt. ℈iiij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Bol. ana. arm. ppt. ℈ij.
Ol. Ovor. q. s.
Essent. Myrrh. ʒj.
M. f. Ungt. d. ad Oll.

Ad exsiccationem promovendam uti possumus *Melle rosaceo* cum *Croco* ♂*tis, Tutiâ, Lap. calam. ppt.* & *Essentiâ* quâdam *traumaticâ.* Vel etiam *Pulvis fumalis* ex *Mastiche, Ligno juniperino, Virgâ aureâ, Styrac. calam. Succin. Thur.* &c. carbonibus injici, hincque *Fumus* Aure ulcerosâ excipi debet.

℞. *Ras. Lign. Junip.*
Mastich.
Thuris, ana. ℥ß.
Herb. Virg. aur.
Sanic.
Flor. Samb.
Stœch. ana. ʒj.
M. f. Pulv. d. ad ch.

Si Vlcus est sinuosum & fistulosum, tunc eo studendum, ut injectio aliqua, quemadmodum in Fistulis alias fieri solet, commodè adhiberi queat. Vel ubi ad Fistulæ ipsius radicem devenire possumus, sive per *Sectionem*, sive per *cauteria*; tum minimè cunctandum, sed quanto citius fieri poterit, id expediendum, hincque Ossis, si quod est, cariosi portio adhibitis convenientibus medicamentis siccis separari debet, tandemque solito more Vlcus detergendum & claudendum venit.

AVRIVM VVLNVS est solutio continui in Aure, facta à re quadam pun-

pungente, ſcindente, contundente, aut alio modo vulnerante. Hoc vulnere nonnunquam pars Auris externa aufertur aut dilaceratur, ſubinde & interna pars plus minus graviter læditur.

Cauſa proxima eſt inſtrumentum quoddam externâ vi in Aurem adactum: ita cultro, gladio, globis ſclopetariis, enſibus, lapidibus, baculis, &c. continuitas in Aure ſolvitur. Huc facit etiam lapſus ex alto cum forti capitis alliſione, & ſi quæ adhuc ſunt aliæ cauſæ. Quamvis ipſe Affectus per ſe pateat, attamen hiſce Vulneribus ſæpius jungi ſolent Febres, Otalgiæ, Cephalalgiæ, Hæmorrhagiæ, Animi deliquia, & ſimilia.

In *Prognoſi* hoc ſtatim tenendum, Vulnera Aurium quandoque poſt ſe trahere Vlcera diu manantia, hincque neceſſariò ſenſum Auditûs offendere, inprimis ſi vel tympani membranula fuerit læſa, vel tota externa Auris enſe reciſa ſit. Cumque cartilaginea multa ſubſtantia in hac contineatur corporis parte, curatio quoque & difficilior exiſtit & diutius protrahitur.

In *Curatione* hujus Morbi ad id magnopere attendendum, ut quicquid ſolutum eſt, iterum uniatur, quod fit per mundificantia & conſolidantia: ſuademus hinc in Adultis ante omnia præſervationis gratiâ *Clyſma* alvum benè laxans; deinceps *Venæſectionem* ac *Pulveres diaphoreticos* ſex vel octo, ex ♁*n. diaph. C. C. vel Ebore phil. ppt. Ocul.* ♋*. ppt. Corall. rubr. ppt. Terr. ſigillat.* & ſimilibus compoſitos, atque mane & veſp.. cum vehiculo *Aquæ Plantag. Scabioſ. Brunell.* aut *Ulmar,* ſumendos. Quibus addimus uſum *Decocti* alicujus *vulnerarii*, quemadmodum ſub titulis de Vulneribus aut Vlceribus in genere deſcribuntur: nec non *Tincturæ* cujusdam *traumaticæ*, ibidem commendatæ.

Extus Vulnus ſtatim *Decocto herbarum Gratiolæ, Geranii. Robert.* atque *Ulmar.* in Vino albo facto eluatur, hinc ſi Hæmorrhagia adſit, *Albumen Ovi* ſtupæ impoſitum, atque pulvere adſtringente ex *Terr. ſigill. Bolo, Croco* ♂*is adſtring. Crepitu Lupi, Muſco arboreo* aut *terreſtri* aſperſum applicetur. Sequenti deligatione autem, ſi nulla Hæmorrhagia amplius metuenda ſit, Vulnus communi more tractabitur, & inprimis *Balſamum* quoddam *vulnerarium* glutinans, atque humorum è dilaceratis vaſculis effluxum impediens applicabitur, ſuperimpoſito ſemper *Emplaſtro ſtiptico Crollii* aut *Diapalmâ*.

AVRIVM HVMIDITAS eſt fluxus Ichoris continuus, ex Aure nunc copioſior, nunc parcior, cum vel ſine dolore, fœtore & obauditione affligens. Afficitur autem heic maximè tunica glanduloſa Aurium, vel ipſius minutæ glandulæ alias Cerumen exhibentes. *Aurium humiditas.*

Culpantur heic *proximè* tubuli ac fibrillæ glandularum modò dictarum, juſto magis laxatæ aut dilatatæ, hincque plus lymphæ vel ichoris tranſmittentes. Fons autem & ſcaturigo iſtius humoris eſt ipſa ſanguinis maſſa, quando juſto majori copiâ in ipſâ fuit collectus, ac eam præcisè adeptus ſuarum particularum configuratione, ſub quâ magis *Cauſa.*

magis per Aurium, quàm aliûs partis glandulosæ poros, secedere aptus est. Huc confert maximè Victus largior minusque purus, qui Pueris inprimis solet esse consuetus: ut & ⊖ino principio valde refertus, à quo humoralis massa abundanter inquinata tandem ejusmodi secretionem per Aurium glandulas instituit. Sed & fortè Aër nebulosus, crassus, turbidus, arenosus, externè in Aures diu illabens, & ostiola tubulorum lacessens fluxum istum provocare potest.

Diagnosis. In *Diagnosi* fluxus hic seu humiditas Infantibus quàm Adultis familiarior. Humor autem fluens obscurè flavidiusculus, & oleosæ sæpiùs consistentiæ observatur. Nonnunquam cum dolore junctus, sicubi acrimoniâ quâdam fibrillas membranaceo-nerveas rodat. Fœtet autem humor serosus peccans, quando ♀reæ particulæ cum ⊖ino-volatib⁹ alcalinis exaltatæ ac dissolutæ auras petunt, adstantiumque nares feriunt. Auditus imminuitur quoque à materiâ canalem aurium implente ac infarciente.

Prognosis Quoad *Prognosin* Affectus hic subinde diuturnus, & auditioni plus minus nocivus observatur; nisi enim benè curetur, vel Tympani membranulam laxando, vel meatum Auris obstruendo, vel nervosas fibras oblinendo, Auditum imminuere aut etiam planè tollere potest.

Curatio. *Curatio* absolvitur ante omnia purgans exhibendo, vel è *Trochiscis hermeticis*; v. gr. pro Infante trimulo:

℞. *Troch. Herm. no.* iv.
d. ad ch. pro dosi matutin.

vel ex *Infuso Folior. Sen.* cum *Rhabarb.* vel pro quadrimulo ex *Syrupo* aliquo laxante cum ☿rio *dulci.*

℞. *Syr. de Cich. cum Rh.* ℥j.
Aqu. Bet. ℥ß.
Cinam. ℈ij.
Elect. è Succ. Ros. ʒß.
Merc. dulc. ℈ß.
M. d. ad v. pro dosi.

Post purgans convenit *Decoctum Lign. Sassaph.* cum *Sem. Fœnic.* pro *Potu ordinario*, quod tanto efficacius erit, si palatum Ægroti simul permittat incoqui *Cortices Tamaricis*, *Pyrolam*, *Saniculam*, *Millefolium*, *Vincam pervincam* &c.

Externè si dolor adsit simul, conveniet *Lac tepidum*, in quo *Crocus*, *Malva* & *Chamomilla* ebullierunt, cum gossypio *Auri* frequenter immissum. Aliàs etiam conducunt *Olea Rosarum*, *Violarum*, *Verbasci*, *Meliloti*. Sordes verò Aurium detergunt, atque hinc fluxum sistunt *Mel rosaceum* & *Aqua Mellis* cum *Succo Rutæ*, *Sempervivi*, *Apii* & *Plantaginis*. Vel etiam *Radix Aristolochiæ*, *Ireos*, *Tormentillæ*, *Myrrha*, *Crocus*, *Alumen*, *Vino* aut *Aquæ Plantaginis* incoqui possunt, & hoc liquore Aures extergeri, fluxusque sisti poterit. Quòd si Sordes ita fuerint detersæ, & humiditas tamen non planè cesset, purgans repetatur, simulque *Essentia Myrrhæ* cum ♒*u Regin. Hung.* permixta aliquoties Auri infundi poterit. Hisce pro majori exsiccatione nonnulli jungunt *Pulveres* ex *Tutiâ*, *Lapide calaminari*, *Bolo armenate* ac similibus, quibus tamen præferimus

Fumos

Fumos è *Succino*, *Mastiche*, *Thure*, *Solano*, *Menthâ*, *Ligno santalino*, *Baccis Juniperi*, & similibus, Auribus exceptos, cum linteis satis calentibus desuper impositis.

AVRIVM DOLOR, OTALGIA, est sensatio quædam tristis à variis causis organum Auditûs plus minus graviter lædentibus producta. Affliguntur hinc membranoso-nervosæ partes sive in externâ, sive in internâ Aure existentes; in quibus Dolor modò *pruriens*, & ad fricationem stimulans, modò *pungitivus*, modò *pulsatorius*, modò *lancinans*, divellens, *tensivus*, aliusve, pro variâ lædentis causæ modificatione, excitatur.

Dolor hic modò continuus est, modò intermittens, nonnunquam in interiore Auris cavitate & juncturâ maxillæ, tum demum affligens, quando homo aliquid deglutit; quod quidem frequenter illis obtingit, quibus Tonsilla & profundior Faucium contignatio muco tenaci obducta est.

Causa ejusmodi doloris est, quicquid fibras affectæ partis nervosas præternaturaliter offendere, pungere, lancinare, crispare, tendere, rodere, scindere, lacerare, aut fortiter comprimere potest. Itaque si quid illapsum est in Aures, lædendi qualicunque virtute præditum; humor item serosus, salsus, acris, plus minus viscidus in cavitate Aurium stagnans; cerumen acre, salsum, inprimis quando excerni nequit; sanguis etiam crassus intra tubulos subsistens, collectus, atque *Inflammationem* pariens; *Abscessus* ab hac ipsâ Inflammatione enascens; Excoriatio, Vulnus, Vlcus, Sanguinis, Saniei, aut serosi humoris plus minus frequens profluvium; vel denique suppressa ejusdem materiæ effluxio, cruciatus inferre potest, nunquam majores, quàm si humor aliquis acris copiosè stagnat intra poros membranæ Aurium, eamque valde distendit.

Hinc Dolor ejusmodi subinde effectus & productum est aliûs Morbi comitis, qui si in profundiore Auris sede existit, admoto lumine splendido Solis vel Candelæ ardentis sæpè detegi potest; quando v gr. rubedo quædam, tuberculumve rubicundum & ardens conspicuum sic redditur. Solet denique & gravior tinnitus aut sibilus dolorem Aurium membranæ inferre. Dolores intensiores sunt in Auris Inflammatione, ubi non simpliciter tantùm membranæ divelluntur, sed & sanguinis stagnantis particulæ sub actu suppurationis rapidè inter sese colliduntur. In hoc casu, non secus atque in stagnatione lymphæ ac ceruminis, capitis quoque dolor sæpiùs simul effligit. Cùm itaque Inflammatio in Abscessum convertitur, dolor intenditur, usque dum maturus ille rumpatur, & suum pus in principio saniosum, dein autem magis coctum, & albicans, quandoque aliter coloratum ac virosum effundat; tum enim dolor remittit, si non ex toto, saltem maximâ ex parte. Si Inflammatio ingens est in Aure, plerumque Febris simul continua hominem molestat, cum variis symptomatibus febrilibus.

Ad Otalgiam hinc producendam contri-

contribuere solet Aër maximè frigidus, præprimis si aliquandiu cum venti cujusdam flatu in Aurem propellatur; hinc enim vascula sanguinem aut lympham vehentia constringuntur facilè, talesque humores subsistere & stagnare faciunt. Idem præstare valet Aqua, vel alius qualiscunque Liquor frigidus. Validi conatus in excernendo Fœtu, aut Fæcibus exprimendis; vehementes item vociferationes per consensum quoque in Auribus dolorem excitare valent; quatenus videlicet sub conatibus istis aër vehementer è faucib⁹ versus aurium internos sinus propellitur, ut ab eodem aëre dein vascula membranularum fortiter comprimantur, ac ita humorum motum impediendo stagnatio dolorifica producatur.

Prognosis Affectus hic subinde diuturnus est, si à lymphâ crassâ, viscidâ, acri, & stagnante proveniat. *Inflammatio* in *Abscessum* plerumque mutatur, *Abscessus* verò in *Ulcus* abit, quod dein, nisi radicitus extergi queat, in *Fistulam* promtè mutatur, inprimis si humor fluens tenuis, acris, & corrosivus extiterit.

Curatio. Quod *Curationem* spectat, si Otalgia à catarrho seroso, viscido, membranas distendente proveniat, tum corpus primò expurgandum est seqq. aut simili:

℞. *Spirit. Anth.*
Anis. ana. ℥ß.
Magist. Jalapp. gr. viij.
Solutis leni igne adde
Syrup. de Betonic. ℥ij.

Detur ad Vitrum, & sumatur mane unâ vice.

Vel ℞. *Extract. panchymag. Croll.*
Mass. Pilul. Marocost.
Cinnab. ♁n. correct. ana. ℈ß.
Magist. Scammon. gr. ij. *vel* iij.
Ol. stillat. Fœnic. q. s.

M. f. l. a. Pilulæ no. 13. *Inaurat. sumantur mane pro dosi cum regimine Diætæ.*

Pueris & Infantibus vel *Syrupus de Cichor. cum Rhabarb.* vel *Trochisci nostri pædocathartici*, juxta numerum annorum exhiberi debent.

Purgato corpore intus quidem *Sal* quoddam *volatil. oleosum*, vel *Essentia Beton. Succin. Zedoar. Ambr. Trifol. fibrin.* Vel *Spiritus Cochlear. Salis armon. succinatus, anisatus*, aut *fœniculatus* ad guttas 20. aut plures quotidie cum *Aquâ Verben. Borragin. Beton. Fumar.* aut *Cherefol.* sumendus commendabitur. Vel sequens Tragema ordinabitur:

℞. *Specier. dianth.*
diatr. piper. ana. ℥j.
Fol. Beton. ℈iiij.
Majoran.
Flor. Lilior. conv.
Primul. Veris. ana. ℈ij.
Radic. Ireos florent. ℥j.
Ocul. ♋. ppt. ℥ß.
Diaph. ♃vial. ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Sacchar. cand. alb. ℥ij.

M. f. Pulv. subt. detur ad Scatul. Dosis mane ac vesper. ʒj. *ad* ʒij. *cum vehiculo conveniente.*

Extus conducunt ea ex parte, quæ supra contra Auditum gravem lauda-

laudavimus. Inprimis verò attenuans, resolvens, & discutiens fotus aut vapor, auribus crebrò calidè exceptus, valde proficuus existit; qualem eodem loco descriptum videre licet. Sed etiam heic promtè juvare valet *halitus subtilis & calens Spiritûs Salis armon. urinosi* sive *simplicis*, sive *anisati*, per collum angustum alicujus cucurbitæ vitreæ prunis impositæ in Aurem crebrò admissus. Prodest etiam *Succus Cochlear. Cepar. Hieracii, Rutæ, Cymbalariæ, Alliariæ, Nasturtii*, & similium cum *Aquâ Fumar. Betonic. Scabios.* aut *Lacte* permistus & calidiusculè auribus inditus. Vel *Spirit. Formicar. Anth. Lumbr. terrestr. Meliss. Anhaltinus, acusticus Mynf. otalgicus Mindereri* &c. auribus cum gossypio immitti potest; superimponendo semper siccos calentesque admodum *Sacculos* è *Radicib. Valerianæ, Angelic. Calam. arom. Petasitid. Cyperi, Baccis Laur. Juniper. Seminibus carminativ. Herb. Abroton. Absynth. Anethi, Calaminth. Matricar. Pulegii, Meliss. Menth. Origan. Ocym. Thymi*, & similibus compositos.

Si non obstantibus his persistat Dolor, tum vesicatoria Nuchæ, aut retro Aures applicanda sunt. Purgans quoque reiterandum.

Quando Aurium dolor provenit ab humore tenui, salso, acri, modò fluente ex auribus, modò subsistente & stagnante, tum in Pueris quidem *Trochisci pædocathartici nostri* aliquot vicibus, v. gr. tres vel quatuor Puero tres annos nato, dabuntur: Adultis autem *Vinum medicatum alterans & purgans* præscribetur; v. gr.

℞. *Radic. Angelic.*
Apii.
Caryophyllat. ana. ℥ß.
Rasur. Lign. Guajac. ʒvj.
Santal. citr. ʒij.
Herb. Agrimon.
Beton. ana. Mj.
Cochleariæ recent.
Summit. Absynth.
Centaur. min. ana. Mß.
Baccar. Juniper.
Semin. Anis.
Seseleos. ana. ʒij.
Fol. Senæ probè mund. ℥j.
Rhabarb. elect. ʒiij.
Agar. trochiscat. ℥ß.
Spicæ Indic. ʒiß.
Cortic. Winter. ℈iiij.
⊖*is Juniper.* ʒj.
Incis. contusis, & Sacculo ex Sindone inditis affunde Vini albi veteris.
Aquæ fontan. ana. ℔. iij.
Stent per primam noctem in cineribus calidis, postea quotidie mane cyathus plenus unciarum trium vel quatuor exhauriatur cum regimine diætæ.

Interim *Errhina, Sternutatoria, Apophlegmatismi, Fumus Tabaci* pro re natâ concedentur, sicuti sub titulo de *Auditu gravi* præscripta inveniuntur. *Frictiones* capitis quotidie aliquoties cum Linteis calidis, ac *fumo* accensi *Pulveris fumalis* imbutis instituentur. *Vesicatorium* etiã Nuchæ applicabitur. Vertex capitis & Tempora singulis diebus *Oleo destill. Succin. Baccar. Juniper. Lavendul. Rutæ, Rorismarin. Thym, Angelic.* & similib. calidiusculè illinentur;

tur. *Cucupha* quoque, si modò ferre possit Æger, gestabitur, v. gr. ex sequentibus concinnata:

℞. *Folior. Amarac. Betonic.*
Origan. ana ℥iß.
Summit. Abroton.
Rorismarin.
Thymi. ana. ℥j.
Flor. Lil. convall.
Cheiri,
Salv. ana. ℥ß.
Storac. calamit.
Mastich. elect.
Asæ dulc.
Nuc. mosch. ana. ℥j.
M. f. Pulv. grossiusculus, insuatur sindoni rubr. pro Cucuphâ.

Cucurbitulæ cum scarificatione dorso admoveri, vel Vena poplitis secari potest in Plethoriscis.

Intus vel Pulvis absorbens, exiccans, & tonum Fibrarum roborans dabitur, ex *Radice Caryophyllat. Bistortæ, Foliis Saniculæ, Betonic. Floribus Rosar. rubr. Tunicæ, Unicornu foss. Ebore ust. ppt. Corall. rubr. ppt. Terrâ sigill. Bolo Armen. ppt. Lacte Lun. Matre Perl. ppt. Diaphoretic. martial. Specif. stomach. Poter. Nuce mosch.* & similibus concinnatus.

Vel sequens Electuarium concedetur.

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ⊖*lat.*
fl. Tunic. ana. ℥vj.
Nuc. Indic. condit. ℥j.
Condit. Cortic. Aurant. ℥ij.
Terr. sigillat. ℥iß.
Syrup. flor. Tunic. q. s.
Misc. f. Electuar. d. ad Ollam, mane ac vesper. magnitudo nucistæ capiatur.

Singulis pastibus haustus Vini rubri satis boni aut generosi concedatur. Præterea omnia, quæ serum corporis nimium augere possunt, fugientur.

Si humiditas Aurium nimia fuerit in culpâ, tum ea usurpabuntur, quæ supra sub titulo de *Aurium humiditate* prolixè fuerunt comendata, tanquam utilia. *Vulnus* Aurium generalem sanandi Vulnera methodum admittit; vid. titulum de *Vulneribus. Vermes* eximuntur, sicuti sub præcedenti titulo dictum. *Ulcus* tractatur quoque, uti paulò suprà explanavimus. *Ceruminis* aut *Lymphæ* excretionem suppressam corrigunt ea omnia, quæ superius in Catarrho crasso adnotavimus. *Res* qualescunque in Aures demissæ sunt eximendæ, atque tonus irritatæ illarum membranæ immisso *Verbasci, Consolidæ major.* vel *Altheæ Succo* demulcendus.

Quando *Inflammatio* adest in Aure, tum purgatis ante omnia per Clysma emolliens ac detergens viis primis, *Vena Brachii incidenda*, vel *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicandæ. *Intus* dein pulveris diaphoretici, ex ♁*nio diaphor. Bezoardic. miner. C. C. phil. ppt. Ebore ppt.* compositi, dosis mane ac vesp. per plures dies exhibenda, cum *Aquâ Scabios. Endiv. Ulmar. Card. bened. flor. Sambuci*, &c. *Extus* verò primùm tentanda est Inflammationis discussio per applicationem *Spiritus Vini camphorati* cum *Aquâ Solani, flor. Sambuc. Spermatis Ranar.* commixti, vel per aliorum remediorum adhibitionem. Si autem hoc frustra est, atque in Abscessum vergat Inflammatio,

tio, tum protinus instituenda est Tuberculi sive Apostematis maturatio, imposito Cataplasmate è *Farinâ Fabar. secalinâ*, vel *Micâ Panis*, cum *Croco, Melle, Lacte*, & portione alicujus *Cepæ*, composito: maturatum Apostema plerumque suâ sponte aperitur, atque tum saniem fundit quotidie usque ad Vlceris perfectam detersionem, quæ debitis remediis est instituenda, & ad consolidationem promovenda, sicuti sub titulo præcedente de *Aurium Vlcere* docuimus.

AVRIS FISTVLA est Vlcus auris sinuosum, cùm continuo saniei aquosæ acris profluvio, oriundum à sero salso corrosivo, partes Auris internas sensim depascente. Vtut autem sinus hujus fistulosi Vlceris callosi sint, non secus atque in aliis Fistulis totius corporis evenire solet, quoniam tamen ejusmodi callositas ob loci angustiam satis crassa & firma evadere nequit, hinc etiam suppressus frequenter effluxurus liquor saniosus corrosivâ suâ qualitate fibras nervosas adoriens & crispans, immanem sæpe dolorem excitat, cum Hemicraniâ aut Cephalalgiâ utplurimum comite.

Fons & scaturigo ejusmodi Fistulæ imperscrutabilis est, quando saniosum serum ex Auris profunditate venit. Si liquor emanans lividus, ac fœtidus existit, signum est ossis alicujus jam Carie infecti & corrupti. Oportet igitur, ut intra cavitatem organi istius dilaceratio vasculi unius vel alterius lymphatico-membranosi, ab humore v. gr. stagnante acri producta fuerit, quæ dein cicatricem respuens continuè effluentem lympham exhibeat, non secus atque excitatus in hac aut illâ parte Fonticulus. Fovet autem ejusmodi fistulosum Vlcus perpetim affluens è Sanguine cacochymico circulante succus aquoso-salinus acris; sed non simpliciter fovet, quin cùm remedia ad ejus radicem penetrare nequeant detergentia atque consolidantia, jugiter circumquaque rodit, & ita partis affectæ substantiam membranoso-mollem paulatim consumit; tandemque ad Sanguinis massam ex parte rediens, eamque penitus inquinans, Tabem & Febrim hecticam producit, quâ dein Homines lentâ morte consumti intereunt.

Si Curationem desideres, nullam scimus aliam quàm quæ communis est cum Fistulæ cujusvis sanatione. Cumque propemodum impossibilem eam judicemus, hinc etiam palliativa tantùm cura, in Symptomatum mitigatione consistens, adhiberi solet, quam sub titulo de Fistulis sufficienter attigimus. *Curatio.*

AXILLÆ, vel HVMERI LVXATIO est capitis rotundi ossis Humeri, quâ quidem cum processibus ossis Scapulæ, coracoide & cervice per intervenientia ligamenta junctum est, è suâ sede propulsio. De hâc vide Titulum de *Luxatione* suo loco. *Axillæ luxatio.*

AXILLÆ IMMOBILITAS est motûs vel flexionis Ossis humeri impossibilitas, à variis causis producta. Hæc si proveniat à musculorum Bra- *Axillæ immobilitas.*

chia moventium resolutione, tum ad *Paralysin* referenda, de quâ suo loco: si verò ab humoris seroso-lymphatici collectione & stagnatione inter Articuli tendines oriatur, vel *Arthritis* est, de quâ alibi agitur, vel *Catarrhus* Arthritidi similis, eodemque cum hac modo curabilis: si denique à Luxatione vel Vulnere Articuli ortum suum habet, ad *Luxationem* vel *Vulnus* pertinet, de quibus vide suo loco.

B.

BALBUTIES & BLÆSITAS, Vid. *Linguæ* Balbuties.

BARYCOIA, Vid. *Auditûs Gravitas.*

Barbæ defectus. BARBÆ DEFECTUS, est deformitas faciei in Viris, quando pili circa labia & mentum vel non crescunt planè, vel tardius erumpunt, vel excidunt aut defluunt, nec amplius regenerantur. Equidem deforme esse credunt Fœminæ, sicubi pilos suis in mentis crescentes habeant; sed multo adhuc indecentius in se esse arbitrantur Juvenes & Viri, quando Barbæ defectu laborant; maximeque deforme reputatur in senescentibus, facie prorsus glabrâ & rugas ducente, esse præditum, sicque ut *Comicus* fuit olim locutus, *Senem mulierem* referre.

Quando autem *Pili* omnes canaliculi vel tubuli sunt diversicolores, qui è peculiaribus radicibus, sive bulbulis ovalibus mucosis, subter cutim jacentib⁹, ac ejus aversæ superficiei adhærentibus nascuntur; necesse est, ut ejusmodi bulbuli in certis tantùm regionibus cutis existant, ubi pili aliâs extra cutim nascentes comparent. Crescunt hinc felicius illi, sicubi radices naturaliter sint constitutæ, atque succum nutritium, ex arteriolis suis jugiter acceptum, sine impedimento per canaliculos Cutim penetrantes emittere valeant.

Accidit verò nonnunquam, ut ejusmodi radices & bulbuli pilorum vel planè deficiant in structurâ nativâ præternaturali; vel à viscidiore muco obstruantur, atque transitum succo nutritio denegent; vel à resolutione nervulorum flaccidiores evadant, & sic nutrimentum nullum è Sanguine accipiant, atque transmittant; vel à nimio sanguinis allabentis fervore v. gr. in Febribus exiccentur; vel ab humorum circulantium acrimoniâ erodantur; vel denique à malignâ quadam aurâ externâ ita constringantur, ut hinc pili vel sponte elabantur, vel levi attactu extrahi queant. Artificialiter etiam per *psylotra* remedia pili extrahuntur, radicibus subinde erosis; quod pluribus orientalibus Populis familiare esse perhibetur. In castratis porrò Juvenibus Barba non crescit, quoniam propter seminalem materiam in Sanguine manentem, pilorum nutrimentum mutatur, aut corrumpitur plerumque, ita ut ad Barbæ generationem nihil amplius faciat.

Prog. & Cura. In *Curatione* si vel nativum est malum, vel si radices fuerint erosæ, atque evulsæ, remedium superest nullum. Si autem à siccitate, obstructione aut resolutione bulbulorum Pilorum malum provenerit, tum purgandum

dum eſt unâ vel altera vice corpus; hinc ſudorifera ac diaphoretica pluries ſunt danda, ſudorque non ſemel pellendus. Extus verò ea, quæ vel ſingulari quadam proprietate Pilorum generationem promovent, vel obſtructionem canaliculorum reſerant, & ſiccitatem corrigunt, in uſum ſunt trahenda, v. gr. *Radices Malvæ, Alth. Lil. alb. Nymphææ, Aſphodeli, Scillæ, Raphani hortens. Ceparum*, &c. *Folia Braſſicæ, Betæ, Cherefolii*, invicem contuſa, cum *Sale communi*, & *Axungiâ porcinâ* miſta applicantur ſingulis noctibus; poſtridie mane partem cum *Vino calente* abluendo. Vel ſume *Pulveres* aut *Cineres Radicum* v. gr. *Aſphodeli, Cyclaminis, Aſari, Valerianæ, Imperatoriæ, Helenii, Cortic. Pini, Sambuc. Arundinis, Herbarum Lavendulæ, Adianthi, Rutæ, Abrotoni, Trichomanes, Abſynth. Aneth. Viſci tiliacei, Semin. Staphiſagriæ, Erucæ, Cochleariæ, Naſturtii, Sinapi, Hyoſcyami, Putaminum Nucis Avellanæ & Juglandis, Oſſium Dactylorum*, & ſimilium; miſceantur cum *Oleo irino, Axungiâ Anatum, Anſerum, Porcorum*, aut *Melle*, & ſic quotidie mane ac veſperi inungantur locis, ubi Barba erumpere debet; hocque remedium per aliquot hebdomadas continuetur, usque dum aliquem inde effectum obſervemus. Ita nonnulli heic commendant *Succos Ceparum, Allii, Alliariæ, Scordii, Raphani, Naſturtii, Beccabungæ* &c. calidè cum linteis quotidie applicatos. Sunt qui *Oleum è Nucleis Avellanarum, Perſicorum, Amygdalarum amararum, expreſſum*; vel *Oleum Olivarum vetus, laurinum, raphaninum, Lucernarum, anethinum, Ovorum*, aut ſimile cum pulvere rerum ſupra dictarum, aut *Apum* vel *Formicarum*; *ſtercoribus* item *Columbarum, Anatum, Gallorum, Murium, cineribus Veſparum, Cantharidum, Muſcarum, Aſellorum, Talparum, Lacertarum, Ranarum, Pellis urſinæ, vulpinæ, Erinacei terreſtris* permiſcent, & ſingulis diebus applicant.

Quando à nimiâ humiditate & laxitate tubulorum Barba deficit, poſt corpus aliquoties Vino medicato purgatū, ea extus adhibenda, quæ tonum fibrarum nimis laxum roborare, atque firmiorem reddere poſſunt, id quod producere valent blandè ſiccantia atque leniter adſtringentia; v. gr. *Radices Cyperi, Calam. arom. Angelic. Petaſitid. Caryophyllat. Herbæ capillares omnes, Folia Myrti, Anethi, Abſynth. Pyrorum, Quercus, Marrubii albi, Dictamni Cret. Chamædr. Chamæpith. Salicis, Ulmi, Roſar. rubr. Flores Balauſtior. Cortices Granatorum, Ulmi, Gallæ, Nuces Cupreſſi, Baccæ Lauri, Juniperi, Semina Aniſi, Leviſtic. Fœnicul. Aquilegiæ*, &c. quæ vel cum *Vino rubro*, vel cum *Lixivio* aut *Aceto* coqui, & applicari ſingulis noctibus poſſunt. Alii in hoc caſu *Fumum* ex accenſis *Pinis, Juniperino ligno, Olibano, Styrace, Ladano, Floribus Roſar. rubr. Foliis Myrti, Origani, Ocymi, Menth. Chamæpityos* &c. linteis excipiunt, & calidè admovent. Ex iisdem etiam ſimplicibus, unâ cum *Baccis Lauri, Juniperi, Seminibus Seſeleos, Pæon. Naſturtii, Pice, Cerâ* atque *Terebinthinâ*

Emplastrum concinnari potest, quod applicatum quotidie, similiter ad Barbæ generationem contribuit.

Bronchocele. BOCIVM, BRONCHOCELE, HERNIA GVTTVRALIS, est Tumor flatuosus juxta Bronchia à distensione & inflatione violentâ membranarum, inter Cutim & asperam Arteriam hærentium, oriundus, & instar sacci quandoque propendens.

Pars affecta. Afficitur heic maximè illa membrana duplex Gutturis seu Arteriæ asperæ, à flatibus utplurimum distenta: subinde tamen etiam nervi talium partium membranosarum convolvuntur, & dispositionem ganglioformem nacti musculos atque cutem Colli simul expandunt. Imò hic ipse Affectus aliquando illæsis suprà dictis membranis solas Colli musculorum, sive longorum sive scalenorum, aliorumve tunicas prehendunt & occupant.

Causa. Causa *proxima* hujus Tumoris est vehemens distensio atque divulsio membranarum sive Gutturis, sive musculorum Colli, à violentâ admodum Spiritûs retentione, (sicut in *Tubarum* inflatione validâ & crebrâ, in Fœcum alvinarum & Fœtûs uterini extrusione difficili, ponderosiorum denique onerum elevatione contingit) hincque alicujus humoris flatuosi, vel Spirituum aëreorum inter distentas tunicas collectione originem ducens, quæ quo major evadit, eo etiam *Bronchoceles* saccus grandior apparebit. Cùm verò sic membranæ Colli aut Gutturis velut in Scroto alias contingit, divelluntur, ideo Tumor hic *Hernia gutturalis*, sive *Bronchocele* vocatus fuit.

Quoad *Diagnosin*, Bronchoceles Tumor in parte Colli anteriore versatur, rotundus est, insignis subinde magnitudinis, atque sacci penduli aut vesicæ inflatæ adinstar conspicuus, indolens aliâs, nec nisi deformitate, aut respirationis offensione incommodus, usque adeo tensus, ut cùm pulsatur, sonum edat; cum verò premitur, cedit quidem, sed mox iterum attollitur. Deformat hinc Collum, vocem efficit raucam, & deglutiendi ac respirandi difficultatem inducit, interdũ adeo magnam, ut eapropter suffocationis, vel strangulationis periculum homines incurrant. In ipso autem Tumore continetur utplurimum flatulenta materia, quæ subinde Lympham quandam coagulatam secum fert. Differt hinc Bronchocele à Scrophulis & Strumis, quòd hæ 1. mobiles sint, nec ita fixæ sicut Bocium. 2. Asperæ Arteriæ non cohæreant. 3. Non in membranis distentis, sed in Glandulis Colli intumefactis subsistant. Et 4. non tam anterius, quàm ad latera Colli conspiciantur.

In *Prognosi* tenendum, hunc morbum in principio sui curabilem esse, quando autem jam excrevit multum, prorsus insanabilem, aut certè curatu maximè difficilem existere, imò propter affluxum atque stagnationem lymphæ & aëris, quotidie interdum majorem, ægro periculum suffocationis vel strangulationis subitaneæ afferre, dum guttur hâc ratione validè comprimitur. Quandoque, si Bronchocele redditur dolorifica, ac in se se abscondit salia corrosiva, in cancrosum

ſum Abſceſſum & Vlcus converti poteſt.

In *Curatione* quoad *Diætam*, optimo Æger fruatur *Aëre*, inprimis non nebuloſo aut pluvioſo; *Victus* ſit parcus & eupeptus, Cibi craſſi, fumo indurati, caſeoſi fugiantur: è contrario aromatica & aperientia omnia conveniunt. *Potus* non ſit Aqua aliqua ſtagnans, aut è ſaxis vel montoſis locis ſcaturiens, qualis inprimis Strumas ſolet excitare, ſed conducit Vinum tenue, penetrans, minimè tartareum; Cerevisia item optimè defœcata; aut alteruter horum potuum cum Infuſione *Radicis Scrophulariæ* atque *Cinnamomi*. Commendatur & *potus Theé* frequentiſſimus: æſtivo tempore etiam potus *Thermarum*, inprimis *Embſenſium*, aut *Piperinarum Helveticarum* prodeſt. *Motus* & *Quies* non excedant. *Alvus* etiā quotidie reſpondeat. Præcipuè *Vociferatio* nimia atque crebra, & diuturna ſpiritus retentio in ponderum elevationibus, Fœcum alvinarum aut Fœtûs uterini protruſioribus, ſimilibusque rebus maximè vitetur. *Animi* tandem *Motus* vehementiores rationis freno cohibeantur.

Quod Pharmaciam attinet in Bonchocele ante omnia tentandæ ſunt vires remediorum purgantium ac diſcutientium, quæ quidem Strumis feliciter medentur. Si verò hæc nullum præſtent effectum, ad Operationem manualem eſt accedendum, quâ Bronchoceles tumor in parte molli & declivi inciditur, hincque è Vulnere per ſpongiam præparatam dilatato materia flatuoſo-lymphatica eximitur; Vlcus poſtea probè mundificatur, & conſueto more ad conſolidationem promovetur. Inprimis ante & poſt operationem *Cataplaſmata carminativa* è *Chamomillâ*, *Hordeo*, *Meliloto*, *Meliſsâ*, *Salviâ* &c. concinata frequenter applicantur. Quod ſi verò tumor adhuc recens & exiguus ſit, tum *Oleum Chamomillæ*, *Lacertarum*, *Scorpionum*, *Scarabæorum*, *Lumbricorum terreſtrium*, quotidie mane ac veſperi per plures ſeptimanas calidè cùm fructu inungitur; imò & *Emplaſtrum de Baccis Lauri*, *de Cicutâ* cum *Mercurio vivo* & *Oleo Philoſophorum* malaxatum imponitur. Aliis etiam *Cataplaſma* arridet ex *Cepis albis*, *Radice Lilior. alb. Hellebor. nigr. Alth.* cum *Sapone nigro*, *Oleo Chamomillæ* ac *Scarabæorum* compoſitum. Ad impediendam verò ulteriorem Tumoris augmentationem, ſi diſcuti nequeat, adſtringens aliquod Emplaſtrum diſcutienti permiſcendum atque imponendum eſt; v. gr.

℞. *Emplaſtr. ad ruptur.* ℥j.
de Bacc. Laur. ℥ß.
Cortic. Granator. ʒij.
Sanguin. Dracon. ver. ʒj.
Ceræ & Tereb. q. ſ.
M. f. Emplaſtrum tenax, d. ad ch.

Vel Cataplaſmata è *Stercore columbino*, *anſerino*, *Herbis Menthæ*, *Pulegii*, *Meliſſæ*, *Matricariæ*, *Leviſtici*, *Fœniculi*, *Rutæ*, *Scabiuæ*, *Scrophulariæ*, *Piloſellæ*, *Verbenæ*, *Ariſtolochiæ*, *Farinâ* qualicunque, *Albumine ovorum*, aut *Melle* fieri poſſunt & quotidie ſemel aut bis recenter imponi. *Platerus* heic ad fortiorem diſcuſſionem commendavit extus *Cataplaſma* ex *Radicibus*

Bryoniæ,

Bryoniæ, Iridis nostratis, Cucumer. asinini, Scillæ, invicem contusis ac in *Vino* coctis, addendo postmodum *Farinam Fabarum & Orobi, Amygdalas amaras,* ac *Nucleos Persicorum contusos, semen Cumini,* cum *Pipere,* atque *Oleo Irino.* Vel *Emplastrum* è *Gummis ammoniac. Galban. Bdellii in Aceto fortiss. solutis,*cum *Pulvere Radic. Ireos, Semin. Sinapi, Urticæ, Pulpæ Colocynth. Salis Aluminis,* ac Resinâ denique *Pini, Navali Pice* & *Oleo Nucum antiquiss.* concinatum. Intus autem sequentem Pulverem, tanquam expertum laudavit:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Galang. ana. ʒiß.
Herb. Puleg.
Saturejæ,
Herniar. ana. ʒß.
Semin. Anis. Fœnic. ana. ʒj.
Petroselin. ʒß.
Piperis longi,
Spicæ Nardi.
Nucis moſch.
Cinamom. opt. ana. ℈ij.
Myrrhæ ʒß.
Alumin. usti ℥ß.
Sacchar. rosſ. tabul. ad pondus omnium.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒiß. *cum Vino.*

Denique heic ea omnia remedia conducunt, quæ in Hydrocele & Pneumatocele alias proficua esse deprehenduntur. *Emplastrum* sequens apud Fœminam, incipiente post difficilem Partum Herniâ gutturali laborantem, feliciter usurpatum fuit:

℞. *Gummi Galban. Sagapen. & Ammoniac. ana.* ℥ß.
Myrrh. rubr.
Thuris mascul.
Ladan. ana. ʒij.
Invicem contusa solve super ignem lenem in Aceti scillitici q. s.
Dein iterum inspissa, & adde
Ceræ citr. ℥ß.
Picis naval.
Colophon. ana. ʒiiß.
Cinnabar. commun. ℥ß.
Semin. Fœnic.
Levist.
Pulv. rad. Scrophular. ana. ʒiß.
Olei Philosoph. ʒij.
Lumbric. terr.
Scorpion. Matth. ana. ʒj.
Terebinth. Venet. & Ol. ros ana. q. s.
M. f. l. a. Emplastr. d. ad ch. inducatur Alutæ & imponatur.

BVBO est tumor inflammatorius Glandularum præcipuè in Inguinibus, sub Axillis aut pone Aures, ab humore ibidem stagnante ac ad suppurationem tendente originem ducens.

Afficiuntur heic inprimis prædictæ Glandulæ; tum verò & aliæ plures aliarum partium. Ita enim in Dorso, Brachiis, ac Pedibus, similes oboriuntur Tumores urentes & mordicantes, non tamen adeo magni, qui sub nominibus *Phygetlorum, Phymatum* aut *Furunculorum* venire solent.

Causa proxima uti Bubonis, ita & reliquorum Tuberculorum est stagnatio sanguinis aut lymphæ plus minus viscidæ & acris, subinde & malignæ aut corrosivæ, prout in Febribus pestilenti-

lentibus & malignis contingere ſolet. Videlicet primùm aliquid Lymphæ ſtagnat, illud verò dein acrimoniâ ſuâ criſpando fibrillas tubulorum ſanguiferorum ſimul guttulas ſanguinis ſubſiſtere & ſtagnare facit, quæ dein ſenſim accumulatæ Tuberculum vel Tumorem inflammatorium producunt. Depluit ad Partem affectam materia illa peccans per Arterias, ut adeo *Cauſa antecedens* ex ipſo Latice arterioſo derivanda veniat, utpote in quo ſive per malè digeſtos in primis viis cibos, ſive per inſpirationem malignæ cujusdam auræ particulæ heterogeneæ ſalinæ viſcidæ, acidæ, acres, aut corroſivæ cumulantur, quæ dein cùm in circulari ſuo curſu per affectarum Glandularum poros tranſire nequeunt, intra tubulos ſuos ſtagnant, & novarum jugiter particularum appulſu cumulatæ proximam cauſam efficiunt. E *Cauſis procatarcticis* huc contribuunt inprimis aura quædam maligna, rodente acido prædita; dein etiam Cibi ⊖ſi, aliive ad putrilaginem inclinantes, Carnes, aut Olera hortenſia, verminoſis ſeminiis conſpurcata; Potus Aquarum paludoſarum, in quibus ſeminia ſive ovula Inſectorum copioſè latitant. Hæ verò cauſæ omnes in majoribus quidem glandulis v. gr. Inguinum, Axillarum &c. *Bubones*, in Glandulis autē pone Aures *Parotides*; in Glandulis minoribus & ſubcutaneis *Furunculos*, *Phymata*, *Phygethla*, *Panulos* vel *Panos* &c. excitant. Vsque adeo ut omnes ejusmodi Tumores reverâ ſint Inflammationes, modò benignæ, modò malignæ, quæ utplurimum in Abſceſſus per ſtagnantis humoris ſuppurationem mutantur, tandemque cùm rumpuntur, in Vlcera terminantur.

Bubo vel ſimilis Affectus, ſi *ſimplex* eſt, dignoſcitur ex partis tumore cum renitentiâ, rubore, dolore utplurimum ardente & pulſante, continuaq; Febri leviculâ. *Symptomaticus* dein Bubo cognoſcitur exinde, quod nulli alii morbo ſupervenit: *Criticus* verò is eſt, qui morbum alium ſequitur, & plerumque hominem ab illo liberat citra ſymptomata maligna. *Bubonem* porrò *malignum* ac *peſtilentem* denunciant ſymptomata vehementiora, ſummus nimirum ardor, cum livido cutis colore, Febris acuta, Animi deliquia, aliaque ſimul præſentia Febreos malignæ ſigna. *Bubo ♀reus* inguina utplurimum affligit, & cum reliquis Luis ♀reæ ſignis eſt conjunctus. Bubones a. primò apparent exalbido rubicundi, poſtea paulo rubicundiores ac ſplendidiores redduntur, imò ſæpius fuſci ac ex nigro rubicundi coloris evadunt, cum ardore ſive æſtu ſummo. Plerumque altius ſub cute latitant in Glandulis, atque in principio hinc inde trudi ac moveri poſſunt; verùm ſtatim magis magisque intumeſcunt, ac cum tenſione & aliquali duritie immobiles redduntur. Bubo etiam, vel *Phygethlon* &c. aliquando ante Febris inſultum erumpit, interdum poſt eam demum exſurgit. Hinc ergo Bubo vel *benignus* eſt, qui ſine malignis ſymptomatibus, aliquando etiam ſine Febri hominem affligit: vel *malignus*, aut etiam *peſtilens*, qui

Diagnoſis.

Bubo peſtilens.

Bubo venereus.

cum Febri malignâ, aut Peste ipsâ excruciat: vel *venereus*, qui in Lue venereâ partes corporis pudendas maximè torquet. Dein *Bubo* vocatur propriè, si glandulas axillares vel inguinales occupat; si verò in Glandulâ pone aures compareat, *Parotis* dicitur. Quod si denique, utplurimum citra Febrim, has illasve Glandulas subcutaneas invaserit, *Phyma*, *Phygetlon* aut *Furunculus* nuncupatur.

Prognosis In *Prognosi* dubii semper eventûs est faciendus Bubo, si maligna Febris simul adsit, ac ipse Tumor tardius maturetur, aliquando enim Ægri nondum suppurato Bubone moriuntur. Interdum etiam idem Tumor in Fistulam periculosam convertitur. Nonnunquam in Herniosis Bubo inguinalis maturatus & ruptus simul Intestinum quoddam erosisse observatus est, ut inde excrementa intestinalia cum ipso pure effluxerint. Sed etiam periculum hic ex ætate, regione, ac viribus designatur. Majus verò discrimen imminet, si Ægri in principio Bubones negligunt, remediaque tam interna, quàm externa aliquandiu respuunt. In Bubonibus pestilentibus si vires constent, & remedia interna non revomantur, sed potius per sudorem operentur, tum non levis sanationis spes superest. Quo citius Bubones in Febribus apparent, quoque constantius permanent, & ad maturationem abeunt, eo etiam majorem felicis curationis spem faciunt. Si verò dispareant iterum, atque ita stagnans humor acris in massam humorum circulantem revertatur, tum plerumque mortem inferunt, idque tanto certius, quando Vomitus frequens, Lipothymiæ, Deliria, Convulsiones, Facies subitò immutata & cadaverosa, Vrinæ fœtidæ & nigricantes subsequuntur. Bubones tamen solent terminari aliquando etiam per discussionem paulatinam, plerumque verò ad suppurationem & partis exulcerationem tendunt, hincque plus minus tardam consolidationem post se trahunt.

Cu[ratio] Quod *Curationem* Bubonis attinet, in *Diætâ* quidem *Aër* purus, copiaque materiæ subtilis refertus, est eligendus, frigidus autem, squalidus crassus aut fœtidus est fugiendus. *Cibus* extra Febrim sit euchymus & eupeptus, in Febri autem conjunctâ *Jusculа consumata* Caponum, Pullorum, Gallinarum, Perdicum, Alaudarum, Carnis bubulæ, &c. multo ⊖e volatil. balsamico referta frequenter exhibebuntur. *Potus* vitetur nimium frigidus aut vinosus, nihil enim magis in hocce Affectu, quàm *Vinum* nocet, *Decoctum* verò *passular minor*, *Rasuræ C.C. Herb. Agrimon. Ulmar.* cum *Radic. Scorzoneræ*, *Fragariæ* pro ordinario potu præscribatur.

℞. *Rad. Cichor.*
Ulmar.
Scorzon.
Sem. Fœnic. ana. ℥ij.
Hordei integr. ℥ß.
Passular. minor. ℥vj.
Incis. & contus. coqu. in Aqu. font. Mij.

Vigiliæ & *Somnus* teneant moderamen; Animus tranquillus & curis sit vacuus. *Pharmaceutica.* In *Fonte pharmaceutico* inprimis attendendum, malignane vel benigna Febris

bris simul adsit, aut etiam, an à Febri Æger planè sit immunis. Quod si Febris adsit, eaque benigna, tum neque *purgantia*, neque *Venæsectiones* prosunt, sed primæ viæ ante omnia lenitivo quodam ex *Syr. Ros. sol. simpl.* evacuantur; v. gr.

℞. *Syr. Ros. s. comp.*
Flor. Persic. ana. ℥iß.
Aqu. Plant. ℥ij.
M. d. ad Vitr. pro dosi.

Vel etiam *Clysmate* emolliente & evacuante eluantur; v. gr.

℞. *Juscul. Carnis probè saliti* ℥ix.
Ol. Olivar. ℥iiij.
Mell. mercur. ℥iß.
M. F. Clysma tepidè injiciendum.

Hinc statim internè *Pulveres diaphoretici* plus minus volatiles, ex *C. C. phil. ppt.* ♁nio *diaph. Ebor. ppt. Cran. human. ppt. Bezoard. minor. Bol. Armon. Camph. Sale volat. C. C.* aut *Viper.* concinnati, dabuntur, idque cum vehiculo *Aquar destill. diaphoreticarum.*

℞. ♁*n. diaph.*
Oc. ♋*. ppt.*
Ebor. ppt.
Terr. sigill. ana. ℈ij.
⊖*is vol. C. C.* ℈j.
Sacch. ros. ʒj.
M. f. Pulv. subt. in 6. dos. æqu. m. ac v. dand.

Prosunt & alternatim *Roob Samb.* atque *Juniper. Elect. Diascord. Mithridat. Damocrat.* & similia.

℞. *Mithrid. Damon.*
Elect. Diascord. Fr. ana. ʒß.
♁*n. diaph.*
C. C. phil. ppt. ana. ℈ß.
Misc. cum Sacch. fiat
Bolus pro dosi, sæpè reiterandus.

Et ubi notamus, sanguineam Massam esse acrem, tum præscribemus *Emulsiones diaphoretico-refrigerantes*, ex *Semin. frigid. maj.* aut *minor. Nucl. Persic.* cum *Sem. Napi, Card. ben.* & *Nasturtior. Aquâ Plantag. Fumar.* aut *flor. Samb.* faciendas, de quibus singulis 4. horis ℥iij. vel iiij. cum vel sine pulveribus propinare possumus:

℞. *Sem. 4. frig. major. ana.* ʒiiß.
Nap. ʒij.
Card. bened. ʒiij.
Aqu. Plantag.
Portulac.
Borrag. ana. ℥iv.
F. l. a. Emuls. cui adde
Dent. aprin. ʒj.
Syr. Capill. ♀*r.* ℥ij.
D. ad Vitr.

Externè Bubonibus statim Cataplasmata applicare convenit ex *Succo Chelid. maj. rec.* expresso, vel in ejus defectu *succo Cepar.* aut *Alliorum*, cum *Farinâ secalinâ* aut *Farinâ sem. Lin.* vel *Radic. Alth.* & *Melle*, quibus ad dolorem leniendum addere licet *Crocum.* Vel etiam ex *micâ panis, farinâ sem. Lini radicis Alth. Malv. maj.* & *Croco* in *Lacte* coctis, egregium *Cataplasma* fieri potest, cui tamen adhuc *Cepam contusam*, aut *herbas Violariæ, Parietariæ, Althææ* vel *Malvæ*, minutissimè incisas addere licet. Hæc verò Cataplasmata citius ac felicius Bubonem maturant, quàm *Emplastra* quævis, ab aliis applicari solita. Quanquam in Phymatibus & Furunculis applicatione *Emplastr. diachyli simpl.* aut *cum Gum.* vel *stict. Croll.* possimus esse contenti. *Chirurgica.*

In *Bubonibus ♀reis internè* quidem usurpanda est Cura antivenerea suo loco descripta. *Externè* autem cum fructu applicabitur *Emplastrum de Ranis Vigonis* cum quadruplo ☿*rii*, ut & *Diachylum cum Gumm. Oleo ♀ri* ac *Rosarum* malaxatum. Vel *Emplastrum Norimbergense Gruberianum* cum suff. quant. ☿*rii*. Rupti Abscessus tales primò mundificabuntur cum variis liquorib⁹, in curatione Abscessuum suo loco jam descriptis, modò *Mercurium* quoque *dulcem* addiderimus. Consolidatio autem promovetur balsamicis, quæ inter eminet *Balsam. Peruvianus*, aliaque *Balsama vulneraria*, *Myrrhæ* vel etiam *Thuris* pulverem recipientia; atque à pinguibus omnibus immunia

Bubo pestilens. In Bubonibus *pestilentibus* tandem omni curâ & opere Abscessus ad maturitatem est perducendus, quod quidem non melius fieri potest, quàm supra jam allegatis *Cataplasmatibus*. Quibus tamen etiam addi potest *Theriaca*, *Diascord. Fracast. Roob Junip.* imò subinde necesse est, ut etiam Vesicatorium applicemus, vel certè *Fermentum* admisceamus, aut *semen Erucæ* vel *Sinapi* contusum. Quamprimum verò Abscessus maturatus est ac ruptus, tum statim *Unguentum digestivum Hildani*, vel *mundificativum de Apio*, cum *Theriacâ* atq; *Essentia Myrrh.* & *Aloës* permixtum est inungendum. Subinde ipsum Vlcus ∼*u Vini camphorato*, cum *Essentiâ Virg. aureæ* aut ∼*u matricali* permixto, aut etiam *Decocto traumatico amaro* est eluendū, tandemque *Emplastro magnetic. Ang. Sal.* vel *Diapalmâ*, *Stict. Croll.* aut *Norimbergensi* est tegendum, sicque sensim consolidatio promovenda. Intus verò ea præscribentur Remedia, quæ suo loco de Peste ac Febribus malignis indigitabuntur.

BVBONOCELE, vide *Hernia Inguinalis*.

BVLIMIA, vide *Appetentia canina*.

C.

CACHEXIA est Intemperies sive Cacochymia massæ humoralis pituito-aquosa, cum colore totius corporis pallido, & tumore molli inprimis pedum præternaturali.

Afficitur hinc *primariò* quidem massa sanguinea circulans: *secundariò* autem simul affliguntur tubuli lymphatici per totum corpus, præternaturaliter distenti, adeoque in amplitudine aucti; unde hæc Ægritudo proximus est gradus ad *Anasarcam* vel *Leucophlegmatiam*.

Causa proxima est copia humorum pituitoso-aquosorum in sanguine collecta, ob quam particulæ reliquæ oleoso-⊖ino-volatiles & balsamicæ, quæ naturaliter exaltatæ esse deberent, nimiopere deprimuntur, diluuntur & quasi suffocantur, unde serum Massæ sanguineæ auctum & spissius redditum, tardius intra vascula sua decurrit, illaque sic expandendo, molliusculam corporis intumescentiam cum colore pallido producit.

Antecedens causa chylus est crudior & aquosior per vasa lactea ad Cor quotidie longo temporis spatio transmissus. Hunc verò progignit debilis in

in Ventriculo contingens assumptorum digestio, & quidem talis, sub quâ particulæ Ciborum 🜍reæ non sufficienter exaltantur, ⊖inoque volatiles haud perfectè extravertuntur, unde fit, ut aquosæ & ⊖no-fixiores prædominium obtineant, sicque Chylum pituitoso-crudiorem exhibeant. Ansam malæ isti digestioni facilem præbent Morbi alii præcedanei, prout sunt largiores Hæmorrhagiæ qualescunque, aut etiam frequentiores sanguinis missiones seu Venæsectiones, Gallis Italisque communes: Phthisis etiam, aliæve hecticæ & lentæ Febres.

Inter *Causas procatarcticas* eminent *Aër* crassus atque humidus, in quo Æger forsan continuè aut crebrò versatur; *Cibi* multo aquoso, pauciore verò ⊖ino-oleoso-volatili principio gaudentes; *Potus* largior & frequentior Vinorum, aut Cerevisiæ etiam minus benè defœcatæ; Vita sedentaria; Curæ & solicitudines animi nimiæ, Tristitia excessiva; Somnus nimius; Excrementa alvina ægrè & segniter prodeuntia; Vrinæ diu apparens paucitas, à tubulorum aut glandularum renalium obstructione proveniens; Mensium suppressio, & similia.

Si *Diagnosin* spectes, Affectûs hujus præsentia indigitatur per colorem totius corporis pallidum aut plumbeum, tumorem itidem exiguum mollemque circa oculos, genas, manus & pedes, somnolentiam frequentem, sensuum torporem, Virium lassitudinem, vel languorem quendam, Dyspnœam & Cordis palpitationem, quoties vel scalæ tantùm sunt scandendæ.

Prognosis Affectum hunc curabilem facit, si Vrinæ sine impedimento profluant, si morbus nondum diu duravit, si nullus alius lethalis sit simul junctus, si sitis abiit, si denique nulla Febricula lenta vel Hectica comitem sese præbeat. Quando autem obstructiones internæ glandularum adsunt, & Sitim aliqualem Anorexiam, Vrinæ imminutionem, frequentem corporis horrorem, Anxietates præcordiorum, & Asthma cum Febriculâ lentâ post se trahunt, tum vel in Hydropem Pectoris, vel in Anasarcam aut Ascitem, vel etiam in Apoplexiam ipsam lethalem converti potest. Si alius morbus incurabilis sit junctus, tum Cachexia hæc utplurimum est mortis prodromus. *Prognosis*

In *Curatione* ante omnia corpus à superfluitate seri sive pituitæ per purgans aliquod est liberandum, quale concinnari potest è *Pilulis hydropicis Bontii* cum ☿rio *dulci*, *Extracto* itidem *Pilularum cochiarum*, *panchymagogo Crollii*, *catholico*, ut & *Radice ialappæ*, ac similibus. v. gr. *Curatio.*

℞. *Mass. pilul. hydrop. Bont.*
Extract. Cathol. ana. gr. jx.
Resinæ Jalapp. gr. iij.
Ol. stillat. Tereb. q. s.
M. F. l. a. Pilulæ no. xiij. *Inaur. d. pro dosi matut.*

Vel ℞. *Spirit. Anis.*
Juniper. ana. ʒß.
Magist. Jalapp. gr. vij. *vel* viij.
Solut. lento igne adde
Julep. rosat. ℥ij.
Detur ad Vit. pro dosi.

Post purgans statim ea exhibenda sunt, quæ partes ♀reo-volatiles in Mass. sanguineâ exaltare, atque eapropter salino-fixiores aut acidas absorbere, edulcorare, imò etiam per vias Vrinæ aut insensilis Transpirationis expellere possunt. Laudamus in hunc finem *Pulv. cachect. Quercet. Croc. ♂is aperit. Diaphoret. ♂iale, Ocul.* ♋. *Cochleas ppt. Lumbric. terrestr. ppt. Asellos ppt. Radicem Ononid. pulverisatam*, ⊖*ia* itidem incidentia lixivialia *Juniper. Fabar. Absynth. Cent. min. Card. ben Ononid.* &c. è quibus pulveres dosi ℈ij. aut ʒj. fieri, & cum haustu *Aqu. Plantag. Flor. Sambuc. Beccabung. Nasturtii* aut *Urtic. urent.* mane ac vesp. propinari possunt. Post singulos pastus non sine fructu Æger quoque bibet *Decoctum granor. Caffè* aut *Phaseolorum nostratium tostorum*, vel m. *Decoctum Herbæ Theè, Veronicæ, Virg. aureæ*, & similium. Postquam a. ita per 12. aut plures dies continuatum est, tum *Vinum medicatum purgans* in doses vj. vel viij. præscribi & singulis matutinis exhiberi poterit, ex *Radic.* atque *Herb. aromaticis* ac *diureticis* inprimis compositum; v. gr.

℞. *Radic. Vincetox.*
Rubiæ,
Apii,
Fœnic. ana. ℥ß.
Cortic. Lign. Guajac. ℥iij.
Herb. Agrimon.
Marrub. alb.
Artem. ana. Mj.
Flor. Calend.
Summit. Abs. ana. Mß.
Bacc. Alkek.
Laur. ana. ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rad. Helleb. nigr. ℥ß.
⊖*is Absynth.* ʒiß.
Cinnam. el. ℈iiij.
Limat. Chalybis nod. ligat. ℥ß.
Incis. & contus. sacculoque illigatis affund.
Vin. alb. vet. ℔iij.
Aqu. font. ℔iß.
Singulis mane Cyathus exhauriatur.

Hinc verò iterum ad pristina remedia incidentia recurrere licet, aut si eadem non satis efficacia deprehenderimus, etiam *Tincturam ♂is aperit.* vel ♁nii, *Essent. Virg. aur. Succin. Zedoar. Absynth. Ononid. Tincturam Salis ♀ri* ♌*ũ aperit. Penoti* ad *gtt.* xx. vel xxx. mane ac vesperi cum *Aqu. Veronic. Urticæ* &c. propinabimus Sed in usu *Decocti Caffè* continuandum, imò, si pus videbitur, *Tragema* quoque *stomachirum* jungetur, ex *Spec. aromat. rosat.* aut *Imperat.* cum *Ocul.* ♋. *Cochl. ppt. Pulver. fol. Sen.* atque *Sacch.* compositum. v. gr.

℞. *Spec. Arom. ros.*
Diatr. sant. ana. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒij.
Diaph. ♂ial. ʒj.
Pulv. fol. Sen. ʒiß.
⊖*is polychr.* ℈iiß.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dos. m. ac v. ʒj. *ad* ʒij.

Sequens *Infusum* quoque efficacissimum est.

℞. *Radic. Arist. rot. ver.*
Rubiæ.
Asar. ana. ʒij.

Zedoar.

Zedoar. ℥iß.
Herb. Artemis. Mj.
Majoran.
Meliß.
Flor. Calendul. ana. pij.
Semin. Fœnic.
Bacc. Laur.
Juniper. ana. ℥ij.
Caſſiæ lign. ver. ℥iiß.
Caryoph. arom.
Cinnam. opt. ana. ℥iß.
⊖*is Fabar.*
Junip. ana. ℈iiß.
Limat. Chalyb. ℥ß.
Inciſ. & contuſis affunde Vini alb. vet. ℔iiiß.
Aqu. deſt. Gram.
Flor. Samb. ana. ℥xij.
Digere per 4. *dies, agita quotidie, tandem Colaturæ adde Syrup. de* 5. *Radic.* ℥iiij. *m. ac veſp. hauriatur* ℥j. *vel* ℥iß.

Ex fonte Chirurgico damnamus *Venæſectionem* aut *Cucurbitulas cum ſcarificatione*, ſed è contrario modis omnibus ſuademus *Fonticulos*, vel utrique pedi, vel brachio uni alterive pedi incidendos, & aliquandiu poſt morbi ablationem etiam retinendos. Convenit ſimul *Emplaſtrum è Gummis* cum *aromatibus* & *Terebinthinâ* in Ventriculi regione continuè geſtandum. Placent & *Laconica* ſubinde inſtituta, ante quorum ingreſſum Æger ſemper ℥ij. *Roob. Sambuci* capiet.

CACOCHYMIA, Κακοχυμία, in genere dicitur pravorum ſuccorum ſive humorum collectio & abundantia in corpore; cumque modò hic modò ille humor, hæ vel illæ particulæ in circulante Sanguinis maſſâ redundant, ac ita naturalis craſis ſive mixtura, nativaque qualitas mutata ſive vitiata obſervetur, hinc etiam *Intemperiei* nomine inſigniri conſuevit. Hæc ipſa verò Intemperies varietate ſuâ adeo ludit, ut impoſſibile prorſus ſit, omnes illius ſpecies accuratè deſcribere & determinare. Quia verò plurimum hâc in re ſitum eſt, ut à Medico Practico videlicet ejus natura, producendi modus, atque curandi ratio ſciatur, hinc etiam operæ pretium erit præcipuas ſpecies explicare, idque tanto magis, quòd hâc ratione fons vel morborum præſentium evacuari, vel futurorum emendari ac præcaveri queat. Equidem Veteres omnes quæſiverunt tales Intemperies magis in Solidis partibus, ſive omnibus in univerſum, ſive ſigillatim in Cerebro, Ventriculo, Hepate, Liene, Renibus, Vtero &c. quas credebant vel calidas, vel frigidas, humidas aut ſiccas nimis exiſtere. Sed vanæ ſunt hæ opiniones, utut hominum plebejorum mentibus ita infixæ, ut ne quidem feliciſſimus atque idem eruditiſſimus Medicus meliores ſuggerere auſit, niſi prò Bruto haberi atque æſtimari velit. Populi hæc & Agyrtarum qualiumcunque vox eſt conſtans atque perpetua, Ægrum hunc laborare Intemperie humidâ vel ſiccâ, calidâ vel frigidâ, habere Cerebum v. gr. humidum, Ventriculum frigidum, Hepar calidum, & ſic conſequenter. Addiderunt dein Veteres ſuas in Humorum numero quaternario conſtitutas *Cacochymias*. Verùm hodiernæ Medicinæ facies maximè mutata, longeque

geque ſplendidior reddita, in Partibus ſolidis quidem ſubinde mutatas qualitates, v. gr. figuram, mollitiem, aſperitatem, ac ſimilia notavit; in fluidis autem ſolis propriè *Intemperies* illas ſive Cacochymias quærere, atque earum genera conſtituere plura, eaque clarius explicare conſuevit, quàm in Veterum Medicinis factum deprehendimus. De ſingulis ſpecialius & quidem ſigillatim agendum erit.

Intemperies ſanguinea. CACOCHYMIA vel INTEMPERIES SANGVINEA eſt vitioſa ſanguinis conſtitutio, quâ vel quantitas vel qualitas ejus præternaturaliter eſt mutata, indeque diverſæ corporis actiones moleſtantur. Reſpectu *quantitatis* vitium eſt nunc *in exceſſu*, nunc *in defectu*; quorum illud *Plethora*, hoc verò *Anæmia* vocatur. De hâc *Anæmia* *Plethora.* ſuprà jam ſuo eſt actum loco. *Plethora* verò eſt abundantia nimia boni ſanguinis, quando videlicet ejus particulæ balſamico-butyroſæ, ac ſeroſo-gelatinoſæ juſto majore quantitate in corpore ſunt cumulatæ, ut hinc non ſolùm vaſa magnopere diſtendantur, ſed & corpus laſſitudinem adquirat, periculumque ſit, ne idem ſanguis in qualitate ſimul mutatus, videlicet craſſior redditus, Febres ſive ephemeras, ſive continuas alias, Cephalalgiam, Aſthma, Hæmorrhagias varias, aut alias ægritudines excitet.

Cauſa. Plethoram gignit proximè Chylus copioſus optimi ſucci, balſamico- vel butyroſo-gelatinoſus, quotidie ad ſanguinis maſſam è primis viis tranſmiſſus. Chylum verò talem exhibent alimenta eupeptà & euchyla, probè in Ventriculo per laudabilem ſuccum gaſtricum digeſta; digeri ſolent optimè, ſi tempeſtivè, ſufficienter, non intemperanter quotidie fuerint aſſumta; ſi in Aëre quis ſemper verſetur ſubtili aut temperato; ſi motu & quiete reciprocè atque moderatè quis gaudeat; ſi animus fuerit perpetim hilaris, ac lætus, à curis, ab irâ, odio, invidiâ, atque triſtitiâ alienus: ſi excreta ac retenta naturaliter ſe habeant; ſi ſomnus atque vigiliæ mutatis vicibus ſint moderatæ; ſi denique Homo ſubinde nunc Laconicum, nunc Balneum Aquæ dulcis ingrediatur.

Di[agnoſis]. *Cognoſcitur* Plethora facilè è corporis habitu ἐυσάρκῳ, colore faciei roſeo, venis manuum pedumque tumentibus, frequenti laſſitudine ſpontaneâ, quibus accedit ſubinde Cephalalgia, Hæmorrhagia qualiſcunque, vita anteacta, quæ facilè ſanguinis abundantiam conciliare potuit.

P[rognoſis]. Non eſt contemnenda Plethora, neque fides adhibenda illis, qui nullam dari poſſe opinati fuerunt. Omninò exundare in vaſis aliquando ſolet ſincerus etiam ſanguis, ut niſi medela afferatur, ille vel ſpiſſeſcere atque corrumpi, hincque Cephalalgias graves, Inflammationes, Arthritides vagas, Febres continuas aut intermittentes, Aſthma, & alia producere mala poſſet; vel vaſa nimis diſtendendo rumpere, & ita Hæmorrhagias varias excitare valeret. Etſi autem Adoleſcentibus hæc Plethora familiarior exiſtat, reperiuntur tamen in quavis ætate tales, in quibus ſanguis circulans juſto majore quantitate accumulatur.

Ad

ratio. Ad emendandam itaque Plethoram requiruntur evacuantia pleraque; viæ primæ sunt mundandæ per lenitiva, sive intus exhibita, quemadmodum sunt *Syrupi Rof. folut. compof. cum Rhab. Ag. & Sen. de Cichor cum Rhab. flor. Persicor.* &c. sive extus sub formâ *Clysmatum emollientium* ac *detergentium* applicata. Deinceps sanguis est minuendus per *Venæsectionem* unam atque alteram, per *Cucurbitulas cum scarificatione* applicandas, *Hirudinum* admotiones. Inprimis etiam Victûs ratio tenuis est servanda, Cibus Potusque modicè assumendus, corporis Motus & exercitium subinde vehemens instituendum, Vigiliis indulgendum. Sunt etiam, qui tempestivam, eamque non infrequentem Venerem commendant. Alvus quotidie semel aut bis respondeat. Vrinæ sufficienter profluant.

itas ... ra ... inis *Vitium* Sanguinis *in qualitate* duplex est, nimirùm *tenuitas* & *crassities* nimia illius. *Tenuitas* à fervore aëris, cibis aromaticis salsis tenuibus copiosis, exercitiis corporis vehementibus, potu liquorum spirituosorum crebro & excessivo, vigiliis nimiis producitur, & facilè Diarrhœas, Sudores colliquativos, Dysenterias, Hæmorrhagias, aliaque mala excitat, nisi vitium debitis remediis fuerit emendatum. Emendatio autem hæc per incrassantia maximè obtinetur, inprimis quando opiata fuerunt intermixta; in hunc finem post evacuatas unâ alterâque vice primas vias, Cucurbitulas etiam cum scarificatione applicatas, *Conserva flor. Rosar. rubr. Tunicæ, foliorum Myrti, Plantaginis angustifoliæ, Pilosellæ, Conditura radic. Symph. Baccar. Cynosb. carnis Cydonior. Cornorum,* & simil. cum *Pulveribus absorbentibus Terræ sigillat. Boli Armen. ppt. Unic. fossil. Corall. rubr. vel alb. ppt. C.C. vel Ebor. ust. ppt. Cryftall. alb. ppt.* in usum vocare cum fructu possumus; v. gr.

℞. *Conserv. Rof. rubr. Ⓑlat.* ℥iß.
Conditur. Cydon. ℨij.
Conf. Hyac. incompl. ℨj.
Bol. Arm. ppt.
C. C. ust. ppt. ana. ℈ij.
Syrup. flor. Tunic. q. s.
M. f. Electuar. d. ad Oll. Dosis mane ac vesperi magnitudo Nucistæ.

Victûs ratio debita quoque est observanda: conveniunt Cibi sanguinem magis incrassantes, quàm attenuantes, Hordeum, Oryza, Rapæ, Carnes vitulinæ, bubulæ &c. *Potus* esse potest Aqua chalybeata, Vinum rubellum, decocto Ligni Sassaphras leni dilutum. Æstus aëris, motus corporis vehementiores fugiantur.

Crassities sanguinis nimia à contrariis tenuitati causis inducta, variis obstructionibus Viscerum, Catarrhis crassis, Tussi, Asthmati, Pleuritidi, Peripneumoniæ, Affectibus soporosis, aliisve ansam præbet, & corrigi potest Remediis blandè incidentibus, attenuantibus, resolventibus, volatilibus, utplurimum alcalinis, quæ vim adeo habent temperatè calefaciendi, & particulis salino-volatilibus aromaticis, aut oleosis, vel urinosis pollent. Attamen prosunt ante omnia, quæ blandè laxant, v. gr. *Crassities nimia sanguinis*

T ℞. Sy-

℞. *Syrup. Violar. purpur. vel*
Capill. ♀r. ℥j.
⊖is polychr. ʒij.
Ptisan. ordin. vel
Decoct. rad. Gram. Fœnicul. &
Coriandr. ℥vj.
M. f. Potio pro unâ dosi, aliquot haustibus mane aut vesperi sumendâ. Vel *Sal polychrestum ad* ℈ii. per aliquot dies mane ac vesperi in *Jusculo non salito*, aut vehiculo superiore dari potest. Dein prosunt seqq.

℞. *Specier. aromat. rosat. vel*
Imperator.
dianth. aut
diatr. piper. ana. ʒiß.
Radic. Ireos flor.
Sigill. Salomon.
Semin. Fœnic.
Nasturt. ana. ʒj.
Ocul. ♋. ppt.
Spod. ex Ebor. ppt. ana. ʒiij.
Sacchar. alb. ℥ij.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒj. *vel* ʒiß. *cum vehiculo conveniente.*

Vel ℞. *Radic. Chelid. no. maj.*
Pimpinell.
Fol. Betonic.
Semin. Anis. ana. ʒj.
C. C. phil. ppt. ℥iß.
Cinam. elect. ℈iiij.
Cubebar. ℈ij.
Mac. ℈j.
⊖'s volat. Fuligin. vel C. C. ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iiij.
M. f. Pulvis subt. d. ad scat. Dosis ut supra.

℞. *Salis volat. oleos. Sylv.* ʒvj.
D. ad Vit. Dosis 20. 25. vel 30. gtt. cum vehiculo convenient.

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.* ℥ß.
Essent. Trifol. fibr. ʒij.
Zedoar. ʒj.
Misc. detur ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Spirit. Salis armon. anisat vel*
Fœnic. ʒij.
Volat. C. C. ʒj.
Misc. detur ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Spirit. Sanguin. humani.*
volat. Fuligin. ana. ʒij.
M. d. ad Vitr. Dosis 20. ad 25. gutt.

Vel ℞. *Essent. carminat. Wed.* ʒij.
Imperator.
Trifol. fibr. ana. ʒj.
Misc. detur ad Vitr. Dosis 25. vel 30. gutt.

Vel ℞. *Tinctur. ♀n. vel*
♂t. aperit. vel
Corall. ʒiiß.
Essent. Zedoar. aut
Galang. vel Cal. arom. ʒiß.
M. detur ad Vitr. Dosis ut supra.

Eundem effectum præstant *Aquæ destillatæ Nasturtii aquat.* vel *hortens. Beccabung. Cherefol. Taraxac. Cardamin. Petroselini Macedon.* sive *Apii selin. Cochlear. Card. bened. Fœnic. Chelidon. major.* ac similes, si per aliquot hebdomadas m. ac vesp. ad *tres* vel *quatuor uncias* bibantur. Blandè enim spirituosæ sunt tales Aquæ, quarum proin vel una sola, vel plures invicem mistæ hauriri possunt. Similiter conducunt *Succi* earundem Plantarum *expressi*, ac *filtrati*, ad uncias duas per æquale temporis spatium hausti. Egregiæ quoque efficaciæ est *Destillatum hippenterorum* cum iisdem

dem Plantis institutum, quod mirè Sanguinem crassum attenuat & mundificat. Quæ in Rhæticis montibus scaturiunt *Aquæ salsæ* & *Fabarienses*, magna sæpius in hâc sanguinis Intemperie præstiterunt. Denique *Sal volatile Succini, Eboris, C. Cerv. Viperar.* & simile, vel solum, *ad gr. 5. vel 6. pro dosi*, vel cum *Sale lixiviali Juniperi, Absynth. Cichor. Aneth. Card. bened.* diligenter & crebrò assumtum Crassitiem humorum feliciter tollit. Solent & *Balnea*, vel *Thermæ* qualescunque aliquandiu usurpatæ multum conferre.

CACOCHYMIA sive INTEMPERIES BILIOSA est vitium Massæ humoralis, in quo particulæ salino volatiles oleosæ, plus minus acres, præternaturaliter abundant, & hominem datâ levi occasione in Febres acutas, Diarrhœas, Choleras humidas, Iram, vel alias animi comotiones vehementes, Cephalalgiam &c. præcipitant.

Producunt hanc Sanguinis dyscrasiam non solùm Ira frequens, sed & aromatici, oleosi, butyrosi, dulces saccharini ac melliti Cibi, Vina generosa excessivè crebrò pota, ac similes aliæ res. Contribuunt huc quoque Temperies nativa biliosa, æstus aëris, Exercitia corporis vehementia, Vigiliæ diuturnæ, usus nimius Spiritus Vini, aut similium Liquorum spirituosorum. A quibus certè omnibus rebus Sanguis valde tenuis, fluxilis, & particulis sumè mobilibus, spirituosis præditus, Fluidumque nervosum maximè subtile, acre, elasticum, ad concipiendas phlogoses admodum facile evadit.

Cognoscitur haud difficulter exinde, quòd qui illâ laborant, maximè proclives sint ad concipiendam Iram, aliasque enormes animi comotiones; quòd vigiliis dediti, suis in actionibus promti, siticulosi, amarori Oris, pulsui celeri & frequenti, calori partium admodū mordaci obnoxii sint. Ut adeo, ni maturè præcaveamus, homo talis promtè in Febrim acutam, Choleram, aliosque gravissimos morbos delabi queat. *Diagnosis.* *Prognosis.*

Ad emendandam proin hanc Cacochymiam curatio specialis & prolixa venit instituenda. Ante omnia videlicet vel Pulvis aliquis, vel Tinctura Bilem præparans dari poterit: v. gr. *Curatio.*

℞. *Tinctur.* ♀*ri, vel*
♁*nii, vel Corall.* ℥ij.
Detur ad Vitr. Dosis m. ac vesp. 20. vel 25. guttæ cum Vino, vel Aquâ Card. bened.

Vel ℞. *Elix. Vitriol. Mynf.* ℥ij.
D. ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Elix. propr. Clauderi, aut Crollii* ℥ij.
D. ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri* ℥j.
⊖*is Absynth.*
Arcan. duplic. Mynf. ana ℥ß.
M. f. Pulv. subt. in 4. dos. æqu. divid. quæ m. ac vesp. sumantur.

Vel ℞. ♀*ri* ⊖*lati.*
⊖*is essential. Card. bened. vel Acetos. vel Rub. id. ana.* ℥j.
M. f. Pulv. divid. in 4. doses æquales, m. ac vesperi cum vehiculo convenienti sumendas.

Præparatis sic humoribus ad blandè evacuantia est accedendum, & quidem pro re natâ vel Vomitoria, vel Catarthica. Ad vomitum ciendum sequentes in Adultis formulæ sufficiunt; v. gr.

℞. *Crem.* ☿*ri vel*
⊖*is essential. Succi Citri gr.* xij.
Centaur. minor.
♁*n. diaph. ana.gr.* 5.
☿*ri emet.gr.* 2. *vel* 3.

Misc. f. Pulv. subt. d. ad ch. sumatur mane jejuno stomacho pro dosi, cum regimine diætæ.

Vel ℞. *Arcan. duplicat.*
☿*ri* ⊖*lat.*
Bezoard. min.
Cinnab. ♁*n. corr. ana. gr.* 5.
Mercur. vitæ correct. gr. 3. *vel* 4.

M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Radic. Asari gr.* 25. *vel* ʒß.
⊖*is Absynth.* ℈ß.

M. f. Pulv. subt. pro dosi matutin.

Vel ℞. *Oxysacch. emet.* ℥ß.
Syrup. de Card. bened. ʒj.
Aqu. Endiv. ʒiiiß.
Cinam. bugloss. ʒj.

Misc. detur ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Si quis magis indigeat Cathartico, ei sequentium aliquod concedatur.

Vel ℞. *Rhabarb. elect.* ℈iiß.
Crem. ☿*ri* ℈ß.
Scamon. ♁*rat. gr.* ij. iij. *vel* iiij.

M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Radic. Gramin. Scorzoner. ana.* ʒj.
Herb. Agrimon. Mß.
Fol. Senn. opt. mund. ℥ß.
Rhab. elect. ℈ij.
Crem. ☿*ri* ʒj.
Semin. Fœnic. ʒiß.

Incisis, contusis, & in nodulo ligatis affunde
Aqu. fontan. Vel
Endiv. q. s.

Stent per noctem in loco tepido, postridie mane bulliant parum, Colaturæ ℥iij. *adde*
Syrup. flor. Persicor. ℥ß.

Detur ad Vitr. sumatur pro dosi.

Postea per octo vel plures dies *Elixir proprietat. sine acido*, vel *Clauderi*, vel *Tinctur. Corallorum* aut *Antimon. cum Nitro par* m. ac vesp ad guttas 20. 25. aut 30. cum *Aquâ Cichor. Plantag.* aut *Endiv.* propinabitur. Vel *Tinctura Martis cum Succo Acetosell. parata* eodē modo usurpabitur. Æstivo tempore potus *Acidularum* qualiumcunque prodest; vel *Juscula* illarum loco dabuntur, per aliquot hebdomadas, quotidie semel vel bis, in quibus *Acetosa, Numularia, Endivia, Oxytriphyllon, Lactuca, Portulaca, Pimpinella sanguisorba, Hepatica nobilis* vel *stellata, Fragaria*, aut similes *Plantæ hepaticæ* bullierint. Commendantur quoque *Julepi* subinde hausti ex *Syrupis Rub. id. Ribium, Berber. Ceras. nigr. de Nymph. Agrest. Violar. purpur.* Vel *Fructus* tales probè maturi interdum comedendi exhibeantur, sive *crudi*, sive *cocti*. Amant alii *Acetaria* è radicibus *Cichor. Apii, Herbis Taraxac. Lactuc. Portulac. Endiv. Petroselini Macedon.*

cedon. Nasturt. aquat. Borrag. Beccabung.&c.cum vel sine *Saccharo* accommodata.

In *Diætâ* nocent omnes motus corporis vehementiores, fervor aëris nimius, lucubrationes nocturnæ crebriores, aromatica acriora, dulcia copiosa, purgantia fortiora. E contrario, quæ blandè refrigerant, æstumque sanguinis & spirituum cohibent, probè conducunt.

CACOCHYMIA PITVITOSO-SEROSA est intemperies Massæ sanguineæ, in qua particulæ aquoso-mucoso-crassæ præternaturaliter abundant, atque occasionem variis morbis præbent, v. gr. Catarrhis crassis, Tussi pertinaci, utplurimum siccæ, Hydropi, Asthmati, Affectibus soporosis, obstructionibus Mesenterii, Hepatis, Renum, Vteri, Cephalalgiæ, & similibus.

Oritur plerunque ex Chylo crudiore, minus probè digesto, mucoso, viscido, non acri, sed dulci, quem gastricus ejusdem qualitatis Liquor è Cibis qualitate vel quantitate excessivâ peccantibus in Ventriculo producit. Vbi tamen aëris Intemperies humida, somnus largior, quies corporis excessiva, Alvi segnities, Vina pendula, Cerevisiæ crassæ &c. suas quoque partes habent.

Cognoscitur è variis hæc Cacochymia *signis*, inprimis autem Faciei pallore, Sensuum hebetudine, Actionum torpore, Alvi segnitie, Vrinis crudis, utplurimum pallidis, sedimento albo, crasso præditis, Somnolentiâ, copiosiore vel Saliva, vel narium Muco, Aurium frequenti Tinnitu, aut ipsius Auditionis imminutione, denique & Amygdalarum sive Tonsillarum crebro infarctu, pluribusque aliis signis.

Nisi ergo quis in periculo talium Affectuum impetrandorum versari velit, is remedia ad corrigendam suam Intemperiem aliquandiu diligenter assumere debebit. Ante omnia verò ex *Hippocratis* præcepto crudus humor coquendus, præparandus, ac deinceps per Evacuantia tam universalia quàm particularia eliminandus est. Ad præparationem humoris faciunt Infusa, Decoctaque alterantia & incidentia, Tincturæ item, aut Essentiæ Balsamico-spirituoso-salinæ, v. gr. *Prognosis & Curatio.*

℞. *Radic. Vincetoxic.*
Apii. Sarsæ parill.
Calam. arom. ana. ℥ß.
Herb. Agrimon. vel *Majoran.*
Betonic. vel *Rorismarin.*
Card. bened. ana. Mj.
Flor. Calendul. vel *Salv.*
Genist. ana. Mß.
Semin. Fœnic. ℨij.
⊖*is Absynth.* ℨj.
Cortic. Winteran. ℨiß.
Incis. contusis & nodulo ex sindone illigatis affunde
Vini alb veteris
Aqu. fontanæ calentis ana. ℔iij.
Hinc mane ac vesperi cyathus ℥ iij. *exhauriatur.*

Vel ℞. *Radic. Aristoloch. rot. ver.*
Asparag. Chinæ.
Carlin. Sarsæ parill.
Diptamn. alb. ana. ℨiij.
Lign. Sassafras vel *Guajac.* ℨvj.
Herbar. Agrimon. vel *Scabios.*

 Alchy-

Alchymill. vel *Saturejæ.*
Beccabung. vel *Meliſſ.*
Anſerin. vel *Calaminth.*
Cherefol. ana. Mj.
Chamædr. Mß.
Semin. Anis.
Seſel. ana. ℥iß.
Crem. ♀ri ℥j.
Inciſ. & contuſa coque in Aqu. fontan. ℔ viij. *per quadrantem horæ, Colatura dein detur ad Vitr. mane ac veſp. hauriantur unciæ quatuor pro doſi horâ unâ ante paſtum.*

Vel ℞. *Rad. Eryngii* vel *Fœnicul.*
Filipendul. vel *Leviſtic.*
Ireos Florent. vel *Succis.*
Pimpinell. vel *Rubiæ.*
Herbar. Fumar. vel *Hed. terr.*
Card. bened. vel *Hyſſop.*
Marrub. alb. vel *Matric.*
Meliſſæ vel *Ocymi.*
Summit. Abſynth. vel *Cent. min.*
Baccar. Juniper.
Semin. Ammios.
Coriandr.
Naſturt.
Cinam. elect.
Crem. ♀ri *ana.* ℥j.
Inciſ. & contuſ. coqu. in Aqu. fontan. ℔. 8. *per quadrantem horæ, Colatura detur ad Vitr. Doſis ut ſupra.*

℞. *Tinctur.* ♂t. *aper.* vel
♁n. *aut Corall. cum Nitr.* ℥iij.
Aqu. Cinnam. cum Vin. deſtill. ℥j.
Miſc. detur ad Vitr. Sumantur m. ac veſp. 20. *guttæ pro doſi cum præcedenti Decocto, vel alio vehiculo conveniente.*

Vel ℞. ⊖*is volat. oleoſ. Sylv.* vel
Spir. Salis armom. anis.
Elix. propr. ſin. acid. vel
Claud. ana. ℥iß.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſtill. ℥j.
Miſc. d. ad Vitr. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Elix. propr. Clauder.* ℥iiß.
Eſſent. Abſynth.
Zedoar. vel
Calam. arom. vel Galang. ana. ℥j.
Miſc. detur ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

Ad evacuandum proſunt vel *Vina medicata*, vel *Pilulæ* aliquoties repetendæ; v. gr.

℞. *Radic. Apii, Angelic.*
Fœnic. ana. ℥ß.
Herb. Agrimon. Scabioſ.
Card. bened. ana. Mj.
Semin. Anis.
Dauc.
Bacc. Juniper.
Alkekeng. ana. ℥iß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Agar. trochiſc. ℥ß.
Rad. Helleb. nigr. vel
Rhab. elect. ℥iij.
Spic. Indic.
Cortic. Winter. ana. ℈iiij.
⊖*is Cichor.* ℥j.
Inciſ. contuſis & in Nodulo ligatis affunde
Vini albi veter. vel
Cereviſ. opt. tenuis & clar ℔iiij.
Aqu. fontan. calentis ℔ij.
Stent per primam noctem in loco calido, v. gr. in Cineribus calidis. Poſtea quotidie mane Cyathus ℥iij. *vel* iiij. *exhauriatur.*

Si *Apozema* quis malit non adeo ingratum, ei ſequens ordinari poterit.

℞. *Radic. Carlin. Scorzoner. ana.* ℥iiß.
Herbar. Anſerin. Succis. ana. Mß.
Fol.

Fol. Sen. opt. mund. ℥ij.
Passular. minor. ℥ß.
Semin. Fœnic.
Coriandr. ana. ʒij.
Crem. ♀*ri.* ℥ß.

Incisa & contusa coque in Aquæ fontan. q. s. ad remanentiam duarum librarùm pond. civ. In Colaturâ postmodum dissolve

Mann. calabr. ℥x.

Clarifica hinc cum Album. Ovor. & admisce tandem Aqu. Cinamom. ℥j.

Detur ad Vitr. Dosis quotidie mane ℥iij. ℥iv.

Pilulæ autem purgantes sequenti vel simili modo parari possunt.

℞. *Maß. Pilul. Cochiar. vel hydrop. Bont.*
Extract cathol. ana. ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. 12.
Magist. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Essent. Abs. q. s.

M. f. l. a. Pilul. no. 14. *Inauratæ sumantur pro dosi.*

Vel ℞. *Maß. Pilul. marocostin. vel Emanuel. vel tartar.*
Extract. Helleb. nigr. ana. ℈ß.
Cinnab. ♄ *n. correct. gr.* viij.
Resin. Scammon. gr. j. *vel* ij.
Crem. ♀*ri gr.* j.

M. f. cum Essent. Myrrh. Pilulæ num. 15. *Inaur. d. pro dosi matutinâ, cum regimine diætæ sumend.*

Vel ℞. *Extract. Panchymag. Croll.*
Rhabarb. ana. gr. 8.
diacarth. gr. 6.
Crem. ♀*ri gr.* ij.
Resin. Jalapp. gr. j.
Ol. still. Succin. q. s.

M. f. l. a. Pilulæ no. 13. *Inaur. d. ad ch. pro dosi mane sumend.*

Loco horum etiam per aliquot dies mane cochlearia unum aut duo plena *Syrupi de Cichor. cum Rhab.* vel *Syrupi macrobii*, aut *Syrupi domestici*, cum 20. *vel* 30. *guttulis Tincturæ* ♄ *nii, Corallor.* ♂ *t. aperit.* vel ♀*ri* & tantillo *Aqu. fl. Sambuc.* assumi possunt.

His præmissis intus quidem aromatica incidentia & blandè volatilisantia aliquandiu in usum trahenda sunt; quæ inter commendantur *Pulveres cephalici cinnabarini*, *Specificum cephalicum Michaëlis*, *Radices Aronis, Ireos flor. Sigilli Salomon. Cyperi, Zedoar. Angelic. Semina carminat. Salia volatilia* vel *simplicia*, vel *oleosa*, *Spiritus volatiles oleosi*, *Spiritus* & *Essentiæ antiscorbuticæ*, & similia. Hinc v. gr. mane ac noctu tempore somni *Tabella* una vel altera *Confectionis Imperatoris* completæ, vel *aromaticæ* cum *Oleo stillat. Caryophyllor.* assumi potest; vel

℞. *Conserv. flor. Anth.*
Tunic. ana. ʒvj.
Aurant. ℥ß.
Conf. Alk. compl. ʒj.
Specif. cephalic. Mich. ℈iiij.
Syrup. de Cinam. q. s.

M. f. Elect. d. ad Pyxid. mane ac noctu Juglandis magnitudo capiatur.

Vel ℞. *Tragemat. stomach. simpl.* ℥ij.
Rasur. Ebor. ʒij.
Radic. Aron. ʒj.
Ireos florent. ʒij.
Confect. Aromat. cum Ol. still. Caryophyll. ℥j.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f.

M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis m. ac vesp. ʒj. *ad* ʒij. *cum frusto Panis tost. in Vino emollito.*

Vel ℞. *Aqu. Beton. Fœnic. ana.* ℥iß.
Nasturt. aqu.
Cinamom. opt.
apopl. Lang. ana. ℥j.
Spir. Salis armon. anis. ʒß.
Syrup. Bell. min. ℥j.

Misc. detur ad Vitr. mane ac noctu duo vel tria cochlearia capiantur.

Vel ℞. *Salis volat. oleos. Sylv.* ʒiij.

D. ad Vitr. Dosis m. ac v. 25. *gutt. in Infus. fol. Thee ac Beton.*

Vel sequens *Sal volatile oleosum* præparari tibi cura.

℞. ⊖*is ammoniac pur.*
♁*ri ana.* ℥vj.
Ol. stillat. Fœnic.
Anis. ana. ʒiß.
Thym.
Amarac.
Garyophyll. ana. ʒj.

Celeriter probè invicem commixta sublimentur in Cucurbitâ vitreâ in Balneo Arenæ, ut inde evadat Sal volatile, quod ex Alembico dein cautè est eximendum, atque in vase probè munito usui asservandum. Hujus autem Salis, si siccum fuerit, grana 8. *vel* 10. *si verò liquidum, gutt.* 12. *ad* 15. *pro dosi sumantur.*

Extus *particularia* conveniunt *evacuantia*, quemadmodum sunt v. gr. *Clysteres* è Plantis cephalicis incidentibus, detergentibus, emollientibus parati, & crebrò infusi. Item *Errhina*, aut blandè *sternutatoria*, v. gr. ex *Pulvere foliorum Nicotian. Betonic. Chamædr. Majoran. Thym. Meliss. Flor. Lil. convall. Salv. Cheiri*, &c. parata, & mane ac vesperi naribus immittenda. v. gr.

℞. *Fol. Nicotian.* ℥ij.
Amarac.
Beton. ana. ℥ß.
Summit. Anth.
Thym. ana. ʒij.
Flor. Lil. convall. ʒiß.
Radic. Helleb. alb. ʒß.
Rasur. Lign. Rhod. ℥ß.
Ol. stillat. Garyoph. gutt. 15.
Cinamom. gutt. iij.

M. f. Pulv. d. ad Scatul. cui ad meliorem gratiam admisceri possunt pro lubitu

Moschi orient. ver. gr. vj.
Ambr. gryf. Spir. Ros. solut. gr. iiij.

Ad Salivam proliciendam vel *Fumi Tabaci suctio* concedenda, vel *Radices Angelicæ, Petasitid. Calam. arom.* aut similes in taleolas scindendæ, atque masticandæ. Prosunt etiã in hunc finem *Trochisci sublinguales*, v. gr.

℞. *Specier. diair. simpl.* ʒiß.
arom. rosat. ʒj.
Radic. Angelic. ℈ij.
Pyrethr. ℈j.
Mastich. elect. ʒiß.
Cinam. optim. ʒß.
Cubebar. ℈j.
Piper. alb. ℈ß.
Ol. stillat. Garyoph. gutt. 6.
Sacch. alb. ℥ij.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Ros. fact. q. s.

M. f. l. a. Trochisci d. ad Scatul. Subinde aliqui lambendi.

Tandem *Fonticulus* in Brachio aut Pede

Pede excitatas, *Balneorum* vel *Thermarum* ♀*rearum* usus, Potus *Thermarum* v. gr. *Fabariensium Rhætiæ*, *Pediluvia* cum incoctione Plantarum cephalicarum prosunt.

CACOCHYMIA SEROSO-SALSA est ea Sanguinis Intemperies, in quâ particulæ aquosæ & salsæ præternaturaliter abundant, sicque Diathesin scorbuticam, Lymphæ effusiones crebriores, Catarrhos pectorales salsos, suffocativos, Tusses, Asthmata, Raucedinem, Dolores Artuum vagos, Rheumatismos, Oedemata subitanea, Diarrhœas cineritias, Sudores frequentes, salivationẽ largiorem, Tormina Ventris, & plurima alia excitant, nisi Cacochymia fuerit brevi correcta. Scorbutica proin est hæc Intemperies, quæque adeo gignitur & curatur, prout sub titulo de *Scorbuto* fusius indigitatur.

CACOCHYMIA ACIDO-MELANCHOLICA est Intemperies sanguinis, in quâ particulæ salino-acidæ modò volatiles, modò fixæ ac austeræ, plus minus acres, subinde vappescentiam, aliâs tenuitatem acrimoniamque humorum producentes, multum abundant, atque ita prædominantur, ut Homines eapropter facilè in hystericam, vel hypochondriacam Passionem, Maniam, ac Deliria melancholica, (sub quibus Cacodæmon interdum suas Comœdias ludit) denique & in Epilepticos motus, atque Convulsiones interdum miras incidant. Cùm autem hæc Intemperies eodem modo gignatur, cognoscatur, atque curetur, quo quidem *Affectionem hypochondriacam* produci atque curari suo loco indigitavimus, hinc Lectorem eo remittimus.

Curatio. Vt autem brevibus rem complectamur, humorum præparatio primùm venit instituenda, quod quidem per incidentia, aperientia, splenetica &c. fieri potest, quemadmodum existunt *Radices Raphani rustic. Fœnicul. Apii, Pimpinell. Enulæ, Polypod. Filic. Levistic. Carlin. Rubiæ, Rusci, Herbæ Asplenii, Cuscutæ, Nasturtiorum omnium, Plantag. aquat. Beccabung. Polytrich. Scordii, Lupuli, Fumar. Cherefol. Trifol. fibrin. Melissophyll. Agrimon. Anserin. Salviæ sylvestr. Card. bened. Chelidon. minor. Cochlear. flor. Sambuc. Calendul. Summit. Centaur. min. Semina Aquileg. Carvi, Cumin. Fœnic. Anisi, Apii, Nasturt.* & alia, quæ vel Jusculis, vel sero Lactis, aut Aquæ incoqui; vel Vino & Aquæ infundi, ac ita propinari possunt. Deinceps Corpus expurgandum: v. gr.

℞. *Extract. Helleb. nigr.*
Lapid. Lazul. ppt. ana. ℈ß.
Resin. Scammon. gr. iij. vel iiij.
Elix. propr. Claud. q. s.

M. f. Pilulæ num. 12. *Inaurid. ad scat. sumantur mane unâ vice cum regimine Diætæ.* Vel

℞. *Radic. Gramin.*
Caryophyllat.
Polypodii.
Filicis ana. ℥ß.
Herb. Trifol. fibrin.
Cuscut.
Scolopendr. ana. Mj.
Card. bened.
Flor. Aquileg. ana. Mß.

Semin. Anis. ℥ij.
Fol. Sen. mund. ℥x.
Rad. Rhab. elect. ℥ß.
Helleb. nigr. ʒij.
Cinam. elect.
Spic. Indic. ana. ℈iiij.
⊖is Juniper. ʒj.
Limat. Chalib. in nod. ligat. ℥iij.

Incis. & contus. insuantur sacculo ex Sindon. rubr. cui affunde
Vini alb. veter. ℔iiij.
Aqu. fontan. calent. ℔ij.

Hinc quotidie mane cyathus unciarum trium vel quatuor exhauriatur.

Præmissis purgantibus alterantia, quæ sanguinis massam emendare possunt, aliquandiu in usum vocari debent: in quem finem prodest *Confectio aromatica*, cujus tabella m. ac vesp. comedatur. Vel Electuarium quoddam præscribatur, v. gr.

℞. *Conserv. flor. Tunic. vel Amarac.*
Borrag.
Meliss. ana. ℥ß.
Nuc. Indic. condit.
Specier. aromat. rosat. ana. ʒj.
Corall. rubr. ppt. ℥ij.
Matr. Perl. ppt.
Diaphoret. ♃v. vel ☽ar. ana. ʒj.
Confect. Alk. compl. ℈ij.
Syrup. flor. Tunic. q. s.

M. f. Electuar. d. ad Pyxid. mane ac vesp. capiatur magnitudo Juglandis.

Vel ℞. *Specier. Imperator.* ℥iij.
Ebor. ust. ppt.
Corall. alb. ppt. ana. ℥ij.
♁n. diaphor.
Diaph. ♂ial. ana. ʒj.
Conserv. fl. Borrag.
Tunic. ana. ℥ij.
Conf. Alk. compl. ʒj.
Bals. Peruv. opt. ℈ij.
Sacch. alb. Aqu. Cinnam. & Rosar. solut. ℥iiij.

M. f. Confectio in Morsulis vel Rotulis majoribus, de quibus una vel altera mane ac vesperi capiatur.

Juxta hæc *Essentia Betonic. Essent. Ambr. Tinct. Corall. ♂t. aperit. ♁nii cum Nitro parat. Sal volatil. oleos. Elix. propr. Clauder.* & simil. ad guttas 10. 15. 20. m. ac v. usurpari quotidie per aliquot tempus possunt cum *Aqu. Borrag. Scolopendr.* &c.

CACOCHYMIA ACIDO-VISCIDA, Veteribus ATRABILARIA dicta, est ea Sanguinis Intemperies, in quâ particulæ salino-acidæ austeræ, & aquoso-viscidæ abundant, atque occasionem obstructionibus Viscerum diversorum præbent. In hac Intemperie corporis habitus ad gracilitatem & macilentiam sive siccitatem inclinat, humoresque offæ alicui vappescenti similes evadunt; atque hinc sensuum aliqualis torpor, motuum inertia, perpetua lassitudo, vel segnities in omnibus actionibus producitur. Si quis verò æstus simul corpus prehendit, ille per accidens contingit, propter motum vappescentis sanguinis intestinum auctum, progressivum autem hinc inde impeditum. Interim in circulante massâ oleosarum particularum inopia adest, quoniam sulphureæ particulæ depressæ manent, atque ob copiam viscidarum particularum exaltari sufficienter nequeunt. Vsque adeo ut à Liquoris gastrici vitio, per Ciborum quantitatem aut qualitatem

tatem vitiosam, non secus ac per animi Pathemata, tristitiam nimirũ, curas & sollicitudines quotidianas severas, vigilias, exercitia corporis, & lucubrationes nimias, potum denique quotidianum Vini aut Cerevisiæ vappescentis contracto, hujus Intemperiei labes unicè sit derivanda.

Signa verò *diagnostica* sunt symptomata superius dicta, præprimis torpor sensuum, macilentia, motuum segnities, tristitiæ & solitudinis amor, alvi constipatio frequens, cogitationes fixæ, atque in rem unam diu intentæ, appetitus imminutus, & similia. Vnde concludendum est, hanc Intemperiem citò esse curandam, quoniam, etsi non deleteria sit, cum successu temporis tamen in Melancholiam radicatam, in cancrosos & scirrhosos Viscerum, aut Glandularum Tumores, Atrophiam atque Febrim lentam mutari facilè potest.

Curatio autem tota consistit in præscriptione humectantium, incidentium, volatilisantium, Spiritus restaurantium, sulphureo - balsamicas partes exaltantium, & acidũ destruentium; quibus scopis ferè satisfaciunt *antiscorbutica*, *sale volatili* tam *acrisalso*, quàm *sulphureo - balsamico* gaudentia; quibus intermiscenda quoque ea, quæ occulto sale alcalino pollent; subinde etiam addendo anodyna, irritatas nimium fibras demulcentia. Si opus quoque videbitur, purgans melanagogum unum vel alterum concedendum. Hæmorrhoidum ac Mensium fluxus ordinarius, sicubi fuerit supressus, revocari debet. Æstivo tempore pot⁹ Thermar. *Fabar.* concedend⁹; imò simul Balneum usurpandum. De omnibus consule Titulos de *Affectione hypochondriacâ*, & de *Scorbuto*.

COECITAS, Vid. *Oculorum Cæcitas*,

CALCVLVS est concretio lapidosa in variis corporis partibus è materiâ terrestri & salinâ producta. Non enim Renes tantùm aut Vesica urinaria huic malo subjiciuntur, sed in Ventriculo quoque, Secundinis Fœminæ primiparæ, Intestinis, Pancreate, Vesiculâ Fellis, ac Tubulis lymphaticis sublingualibus lapides concretos notavimus. Alii verò Medici adhuc in Cerebro, Pulmonibus, Vtero, &c. observârunt. Non ita pridem Viro, quinquagenario majori, Calculus è Virgâ sive Vrethrâ exemtus est, in quâ ad radicem Glandis per 15. propemodum annos sine notabili incommodo obhæsit, donec Julio mense Añi 1708. alius è Vesicâ excussus ad pristinum illum allideret, sicque transire haud potens intolerabiles virgæ cruciatus excitaret. Prior itaque calculus, qui velut innatus erat, non nisi cum labore, & fibrillarum nervosarum irritatione, imò & sanguinei alicujus tubuli dilaceratione eximi potuit, posterior autem sponte dein cum urinâ prodiit, etiamsi major nonnihil priori fuerit deprehensus.

Tota genesis Calculorum, s. Lithogenesis est deducenda proximè è particularum terrestrium accumulatione in Maßâ sanguineâ, & factâ hinc depositione earundem atque concretione, sive intra tubulos angustos qua-

rundam partium, præcipuè Renum, ſive intra cavitates ampliores, veluti ſunt Veſica urinaria, & Folliculus Fellis. Nimirum una vel altera particula ejusmodi terreſtris ex humore, cui ineſt, præcipitata, ob irregularem ſuam figuram in tubulo, vel partis alicujus cavæ muco obhæreſcit, ad quam dein alia atque alia nova accedens quoad ſuperficieculaɾum planitiem priori ſemper apponitur, firmiterque à circumſtantibus aliis qualibuscunq; particulis vel corpuſculis apprimitur, ſicque per multijugem acceſſum ſive continuatam appoſitionem novarum ſemper molecularum tandem Calculus majoris vel minoris magnitudinis, hujus vel illius figuræ producitur. Si quæras, quidnam ſit, quod tales invicem in Chylo vel Sanguine cohæreſcere faciat particulas, ut evadant terreſtres, ſabuloſæ, ac lapidoſæ? Reſpondere nonnulli voluerunt, Spiritum eſſe auſterum, acidum, lapidificum; verùm rem aliter ſe habere *Sylvius* demonſtravit, dum oſtendit, quòd ſpiritu acidiſſimo Nitri non raro Lapides diſſolvantur, in humano corpore geniti, ac præterea analyſis chymica plurimas è Calculis humanis exhibeat ſalino-alcalinas volatiles, nullas verò acidas particulas. Vsque adeo ut probabilius ſit, interveniente ſpiritu urinoſo alcalino corpuſcula terreſtria cum viſcidis gelatinoſis lentis combinari, & ſibi invicem concreſcere.

Materia è quâ Calculi producuntur. Materia proin Calculorum cum Chylo ad ſanguineam maſſam transmittitur; cumque Sanguis eam intra ſuos poros amplius retinere omnem nequit, tum ejus moleculæ paulatim ſibi invicem concretæ ſuo pondere è conſortio reliquarum decidunt. Chylus eandem materiam adipiſcitur ab ingeſtis Alimentis, multas tartareas ſive terreſtres aut craſſas, viſcidas, auſteras, glutinoſas particulas in ſeſe habentibus, copioſè aut frequenter aſſumtis, hincque ulterius vitioſè diſſolutis. Ad vitioſam hanc digeſtionem ſive diſſolutionem, ſub quâ particulæ aſſumtorum non intimè diſgregantur, volatiliſantur, & in ſua principia reſolvuntur, contribuit partim ipſorum Ciborum quantitas exceſſiva, aut qualitas talem volatiliſationem reſpuens; partim Liquor gaſtricus debitâ volatilitate & activitate deſtitutus; partim Aër externus, frigore aut æſtu nimio chylificationem ventriculi debilitans; partim intemperantia in aſſumendo potu, Vini inprimis generoſi admodum ſulphurati, minùs defœcati, craſſi & valdè tartarei, prout Alſatica, Auſtriaca, Lacotica Bernenſia, aliave deprehenduntur, aut Cereviſiæ non abſimilis; partim incontinentia in Veneris uſu; & ſi quæ ſunt adhuc plures aliæ Cauſæ procatarcticæ, atque occaſionales. Vbi non prætereunda eſt Diſpoſitio quoque hæreditaria.

Materia è quâ Calculi conſtant. *Materia è quâ* Calculi conſtant, juxta *Clariſſ.* Maëzii, *Chymici* olim *Lugduno-Batavi peritiſſimi*, aliorumque experimenta ac ratiocinia, eſt magna quantitas terreſtrium particularum, cum intermixtis multis ſalino-volatilibus alcalinis, paucioribus acidis, ſed iis viſcoſis, auſteris, glutinoſis, parciſ-

parciſſimis ſulphureis. Qui chymicum humanorum Calculorum examen inſtituunt, rem ita ſe habere ultro deprehendunt; quanquam diſcrimen obſervatur in materiâ calculorum, qui in Renibus, Veſicâ urinariâ, Folliculo Fellis, Inteſtinis, & aliis locis reperiuntur.

Differunt inter ſe Calculi variè; etenim. 1. Alii ſunt majores, minores alii. 2. Alii læves, glabri, alii aſperi, angulati; adeoque figuræ multiplicis. 3. Alii albi, alii flavi, rubicundi, cineritii, aliusve coloris. 5. Alii in Renibus, alii in Ventriculo, Inteſtinis, Vtero, Pancreate, Veſicâ fellis & urinariâ, Cerebro, Pulmonibus, Articulis &c. geniti. 6. Alii in Pueris, alii in Adultis, Viris, Senibus producti.

Quomodo præſentia Calculorum in Renibus aut Veſicâ urinariâ cognoſci queat, in ſequentibus apparebit. Calculi verò reliquarum partium, cùm rariores ſint, ſignis adeo certis deprehendi nequeunt; equidem lancinantem, pungentemq; dolorem ſæpe inferunt, ſed cùm hic etiam à muco ſalino-acri produci queat, certiſſimus præſentiæ Calculi index eſſe minimè poteſt. Omnis verò Calculus, ubicunque demum hæret, ſi major fuerit, funeſta ſymptomata inferre poteſt, atque etiam frequentiſſimè ſolet.

In Curatione generali *Lithontriptica* commendare ſolemus remedia, de quorum tamen exiſtentiâ meritò dubitamus; ſaltem qui durioris evaſerunt texturæ Calculi, omnem reſpuunt ſubſtantiæ ſuæ contritionem, cum Remedia, qualiacunque demum fuerint, vires ſuas ad Calculorum loca, integrè deportare nequeant: aut ſi quæ ſunt talia, valdè acria, ſpirituoſa, corroſiva, Spiritus v. gr. acidi Salis, Nitri &c. eâ quantitate in corpus mittere non audemus, quali quidem neceſſarium foret ad operationem ſperatam obtinendam. Qui autem friabiles adhuc atque diſſolubiles ſunt Calculi, variis remediis conteri, & ad ſabulum redigi ſolent vel poſſunt; unde diverſa à diverſis commendata, ac ſubinde in ſecretis habita fuerunt. Ejus verò conditionis talia omnia ſunt, ut pro ſubjectorum varietate modò hæc modò illa felicius operentur. Sed & hoc notandum venit, in præſcriptione *Lithontripticorum* cautè procedendum eſſe, ne ſi fortè conteri nequeat Lapis, per fibrarum irritationem commoveatur, ſicque tranſire ob magnitudinem neſciens membranas, tubulos, nervosque circumſtantes dilaceret, & hinc Inflammationem, Gangrænam, atque Convulſiones lethales excitet. Friabilem autem Calculum eſſe indigitatur, quando ſabulum friabile interdum per Vrinam excernitur. Si Catalogum Lithontripticorum heic inſerere vellem, multa haberem ſcribenda, videantur Auctores de illis; communicabo autem, quæcunque in Praxi omnium potentiſſima atque efficaciſſima comperi: v. gr.

Decoctum Lithontripticum.

℞. *Radic. Bardan. Ononid.*
Eryng. Saxifrag.
Apii, Ruſc. ana. ℥iij.
Herb. Beccabung.
Heder. terreſtr. ana. Mj.

 Rut.

Rut. murar.
Pimpinell. saxifr.
Summit. Virg. aur. ana. Mß.
Baccar. Alkeken.
Juniper. ana. ℥ij.
Semin. Fraxin.
Fœnic.
Dauc. ana. ʒiß.
Crem. ♀*ri* ʒj.
Incis. & contus. coque per quadrantem horæ in
Aqu. fontan. ℔viij.
Colatura detur ad Vitrum. Dosis m. ac v. ℥iij. *vel* ℥iiij.

Infusum lithontripticum.

℞. *Radic. Eryngii.*
Peucedan.
Asparag.
Cyclamin. ana. ℥ß.
Herbar. Card. bened.
Verben.
Nast. cujuslibet rec. ana. Mj
Flor. Genist. Mß.
Baccar. Juniper.
Semin. Anis.
Petroselin.
Fœnicul.
Lign. nephritic. ana. ʒij.
Salis Genist. ʒj.
Incis. & contus. affunde Vini alb vet. ℔. vj. *m. ac v. hauriantur* ℥iij.

Pulvis lithontripticus.

℞. *Ossium s. Lapid Mespilor.*
Lapid. Carpion. vel Percar. ppt. ana. ʒiß.
Milleped. ppt. ʒj.
Lapid. Spong. ppt. ʒij.
Radic. Eryng.
Saxifrag. ana. ℈ij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Semin Milii Solis.
Fœnic. ana. ʒiiß.
Sacch. cand. alb. ℥ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis m. ac v. ʒj. *cum Infuso fol. Theé* vel *simili alio.*

Alius.

℞. *Lapid. Mespilor.*
Cochlear. cum testis ustar. & ppt. ana. ʒij.
Semin. Nasturt. vel Petroselin.
Ocul. ♋. *ppt.*
Testar. Ovor. Gallin. calcin. ana. ʒiß.
⊖*is Genist.* ℈ij.
Sacch. penid. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad. Scat. Dosis m. ac. v. ʒß. *vel* ʒj.

Alius.

℞. *Sanguin. Hirc. ppt.*
Radic. Saxifrag.
Semin. Milii Sol.
Anis.
Ocul. ♋. *ppt.*
Stercor. Columbin. ppt. ana. ʒiß.
Sacch. cand. alb. ad pond. omn.
M. f. Pulvis subt. d. ad Scat. Dosis ʒß. *ad* ℈ii. *vel* ʒj. *quotidie semel vel bis.*

Tinctura lithontriptica.

℞. *Balsam. Sulphur. terebinthin.* ℥ß.
Essent. Virgæ aur. ʒij.
Ononid.
Beton. ana. ʒj.
M. d. ad Vitr. Dosis m. ac vesp. guttæ 20. *ad* 30. *cum vehiculo convenienti.*

Vel ℞. *Olei stillat. Bacc. Juniper.* ʒij.
Terebinth. ʒj.
Misc. detur ad Vitr. Dosis gutt. 12. *ad* 15. *cum Vino Malvatico, vel alio Liquore conveniente.*

Elixir

Elixir Nephro-carthartico-anodynũm.

℞. *Radic. Rhabarb. elect.*
Saxifragiæ alb. ana. ℥iß.
Zingiber.
Galang. minor.
Calam. aromat. ana. ℈ij.
Semin. Anis.
Fœnic.
Dauc.
Agar. trochiscat. ana. ℥ß.
Baccar. Juniper. ℥j.
Cinam. elect. ℥ß.
Macis.
Croci oriental. ana. ℈ß.
Mithridat. Damocr. ℥ij.
Laudan. opiat. ℥ß.
Sacchar. cand. alb. ℥ß.

Incis. & contusis affunde Spiritus Vini vel Cerasor. nigr. rectif. ℥viij. *Stent per aliquot dies in digestione, postmodum filtrato Liquori adde Vini Malvatici optimi* ℥xvj. *Stent adhuc per octiduum in leni calore, postea filtra iterum, & usui asserva. Dosis Cochleare unum, duo vel tria ad summum per diem, purgat renes egregiè, & nihilominus dolores nephriticos valde lenit.* Elixir est mihi, plurimisque apud nos familiare.

CALCVLVS VESICÆ est concretum lapidosum in Vesicâ urinariâ sensim ex materiâ tartareâ sive terrestri alcalino-salino fixâ productum, atque paulatim novarum particularum accessione augmentatum, induratumque.

Proximè hinc generatur à coagulo tartareo-viscido, alcalino-salino, quod plerumque è Renibus in Vesicam per Vreteres detruditur, inibique novarum particularum frequenti appositione, & adglutinatione in Calculum, primò quidem minorem, dein verò sensim majorem concrescit. Subinde etiam vel Calculus unus minor è Renibus delapsus in Vesicâ novo muco obducitur, sicque in Calculum grandiorem evadit; vel plures minores, sive arenulæ cum Vrinâ ad Vesicam deferuntur, & inibi per interveninentem mucum in unum Lapidem coalescunt. Vsque adeo ut talis concretio fiat nunc *lamellatim*, sicut in Calculis purè vesicalibus, ad quam non arenulæ renales, sed mucus vesicæ tartareus contribuit: nunc per *arenulas*, quæ jam in tubulis renalibus concreverunt, & inde ad Vesicam demissæ sunt. *Antecedens* causa est intemperies sanguinis tartarea ⊖ino-alcalino-mucosa, in quâ nimirum particulæ terrestes, crassæ, mucoso-viscidæ, & salino-alcalinæ spirit. p.n. abundant, atque à causis procatarcticis adquisitæ cumulatæque fuerunt, inprimis à Victu, copiosas salsas, terrestres mucosas, dyspeptas particulas in se fovente, & hinc malè in stomacho digestæ; à Vino itidem ♀reo, minus penetrante, utut aliâs satis generoso, atque spirituoso, quod multum calcis secum ferre dicunt. Quibus adjungimus Vitã sedentariam, Somnum largiorem, Tristitiam frequentem, Venerem nimiam, decubitum diuturnum in Arthritide præsertim, segnitiem in urinâ probè & sufficienter reddendâ, dispositionem denique hæreditariam.

Quod

Quod si minor calculus asperitate suâ sese intra mucum & fibras membranaceas Vesicæ infixit, tum inibi velut in nido dein immobilis recumbit, & adglutinatur, imò appositâ paulatim novâ materiâ tartareâ augetur, & grandescit non secus atque si mobilis fuisset.

Diagnosis. *Signa diagnostica* præsentis Calculi Vesicæ ejusque mobilis varia sunt, & quidem si Lapis adhuc minor sit, frequens in Vretrâ pruritus, atque Dysuria producitur, imò inter mingendum sentitur, à Viris quidem in genitalis membri glande, à Fœminis autem in Collo Vesicæ plus minus acutus, pungens aut lancinans, subinde etiam obtusus dolor, ab extremitate Glandis in ipsam Vesicam tendens. Quando autem Æger Vrinam excernere cupit, priùs semper membrum fricat aut mulget, quò sic Vrina melius & minori cum labore aut dolore profluat. Si Calculus dein augetur ac major redditur, tum Æger in Inguine aliquod velut pondus persentit, quod deorsum premit, ac simul dolorem quendam in Vmbilico propter Vrachi cum Vesicâ communionem, producit. Vbi verò Calculus non omninò occludit Vesicæ collum, tunc Æger ad frequentem mictionem solicitatur, etiamsi sæpiùs parum, subinde prorsus nihil mingat, imò interdum Vrina etiam contra Ægri voluntatem guttatim non sine ardente dolore & cruciatu profluat: quamobrem virga non rarò tenditur, ac insimul alvus ad deponendum incitatur. Vrina emissa ferè semper mucum secum fert, Narium muco, interdum & Puri similem, eumque majori vel minori quantitate, qui certissimum solet indicium Calculi vesicalis præbere. Quòd si Æger reclinato corpore jacet, tunc Calculo retro lapso Vrina melius emittitur. Evidentissimum tamē signum præsentis Calculi exploratione chirurgicâ habetur, quâ quidē Operator priores duos digitos Oleo inunctos unum post alterum in Patientis alvum intrudit, atque Vesicam versus placidè adigit, & hinc alterâ manu Inguinis regionem premit, hac enim ratione, si Calculus adest, durum quid sub digitis sentit. Hic explorandi modus in Junioribus & gracilibus certior est, quàm in Obesis, in quibus examen catheteris ope institutum felicius evadit, etenim instrumentum hoc in Vesicam leniter & circumspectè intrusum, ac postea hinc inde versum, ad Calculum tanquam ad rem quandā duram (si grandiusculus, mobilis ac liber est, atque ad Collum Vesicæ pondere suo de labitur) facilè allidit, hincq; sensibilem, licèt valde exiguum strepitum producit. Si exiguus fuerit Calculus, tum catheteri facillimè cedit, & ita deprehendi commodè nequit. Si autem adnatus sit internæ Vesicæ superficiei Lapis, tum per plures ibidem annos sine notabili incommodo latere potest; modò ne asper fuerit vel mobilis. Vbi verò idem incrementum considerabile fuit adeptus, & simul asperitate quadam vicinas quascunque nervoso-membranaceas fibras pungere, lancinare, atque sub leni corporis motu Vesicalem mucum defricare incipiat,

pergat-

gatque, tum jam frequentes mingendi cruciatus, ſæpè cum alvi teneſmo per conſenſum juncti, oboriuntur, atque in Vrinâ, quæ modò copioſior, & lenior, modò parcior & acrior cum difficultate & dolore, crebroque mingendi ardore profluit, copiam mucoſo-purulenti humoris protrudunt. Immobilem hunc, adnatumque Calculum Veſicæ aliis vix melius ſignis cognoſcere licet, quoniam ſæpiſſimè neque per digitorum intruſionem in Alvum, neque per Catheterem in Veſicam immiſſum deprehendi poteſt. Cùm autem interdum *Scirrhus* orificii Veſicæ eadem cum *Calculo* ſymptomata producat, quæritur, quomodo hæc à ſe invicem dignoſcantur? Reſp. Difficile quidem hoc eſſe, ſed tamen haud prorſus impoſſibile, etenim ſi Calculus immobilis adeſt prope orficium Veſicæ, aut etiam mobilis, tum ille per Cathetiris intruſionem in Veſicam ſtatim tangitur, atque ejus aſperitas obſervatur, quale quid in Scirrho non contingit. Dein in Scirrho catheter difficillimè tranſmittitur per orificium veſicæ, in Calculo autem facilius, niſi ſphincter Veſicæ inflammatus, aut convulſivâ quadam criſpatione contractus fuerit. Denique in Calculo ſubinde Arenulæ prodierunt, dolorque acerbus pungens utplurimum etiam per conſenſum ad Virgæ glandem ſeſe extendit; in Scirrho autem ſymptomata hæc cuncta mitiora exiſtunt.

Quantum ad *Prognoſin*, Calculus major quàm ut Vrethram penetrare queat, ſi per felicem Lithotomiam non eximitur, ad mortem usque cum frequentibus mingendi cruciatibus retinetur. Credimus autem, homines cum ejusmodi calculo, ſi aſperitate ſuâ horrendos non pariat dolores, neque Collum Veſicæ criſpando obturet, per 12. 15. aut plures annos vivere poſſe. Quando dictum Veſicæ collum ita conſtringitur, ut Ægri nullam planè Vrinam emittere valeant, tum intra paucos dies convulſi moriuntur. Si autem ſtranguria ex Calculo ſphincterem Veſicæ perpetim lancinante, ferè continua fuerit, cum Vrinæ mucoſæ parcâ & frequenti excretione, tum Ægri ſenſim vel hydropicâ vel ſimplici Tabe cum Febri lentâ conſumuntur ac moriuntur. Calculi minores interdum ſatis feliciter ac citra notabiles cruciatus per Vrethram excernuntur; ſæpius verò, præſertim apud Viros in Virgâ obhærent, & immanes dolores pariunt, donec planè exierint.

Differunt Calculi Veſicales non ſecus ac renales inter ſe vario modo, nimirum ratione *duritiei*, *figuræ*, *coloris* & *magnitudinis*. Imò etiam hoc neceſſarium eſt, ut ſciat Chirurgus num Calculus in Veſicâ liber ac mobilis ſit, num verò quod ſubinde contingit, internæ tunicæ Veſicæ adnatus. Ac ſi adnatus eſt Calculus, isque grandior, tum nec à Naturâ extrudi, neque etiam ullo artificio citra præſentiſſimum mortis periculum exſcindi poteſt. *Differentia.*

In *Curatione* alia fiunt præſervationis, alia curationis gratiâ. Præſervationis ergo homines à Calculis munire poſſumus iis Remediis, quæ *Curatio.*

coagulum tartareum sanguinis intercipere, & præcavere, vel præsens jam promptè dissolvere possunt. Vbi Victûs ratio inprimis convenit, aromaticis constans moleculis, & salium fixorum, atque particularum terrestrium nullum proventum exhibens. Abstinendum ergo ab omnibus valde acidis, ⊖sis, fumo induratis; à caseo, pastis farinaceis, ovis induratis, carnibus durioribus, &c. Cavendum sibi ab otio, à nimiâ ♀re spiritus exhauriente, à Vinis ♀reis & calcariis, à Cerevisiâ minus probè defœcatâ. E contrario carnes teneriores, olera hortensia spirituosiora, radices & plantæ antiscorbuticæ, Vinum album, tenue, ac diureticum, vel Cerevisia probè defœcata, clara, & amaricans, vel Decoctum lene Radici, Filicis atque Ligni Sassaphras vel Guajaci pro potu ordinario per longum tempus usurpentur: quibus modica corporis exercitatio, & animus ad lætitiam semper compositus jungantur. Æstivo simul tempore aliquoties dulcis Aquæ Balneis homo insideat.

Diætâ.

Inter Remedia *præservativa* commendamus vel *Juscula Herbis antiscorbuticis* alterata, vel *Pulveres* ad concretionem Calculorum in genere, renaliumque in specie præcavendam laudatos. *Acidulæ* quoque *Sualbacenses* aut *Thermæ piperinæ* cum regimine Diætæ exacto potæ insignem effectum præstant. Si coagulum jam hæreat in Vesicâ, tum id per injectionẽ *Liquoris lithontriptici Timæi à Guldenklée* resolvetur: præprimis si simul internè copiosus humor diureticus v.gr. *Infusum folior. Thée* & *Betonic. Decoctum Radic. Filicis*, *Onon.d. Liquirit.* &c. affatim hauriatur, utpote à quo coagulum illud magis dilutum & liquefactum tanto felicius abstergi & excerni potest. Interea subinde Æger sive per *Emulsionem seminis Violarum*; sive per *Syrupum de Spinâ cervinâ ad* ℥iß. *vel* ℥ij. *cum Aqu. Flor. Sambuc.* purgetur. Sed & *Tragema* seqq. quotidie capiatur:

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.* ℥j.
Semin. Anis. ʒij.
Nasturt. ʒj.
Cinam. el. ʒiß.
Cubebar.
Garyoph. ana. ℈ij.
Pulv. fol. Sen. ʒiij.
⊖*is polychr.* ℈iiß.
Sacch. alb. ℥vj.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒj. quotidie.

Vel *Elix. propr. Claud. cum Tinct.* ♂*ii mixtum ad gutt.* xx. in singulis pastibus sumatur.

Præsente porrò ejusmodi coagulo, aut m. si Calculus minor in Vesicâ hæreat, jubendus est Æger, quantum ipsius vires permittent, vel equitare tantisper, vel pedibus aut in Rhedâ iter conficere, vel sæpiùs etiam *Balneo Aquæ dulcis* insidere, ac præterea liberaliter potare, hincque à potu Vrinam quantum potest, cohibere, quo sic auctâ ipsius copiâ deinceps ipse simul Calculus inter mingendum expelli possit.

Cùm verò postea Calculus Vrethram ingressus est, ac ibidem immotus hæret, omni studio cavendum, ne in

in Vesicam remeet, sed è contrario statim Patiens Balneo est immittendus, ac eidem haustus *Olei Amygd. dulc.* cum 20. aut 30. *guttulis Ol. Terebinth.* est propinandus, interea digitis ipse Calculus ad Virgæ glandem lubricatâ viâ protrudendus: In hunc finē noñulli vel *Lac calidum* vel *Ol. Amygd. dulc.* aut *Rosar.* Vrethræ inspergere solent. Quâ ratione, si Calculus non admodum angulosus est, facilè elicietur: si verò asper multum & angulo uno vel altero internæ canalis superficiei infixus obhæreat, tum per continuatum *Balnei* usum, simul & *Injectiones Lactis* aut *Decocti* cujusdam *emollientis* Vrethra lubricanda simul & expandenda venit, quo facto lapis tanto facilius, subinde velut in momento, extrudi solet.

Quòd si verò in Glande nihilominus pertinaciter hæreat, tum aptis instrumentis canalis expandendus, & Calculus extrahendus, inque hunc finem necessitate urgente terebello fistulæ incluso prius terendus. Si tandem longiùs retro Glandem subsistat lapis, nec ullâ arte hinc eximi queat, tum ipsa Virga à latere ubi vasa sanguinea non multum jacent, est incidenda, interea simul filo stringenda Vrethra, ne remeet Calculus, & præputium ita extendendum, ut totam glandem tegat. Factâ autem incisione extrudendus atque eximendus est Calculus, cutisq; remittenda, ut incisum penem integrè contegat, sic enim consolidatio facilior evadet. Quo minùs a. Vulnus hoc in ductu Vrethræ carunculam, vel cicatricem incommodam post se relinquat, sicque Calculos forsan secuturos in transitu præpediat, vel etiam Fistulam difficulter sanabilem excitet, consultum est tubulum quendam argenteum durante consolidationis tempore in Vrethrâ gestare, atque Vrinam per eundem mittere: ipse a. tubulus *Unguento diapompholygos*, cui parum *Balsami Peruviani* mixtum erit, illini debet. Loco Tubi *argentei* alii utuntur Tubulo *cereo.* Interim Vulnus tractandum est sicuti Vulnera Tendinum ac Nervorum, quemadmodum sub titulo de Vulneribus docetur.

Quòd si tandem Calculus major existat, quàm ut è Vesicæ orificio per Vrethram excerni & exprimi possit, tum ultimum liberationis remedium *Lithotomia* audit, quæ institui potest, si Æger non sit ætate valdè gravis, atque debilis, verùm si fuerit adolescens, aut in consistente ætate constitutus, boni insuper habitûs, à Cacochymiâ omni, præprimis etiam venereâ immunis. Si itidem Calculus in magnitudine non excedat, neque peculiari inclusus membranæ Vesicæ adhæreat: In hisce enim casibus tutiùs à Lithotomia obstinemus, quàm cum Ægri pernicie eandem exerceemus. *Lithotomia* a. duplici modo institui solet, nimirum vel *per apparatum Instrumentorum minorem* in Pueris, vel per *apparatum majorem* in Adultis.

Ad *apparatum minorem*, qui hodiernâ die non amplius instituitur, nisi in Pueris, non requiritur aliud quid, quàm cultellus incisorius utraque parte acutus, & exercitata Operatoris manus, peragiturque seq. modo: In- *Lithotomia apparatus minor.*

 vocato

vocato Summi Archiatri auxilio Puer, poſtquam ante aliquot horas *dimidium Laudani opiati granum* cum *Aqu. flor. Til.* & *Syrupo Pœon.* hauſit, & aliquot ante operationem dies per unum alterumve Purgans, nec non Clyſma reiteratum, benè fuit præparatus, tabulæ in hanc rem commodè adaptatæ imponitur, ita ut ſupinus jaceat, retro ipſum famulus ſtat, qui ejusdem axillas firmiter teneat; ad utrumque latus alii famuli hærent, quorum qui ad dextram conſtitutus eſt, Patientis manum ſubtus femur tractam teneat, alter verò à ſiniſtris aſſiſtens ſimiliter ſuâ dextrâ manu Patientis ſiniſtram optimè cuſtodire, aut ſubter femur firmiter continere, uterque verò ſimul femora Patientis diducere debet. Quo facto Operator digitum ſiniſtræ manus in Inteſtinum Patientis rectum trudit, eoque lapidem verſus anteriorem partem Veſicæ, ſive ad Perinæum deprimit, dumque interea Miniſter adſtans Virgam Patientis unâ manu in ſublime attollit, alterâ verò Abdomen deorſum trudit, acutiſſimo cultello ſuo, quem juxta reliqua inſtrumenta & medicamina in parato habebit, Perinæum ad ipſum lapidem usque ita pertundit, ut ſimul & ſphincterem Inteſtini recti, & muſculum Veſicæ intactum prætereat; foramen hinc in Veſicam adactum eo usque ampliat, donec digito in anum intruſo Calculum exprimere, aut forcipe cochleatâ, inſtrumento conductorio, vel cochleari extrahere queat. Hoc feliciter expedito Vulnus curatur, prout in ſequentibus adnotatur. Inter operationis actum Ægroto ſubinde cochlearia aliquot *Mixturæ antiſpaſmodico-cardiacæ* exhibentur, Naribus verò modò *Spiritus Reginæ Hung.* ſive *Anthos*, modò *Balſamus apoplecticus* admovetur.

Operatio per majorem apparatum hodie maximè uſitata ſeq. in modum inſtituitur: Æger nimirum poſt implorataam divini Numinis opem & propinatum *Vini generoſi* cum *Laudani opiati grano*, vel *Theriacæ cœleſtis granis 6.* permiſti hauſtum, præmiſſamque debitam, cum Venæſectione, Purgantibus, & Clyſmate uno alterove inſtitutam, præparationem Tabulæ nonnihil altæ linteis tectæ imponitur, hinc ad dorſum ejus ſternuntur pulvinaria firmiora, quibus tum miſer Patiens, tum famulus ipſi ſuſtentationis gratiâ alligand⁹ inſidere queat; poſtea femora Ægri diducuntur, ac à lateralibus Miniſtris aſſiſtentibus fortiter tenentur, ita ut Æger artus ſub actu operationis movere, ſicque Operatorem impedire nequeat, tibiæ verò retrorſum actæ cum ipſius manibus firmiter colligantur. His præmiſſis Ægro plura cochlearia *Mixturæ* alicujus *antiſpaſmodico cardiacæ* propinantur, qualis eſſe poteſt, v. gr.

℞. *Aqu. Flor. Til. Acac.*
Borrag. ana. ℥j.
Eſſent. Opii ℈ß.
Syrup. Cap.♀r. ʒvj.
Confect. Alk. ʒj.
Ungul. Alc. ppt.
Dent. Apr. ppt. ana. ʒß.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. fl. Conſol. reg. omn. ana.* ℥j.
Cardiac. offic. ʒvj.

Syrup.

Syrup. Pœon.
Semperv. ana. ℥ß.
Conf. Hyac. c. ʒj.
Bezoard. min.
Matr. perl. ppt. ana. ʒß.
Cinnab. ♁ *n. opt.* ℈j.
M. detur ad Vitr.

Naribus frequenter *Balsamus apoplecticus* aliusve admoveatur, temporibusque illinatur vel *Spiritus Anthos*, *Anhaltinus*, aut similis cum linteolo. Vel etiam *Nodulus ex contusis Juniperi Baccis*, *Rutâ*, *Cinamomo*, *Garyophyll. ar.* concinnatus atque *Aceto rosaceo* intinctus Naso applicetur.

Operator verò ante omnia catheterem Vesicæ ita immittat, ut ejus curva extremitas Perinæum versus, ubi incisio est facienda, directa existat, hinc catheterem Ministrò adstanti committit, eâ conditione, ut eundem ad dictum locum firmiter directum teneat, Operator hinc incisionem versus catheterem in Perinæo facit, eâ cum cautelâ, ne sphincter Ani aut Vesicæ discindatur, qualem discissionem postea Incontinentia urinæ aut fœcum alvinarum sequeretur. Attamen Vulnus in Pueris proximè duos, in Adultis verò tres digitos transversos latitudine suâ exæquet, ne foramen nimis parvum evadat ad exitum Calculo concedendum. Incisione peractâ statim Operator intruso speculo foramen ipsius vulneris diducit, ita ut per illud instrumentis in Vesicam penetrare queat. Cathetere hinc è Virgâ exempto vel forcipem vel cochleare Vesicæ immittit, Calculumque sive unum sive plures commodo quocunque modo extrahit. Priusquam hoc facit, digito in Vesicam adacto Calculi magnitudinem explorat. Quod si enim ille major sit quàm ipsum foramen, tum vulnus non speculo, propter dilacerationis fibrarum indeque facilè subsequentis convulsionis lethalis metum, sed incisione novâ est dilatandum, hinc forcipe cochleari aculeis intus instructâ lapidis diffractio tentanda, quod ubi succedit, frusta per partes eximenda, ac probè tandem attendendum, ne unus vel alter Calculus in Vesicâ relinquatur.

Quod si autem lapis magnitudinem Ovi gallinacei exæquet, & frangibilis non sit, tum Operatio minimè est suscipienda, quoniam ejusmodi Calculus foramen adeo amplum requirit, quale citra præsentaneū mortis periculum fieri nequit. Vel si operatio facta est, & Calculus ob sui molem extrahi nequeat, tum relinquendus est potius in Vesicâ, & curatio ita instituenda, ut cannulam Æger perpetim Vesicæ intrusam gestet, per quam Vrina excerni queat. Operatione finitâ Æger refocillandus est Mixturis supradictis cardiaco-antispasmodicis, & Jusculis optimis. Sabulum dein omne, vel arenulæ, & sanguinis grumuli cochlearis, vel apti alius instrumenti ope adhuc eximi debent, sicque Vesica probè mundanda. Quando Lapis extractus est sabulosus, vel instar Pisolithi, tum plerumque indicium est, nullos alios adesse calculos; si autem politus ille fuerit, sive muco obductus, tunc certum Lithotomi signum esse credunt, ulteriorum

præſentium; qui proin omnes eximendi primâ ſtatim vice, ſi Ægri vires permittant; ſi non ferunt, tum cannula Veſicæ immittenda, & poſtridie operationis illa penitus eſt extergenda, deinceps cannula non amplius intrudenda, utpote quæ conſolidationem & reunionem diviſæ partis impediret. Ad hæmorrhagiam autem Vulneris ſedandam ac ulteriorem præcavendam *lintea carpta Albumini ovorum* intincta, atque *Pulveribus adſtringentibus* conſperſa applicanda, probè attenenddo, ne *Vitriolũ*, *Alumen*, aut ſimile acidum corroſivum permiſceatur. Hinc plumaceolum, Emplaſtrum, atque compreſſum figuræ convenientis imponitur, ac denique hæc omnia aptâ deligatione & faſciatione ſuſtinentur. Sedatâ ſic Hæmorrhagiâ *Unguentum digeſtiv. Hildani* cum *Balſamo Peruviano* mixtum ſingulis deligationibus adhibetur, ſed ita, ne quid in Veſicæ fundum delabatur; poſtea *Emplaſtrum* v. gr. de *Spermate Ranarum*, vel *Dialpalmæ*, aut *Album coctum* deſuper imponitur, atque inſuper applicatur fomentum, quale in Inflammationibus aliàs diſcutiendis uſurpari ſolet. Nonnulli Chirurgi heic *Lardum* cum *herbis Scordii. Salv. Beton. Agrimon. Meliſſ.* ut & *Myrrhâ*, *Aloe*, ac *Thure*, *Vino* incoquunt, huicque Decocto immerſa expreſſaque lintea calidè applicant. Quòd ſi Vrina ſex vel octo horis poſt Operationem moleſta fuerit, tum Vulnus aperitur, & per illud effluere permittitur, hinc cannula ipſi Vulneri intruditur, ut per eam Vrina exire queat, quâ tamen non niſi per biduum vel triduum utuntur, donec Veſica probè fuerit mundificata & exterſa, poſtmodum rejectâ penitus cannulâ conſolidatio *Balſamo Tolutano* vel *de Copaibâ* abſolvitur. Poſt quamlibet deligationem femora ſunt colliganda, ne eadem Patiens in ſomno fortè diducat, ſicque Vulneris conſolidationem impediat.

In Fœminis etſi Vrethra brevior atque amplior ſit, quàm in Viris, hincque minores Calculi & Arenulæ faciliùs excernantur, ſubinde tamen & illæ Veſicæ Calculo graviſſimè moleſtantur, ita ut is, quando ob magnitudinem per ordinariam viam prodire nequit, *Lithotomiæ* auxilio ſimiliter extrahi debeat. Inſtituitur autem hæc nunc per minorem, nunc per majorem adparatum; *in minore adparatu* pauca adhibentur inſtrumenta, cùm nulla heic inciſio fiat; collocatur nimirum Fœmina in Sellâ quadam ſublimi, poſterius nonnihil recumbente, ita ut natibus extremitati Sellæ inſideat, hinc genua ipſius in altum, plantæque pedum ad nates ſuſtinentur, diductis poſtea crutibus catheter exploratorius rectus, Oleo roſaceo vel Hyperici illitus ab Operatore per Vrethram in Veſicam Patientis leniter adigitur, Calculusque ſic inquiritur. Cùm autem Catheter dictus ſinu inſtructus ſit, velut itinerario, dilatatorium inſtrumentum ejus ductu in eandem Veſicam truditur, ejusque ope poſt extractum Catheterem Vrethra quantum fieri poteſt, expanditur, idque ſine magnâ difficultate, quoniam ſatis dilatabilis eſt, præcipuè ſi ante operationem Fœ-

mina

mina aliquandiu Balneo emollienti insedit. Dilatatâ sufficienter Vrethrâ instrumentum extrahitur, Operatorque hinc statim duos manûs sinistræ digitos, oleo probè perunctos, in Vaginam Mulieris, aut anum Virginis demittit, dextrâ autem manu Hypogastrium Patientis leniter comprimendo Calculum versus collum Vesicæ blandè protrudit, unde postmodum facilè in dilatatam priùs Vrethram, nisi grandis nimium fuerit, prolabitur. Quando autem Operator sic Lapidem in Vrethræ canali videt, tum hypogastrium Patientis Ministro cuidam ádstanti premendum committit, ipse verò dextrâ manu prehensum uncum retro Lapidem adigit, eumque sic extrudit. Hoc feliciter expedito Vrethræ regio tota per aliquot dies sæpè Oleo Rosarum, Verbasci, Violarum, & Axungiâ porcinâ, aut cervinâ est inungenda, simulque Decocto vinoso Herbarum Alliariæ, vel Scordii, Betonic. Melis. Sanicul. Chamomill. Melitot. Succin. Agrimon. Aneth. Absynth. aut similium calidè fovenda, donec omnia sano statui sint restituta.

Operatio Lithotomiæ *per majorem adparatum* in Fœminâ aliter nonnihil quàm in Viro peragitur; nimirum eâ in situm consuetum adaptatâ atque ligatâ, exploratorius isque sinuosus catheter vel conductor per Vrethram in Vesicæ cavitatem mittitur, huic superingeritur Dilatatorium instrumentum, dumque hujus ope dilatatio blandè facta est, lanceolâ angustâ, utrinque acutâ à dextris & sinistris incidendum est orificium externum ductûs urinarii, idque nunc magis nunc minus pro diversâ Calculi latentis mole. Hinc lanceola vel scalpellum unâ cum dilatatorio extrahitur, atque denuò conductor unâ cum forcipe statim in Vesicam truditur, Calculusq; unus, vel plures, si adfuerint, quæruntur, prehenduntur & extrahuntur. Liberatâ sic & mundificatâ Vesicâ deligatur Vulnus, & ad consolidationem promovetur, sicuti paulo superius in Lithotomiâ Virorum indigitatum fuit.

Non caret hæc operatio suis incommodis, dolorifica est, & utplurimum Vrinæ Incontinentiam post se trahit, dum fieri rarissimè potest sine fibrarum Vrethræ & Sphincteris dilaceratione aut discissione, ob quam dein Vesicæ orificium claudi amplius, vel clausum teneri nequit; fibræ enim rotundæ Sphincteris semel discissæ sanantur quidem, sed ita amplius uniri nequeunt, ut contractionem naturalem præstare valeant.

CALCVLVS NARIVM est lapidosa concrescentia materiæ mucoso-terrestris, in glanduloso-tubulosâ Narium tunicâ collectæ; dolores tandem pungentes, atque lancinantes excitans. Genesin habet cum aliarum Partium lapidibus eandem, per paulatinam nimirum molecularum arenosarum accumulationem ex sanguine circulante, & earundem concretionem atque indurationem subsequentem. Molestus est in suo incremento hic Calculus, dumque prodire nequit brevi, lacerare tandem solet membranulas, quibus includitur, & *Calculus Narium.*

ita

ita exulcerare tunicam Narium, imò Ozænam producere valet.

Curatio. *Curatur* nonnisi exemtione Calculi, cumque hæc sine membranæ & fibrarum dilaceratione fieri nequeat, statim post extractum lapidem inspergendum est *Vinum calidum*, in quo *Mel rosaceum, Myrrha, Aloë, Sanicula, Pyrola, Betonica, Ulmaria, Millefolium* decocta fuerunt. Postquam hoc aliquoties factum, Vulnusque probè exterfum est, consolidatio promtè perficitur, si aliquoties *Balsamus vulnerarius* qualiscunque, vel *Peruvianus* cum *Oleo Hyperici* Naribus fuerit inditus.

Calculus sub Linguâ. CALCVLVS SVB LINGVA, est lapidosa concretio in tubulo quodam sublinguali salivali, vel intra membranulas ibidem sitas, ex materiâ terrestri & Sale alcalino-volatili paulatim congestis ac induratis genitus. Mirum quomodo hoc fieri queat? Sed res visa aliis, observataque à me ante viginti annos in Senatore quodam Civitatis nostræ, qui aliquandiu levem quandam sub Linguâ duritiem atque tumorem persensit, sed eum tamẽ, quousq; parum incomodabat, minimè curavit. Dum autem postea increvit, tuberculumque valdè molestum evasit, sibi mederi molestiæ impatiens voluit, id quod Chirurgus solâ expressione Calculi perfecit, raritatem Affectûs valdè miratus, dum primo intuitu Scirrhum esse voluit, eumque in Cancrum abiturum fore metuit.

Causa, & Curatio. Concretio ejusmodi calculosa à salivalis Tubuli obstructione sæpè provenit, unde saliva paulatim collecta, excussis particulis aquosis, concrescit, si plurimas particulas tartareas in sese habuerit, quales ex quotidiana Vinorum ingurgitatione, aliisque Diætæ vitiis adipisci potest. Nonnunquam & intra membranulas sub Linguâ sitas collectio & concretio humoris gelatinoso-tartarei & salino-alcalini fit. Nulla hinc superest alia curandi methodus, quàm ut Calculus loco moveatur, & è Tubulo salivali valde dilatato, vel membranulâ, cui inclusus hæret, exprimatur; quod ubi factum est, statim *Oris collutio* cum *Decocto Herbarum Scabios. Brunell. Flor. Malvæ. arbor. Ligustr. Rosar. rubr. in Vino facto*, admixto *Melle rosaceo* aliquoties calidè instituenda, simulque locus eodem *Melle Rosarum* cum *Pulvere Myrrhæ* & *Cretæ rubræ* sæpè inungendus.

CALCVLI VEL TOPHI PODAGRICI, sunt calcariæ in Articulis digitorum manuum aut pedum factæ concretiones, de quibus sub Titulo de Arthritide actum. *To[phi] pod[a]gri[ci]*

CALCVLVS VESICVLÆ FELLIS vel *aliarum etiam Partium* eandem quidem genesin habent, sed non pariter ita cognoscuntur, ac eapropter peculiarem curandi methodum hactenus non impetrârunt. Naturæ res minus probè cognita committitur, atque urgentibus interea symptomatibus remedia convenientia opponuntur. *Ca[lculus] va[riarum Par]tiu[m]*

CALCVLVS RENVM est concretum aliquod p. n. lapideæ duritiei, intra *Ca[lculus] Re[num]*

intra urinarios Renum tubulos, aut glandulas ipſas, à ♀rearum particularum viſcido alcalino-ſalino muco cohærentium collectione enatum.

Differunt inter ſe Calculi tales ratione *duritiei*, *figuræ*, *coloris*, & *magnitudinis*. Ratione *duritiei* Calculi ſunt vel ſilicei & minimè friabiles, vel molliores & tantillum friabiles, aut ſaltem magis frangibiles. Ratione *magnitudinis* alius alio major. Reſpectu *figuræ* maximè diverſi ſunt, reperiuntur enim rotundi, oblongi, acuminati, aſperi, læves. Ratione tandem *coloris* alii ſunt albicantes, alii cineritii, flavidiuſculi, rubicindu. &c.

Affliguntur heic Glandulæ tubulique urinarii, nunc in uno tantùm, nunc in utroque Rene; & quidem Affectus non Adultis tantùm, ſed & Infantibus aur Pueris duorum vel trium, plurium vel pauciorum annorum contingit, quemadmodum hoc tum aliorum, tum propria nos docuit experientia.

Cauſa proxima eſt coagulum quoddam viſcido-♀reum, intra tubulos renales collectum, quod conſtat ex pluribus terreſtrioribus, & alcalino-ſalinis particulis, acido ⊖e fixo, & paucis aquoſis atque ♀reis, inter ſe arctè & tenaciter junctis, quod è ſanguine arterioſo ſecretum renales tubulos & porulos obſtruit, ut adeo in ipſo Sanguine materia Calculos proximè componens præexiſtat, atque eo deductæ ſint è primis viis, in quibus Cibi aſſumti non perfectè digeruntur, ſed in ♀ream maſſam convertuntur. E *Cauſis procatarcticis* & maximè remotis ad hunc Affectum contribuunt Vita ſedentaria, inprimis decubitus ſupinus diuturnus, venus immodica, exertia mox à paſtu inſtituta, Vinorum ♀reorum frequens & nimia ingurgitatio, Cibi ſucci ♀rei, ⊖ſi, muco-viſcidi, atque difficilis concoctionis: His adde hæreditariam diſpoſitionem ſanguinis ad Calculos producendos. *Diagnoſis.*

Calculus Renum ſubinde diu latitat citra ullum incommodum, quando a. in motum adigitur, tum cruciatus inde producuntur, dolorque Renum & Lumborum evadit plus minus intenſus, ad Crus etiam lateris affecti, imò per pedem interdum ſeſe protendens, ac ſtupore comitatus. Junguntur his frequentes Horrores, Nauſea, imò Vomitus eo usq; durantes donec Calculus vel ad quietem promot⁹, vel è Rene per Vreterem in Veſicam depulſus fuerit. Quòd ſi in hoc itinere fortè obhæreat, & Vreteris tunicas à ſe invicem diſtendat, tum Cruciatus maximè augentur, & à primo loco ſemoti nunc aliam regionem obtinent, atque verſus inguina, ſub quibus Veſica hæret, tendunt. Contingit hinc frequenter, ut vel in momento Calculus procedat ulterius, & in Veſicæ cavitatem delabatur, quem motum Ægri non obſcurè perſentiunt, Medicoque interdum referre nôrunt. Sed aliquando diu in Vretere hæret Calculus, quando aſperitate ſuâ ſpaſmodicam illius fibris contractionem inducit, & ſic etiam frequenter Vrinæ tranſitum impedit: id quod propter communionem non rarò ſimul in oppoſito Rene & Vretere contingit. Reſilit etiam aliquando

Calculus in Pelvim, si transire nequit, tumque dolores Lumborum similiter cessant. Quamprimum autem in Vesicâ sic Calculus hæret, eodem simul instanti Cruciatus omnes cessant, Ægerque se subitò quasi sanatum videt. Mictio autem in hoc Affectu simul quandoque est laboriosa & ardens, Vrina vel pauca in Paroxysmo ob Renum tubulos à Calculorum asperitate crispatos emittitur, eaque utplurimum tenuis & clara, quæ tamen semoto nonnihil Calculo iterum turbata, crassa, sabulosa aut mucosa cum aliquali ardore excernitur; & si asperitas Calculi Vasculum unum alterumve sanguineum dilaceret, sanguis simul cum Vrinâ prodibit, tanto is copiosior, quanto majora vel plura vascula fuerint rupta. Dum itaque renales nervuli ac tubuli ab acrimoniâ Calculorum vel à sabulis punguntur, tenduntur & ita spasmo graviori vel leviori affliguntur, tum propinquæ partes nervoso-membranosæ simul afficiuntur, ac ita per consensum alia quoque non minus vehementia symptomata excitant; qualia sunt *Colica convulsiva*, & *hysterica*, tenesmus ani, præcordiorum anxietas, respirandi difficultas, Alvi constipatio, in Glande prurit⁹ & titillationis vel pungitivi alicujus doloris sensus, cum frequenti mingendi desiderio; retractio testiculi ad Os Pubis in latere Renis affecti.

Quomodo ab aliis doloribus discernatur Calculus. Distinguitur tandẽ hic *Dolor nephriticus* à *dolore Colico*, quòd in Colicâ dolor sit acutissimus, & supra Renum tractum extendatur, in Calculo a. dolor in ipso Rene maneat fixus, ac subinde versus pubem & umbilicum cum spasmo intestinorũ expandatur. Dolor colicus plerumque mobilis est, Calculi permanens. In Colicâ potiùs alvus, in Nephritide Vrina cum alvo simul supprimitur. Dolor nephriticus stuporem in Crure producit, & per ureterem in Vesicam imò in glandem ipsam in Maribus tendit, in Colicâ non item. Tandẽ Colica in sinistro latere plerumque exacerbatur, ob Intestini Coli ibidem angustiam, in Nephritide autem dolor promiscuè modò in dextrum, modò in sinistrum latus extenditur.

Progn[osis] Quoad *Prognosin*, Calculus Renum magnus, nisi conteratur Ægrum mali latentis subinde inscium, ad mortem usque comitatur. Si autem inquietus sit & loco moveri conetur, dolorem valde acerbum affert, mortemque citò inducere valet, Gangrænam, Sphacelum, Convulsiones, subinde & Ischuriam immedicabilem post se trahendo. Vbi minor est & per Vreterem penetrare potest, tum nihilominus subinde una alterave hebdomada præterit, antequam in Vesicam transeat, indeque per Vrethram ê corpore extrudatur. Laborem afferunt, & difficultatem sæpè magnam in transitu Calculi asperi & angulosi, minus autem laboriosi sunt læves qui lubricam superficiem, figuramque acutis angulis carentem obtinent. Calculus major & asper, vel plurimæ etiam arenulæ asperæ, non raro exulcerationem & consumtionem renalis substantiæ, cum Tabe corporis totius inducunt.

Quan-

Quando Calculi ſunt friabiles, tum plerumque plures adſunt; qui per pariodos incertas novos dolorum paroxyſmos cum novorum Calculorum tranſitu producunt.

Curatio requirit methodum aliam in Paroxyſmo dolorum, aliam extra ipſum. *In Paroxyſmo* ſymptomata à Calculo uno pluribusve inducta doloroſa & convulſiva ſunt compeſcenda, atque hinc quoniam neſcitur, utrum Calculus ſit magnus aut parvus, fortiter pellentia atque irritantia remedia non ſunt præſcribenda, utpote à quibus præſente majore Calculo lethalia excitarentur ſymptomata; ſed conveniunt ſolùm ea, quæ fibras irritatas demulcere, atque laxare, & ſic vias Renum expedire ac lubricare poſſunt; unde *Clyſmata*, proſunt frequētia v. gr.

℞. *Lact. bubul.*
Olei Amygd. dulc. ana. ℥vj.
Chamomill. ℥ij.
Sacch. alb. vel Mell. roſat. ʒvj.
M. f. Clyſter. tepidè injiciendus.

Vel ℞. *Herb. Violar.*
Parietar.
Puleg.
Aneth.
Flor. Verbaſc.
Melilot.
Chamom.
Pœon. ana. Mß.
Semin. Lin. ʒvj.
Anis.
Bacc. Juniper. ana. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in q. ſ. Aquæ font. & Lact. Colatur. ℔j. *adde*
Mell. rutac.
Terebinth. vitell. ov. ſol. ana. ℥ß.
Ol. Chamomill. ℥iiß.
M. f. Clyſter tepidè inſpergendus.

Proſunt & ex *emollientibus* variis in *Aquâ decoctis parata*, & *Terebinthinâ* cum *Vitello Ovi* ſolutâ, Oleoque *Meliloti* & *Amygdalarum* permixta: v. gr.

℞. *Decoct. Radic. & Herb. emoll.* ℔j.
Ol. Amygd. dulc. ℥ij.
Terebinth. vitell. Ovor. ſol. ℥ß.
M. F. Clyſma.

Si Plethora adſit, etiā *Venæſectio* in brachio inſtituatur. *Internè* præſcribuntur *Syrup. anodyn. de Alth. Fernelii, Violar. de Liquirit.* cum *Ol. Amygd. dulc.* & *Spec. diatragac. frigid.* v. gr.

℞. *Syrup. Violar. de Alth. Fern.*
Aqu. Portulac. Malv. ana. ℥j.
Ol. Amygd. dulc. rec. expr. ℥iß.
M. d. ad Oll. ſumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Portulac. Nymph.*
Elixir. nephrit.
Syrup. de Liquirit. ana. ℥j.
Eſſent. opii liquid. ℈ß.
M. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Vel *Emulſiones amygdalinæ* cum *Semin. frig.* atque *Papav. alb.* affuſâ *Aquâ Parietar. Malv. Portulac. Chamom.* &c. parentur, & hauſtibus frequentibus propinentur.

℞. *Nucl. Perſic.* ʒij.
Amygd. dulc. rec. exc.
Semin. Melon.
Cucum. ana. ʒiß.
Papav. alb. ʒj.
Aqu. Malv. ℥iiij.
Parietar. ℥iij.
M. F. l. a. Emulſio, d. ad Vitr. & ſumatur aliquot doſibus.

Vel ordinetur *Decoctum nephro-catarcticum*

cticum Foresti & mane ac vesp. *ad* ℥ij. *vel* iij. exhibeatur. Novimus aliquos, qui incipiente Paroxysmo statim manipulum *florum Chamomillæ* in *Aquæ fontan* ac *Vini alb. veteris ana.* ℔ij. fortiter coquunt, parum sacchari addunt, hinc per colum trajiciunt, atque bis vel ter de die cyathum unciarum quatuor vel plurium calidè, si fieri possit, exhauriunt. Optimè conducit quoque *Elixir* nostrum *nephritico-anodynum*, si de eo tria vel quatuor cochlearia plena per diem deglutiantur.

Quando autem hâc ratione crispatura sive spasmodica contractio fibrarum nervearum in Renibus aut Vreteribus est sublata, tum verò jam antinephritica remedia prosunt, quæ paulo inferius commendatur in Curatione nephritidis extra Paroxysmum instituendâ: licebit enim tum ea in usum vocare, quæ aliqualem vim pellendi, maximè autem Calculos frangendi aut dissolvendi virtutem obtinent. *Externè* Lumborum regio bis vel ter quotidie inungatur *Oleo Scorp. Matth. Lini, Verbasc. Melilot. Chamom. Amygd. amar. è florib. Slotan. Petr. Semin. Hyoscyam.* aut *Papav. alb. expresso.* Vel *Cataplasmata*, aut Epithemata simul *emollientia ex Herb. Petros. Cherefol. Malv. Meliss. Flor. Chamom. Melilot. Genist. Verbasc. Gallii lutei, Linariæ, Sambuc. Bacc. Juniper.* &c. cum ♋. *vivis* aut *Cochleis* contusis parata applicentur. Hinc Æger aliquoties *Semicupio* vel *Balneo Aquæ dulcis* immittatur, cui incocta sint *Vegetabilia emollientia.* Quod si his non obstantibus dolor acerbus urgere pergat, subinde *Pilulæ de Styrace, de Cynogloss.* aut *Balsam.* 🜍*ris tereb.* vel *Theriacâ cœlesti* exhibentur; ac interea etiam vel *Olei Terebinth.* aut Pini *guttulæ* xx. mane ac vesp. cum *Emulsione Seminum frigidorum* bis vel ter quotidie propinantur.

In *Diætâ* cùm Æger crebrò vomat, præter Juscula diversa vix quicquam aliud admittet; caveat autem sibi inprimis ab acidis. Pro potu ordinario concedatur *Decoctum radic. Gramin. Herb. Malv. Heder. terr. Ficuum, Passul. major.* exacinat. atque *Hord. mund.* Vel Emulsio ex Amygd. dulc. recent-excort. atque Seminibus frig. maj. cum Aquâ Portulac. Lactuc. Matr. aut Potu ordinar. parata detur, vel solum *Decoctum Radic. Filic.* cum triplo *Rasur. Lign. Sassaphr.* paretur, & pro ordinario potu concedatur. Æger, si possit, etiam equum conscendat, & aliquandiu obequitet, ni Calculus credatur esse justo major; vel etiam sese exerceat obambulando, postquam haustum *Olei Amygd. dulc.* assumsit. Sunt qui Lumbos Inguina versus deorsum fricant linteis calidis, aut *Cucurbitulam siccam* Renibus applicant, dein paulo inferius, & rursus aliam atque aliam obliquè ad Inguina usque. Sed dolore summo urgente hoc remedii genus planè inutile est, si non noxium. In usu remediorum autem tamdiu est pergendum, donec Calculus in Vesicam fuerit prolapsus, tum verò statim copiosi liquores diuretici sunt potandi, ut sic Calculus quoque è Vesicâ per urethram prodeat.

Extra paroxysmum Æger ab hoc Malo

Malo eſt præſervandus, Calculos ſi qui adhuc adſint, frangendo, diſſolvendo, expellendo, ac ita calculoſam Renum diſpoſitionem emendando, totamque adeo Maſſam ſanguineam ab intemperie ⊖ſo-♀reâ liberando vel immunem præſtando. Obtineri hæc poſſunt vel per uſum *lithontripticorū* Remediorum; vel potu *Thermarum mineralium*, aut *Aquarum acidularum*, quas inter eminent *Macro-Sualbacenſes* ceu omnium ♍uoſiſſimæ; vel denique per frequentes hauſtus *Aquarum* diureticarum ex *Ononide*, *Raphano ruſtican. Plantag. Beccabung. Petroſelino*, *Apio*, *Naſt. Virg. aureâ*, *Trifol. fibrin. Flor. Sambuc. Baccis Alkekengi* & ſimil. deſtillatarum. Verno tempore *Succus Betulæ* per aliquot hebdomadas mane ad ℥vj. hauriri poteſt; vel eundem in finem *Lac aſininum*, aut *ſerum Lactis caprilli* potetur; vel *Juſcula Herbis naſturcinis alterata* per menſem integrum quotidie ſemel aut bis cum fructu capiuntur. Sub initium Maji haurire quoque licet ſecretum illud *Timæi à Guldenklee*, quod Renes validiſſimè expurgare, Calculosq; friabiles diſſolvere obſervavimus, conſtat a. illud ex *Vino rubro*, *tenui*, *penetrante*, atque *Succo herbarum Anſerinæ* & *Secalis frumenti* invicem mixtis, ac per triduum mane ad ℥v. vel vj. potis. Singulis quatuordecim diebus ad minimum calculoſi Homines de *Pulvere* quodam *antinephritico drachmam integram* cum *Aq. Fragorum* capiant, & hinc per unam vel alteram horam obequitent. Pulveres verò tales plurimi pro ſecretis hinc inde habentur & jactantur, promiſcuè compoſiti ex *Radicibus Pimpinell. Polypod. Saxifragiæ, Ononid. Eryng. Liquirit. Sigilli Salomonis, Galang. Zedoar. Raphani ruſtican. Vincetoxic. Gentian. cruciat. Helen. Angelic. Zingiber. Rhapontic.* è quibus etiam Decocta in *Vino albo*, vel *Cereviſiâ optimâ* & *clarâ* fiunt, ſæpiusque potanda offeruntur; *Summitatibus Virg. aureæ, Hyperic. Centaur. minor*; Seminibus Apii, *Petroſelin. Seſel. Milii ſolis, Geniſt. Naſturt. Anis. Fœnic. Coriandr. Cepar. Dauci, Urticæ, Thlaspios, Baccis Juniper. Alkekeng. Laur. Cynosbati, vel harum granulis, Hederæ arbor. Lapillis Meſpilor. Putaminibus Nucum jugland. avellanar. Ovorum gallinac. ablatâ pelliculâ intern. Lapidib. Malorum Perſicor.* aut *Armeniacor. Macis, Nuce moſch. Cubebis, Cardamom. Spongiâ Cynosb. ppt. Garyoph. arom. Oculis ♋. ppt. Cochleis cum teſtis calcinat. Sanguine Cervi aut Hirc. ppt. Lepore juniore in Aceto ſuffocato, hinc in partes diſſecto atque in Ollâ novâ terreâ probè coopertâ in Pulverem combuſto, Salib. Abſ. Onon. Fabar. Juniper. Nitro vitriolat.* &c. plurimisque aliis, quæ variè compoſita à ℈j. ad ʒß. in Vino albo, vel Aquâ conveniente exhiberi poſſunt per plures dies, vel ſingulis quatuordecim diebus aliquoties. Sequens mihi familiaris eſſe ſolet.

℞. *Lapid. Meſpilor.*
Putamin. Nuc. avell. ana. ʒij.
Nucl. Perſicor.
Semin. Fœnic.
Milii ſolis.
Naſturt.
Urtic. ana. ʒj.

Ocul. ♋. ppt. ℥ij.
Baccar. Juniper. ℈iiij.
Macis.
Cinam. opt. ana. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥ij.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ℈ij.

Alius magis compositus Pulvis inter nostrates usitatissimus, & virtute Renes extergendi laudatissimus, quo etiam ipsemet cum successu sæpius fui usus, sequens est:

℞. *Radic. Calam. aromat.*
Helen. Liquirit.
Pimpinell. Zedoar.
Macis ana. ℥ß.
Herb. siccar. Plantag. aquat.
Card. bened.
Centaur. min.
Lingu. cervin.
Salviæ nob.
Virg. aur.
Veronic.
Cinamom. opt.
Garyophyll. aromat.
Radic. Zingib. alb.
Galang. ana. ℨij.
Semin. Anis. Cumin.
Fœnic. Petroselin.
Rutæ. Urtic. ana. ℨiij.
Baccar. Juniper. ℨvj.
Cubebar. Cardam. ana. ℨiiß.
Fol. Senn. opt. mund. ℥iiß.
Rhab. elect. ʒiij.
Sanguin. Hirc. ppt. ℥j.
Crem. ♀ri ʒvj.
Sacch. cand. alb. ℥xij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dos. ℨß. *ad* ℈ij. *vel* ℨj. *quotidie per aliquot dies;* & quidem singulis alternis septimanis repetendo, usque dum Renes extersi creduntur. Laudatur etiam *Pulvis lithontripticus Marchionum Badensium*, cujus sequens nobis extat descriptio:

℞. *Lapillorum Mespilor.*
Cryſtall. ♀ri.
Trochisc. è specieb. diatrag. frig. ana. ℨj.
Radic. Liquirit.
Ononid.
Semin. Melon.
Milii solis ana. ℈j.
Genist.
Althææ,
Raphan.
Saxifrag. ana. ℈ß.
Ocul. ♋. ppt. ℨj.
Sacch. cand. alb. ℨij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ℨj. Triduo ante novilunium & plenilunium bis vel ter sumatur cum vehiculo conveniente.

Aliis efficaces deprehensæ sunt sequentes Pulveres.

℞. *Radic. Liquirit.*
Semin. Melon. ana. ℨiij.
Ocul. ♋. ppt. ℨij.
Cinamom.
Nuc. moschat.
Cardamom.
Semin. Anis. ana. ℨj.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis quotidie ʒj. *vel* ℈iiij. *in Vehiculo conven.*

Vel ℞. *Herb. Fragar. cum Radic.*
Saxifrag. cum Rad.
Semin. Milii Solis.
Petrosel.
Raphan. ana. ℥ß.

Lapill

Lapill. Mespilor. ℥ij.

M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒß. *ad* ʒj. *quotidie semel per* 15. *dies, Vere & Autumno.*

Sunt qui in ingressu singulorum Pastuum octo vel novem *avellanas Nuces, rubrâ pelliculâ donatas, tantillo Mellis obvolutas* præservativi loco comedunt. Alii non sine successu per integrum ferè annum in prandio, nonnunquam & cœnâ simul *Vinum medicatum* hauriunt: v. gr.

℞. *Radic. Eryng. Ononid.*
Gentian. cruc.
Saxifragiæ.
Rhabarb. Monach. ana. ℥iß.
Herb. Betonic. Absynth.
Capill. ♀r. ana. Mij.
Auricul. mur.
Lingu. cervin.
Summit. Virg. aur.
Centaur. min. ana. Mj.
Flor. Genist. Miß.
Bacc. Juniper.
Alkekeng.
Semin. Genist.
Fœnic.
Dauc.
Apii. ana. ℥j.
Cinam. elect. ℥iß.
Rad. Galang.
Zedoar. ana. ℥ß.

Incis. & contus. inde sacculo, cui superassunde Vini albi veteris vel Cerevisiæ optimæ, & claræ, probè defœcatæ. Mensuras 40. *vel* 50. *Dosis quotidie in pastu* ℥iij. *vel* iiij.

Sequens Liquor destillatus non inefficax quoque est;

℞. *Fimi columbin.* Mj.
Radic. Pimpinell. ℥j.
Summit. Virg. aur. Miß.
Semin. Anis.
Milii solis.
Baccar. Juniper. ana. ℥ß.
Alkekeng. ʒij.

Incis. & contusis affunde
Vini albi veter.
Aceti Vin. per colum aut Chartam emporet. filtrat. ana. q. s. ad eminentiam quatuor digitor.

Stent per triduum vel quatriduum benè tecta in loco tepido, postmodum destilla. De Liquore destillato cochleare unum vel alterum quotidie assume, cum saccharo, si velis edulcoratum.

Vel ℞. *Radic. Vincetox.*
Galang.
Calam. aromat. ana. ℥ß.
Semin. Melon. ʒvj.
Fœnic. ʒiij.
Apii ℥ß.
Cinam. elect. ℥ij.
Caryoph. arom. ʒj.

Incis. & contusis affunde
Spirit. Ceras. nigr. ℥xvj.

Stent per octiduum in loco tepido, postea adde
Vini Malvatic. optim. ℔ij.
Sacch. cand. alb. ℥vj.

Stent adhuc per decem dies, dein Liquorem filtra, & usui asserva. Dosis cochleare unum vel duo per diem.

Solent & *Cineribus stipitum Fabarum, Ligni quercin. Juniperini, Herbar. Ononid. Virg. aur. Genist.* similiumque additis *Juniperi Baccis*, & *Seminibus Petroselin. Anis.* sacculo inclusis *Vinum* album opt. affundere, & singulis pastibus

ſtibus cyathum eo repletũ exhaurire. Multi frequenter aſſumunt *Balſamum Sulph. aniſat. terebinthinat.* vel *Oleum Tereb. Baccar. Juniper. Pin. deſt.* vel *Spiritum Terebinth. Baccar. Juniper.* ad *gutt.* 10. 15. pluresve in *Emulſion. Semin. frigid. major.* aut alio Liquore conveniente, vel *Juſculo.*

Tandem æſtivo tempore uſus Thermarum, ſive Balneorum præſervativi loco quoque commendandus venit. Lumborum regio autem probè tecta ſemper eſſe debet nunc *Emplaſtro Norimbergenſi Gruberiano, aut Oxycroceo, Diapalma*, ſimilive; nunc *Pelle leporinâ* vel *Cati ſylveſtris.*

GALIGO OCVLORVM. *Vid. Oculorum Affectus.*

CALLVS CVTANEVS, *Vid. Cicatrix.*

CALLVS OSSIVM NIMIVS, *Vid. Fractura Oſſium.*

CALVITIES, *Vid. Capillorum defluvium.*

Cancer. CANCER, CARCINOS, CARCINOMA, eſt tumor durus, plus minus dolens, lividus, & ſubinde pluribus varicoſis venis præditus. Vocatur etiam *Lupus*, quòd vicinas ſenſim carnes exedat, & *Noli me tangere*, quoniam acria medicamenta minimè *Locus affectus.* tolerat. Naſci poteſt in omnibus ferè corporis noſtri membris, in mammis præcipuè, labiis, oculis, collo, facie, pudendis, brachiis &c. Præcipuè autem glanduloſa loca hujus diri Affectûs ſubjectum evadere ſolent.

Differentiæ. *Differentiæ* Cancri variæ notantur; etenim reſpectu *Partis affectæ* alius *Mammarum*, alius *Labiorum*, [...]culi, *Uteri* aut alius partis exiſtit. R[...]tione *apparentiæ* alius *occultus* eſt, [...] *non exulceratus*, alius *manifeſtus* ſi[...] *exulceratus* & *apertus*. Ratione *Sy*[...]*ptomatum* alius *maximè dolens* cum [...]pothymiis aut Vigiliis nimiis, alius *m*[...]*tis*, leviter dolens, vel etiam ſine n[...]tabili dolore depaſcens. Ratione *te*[...]*poris* alius *recens*, alius *inveterat*[...] alius lentè, alius citò prodiens. R[...]tione *loci* alius *ſuperficiarius*, ali[...] *profundus*; ſicut & alius magis unit[...] & concentratus, alius verò diſperſ[...] Reſpectu *magnitudinis* alius alio maj[...] exiſtit. Subinde & Cancer totu[...] occupat corpus, ſive plurimas ſim[...] glandulas, quemadmodum in *E*[...]*phantiaſi*; aliàs verò unicam tantũ[...] partem glanduloſam poſſidet.

Quoad *Diagnoſin Cancer occul*[...] ab initio vix cognoſci poteſt, quia t[...]berculum eſt exiguum, utplurimu[...] indolens, ſub Verrucæ vel Gang[...] ideâ Ægris imponens. Verunt[...]men ex ſenſu punctionis, & occul[...] acerbi doloris poſt applicationem [...]medii emollientis conjecturari qu[...]dammodo ejus præſentia debet; i[...]primis ſi tandem in ſpongioſam v[...] fungoſam abeat ſubſtantiam. Verio[...] interim indicia & pathognomoni[...] ſigna latentis Cancri ſunt, quan[...] tuberculo exiguo vixque conſpic[...] primùm emergit, hinc ſenſim ad Pi[...] Avellanæ, Juglandis, Pomi mino[...] majoriſque magnitudinem creſcit, a[...]que ſic denique in Tumorem mutat[...] inæqualem, tuberculis quibuſdam e[...]tuberantem, rotundum, immobile[...]

pulm[...]

primitus cuti ſanæ concolorem, ſed in progreſſu obſcurè rubentem, cum dolore nunquam deſinente atque noctu inprimis exaſperari ſolito. Malo ulterius procedente varicoſæ redditæ venæ, atro humore turgidæ, inſignem colorem cœruleum aut variegatum producunt; undeTumor evadit ſuâ circumferentiâ & formâ *Cancrum*, non quidem *fluviatilem* ſive *Aſtacum*, ſed *verum* marinum referens, durâ veluti cruſtâ Cancrorum inſtar obductus, & parti ſubjectæ firmiter adhærens. Dolorem proin Cancer in tenui ſuo principio exiguum & vix notabilem infert, unde negligitur, licèt ſubinde quibusdam cutis punctionibus ſeſe manifeſtet, tanquam acu factis, quæ verò poſtea unâ cum tumore augentur, atque inſeparabiles fiunt. Si Cancer in procinctu eſt abiendi in Vlcus apertũ, tum calor in Tumore eſt ingens, dolorq; pulſatorius valde pungens; Venæ in circumferentiâ maximè inflantur, & ſeſe ita extendunt ut formam pedum Cancri marini repræſentenr.

Exulceratum Cancrum, qui *Carcinoma* propriè dicitur, patefacit, ſi Cutis fibrillæ prorſus exeduntur, & rumpuntur, Vlcusque hinc fit maximè dolens, cavernoſum, tuberculis & caruncull undique pronatis inæquale, ſordidum item, ac pus copioſum perpetuò fundens, cum dolore continuo ardente; Dolor autem iſte ita percipitur, ac ſi mille aciculis fibræ pungerentur. Attactu Tumor eſt durus & obſtinatus, interdum etiam mollis: quæque ex illo indeſinenter profluit materia, fœtida eſt atque ichoroſa, fluida, ſubinde flaveſcens, ſubviridis, mox nigricans, quandoque ſanioſa, & cruenta: Labia Vlceris ſunt craſſa, prætumida, inverſa, ſubſtantia reliqua Tumoris nonnihil corrupta & inæqualis evadit, quæ dum excreſcit ſtrias interdum exerit prominentes ac pendentes. Nonnunquam ob venularum aut arteriolarum eroſionem larga ſanguinis profuſio contingit. Febris ſemper jungitur lenta, ob nutritiarum particularum corruptionem aut defectum, ex ſanguinis turbatâ craſi derivandum: atque ſic Æger paulatim tabeſcens poſt diuturnos cruciatus tandẽ perfectè conſumitur & moritur. Vidimus aliquando hominem ſexagenarium per decem pluresve annos Cancro faciei laborantem, Cancer iſte primùm leviſſimo pruriente tuberculo Naſum occupavit, ſed malè tractatus tandem exulcerabatur, ita ut natum inde Vlcusculum ſine dolore ſenſim Naſum, Labia, ſuperiorem Maxillam, Oculos, totamque adeo Faciem abominabili cum ſpectaculo depaſceret, ac lentem denique mortem inferret. Verè hic *Lupus* fuit *exedens* quem nulla unquam remedia, imò ne ipſa adhibita Salivatio compeſcere & abigere poterant.

In *Cauſis* diri hujus Mali tradendis, non ſecus atque in definiendâ ipſius Curatione celeberrimi omnium ſeculorum Medici anxii deſudârunt, ſed impari cum felicitate. Veteres Artis noſtræ Antiſtites Cancrum occulti veneni alicujus, vel atræ bilis effectum eſſe pronunciârunt; Recentiores autem Medici à ſale corroſivo

modò alcalino, modò acido, plus minus acri illum derivârunt. Fuit hæc nostra quoque hactenus opinio, dum religioni duximus tantis adversari nominibus, quanta fuerunt *Willisii, Sylvii, Ettmülleri, Wedelii, Dolæi,* aliorumve. Cùm autem in Praxi quotidianâ subinde conspiciendi occurrerint Cancri, latentes præprimis, in Hominibus aliàs sanis, temperie bonâ, sanguineâ ac minimè corrosivâ gaudentibus; cùm præterea observaremus, Tubercula ejusmodi scirrhoso-cancrosa diutissimè, per plures etiam annos, sine notabili dolore, sine exulceratione potuisse latere, quod aliâs humorum corrosivitati est contrarium; cùm cerneremus porrò, carnem in hoc Morbo non absumi & corrodi, sed potius augeri, increscere, & luxuriare; quando enim citra cruciatum atque dolorem partes sensim exeduntur, depascuntur, atque decidunt, non verum & genuinum arbitramur esse Cancrum, sed Vlcus potius phagedænicum, & exedens, sive Lupum depascentem: cùm denique ad animum revocaremus, quamplurimos homines, succis acribus corrosivis præditos, utcunque datâ occasione ab hoc nihilominus Affectu immunes manere, atque Vlcera potius maligna, Inflammationes & Abscessus deleterios, quàm cancrosos Tumores adipisci, sicuti exempla Lue venereâ afflictorum, ac propter humorum corrosivitatem frequentibus Bubonibus, inflammatoriis magis quàm cancrosis, laborantium testantur, dum interea alius, dulcedine succorum vitalium instructus, tali morbo prehenditur, si similis fuit occasio nata. His inquam & aliis insuper probè consideratis, paulatim hanc sententiam dubiam pronunciare, ac tandem ceu planè erroneam deserere, remque alio longè modo, & quidem sequenti nobis imaginari cœpimus.

Nimirum supponere prius oportet, à pressione, tensione vel constrictione plus minus validâ membranarum & fibrillarum nervearum dolores varios, magis minusve acerbos oboriri, æquè ac à corporibus, vel corpusculis pungentibus, scindentibus, lancinantibus &c. Comprime enim, tende, stringe nervosarum fibrosarum fasciculum, mox acerbum inde dolorem excitatum iri comperies. Deinde negari nequit, quod multiplici experientiâ probatum, Cancros vix alibi, quàm in partibus corporis nostri glandulosis præcipuè externis excitari. Tertiò quoque observatum, frequentissimam occasionem Cancri esse compressionem validam, contusionem aut ictum acceptum, vel duram contrectationem partis affectæ. Tandem sciendum, in Glandulis non tantùm esse vascula sanguinea, sed etiam lymphatica atque nervulos, nervosoque-membranaceas fibras acuto sensu præditas. Quibus præsuppositis dicimus, à durâ quadam contrectatione, contusione vel ictu, in Mammis, Testibus, aut aliis partibus glandulosis accepto, tubulos ita lædi, contundi atque distorqueri, ut hinc in vasculis capillaribus Lympha qualiscunque subsistens in mucum convertatur viscidum, nutritius-

tritiusque ſuccus majori ſimul quantitate expreſſus ac parti aſſimilatus, Tuberculum primò exiguum, cuti concolor efficiat, diu ſæpius ita manens, neque dolorem valdè notabilem afferens, ſi Lympha ſtagnans & coagulata nullam ſuarum particularum acrimoniam adepta fuerit, ſi itidem nervoſæ fibrillæ non fuerint nimium compreſſæ aut diſtortæ. Quando autem corpuſcula quædam ſalina plus minus acuta, utrinque ſcindentia, ſive in lymphâ ſubſiſtente, ſive in nutritio ſucco luxuriante extiterint, tum commotis ſubinde illis, vel etiam in fermentationis motum adactis, punctorius quidam pruritus, aut dolor in Tuberculo perſentitur. Major autem, ſenſibilior, isque continuus dolor punctorius, aut lancinans tenſivus producitur, quando ab iisdem ſuccis nervoſæ fibrillæ, tubulique capillares ſanguineo-lymphatici, vel comprimuntur nimium, vel tenduntur atque diſtorquentur fortiter, adeo ut influus vel tranſiens perpetim liquor ſpirituoſus, aut ſanguineo-lymphicus obſtaculum in ſuo motu inveniat, ſicque potentius fibrillas ſuorum canaliculorum percellat; quæ dein ſic præternaturaliter criſpatæ & vibratæ, doloris continui ſenſum inferunt. Phænomenon tamen hoc minus contingit in exiguo adhuc Tuberculo, quàm verò in aucto jam Tumore, in quo ſucci valde acres redditi motum fermentationis cujusdam ſubierunt.

Augetur autem Tumor, quando ſenſim uberiores particulæ nutritiæ per emollitos forſan ab impoſitis medicamentis poros, antea diſtortos, aut laceratos, exprimuntur, & conſueto more aſſimilantur; quæ dein ſi forſan occaſione temperiei humorum circulantium acido-acris fixioris, acrimoniam adeptæ ſint, tanto acerbiorem dolorem efficiunt. Dum autem hoc modo Partis affectæ fibræ elongantur, & quotidie increſcunt, indurantur que: vel dum ſimul lymphaticus humor exſudat aut extravaſatur, fibrisque laceris ubique mucoſitate ſuâ adglutinatur, tum non poſſunt non Vaſa ſanguinea, capillaresque inprimis tubuli in ambitu circumcirca comprimi, ac ob ſanguinem tardius decurrentem expandi & varicoſa reddi. Hoc dum contingit, humores varii in Tumore ſtagnantes, pro diversâ Circulantis ſanguinis conſtitutione acres redditi, perpetim ſimul fibras quascunque obvias arrodunt, unde inſigniora vaſa ſanguifera veluti conſtringuntur, atque ſpaſticis motibus aut vibrationibus criſpantur, ſicque motu ſanguinis magis magisque impedito Varices quotidie majores redduntur, in longum veluti proſerpunt, pedesque Cancrorum protenſos exprimunt.

Cur nonnulli præ aliis huic Malo magis obnoxii.

Quibus ita ſtabilitis facile eſt concipere, quam ob rem Scorbutici, Hypochondriaci, Melancholici, Lue venereâ laborantes, Mulierculæ itidem hyſtericæ, & quibus Menſium fluxus crebrò ſupprimi ſolet; vel quibus Hæmorrhoides periodicè aliàs fluentes exſiccantur, facilius in hunc Morbum incidant. Potiſſimam verò anſam præbet Cancro, quando v. gr. mammæ Mulierum aut Virginum à petulanti-

lantibus Viris, five Juvenibus durius contrectantur; aut pectus generosorum Juvenum in Palæstris à pluribus gladiorum ictibus duris percussum fuit. Ita & testiculi Virorum sub equitatione nimium compressi, aut aliâ injuriâ concussi, vel in Herniotomia negligentius habiti, eidem Malo obnoxii redduntur.

Quomodo Cancer exulceratur? Tandem verò cùm Tumor sive per se plurium mensium, interdum & annorum spatio, sive per imposita Emplastra, aut Cataplasmata emollientia adauctus valde est, simulque humores in eo qualescunque stagnantes sub actu quodam fermentationis acriores, imò corrosivi redditi fuerunt, tum sensim tubuli cutanei nimium expansi, aut etiam erosi suam unitatem vel continuitatem amittunt, dissiliunt, atque ita Tumorem ulcerosum reddunt, qui ex laceris undique vasculis purulentam, plus minus aquosam, interdum etiam cruentam, utplurimum fœtentem, saniem continuè fundit. Dolor tum acerbior redditur, quoniam sub hâc constitutione fibræ, membranulæque nervosæ magis laceræ redduntur, tenduntur, atque à succis elabentibus, aciditatem & acrimoniam ab admissione externi aëris longè majorem adeptis, continuè arroduntur, scinduntur, punguntur & crispantur. Labia Vlceris cancrosi callosa, atque dura evadunt, quoniam fibræ circum circa retrosiliunt, sibi invicem arctius quotidie incumbunt, compactiusque applicantur. Fœtet utplurimum sanies effluens, quoniam in illâ particulæ sulphureo-salino-volatiles plus justo exaltantur, aurasq; externas subtilitate suâ jugiter exhalando petunt. Febris lenta, quæ Cancrum apertum comitatur, originem suam debet sanguinis turbationi, & succi nutritii corruptioni aut diminutioni. Color partis cancrosæ lividus aut cineritius producitur à sanguine capillares tubulos varicosos tardius penetrante, vel etiam à nutritio succo per acidum acre in substantia partis coagulato. Quandoque vermes in Cancro exulcerato apparent, sed rarò tamen, & illi certè non nisi ex ovulis Insectorum inter cibos comestis oriuntur.

Quantum ad *Prognosin* attinet, Cancer tantùm non omnis in tenui suo principio haud difficulter extirparetur, modò tum ab Ægrotante curandus offerretur, tum à Chirurgo probè cognosceretur; verùm heic Iliacos intra muros peccatur & extra, Æger leviusculum quod habet malum parvi pendit in principio, ac licèt postea Chirurgicam vel Medicam imploret opem, rarò tamen applicari statim solent convenientia remedia, quin potius Scirrhi instar attenuantibus atque resolventibus dissipari tentatur; hâc autem methodo non solùm oleum & opera perditur, sed & contrarius effectus, nimirum exulceratus Cancer excitatur, quo semel in apricum prodeunte Vlcus insanabile, ac simul maximè dolorosum, lentam, post longum temporis intervallum, cum hecticâ Febre mortem inducens; nisi maturè ferro extirpari perfecte queat. Inveteratus certè, magnus, & exulcera-

ceratus Cancer, nec non qui in profundis delitescit, malum est penitus desperatum, curationem omnem respuens. Vnde quibus occulti sunt Cancri, non curare melius est, curati enim citius interire, non curati autem longius vitam trahere faciunt. Hippocr. *Sect. 6. Aphor.* 38. Profectò si Cancer adhuc occultus est, neque fibræ carneæ nimium excrescere, atque nervos dolorificè admodum premere; neque salia corrosiva, si quæ adsunt, suum virus deleterium potenter exerere possunt. Si autem exulceratus est idem, tum fibræ dictæ jam ab affluente jugiter succo nutritiò valde increscunt, atque ab aëre simul admisso Lympha cancrosi Vlceris vitiata maximè exasperatur, ita ut hinc atrocissimi dolores, per totum quandoque corpus sese diffundentes, excitentur, quia plurimæ partes nervosæ simul in consensum trahuntur. Quin imò Cancer omnis, sive apertus sit, sive adhuc occultus, si latiores atque protensas magis radices habeat, quàm ut manu simul comprehendi unicaque sectione tolli queant, cultro attingend⁹ non est, quoniam planius & latâ admodum radice partibus subjectis, utplurimum nobilioribus, insidet, hincque sine præsentaneo vitæ dispendio unâ cum parte, cui adhærescit, extirpari nequit. Qui verò minore circumscribitur ambitu, nec dum ad magnum incrementum accessit, sive occultus sive apertus fuerit, tam difficilis extirpatu non habetur, præsertim si nobili parti non insideat, neque magna vasa varicosa habeat, si etiam tota massa sanguinea corrosivis salibus inquinata non existat.

In *Curatione* attendendum primò ad naturam Cancri; si *latens* is adhuc est, nec dum exulcerari paratus ac ferè recens, tum dissipantia remedia, interna & externa, in usum per aliquod tempus sunt vocanda, sudorque frequens eliciendus, etiam in Laconicis, si aliter fieri nequeat. Cùm autem plerunque tali remediorum genere parum proficimus, palliativa tantùm cura adhiberi solet, talis certè, quâ occulti ejusmodi Cancri exulceratio præcaveri queat. Obtineri hic scopus non rarò potest, quando *Cataplasmata* ex *Herbis recentibus Cicutæ*, *Solani*, *Scabiosæ*, *Geranii Robertiani*, *Herniariæ*, *Nicotianæ*, *Plantaginis*, *Chelidoniæ majoris*, *Aristolochiæ rotundæ veræ*, *Foliis Sabinæ*, *Rutæ*, *Sigilli Salomonis cum radice*, & similib⁹ parata, in principio Morbi diligenter imponuntur. Adduntur his cum fructu *Cancri fluviatiles vivi* in Mortario plumbeo contusi. *Merda* sive *Fæces humanæ* impositæ, *Urina hominis destillata*, & applicata sæpissimè, non contemnendum effectum præstant. His adde remedia omnia saturnina externa, quæ sub Pulverum & Emplastrorum formâ omnium commodissimè usurpari possunt. Ita præstans judicamus esse sequens. *Curatio Cancri latentis.*

℞. *Plumbi usti & loti*
Ceræ alb. ana. ℥j.
Olei rosat. ℥iij.
Croc. orient. ver. pulv. ʒj.
Fol. Solani pulverisat. ʒiiß.
Misc. & contunde invicem in Mortario

tario calente per quatuor horas cum pistillo plumbeo, & hinc statim applica.

Amalgama Plumbi & *Argenti vivi* diligenter admotum vires etiam præstat excellentes in temperando vel edulcorando acido, hincque augmento Cancri præpediendo. *Ranæ virides* dant *Unguentum* & *Oleum* in hoc morbo bonum; vide *Sennert.*

Internè aliquoties corpus venit purgandum, idque sequentibus Pilulis, vel alio remedio simili:

℞. *Extr. Helleb. nigr.* ℈ß.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
Essent. Myrrh. q. s.

M. f. Pilulæ num. 12. *Inauratæ sumantur mane omnes unâ vice, stomacho jejuno, cum regimine Diætæ.*

Deinceps si corpus est plethoricum, *Venæsectio* in brachio vel pede venit administranda. Hinc internè in Pulvere commendantur remedia ex Millepedibus, Viperis, Serpentibus ppt. Sale volatili Fuliginis, ♀n. diaph. Bezoard. miner. lunari, joviali, specifico stomachico Poter. Radicibus Carlinæ, Vlmariæ, Saccharo Saturni, Camphorâ, Lacte Lunæ, & similibus.

Quod si mobilis fuerit talis Cancer occultus, tum incisâ Cute Cancer totus cum radice extrahendus venit, hincque rescindendus, radix Cauterio actuali exurenda, vel Tincturâ amarâ Aloës &c. destruenda, sicque Vulnus persanandum more consueto.

Curatio Cancri exulcerati. Diæta. In *Curatione* Cancri exulcerati quoad Diætam Aër immunis sit ab omni impuritate, & copiosâ materiâ subtili refertus. Cibi & Potus eligantur sale volatili oleoso, alcalinisque particulis turgidi, vitentur hinc omnia viscida, acida, terrestria saleq; fixo corrosivo prædita, loco *Vini* bibatur semper vel *Decoctum traumaticum*, vel *Infusum foliorum Thee*, aut *Potus granorum tostorum Caffè*, *Decoctum Lignorum*; prosunt hic etiam *Acidulæ Sualbacenses* aliæve minerales, largius quandoque haustæ.

Quoad *medendi Methodum* attendendum inprimis, ut ratione *indicationis præservatoriæ* salino-acris vel corrosiva, si quæ adest, intemperies massæ sanguineæ, per diuturnū remediorum absorbentium atque præcipitantium alcalinorum usum emendetur & corrigatur. Ratione a. *Indicationis curatoriæ* prospiciatur partim de Remediis, salia Vlceris quam optimè præcipitantibus atque eluentibus, hinc & ratione *Indicationis mitigatoriæ* dolorem sedantibus. Quocunque igitur in loco Cancer extiterit, in principio Curationis lenitivum aliquod ex *Syrupo de Cich. cum Rhab.* vel *Fl. Persic.* aut *Flor. Acac. ad* ℥ij. vel iij. exhibere convenit.

Vel ℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈j.
Extr. Hell. nigr. ℈ß.

Cum Ess. Myrrh. f. Pil. no. 13. *d. ad ch. & sumantur mane pro dosi, aliquoties si opus videbitur iterandâ.*

Postea internè statim mane ac vesperi propinabuntur vel de *Aquæ destillat. Cochlear. Numular. Solani, Plantag. Beccabung. Nasturt. aquat.* & *hort. Trifol. fibrin. Ulmar. Apii hortensis* aliusve *antiscorbuticæ* ℥vj. vel viij. Vel de *Jusculo* Herbis similibus alterato ℔j. Vel de *Decocto Lignorum* cyathus unus

unus cum *Essentiæ Gramin. Parnass.* atque *Trifol. fibrin.* ℥j. Æstivo tempore singulis matutinis commendamus mensuram dimidiam *Acidularum Sualbacensium* cum *Tinctur.* ♃nii. *gtt.* XXX. *vel* XL. sic per 5. vel 6. hebdomadas indesinenter continuando. Vel

℞. *Elix. Propriet. Clauder.* ʒij.
Tinct. Corall. ʒiß.
M. d. ad. V. Dosis 20. *guttæ m. ac vesp. cum Aqu. Solan.*

Prodest etiam diuturnus usus *Salium volatilium oleosorum* qualiumcunque cum *Tincturâ* ♃*nii. Corall.* atque *Croc.* Vel *Pulverum alcalinorum* & *absorbentium* ex *Ocul.* ♋. *Cochl. ppt. C. C. ust.* ♃*nio diaph. Bezoard. min.* ♃ *r. Cinn. nativ.* vel ♃*nii, Antihect. Poter. Camph. Sacch.* ♄*ni*, & similibus.

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt.
♃*n. diaph. ana.* ʒij.
Sacch. ♄*n.* ʒß.
Cand. alb. ℈ij.
Camphor. ℈j.
M. F. pulv. subt. d. ad ch. Dos. singulis trihoriis ʒß. *cum Decoct. Agrimon.* & *radic. Ulmar.*

Quin imò nec ipsum *Terebinthinæ* atque *Succini Oleum ad gtt.* XXX. *aut* XL. quotidie cum *Emulsione Semin. frig.* in usum vocatum formidari debet. Si dolor nimis urgeat, dabuntur interdum *Pilulæ* aliquot è *Theriacâ cœlesti ad gr.* v. vel vj. aut de *Styrace calamita ad gr.* jx. cum *Camphoræ gr.* iij. Martialia quoq; remedia minimè sunt contemnenda, qualia existunt *Diaph.* ♂ *ial. Croc.* ♂*is aperit. Vitriolum* ♂*is* & *Tinctura* ♂*is aperit.* Quibus adde *Elix. Mumiæ Clauder.* vel *propr. sine acido* cum *Essentiâ traumaticâ* qualicunque permixtum.

Externa Cancri exulcerati cura. *Externè* videndum num Cancer Chirurgicâ manu per resciffionem extirpari possit: quod si enim hoc possibile, (licèt rarius cum euphoriâ succedat, plerisque Ægris hinc morientibus, nisi Cancer minor fuerit,) tum non est expectandum, donec virus cancrosum cum sanguine fuerit plenè communicatum, sed citò & tutò *Cancer*, sive digitis, sive transmissâ acu atque filo prehensus, incisorio cultro radicitus est exscindendus, & si quæ arteriolæ majores fuerint simul dissecatæ, sequens inde Hæmorrhagia igniti ferri & liquoris pulverisque styptici applicatione sistenda, tandem deligatio pro affecti loci naturâ est accommodanda; interea ipsi Ægro frequenter *Mixturæ cardiacæ, Jusculaque* optimè refocillantia sunt offerenda. Si *Cancer* extirpari nequeat, tum palliativa solùm cura instituenda, remediis lenioribus externis, non neglecto tamen internorum usu. In hunc finem omnibus aliis palmam præferunt *Unguentum Saturninum* cum *Camph:* ♎*us theriacalis camphoratus*, *Essentia è Lignis*, *Geranio robert. Aloë*, *Thure*, *Myrrhâ*, & *Mastiche* extracta ac stupæ inspersa. Prosunt & *Lotiones* cum *Aquâ phagedænica*, ♎*u Vini camphorato*, *Essentiâ traumaticâ*, *Absynthii*, *Colocynthid. Balsam. peruv. Aqu. Reg. Hung.* & similibus institutæ. Sunt qui *Cochleas*, *Bufones*, *Ranas aquaticas*, *Cancros*,

Cancros fluviatiles comburunt, pulverisatosque *Melli rosaceo* & *succo folior. Solani* aut *Tabaci* permiscent & applicant. Alii *Vegetabilia recentia* v. gr. *Geranium robert. Polytrichon, Cherefolium, Solanum, Cochleariam, Cicutam, Plantaginem, Persicariam, Poma putrida*, & similia, *Essentiis* supra dictis consperſa, Vlceri cancroso m. ac vesp. imponunt. Imò multi sine ullo metu in desperato hocce casu confugiunt ad extremum Remedium, nimirum vel ☿*rium sublimatum* aut *præcipitatum corrosivum*, vel *Butyrum* ♁*nii*, vel *Pulverem Adanki* sic dictum, qui in confectione *Aquæ Polonicæ* aut *Aquæ phagedænicæ* fundum petit. Inprimis si permisceantur *Pulveres* ex *Cochleis* aut *Bufonibus* ustis, vel absorbentibus aliis. Ita extant apud Practicos seqq.

℞. *Plumbi in tigillo fusi* ℥viij.
Mercurii vivi ℥iiij.
Probè invicem commixtis ac in pulverem redactis adde Mercurii vitæ correct. & optimè. dulcificati ℥ß.
Ab igne tandem remotis admisce statim
Agarici petræi ℥j.
Croc. ♂*tis per se calcinati*
Magist. Marcasit.
🜍*ris* ♁*nii correct. ana.* ʒij.
Fiat super marmorem pulvis impalpabilis mane ac vesperi cancroso Ulceri inspergendus.

Vel ℞. 🜍*ris* ♁*nii optimè dulcificati.*
♁*n. diaphoret opt.*
Sacchar. Saturni.
Mercurii per se præcipitat. aa. ʒiij.
Lapid. calamin. ppt.
Tut. ppt. ana. ʒij.
M. f. Pulv. subtiliss. eodem modo usurpandus. Alii usurpant *Arsenicum cum Nitro fixatum*, rursusque probè dulcificatum, vel *Quintam Essentiam Arsenici* in *Petri Joh. Fabri Myrothecio spagir.* descriptam: vel *Oleum* ♁*nii Basilii Valentini*: vel *Panaceam solutivam alcalinam*, cum *Magisterio Saturni* permistam.

CANIS rabidi Morsus est Vulnus à rabioso iratove Cane quacunque in corporis parte inflictum & varia paulatim symptomata gravia, nisi promptè succurratur, post se trahens.

Symptomata a. ea præcipuè sunt *Dolor, Inflammatio, Febris, Convulsiones, Anxietates, Respirandi difficultas, Hydrophobia*, &c. Quæ omnia originem debent non tam Vnitati membrorum, per vulnerationem solutæ, quàm inprimis Salivæ rabidi Canis intra Vulnus immissæ, Saleque suo volatili plus minus acido & feroci, sive sanguini venoso circulanti communicatæ, sive m. in nervosas fibras dilaceratas impulsæ. Hæc enim Saliva particulis suis maximè disproportionatis, & simul velociter agitatis Sanguinem ingressa, laticis hujus naturalem crasin statim turbare incipit, hincque ulterius sub motu circulationis penetrando totalem dissolutionem molitur, & quidem particulas humorum à se invicem separando, salinas præcipitando, serosasque in fluorem adigendo; Vnde fit, ut sæpe citra

citra Convulſiones, aut alias Mentis læſiones, *Hydrophobia* cum *Aſthmate* & maximis *præcordiorum Anxietatibus* enaſcatur, ſanguine nimirum in vaſis pneumonicis plerisque ſtagnante, ita quidem ut Homo à liquidorum aſſumtione ac deglutitione maximè abhorreat, ſibique de ſuffocatione inde accelerandâ metuat; etenim Hydrophobi plerumque minore cum labore ſolida quàm liquida degluciunt. Quando autem ſaliva rabioſi animalis communicatur ſpiritibus in nervorum dilaceratione, tum impetuoſum in illis, valdeque inordinatum motum excitat, ac paulo pôſt deliria, convulſionesque lethales producit, niſi efficacibus remediis talia ſymptomata præcaveantur. Tandem ſi quietum manet in Vulnere Venenum ſalivale, tum diu ibi latitare poteſt, antequam in apricum prodeundo deleterios Affectus ſuſcitet. A Chirurgis verò peritis idem Venenum utplurimum ſtatim educitur, aut ita præcipitatur ac invertitur, ut poſtliminiò nequeat ullam læſo Homini noxam inferre.

Cauſa itaque *proxima* Morsûs non eſt niſi ipſe Canis rabioſus vel iratus mordens; pro hujus autem dentium profundiore aut minùs profundâ in corpus hominis immiſſione Vulnus nunc majus nunc minus, nunc ſuperficiarium & cutaneum, nunc etiam profundius infligitur. Hoc a. Vulnus pro partium diverſitate differt, aliud enim eſt nervoſum magis, aliud cutaneum, muſculoſum, &c.

Cauſæ verò ſymptomatum ſunt ſequentes, & primò quidem *Hydrophobia*, quæ non eſt niſi metus & horror omnium liquidorum, ipſiusque aëris liberioris, cum magnâ anxietate, reſpirandi difficultate, vigiliis & inquietudine, producitur à ſanguine intra pneumonica vaſa ſtagnante, ſicq; Pulmonis totius inflammatione. Stagnatio a. illa ſanguinis ortum debet turbationi atq; diſſolutioni, inductæ à Veneno ſalivali per morſum rabidi Canis vel aliûs Animalis admiſſo, quod dum ſuo motu impetuoſo ſitum particularum ſanguinis maximè imutat, ſimul etiam laticem humoroſum ita diſponit, ut per Vaſcula minima amplius circulari & tranſire nequiens, undique obhærere & ſtagnare cogatur. *Anxietas* maximè inducitur ab aëris ſufficientis defectu, dum enim vaſcula Pulmonis à ſanguine ſtagnante multum diſtenduntur, Veſiculæ ſimul anguſtiores redditæ aëris ſufficientem quantitatem admittere nequeunt. *Metus* & *horror* adeſt liquidorum propter imaginationem depravatam, quâ Ægri credunt, ſe ex admiſſione talium rerum neceſſariò ſuffocatum iri. Depravatur iſta imaginatio à ⌒uum animalium præternaturali quidem, ſed certâ ratione determinato motu intra Cerebri meditullium: motum verò iſtum excitare ſolet moleſta admodum irritatio nervorum pneumonicorum in anguſtatis Pulmonis veſiculis. *Sitiunt* hinc tales Ægri propter ſalivæ ſpiſſitudinem, indeque oriundam palati ſiccitatē, ſed tamen ob prædictas cauſas bibere non audent. *Inquietudo* his connexa perpetuo ⌒uum animalium influxui impetuo-

ſo adſcribenda venit. Tandem ſuffocantur ægri bidui aut tridui ſpatio, quoniam intra hoc temporis intervallum circulatio ſanguinis totaliter inhibetur.

Diagnoſis. *Signa diagnoſtica* quod concernit, Morſus ipſe Canis rabidi per ſe facilè cognoſcitur, imò & ſcitur haud obſcurè, utrum Vulnus duntaxat ſit cutaneum, aut profundius, & ad muſculos, nervos aut oſſa penetrans. Vulnus autem tale ſymptomata poſt ſe trahit varii generis, ſuperiùs ex parte allegata, quorum præcipua cùm ſint *Hydrophobia* & *Rabies canina*, hinc & taliũ Affectuum ſigna potiſſimùm enodanda veniunt. Cognoſcitur *Hydrophobia* exinde, quòd Ægri maximâ ſemper anxietate torqueantur, ac ſubinde toto corpore tremant, membrorumq; ſpaſmodicâ calcitrationem patiantur: quod fractâ & quaſi tremulâ voce ſæpiùs loqui teneantur: quòd horreant aquas liquidaque omnia ſibi propinata, imò & liberum aëris uſum. Æger mentis ſatis eſt compos, etiamſi maximè inquietus ſit, & præ anxietate neſciat, quò ſe vertat; ſolida quæ ſunt, aut craſſioris conſiſtentiæ, deglutire nonnihil faciliùs poteſt quàm liquida; ſitit continuè, ſed potum deglutire nequit, niſi cum præſentaneo ſuffocationis diſcrimine; Vigiliis excruciatur perpetuis; Tuſſim etiam habet ſiccam, ac reſpirandi difficultatem ſingulis horis majorem; pulſus adeſt tremulus, inordinatus, celer & frequens; Facies maximè rubet, aut etiam præ inſigni ſtagnatione ſanguinis livet; Cor tremit & palpitat; Urinæ ſunt turbidæ ac paucæ; alvinæ excretiones vel nullæ vel parcæ. Atque hæc ſymptomata omnia ſequuntur rabioſi Animalis venenum, ſanguini duntaxat, & non ⌒ibus immediatè communicatum. Quòd ſi autem idem venenum in dilaceratos nervos fuit admiſſum, tum Æger mente tandem capitur, delirus & rabioſus redditur, hincq; obvios quosque invadere atque mordere ſtudet; febricitat dein ſimul, liquida horret, cœterisque ſymptomatibus Hydrophobiæ prehenditur.

Prognoſis hoc habet, quòd Vulnus à Cane rabido inflictum, ſi non ſit profundum, neque etiam venenum fuerit aut ⌒ibus aut ſanguini communicatum, curari utcunque poſſit, modò ipſæ venenatæ particulæ è Vulneribus probè & perfectè eluantur & exterminentur. Niſi hoc fiat, ſolet contingere, ut poſt unum, duos, pluresve menſes, aut etiam años, in Vulnere curato relictæ veneni particulæ exaltentur, in apricum prodeant, & poſtquam ſanguinis aut ⌒uum laticem ſubierunt, *Hydrophobiam* aut *Rabiem lethalem* ſuſcitent, quales ſi oboriuntur Morbi, intra tridui aut quatridui ſpatium Homines vulneratos ſuffocant, & è medio tollunt. Quod ſi eveniat, ut talis Homo rabioſus alium Hominẽ ſimiliter impetat ac mordeat, tum & hic vulnerat⁹ morbo ſimili infeſtari & vitam miſerè finire poteſt.

In *Curatione* Vulnus ſtatim vel *Urinâ*, vel *Lixivio* quodam, aut *Spiritu Vini camphorato*, *Eſſentiâ theriacali*, *Aquâ muriaticâ*, aut ⌒*u theriacali* *campho-*

camphorato eluendum. In hunc finem, qui salsi Maris sunt Accolæ, ab Animalibus rabidis morsos statim salsæ Aquæ immittere solent, quâ ratione, ob Vulnerum elotionem & venenatæ salivæ dilutionem aut præcipitationem, Homines citius curantur, & felicius ab *Hydrophobiâ* præcaventur. Post elotionem Vulneris statim vel *scarificari* potest locus affectus, vel *Vesicatorium* aliquod imponi, quò sic tanto certius omne venenum extrahi queat. Hoc facto devenire licet ad *digestiva* ex *Mell. rosac. Theriacâ*, ♋*is*, aut *Cochl. ustis*, *Unicorn. foss. Mastich. Myrrhâ*, atque *Essent. Aloës* concinnanda, & singulis deligationibus imponenda, desuper applicando semper *Empl. Diapalm.* vel *magnet. Ang. Sal.* Sed Vulnus ita tractandum est, ne citò nimis sanetur & Cicatrice obducatur. Quòd si Inflammatio simul præsens sit, eadem discutiatur imposito *Fomento* ex *Spiritu Vini camphorato*, *Spiritu carminativo* quocunque, *matricali Blancardi*, *Aq. Calc. viv.* aliisve in Inflammatione commendatis. *Internè* statim valida *diaphoretica* & *alexipharmaca* sunt exhibenda, v. gr. *Potio* componi poterit ex *Aq. Flor. Samb. Card. ben. Succ. Burs. pastor.* cum *Mixt. simpl.* ♄ *nio diaph. Bezoard. min. Ocul.* ♋. *C.C. Spiritu* quocunque *volatili theriacali*, &c. A *Vino* est abstinendum, ejusque loco *Decoct. antifebr. diaphor.* præscribendum; *Alvus* respondeat; *Animi passiones* fugiendæ; ab *acidis* ⊖*sisque Cibis* maximè desistendum.

CAPITIS DOLOR, vid. *Cephalalgia.*

CAPITIS HYDROPS, vid. *Hydrocephalus.*

CAPILLORVM DEFLVVIVM est affectus cutaneus, quo pili Capitis aliarumve partium defluunt. Vocari solet aliàs *Alopecia*, ac si in capite contingat, *Calvities*, *Area*, aut *Ophiasis*. *Alopecia, Calvities.*

Pars affecta quidem est Cutis totius corporis pilosa, sed inprimis tamen ea, quæ in Capite existit. *Pars affecta.*

Pro *Causâ proximâ* adgnoscitur succus acris, radices pilorum in poris cutaneis erodens. Ad cutim autem præcipitatur talis humor ab internis partibus per circulationem sanguinis ex arteriis. Hinc in Febribus hecticis, ubi massa sanguinea acrior est reddita, ut & in Febribus malignis, Cephalalgiis item longioribus, in Tinea Capitis & Leprâ aut Elephantiasi, Affectus hic est frequens. *Externæ* etiam causæ subinde accedunt, prout sunt Remedia *psylotra*, quæ capillorum Defluvium procurant. Quandoque etiam conformatio pororum cutaneorum Capitis apud nonnullos talis est, ut inde pili emergere & prodire nequeant; hinc aliqui vel solâ Naturâ ad Calvitiem sunt dispositi. *Causa proxima*

Quoad *Prognosin* ipsa Calvities nihil peculiare denotat: neque etiam post ardentes Febres obtingens Pilorum defluvium aliud quid dicit, quàm radices pristinorum Capillorum esse intortas, exsiccatas, novosque succedentes pilos suo priores loco excutere; *Prognosis*

cutere; non secus atque in Pueris notamus ante septimum annum primos dentes à novis succrescentibus extrudi. In Hecticis contingens pilorum defluvium mortis prodromus esse solet.

Curatio. In *Curatione* notandum, Calvitiem nativam esse incurabilem. Quod verò aliàs à succis acribus, sive post morbos malignos, sive extra morbos internos, per defectum succi nutritii, capillorum Defluvium obtingit, curari illud, vel etiam præcaveri potest, si ante omnia *purgans* aliquod præscribamus, hinc verò externè *Lixivium* adhibeamus ex *Absynth. Abrotano, Nicotian. Capill.* ♀ *ris Lavend. Origan. Alth. Melilot.* juxtaque simul *Oleum myrtinum* & *absynthinum* cum *Cinere Apum* aut *Muscarum* inungamus. Sunt qui *Emplastrum* è *Muscis* contritis, *Terebinthinâ cum Vitello Ovorum solutâ* & *cineribus Limacum* loco prius panno aspero fricato applicant. Prosunt & in *Linimentis Olea Juniperi, Spicæ, Succini, Axungiæ Cuniculi, Cervi*, ut & *Cinis cortic. Avellanarum, Cinis* item *Murium* cum *Melle, Pinguedo* è *Ranis viridibus coctis*, præmisso *Lixivio* ex ipsarum *Ranarum cineribus*; quale remedium non solùm in Leprosis, sed & in Aurifabris ab Argento vivo calvis factis, capillos producere valet.

CARBVNCVLVS, vid. *Anthrax.*

CARCINOMA, vid. *Cancer exulceratus.*

Cardialgia. CARDIALGIA, vel CARDIOGMVS est magna anxietas præcordiorum cum dolore utplurimum gravativo vel distensivo Ventriculi, oriunda ab orificiorum illius, subinde & Diaphragmatis musculorum spasmodicâ contractione.

Quanquam autem stomachi orificia, tam superius quàm inferius, maximè heic affici videantur; anxietas tamen simul præsens, eaque non raro cum respirandi magna difficultate conjuncta, indicium præbet, ipsum Diaphragma quoque per consensum affici atque convelli.

Plura hinc existunt Symptomata, quæ hujus Morbi præsentiam indicant; inter signa autem pathognomonica recensentur dolor circa regionem Ventriculi gravativus, nonnunquam rodens ac tensivus, ac simul dorsi regionem inter scapulas, ubi Oesophagus affixus est, occupans; anxietas præcordiorum magna, cum respirandi difficultate plus minùs graviter affligens, ut subinde Ægri ferè metuant suffocari. His junguntur nunc hæc nunc illa simul accidentia, velut sunt distensio regionis Ventriculi, quando à flatibus, neque supra neque infra erumpere valentibus, nimium expanditur; nec non Anorexia, Nausea, Vomitus, Vertigo, Ructus, Singultus, Lipothymia, Convulsio. Durat malum quandoque per unam vel alteram tantùm horam, nonnunquam per plures etiam dies: quando scilicet remedia minùs convenientia in usum adhibentur, vel bona medicamina tardius operantur.

Producitur hæc gravis Affectio immediatè non nisi à spasmodicâ fibra-

brarum Stomachi nervearum corrugatione, quâ ejusdem ambo orificia plus minùs arctè constringuntur, ac ita exitum flatibus, utrinque forsan erumpere nitentibus, præcludunt: unde fit, ut non rarò ab iisdem vaporibus flatulentis Stomachus admodum distendatur; vel etiamsi hoc non contingat, saltem nervosa tunica illiusdem dolorificè crispetur seu contrahatur, hincque simul vicinos musculorum Diaphragmatis, Pulmonis aut Thoracis villos nerveos in consensum trahat, unde respirationis organa in suo statim motu naturali impediuntur. Quàndo autem hæc spasmodica crispatio usque ad medium Ventriculi procedit, tum simul nausea & vomituriendi conatus, imò Vomitus ipse, si Oesophagus laxetur, subsequuntur. Corrugatio ista nervorum originem ferè debet humori alicui acido-austero-acri, qui sub cruditate pituitoso-viscosâ delitescens fortè tunicis Ventriculi obhærescit, easque continuè suâ arrimoniâ arrodit. Tanto autem certius ejusmodi humor suum effectum producit, quando simul fortè ab assumto Cibo aut Potu inconveniente ad talem turgescentiam suscitatur, sub quâ illa salia acria fortiùs in nervosos tubulos impingi possunt. Colligitur Ventriculi cruditas tum à cibis dyspeptis ac flatulentis, in pastam acido-austeram ac flatulentam haud difficulter abeuntibus, tum ab animi pathematibus enormibus, tum à motu vel quiete corporis nimiâ, aliisque causis procatarcticis, chylificationis negotium valdè perturbantibus. Tandem Venena assumta, Bilisque ardens in Ventriculum effusa, ob particularum acrimoniam rodentem hoc malum simul excitare valent.

Prognosis Quoad *Prognosin*, Malum hoc minimè est contemnendum, etsi enim absolutè quidem non sit lethale, attamen, si diutiùs duret, atque convulsiones post se trahat, vel Ægrum brevi suffocare, vel funestum alium Affectum producere valet. Diu tamen non durat, modò remedia debita statim à Medico perito quærantur & in usum vocentur. Febribus acutis & Dysenteriis malignis, Variolisque superaccedens hic Affectus, cum ardore præprimis & singultu, funestus est, atque vel cum convulsionibus, vel cum syncope ad mortem terminatur. Si Ventriculus Lumbicis simul scateat, lethale quoque indicium præbet. Si Febris absit, & Ventriculus à materia causticâ non fuerit inflammatus, tum periculo res vacat, exhibito enim vomitorio malum plerumque tollitur, utcunque etiam periodicum extiterit. Mutatur quandoque in Febrim quartanam, observante Horstio *lib.* 1. *Obs.* 13. etiam in *Tertianam Febrim*, teste Dolæo; & ex nostrâ observatione non rarò in *Icterum*, cujus tum prodromus existit.

Curatio. In *Curatione* hujus Morbi si abfuerit Febris, statim præparans aliquis pulvis vel per se, vel sub formâ Boli exhibeatur, qui materiam Ventriculi morbificam incidere, ejusque acrimoniam invertere, ac præcipitare queat; unde sæpiùs Cardialgia vel in momento tollitur, præsertim quando

carminativo - anodynum Remedium ſtatim uſurpatur, quale eſt v. gr.

℞. *Ocul. ♋. ppt.*
♁n. diaph.
⊖is Abſynth. vel Aneth. vel *Cent. min.*
Cinnab. nat. opt. ana. gr. vj.
Ol. ſtillat. Carv. gutt. ij.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi ſtatim exhibendâ. Vel

℞. *Conchar. ppt.*
Ebor. ppt.
Corall. rubr. ppt.
⊖is Rutæ ana. gr. v.
Flor. Sal. arm. hæmat. gr. iij.
Ol. ſtillat. Menth. gutt. ij.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Pulvis pro doſi. Vel

℞. *Elect. diaſcord. Frac.* vel *Theriac. Andromach.* ʒj.
Ocul. ♋. ppt. ℈j.
⊖is Centaur. min. ℈ß.
Ol. ſtillat. cortic. Aur. gutt. iv.
M. f. cum Saccharo Bolus ſtatim ſumendus.

Simul tamen *Mixtura* quædam *antiſpaſmodico - carminativa*, quæ & Spiritus nimium concitatos compeſcat, & Fibras irritatas demulceat, cochleatim ſubinde exhibenda venit; v. gr.

℞. *Aqu. Hyſſop.*
Fœnicul. ana. ℥j.
Ocym.
Puleg. ana. ℥ß.
Syrup. Cortic. Aurant.
de Menth. ana. ʒiij.
Liqu. Nitr. fix. ℈ij.
Spir. Sal. arm. aniſ. ʒß.
Eſſent. Opii liquid. ℈ß.
Elæoſacch. Aniſ. ʒiß.
M. d. ad Vitr. Singulis ſemihoriis cochleare plenum exhauriatur. Vel

℞. *Aqu. Meliß.*
Fœnic. ana. ℥j.
Matricar.
Cinam. ana. ℥ß.
Syrup. aperit. Minder. ʒvj.
Eſſent. carminat. Wed. ʒj.
Spirit. Nitr. dulc. gutt. xij.
♁n. diaph. ℈j.
Cinnab. ♁n. opt. ℈ß.
Elæoſacch. Fœnic. ʒij.
M. d. ad Vitr.

Si Fœmina fuerit Hyſterica, *Mixturis* ejusmodi permiſcenda venit *Eſſentia Caſtorei*, Vel *Tinctura Caſtorei cum* ♒*u Salis armoniaci parata ad* ʒß. vel ℈ij.

Præmiſſis his *Vomitorium*, abſente Febre aut Stomachi excoriatione inflammatoriâ, præbemus, v. gr. in Adulto

℞. *Crem. ♀ri* ℈ß.
⊖is polychreſt.
Rutæ ana. gr. iij.
Cinnab. nat. opt. gr. jv.
Tartari emet. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Carv. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi, mane jejuno ſtomacho ſumendâ.

Vel ℞. *Crem. ♀ri gr.* xij.
⊖is Card. bened.
Bezoard. min. ana. gr. jv.
Gum. Gutt. gr. 4. *vel* 5.
♀ri emet. gr. j.
Ol. ſtillat. Mac. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch.

Vel ℞. *Syrup. emet. Ang. Sal.* vel *Oxyſacch. emet. Lud.* ℥ß.

Aqu.

Aqu. Fœnic.
Cinam. ana. ℥ij.
M. d. ad Vitr. & exhibeatur pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Rad. Ipecacuan.* ℈ij.
Pulverif. fubtil. d. ad chart. pro dosi.

Tale Vomitorium in malo urgentiſſimo, etiam nullo præmiſſo præparante dari, ejusque operatione propemodum finitâ Mixtura quædam ſuperiùs deſcripta cochleatim propinari, vel ſequens Cardiaca præſcribi poteſt.

℞. *Aqu. Fœnic.*
Borrag.
Meliſſ.
Syrup. Capill. ♀. *ana.* ℥j.
Confect. Alk. ℈ij.
Matr. Perlar. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℈j.
Cinnab. ♃ *n. corr.* ℈ß.
Eſſent. Succin. ℈j.
Elæoſacch. Aurant. ʒj.
M. d. ad Vitr.

Externè Stomachi regio inungi bis vel ter quotidie debet *Unguento* vel *Balſamo ſtomachico.* v. gr.

℞. *Unguent. pomat.* ʒiij.
Ol. nuciſt. expr. ʒiß.
ſtillat. Fœnic. gutt. xij.
Chamom.
Carv. ana. gutt. viij.
Balſam. peruv. ℈ij.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Balſ. Peruv.* ʒj.
Solve in Spirit. Ceras. nigr. q. ſ. & adde Eſſent. Carminat. ʒiß.
M. d. ad Ollam.

Poſt illinitum calidiuſculè ſtomachū Sacculus anodyno - carminativus deſuper adhuc ponatur, ſed calefactus, poſtquam priùs regio ſtomachi papyro tecta fuerit. *Sacculus* componatur ex *Baccis Juniper. Herbis Menth. Puleg. Ocymi, Matric. Meliſſ. Chamomill. Seminib. Fœnic. Cumini, Anethi, Avenæ.*

Quando Vomitorium exhibere non audemus ob varia impedimenta, tunc reliqua nihilominus medicamina præparantia & carminativa locum habent. Imò tum etiam citra *præparantem Pulverem* vel *Bolum*, damus *Mixturā* quandam *carminativo-antiſpasmodicam* ſuperiùs deſcriptam, addendo ſolùm decem guttas *Eſſentiæ Opii liquidæ.* Vel certè mediam partem ejusmodi Mixturæ ſtatim unâ vice hauriendâ concedimus, reliquam verò portionem cochleatim propinamus. Sed inter hæc *Clyſma* aliquod infundi curamus Ægroti alvo, factum ex *decoctione plantarum emollientium & carminativarum*, addendo *Electuarii lenitiv.* ℥j. *Mell. roſac.* vel *rutac.* ʒvj. & *Olei Chamom.* ℥ij. vel iij.

Ad præſervationem Mali *Vinum medicatum* præſcribendum venit *purgans*, quale quidem in Affectionibus ſtomachi præſcriptum invenitur.

Si Morbus hic Febri malignæ ſupervenerit, tunc reliquis in hâc præſcriptis remediis ulterius *cinnabarina*, ut & *Pulverem viperinum*, *Cranium hum. ppt. Ungul. Alc. ppt. Dent. Hippopot. ppt. Ægagropil. ppt.* & ſimilia permiſcemus:

CARI-

CARIES, Vid. *Ossium Caries.*

Excrescentia carnea. CARNEA EXCRESCENTIA est solidæ carneæque substantiæ in Vlceribus plus minus sordidis, aliisque casibus à luxuriante succo nutritio facta generatio.

Pars affecta. *Pars affecta* est varia, vixque datur aliqua, in cujus Vlceribus sordidis tales excrescentiæ generari haud possint. Excrescit autem caro diversimodè, etiam in partibus aliàs sanis apparentibus, sed sub variorum Tumorum nominibus ejusmodi Excrescentiæ tum veniunt. Heic verò tantùm considerantur, quæ in Vlceribus fiunt.

Differentiæ. Pro varietate Causarum autem nunc *magis* nunc *minus solida*, *dura*, *crassa* aut *mollis* evadit, hincque simul varia nomina sortitur, ut modò appelletur *Caro luxurians*, sicubi rubicunda ac mollis ex Vlcerum profundo efflorescat: modò *laxa* & *spongiosa* dicatur, quando Fungi alicujus colorem aut consistentiam induit: modò tandem *callosa excrescentia* audiat, si colore plus minus albicante aut purpureo compareat.

Causa. Efficit hoc malum utplurimum Succus nutritius in Vlceris cavitatem justo majori quantitate admissus, & sensim, quandoque citò admodum coagulatus; ita enim ex Vlcere Meningum, & fracto sive vulnerato qualitercunque Cranio, interdum unâ nocte fungosa Caro magnitudinis notabilis excrescit. Quandoque etiam medicamenta externa pinguia, oleosa, minusq; convenientia, incautè applicata, atq; hinc cum Succo nutrit. Vlceris in substantiam talem per interveniens aliquod coagulum acidum mutata, Intumescentiæ tali carnosæ ansam præbent. Hinc pro varietate allabentium è sanguine humorum varietas etiam Excrescentiæ producitur. Si spongiosa & rara sive tenera est Excrescentia, signum est, plures particulas sulphureas cum acidis & terrestribus esse combinatas, & ab intervenientibus nonnullis alcalinis dilatatas. Si autem durior nonnihil & crassior fuerit caro, tum plures ⊖ino-acidas cum terrestribus conglutinatas esse indicium præbet.

Signa hujus Affectûs diagnostica non admodum requiruntur, cùm quilibet in re Chirurgicâ tantillum versatus luxuriantem excrescentemque carnem putridam à verâ dignoscere queat: ipsa verò Excrescentia propemodum est signum Vlceris sordidi, acidis ⊖ibus cum ♀reis corruptis crassis permixtis referti.

Hinc in *Prognosi* dicendum est, Excrescentiá carnosam facilè post se trahere Vlcus sinuosum, & in Fistulá mutari, imò ad Os penetrare, illudque corrumpere & cariosum reddere posse.

Quare in *Curatione* pro generali regulâ sive cautelâ hoc teneri debet, oleosis & pinguibus remediis *Ulcera* talia non esse tractanda, cùm ex illis subinde vera Excrescentiarum materia & origo procedat. Quin vix apparebunt tales Fungi aut Carnes luxuriantes, nisi Chirurgus imperitus vel incautus pinguia applicuerit. Omnis autem cura eo est dirigenda, ut quicquid luxuriat cautè absumatur;

id

id quod *Cauteriis potentialibus*, non tam ſalino-*acidis*, quàm *alcalinis*, *&* *ſulphureo-aromaticis*, *vel balſamicis acribus*, bis vel ter quotidie applicatis aut inſperſis, obtineri poteſt. In hunc proin finem commendari cum fructu & uſurpari conſuevit *Eſſentia Myrrhæ*, *Aloës*, *Radicis Ariſtolochiæ*, *Chelidonii*, *Gentianæ* cum *Spiritu Vini camphorato* aut ♀*riſato* extracta, atque diligentiſſimè cum linteis carptis applicata, ſuperim ponendo *Emplaſtrum Diapalma*, vel *album coctum*, vel *ſticticum Croll.* vel *Opoteldoch*, aut ſimile, quod minus tenaciter adhæreat, poroſque cutaneos non obſtruat. Sunt qui *Unguentum Ægyptiacum Melli roſaceo* permiſtum adhibent, quibus alii etiam addunt *pulverem Radicum Gentianæ Imperator. Angelicæ*, *Pyrethri*, *Ariſtolochiæ rot. veræ*, *ſucci Euphorbii*, *Caryophyllorum arom.* Imò & *Cineres Tabaci*, *Bufonum* aut *Cochlearum* haud infeliciter in uſum trahuntur. Placet aliis *Aqua phagedænica*, quâ Excreſcentiæ in deligatione prius lavantur, antequam carpta linteorum fila ſive ſicca, ſive etiam *Eſſentiæ traumaticæ* amaræ intincta applicentur. Neque contemnenda eſt *Aqua viridis* à pluribus tantopere decantata, quæ concinnatur ex *decoctione Aluminis crudi* ac *Viridis æris ana.* ℥ij. *in Vini albi* ℔xviij. *ad quartæ partis conſumt.* colaturæ admiſcendo *Spiritus Vini* ℥j. in qua prius *Camph.* ʒj. ſit ſoluta. Labia Vlcerum calloſa quandoque etiam ſcarificari poſſunt, ſi dictis remediis non emolliantur & in naturalem ſtatum reducantur. Sed hoc denique eſt notandum, Excreſcentias fungoſo-molles cathæretica ſalino-corroſiva non tolerare, ſed felicius atque citius aromaticis acribus diſſipari, v. gr. *Caryophyll. arom Radic. Angelicâ*, *Euphorb. Imperatoriæ* &c. *Eſſentiâ Aloës*, *Myrrh.* Carnoſo-ſolidas ac duriores autem, ſi modò dictis diſſipari nequeant, corroſivis magis abigi vel conſumi debere. In leviori Vulnerum vel Vlcerum carnis luxurie Chirurgi vulgariter, nec ſine ſucceſſu inſpergere ſolent *Alumen* aut *Vitriolum uſtum*, vel *Mercur. præcipitatum rubrum* aut *album*.

CARNOSITAS NIMIA, vid. *Corpulentia nimia.*

CARO LVXVRIANS VVLNERVM ET VLCERVM, vid. *Carnea Excreſcentia.*

CARTILAGINIS XYPHOIDIS PROLAPSVS ſeu PROCIDENTIA eſt ejusdem depreſſio verſus interiora, à cauſis nunc externis nunc internis ortum ducens. *Procidentia Cartilaginis enſiformis.*

Affecta pars eſt *Cartilago Xyphoides* ſive *enſiformis* quæ ſterni extremitatem ſupra Ventriculum conſtituit. *Subjectum.*

Cauſa hujus Affectûs eſt, quicquid eandem cartilaginem ſive extus deprimere, ſive intus retrahere valet. Deprimitur extus ab ictu, caſu, aliiſque gravioribus contuſionibus: ſic autem depreſſa ſimul premit Stomachum, eumque irritando frequenter ad Vomitum ſtimulat. Intus ſubinde à Tuſſi, Convulſionibus, & epilepticis motibus retrahitur. Nonnunquam etiam à ſalſis humoribus ita ſiccatur, ut intorqueatur per ſe verſus Stomachum. *Cauſæ.*

Imò quandoque ab ipsa nativitate Vitium hoc contractum est.

Facilè vel ex solo intuitu cognoscitur, symptomata tamen etiam varia post se trahit. Etenim cibus cum aliquo dolore deglutitur; nausea post captum cibũ copiosiorẽ frequens, quandoq; & vomitus ipsi ingruunt: ab assumtis etiam pondus & gravitas stomachi sentitur; appetitus sensim imminuitur; subsequuntur quandoque Cachexia & Atrophia; extus in scrobiculo Cordis cavitas major reperitur, & ubi digitis locus comprimitur, simul stomachus dolore pungitivo aut gravativo afficitur.

Prognosis In *Prognosi* hoc tenendum, depressionem Cartilaginis hujus fortiorem non solùm stomachum perpetim lacessere, atque ad nauseam, ructus, vomitusque invitare, sed & nisi pristino statui naturali restituatur, paulatim vel Icterum, vel Cachexiam, vel Atrophiam lethalem inducere.

Curatio. In *Curatione* eo valde est adnitendum, ut Cartilago illa mucronata sive ensiformis extrorsum vertatur vel exprimatur, quod omninò fit externis magis quàm internis remediis. Et quidem, si provenit ab ictu aut contusione, tum nil melius est quàm ante omnia Inflammationem, si quæ adest, profligare remediis suo loco indigitatis; hinc verò *Emplastrum contra Rupturam*, aliudve *maximè tenax*, aut frequenter *Cucurbitulam magnam* sine scarificatione applicare, hac enim ratione paulatim Cartilago adduci & extrahi potest. Sed insimul fasciis commodis thorax est involvendus; Æger etiam subinde ponderosam manibus rem attollat. Si Vulnus adsit, illud prius debito modo sanabitur. Quod si humores ⊖si ac viscidi intus ad hoc Vitium contribuerunt, simulque Atrophiæ principium inducant, tum Curatio tota melius non inchoabitur, quàm *Remediorum antihecticorum* præscriptione, atq; simul interea exterius *Emplastrum tenax* aliquod applicabitur.

Ca CARUS est somnus profundus cum sensûs, motûs atque imaginationis insigni læsione, ab impedito Spirituum animalium influxu, tensioneq; nervosi generis per totum corpus valde imminutâ oriundus.

Pa aff Afficiuntur hinc propriè & generaliter omnia Sensuum & Motûs Organa, in specie tamen affliguntur principia Nervorum in basi Cerebri existentium.

Cau *Causa proxima* ferè est tensio generis nervosi, ab impedito Spirituum animalium influxu multum debilitata. Contingit hoc à secretione Spirituum eorundem insufficiente, hincque conniventiâ aut collapsu tubulorum medullosæ Cerebri substantiæ. Prohibetur autem vel minuitur Spirituum generatio ob causas antecedentes *remotiores* & *procatarcticas*, lentorem nimirum Massæ sanguineæ, extravasationem vel stagnationem aliqualem Lymphæ aut Sanguinis in corticali substantiâ Cerebri; Cacochymiam pituitosam, Ventriculi digestionem depravatam, hincque Chylum pituitosum crassum enatum, Crapulam frequentem, fumos Carbonum arden-

ardentium haustos, Vapores potuum fermentescentium, inprimis Musti vinosi; nimium odorem Croci, Hyoscyami, Cynoglossi, ac similium Narcoticorũ; fumum Tabaci; ☿rii halitus; contusiones aut concussiones Capitis; Remediorum narcoticorum abusum.

Cognoscitur ex somno adeo profundo, ut Æger vix & non nisi cum magnâ difficultate excitari queat, etiamsi pungatur, concutiatur, aut aliâ ratione vigilis reddi tentetur: & si tandem evigilet, vix tamen aperire scit oculos, ad interrogata utcunque respondet, sed in pristinum statim relabitur somnum. Sensus externi ferè stupent & torpidi sunt, interni verò à suo munere utcunque cessant; Motus quoque animalis si non est totaliter ablatus, saltem valdopere imminutus & languidus; Respiratio tamen manet illæsa; Febris nulla adest. Cumque Carus æquè à sanguine ac pituitâ in Cerebro nonnihil extravasatâ aut stagnante, hincque tubulosam Cerebri substantiam premente oboriri possit, specialiùs signa sunt tradenda. Et Cari quidem à sanguine provenientis indicia sunt plethora & color faciei rubicundior ac floridior. Signa autem Cari à pituitâ sunt temperies aut intemperies pituitosa, faciei itidem color albicans. Differt hinc *Carus* ab *Apoplexiâ* forti exiguo admodum gradu, in Caro enim Respiratio salva manet, quæ in Apoplexiâ plus minus offenditur: in Caro membra subinde retrahuntur, in Apoplexiâ simile quid non fit: tandem in Apoplexiâ forti profundior existit sopor, & respiratio stertorosa paulatim evadit, usque adeo ut proximus sit Cari in Apoplexiam transitus. Distinguitur etiam à *Lethargo* ratione Febreos, cui Lethargus plerumq; supervenire solet cum delirio dum interea Carus plerunque sine Febre existit. Dein in Lethargo somnus non ita est profundus, Hominesque ad interrogata, licèt ineptè respondent, in Caro autem vix expergefiunt, &ad interrogata difficilius, sed appositè tamen respondent. A *Catalepsi* sive *Catoche* differt *Carus*, quod in hoc oculi sint firmiter clausi, Homoque somno obsopitus ac immobilis jaceat, in Catalepsi autem oculi plerumque sint aperti, ac Homo eo in statu permaneat, in quo fuit deprehensus. A *Syncope* tandem dignoscitur, quòd in hac pulsus sit vel nullus, vel vix perceptibilis, in Caro autem pulsus existat penè naturalis.

Prognosis Quoad *Prognosin* Carus à causis externis manifestis oriundus faciliùs curatur, quàm qui ab internis suam originem trahit; hic enim etiamsi tollatur semel, tamen subinde recurrit, tandemque in Apoplexiam transit. Sic etiam Carus Febribus ardentibus & malignis superaccedens lethalis esse solet.

Curatio. In *Curatione* ad causas est attendendum, etenim qui Carus crapulam aut vaporem quendam malignum pro sui causâ agnoscit, finitâ crapulâ sive per Venæsectionem sive per *spirituosa Remedia antapoplectica* intus exhibita, aut extus applicata facilè tollitur. Si est à vapore maligno, tum corpus hominis efferendum est è loco, unde talis vapor

vapor exhalat, in aërem liberum, ventisque ſalubribus perflatum. Si eſt à contuſione, caſu, ictu, &c. tum ſtatim Venæſectio adminiſtrabitur, *Clyſter acris* unus & alter, è *decocto cephalicorum* paratus, injicietur, ac extus *Sacculi* ex *Herbis cephalicis* compoſiti, *Vinoque albo* incocti, Capiti toti applicabuntur, ſubindeque noviter calefient. Naribus dein Spiritus *volatiles* admoveri, nuchæ, vertici aut brachiis *Veſicatoria* applicari, ac intus *Mixturæ antapoplecticæ* ex *Aquis Betonicæ*, *Chamomillæ*, *Florum Tiliæ*, *Naſturtii*, cum *Spiritu Cochlear. Liquore C. C. ſuccinato*, *Tincturâ Caſtor.* cum *Spiritu Sal. arm. paratâ*, ac ſimilibus exhiberi poſſunt; v. gr.

℞. *Aqu. Flor. Til.*
Beton. ana. ℥iß.
Spirit. Cochlear. ʒij.
Syrup. de Cinam. ℥ß.
Tinct. Caſt. cum Spir. Sal. arm. par. ʒß.
Cinnab. ♁*n. opt.*
Bezoard. min. ana. ℈j.
M. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Quod ſi verò Carus eſt à cauſis internis, ſive ſanguine ſive pituitâ, eam prorſus Curationem requirit, quam in Apoplexiâ indigitavimus; inprimis ſi abſit Febris, *purgantes Pilulas* cum ☿*rio dulci*, nonnihil fortiores, exhibere convenit, *Venæſectione*, ſi opus videbitur, præmiſsâ. Dein mane ac veſp. xx. guttulas de ⊖e quodam *volatil. oleoſo*, vel de *Liqu. C. C. ſuccinat.* aut *Tincturâ Caſtor.* cum *Spirit. Sal. arm paratâ*, cum *Aqu. Betonic. Meliß.* &c. exhibemus, intercalando *Mixturam* quandam *diaphoreticam ſpirituoſo-antapoplecticam.*

℞. *Aqu. Meliß.*
Vitæ Matth.
Ulmar. ana. ℥j.
Syrup. de Beton. ʒvj.
⊖*is volat. C. C. depurat.* ʒß.
Spod. ex Ebor. ppt. ℈ij.
M. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Vel ℞. *Tinct. Caſtor. cum Spirit. Sal. arm. par.* ʒij.
Aqu. Cinnam. c. Vin. deſt. ℥vj.
M. d. ad V. M. ac Veſp. Cochleare plenum capiatur.

In *Diæta* proſunt omnia, quæ ⊖e volatili antiſcorbutico pollent, illudque in ſe obtinent, majori vel minori quantitate in cibo potuque ſumta.

CATAPHORA, ſeu *Coma ſomnolentum* eſt Sopor nimius & præternaturalis, ubi Ægri perpetuò in ſomnum inclinantes frequenter profundè ſatis dormiunt, ſed non ita difficulter tamen expergefieri poſſunt.

Afficiuntur heic principaliter vel glandulæ ſubſtantiæ Cerebri corticalis, vel ipſum Cerebri meditullium.

Quod *Signa concernit diagnoſtica*, Affectus hic præſens eſſe dicitur, quando Æger diu profundeque dormit, & quidem non rarò hiante etiam ore: quando haud difficulter expergefit, ſed brevi iterum priſtino ſomno indulget. Differt à *Caro* non niſi gradu, etenim in *Cataphorâ* Ægri expergefacti ſtatim ſermones Adſtantium percipiunt, & ad quæſita haud inconcinnè reſpondent; in *Caro* autem difficiliùs expergefacti, ad ea quæ dicuntur minùs

nùs perfectè attendunt, ac etiam vix reſpondent. A *Lethargo* diſtinguitur, quatenus hic ferè ſymptoma eſt & productum Febris continuæ cum delirio conjunctæ, *Carus* autem ſine delirio atque Febri utplurimum hominem affligit.

A *Syncope* diſcernitur quoad pulſum & faciei conditionem, quæ in *Cataphorâ* ſatis naturaliter ſe habent; in *Syncope* autem pulſus ferè nullus, atque facies mortuo ſimilis obſervatur. A *Somnolentiâ* diſcrepat, quòd in hâc minor ſit gradus ſoporis, Hominesque inclinent quidem in ſomnum, ſed profundè tamen haud dormiant. A *Comate Vigili* tandem, quòd in hoc perpetua ſit propenſio in ſomnum, ac eapropter Homo ad dormiendum ſollicitetur, ſed dormire tamen neſciat.

Cauſa proxima hujus Soporis eſt Spirituum animalium influxus in organa Senſuum ex parte prohibitus. Ad quod contribuit vel obſtructio tubulorum glanduloſorum Cerebri, vel eorundem compreſſio, vel denique Spirituum animalium impedita generatio, quæ omnia contingunt eo modo, quo in præcedenti Affectu indigitavimus. Contribuunt etiam huc ſubinde Vermes, Vteri ſuffocationes, aut etiam Phlogoſes febriles; unde non rarò Febris alicujus continuæ ſymptoma eſſe ſolet.

In *Prognoſi*, tenendum per ſe hunc Affectum non eſſe exitialem; ſed talem reddi poſſe, ſi aliæ intervenerint graviores cauſæ, inprimis aliqua Febris maligna, obſtructio Cerebri indies aucta, & ſimilia; hac enim ratione apoplectici inſultus, vel convulſiones ſubſequi poſſunt. Si Somnolentia hæc oritur à partibus aliis quàm Cerebro vitiato, tum per ſe nihil periculi oſtendit vel portendit.

In *Curatione* huic potiſſimùm indicationi eſt ſatisfaciendum, ut viſcidum ſanguinis ſerum, è quo Spiritus animales extricari ſufficienter & ſecerni vel tranſcolari nequeunt, corrigatur; quod obtineri poteſt primò per Remedium aliquod vacuans ac per inferiora purgans, v. gr. *Curatio.*

℞. *Maſſ. pilul. e Succin. Craton.*
Extr. Cathol. ana. ℈ß.
Cinnab. nat. gr. viij.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtillat. Anis. q. ſ.
F. l. a. Pilul. no. xij. *pro doſi.*

Vel ℞. *Extr. pilul. coch.*
Maſſ. pilul. marocoſt.
Mercur. dulc. opt. ana. ℈ß.
Reſin. Scamm. gr. iij.
Ol. ſtill. Roriſm. q. ſ.
M. f. Pilul. num 15. *pro doſi matut.*

Dein ſi Plethora aliqualis animadvertatur in Ægroto, ſimul ſine ullo metu Vena ſecabitur in brachio alterutro, ubi quidem Medicus adſtans præceperit. Poſtmodum ea in uſum trahantur, quæ ⊖ſo-pituitoſam & viſcidam maſſam humoralem attenuare, atque fluxibiliorem reddere valent, quemadmodum exiſtunt ⊖*ia volatilia oleoſa, Tinctura Succini, Spiritus Viperar. C. C. Sal. arm. urinoſus, Spiritus Cochlear. Tinct. Caſtor. cum Spiritu Sal. arm. parata, Eſſent. Zedoar.* &c. *ſub doſi* xx. *gtt. m. ac veſp.* capienda. *In-*

fusum folior. Theè, vel *decoctum Coffeè* largiter quotidie haustum maximè prodest. Potest & *Vinum medicatum purgans* pro lubitu exhiberi. Neque hic contemnimus *Tragemata cephalica*, è variis *Aromatibus* & *pulvere cephalicarum herbarum* concinnata; v. gr.

℞. *Rad. Apii.*
Aspar.
Carlin. ana. ℥ij.
Herb. Meliss.
Agrimon.
Scab.
Flor. Paralys.
Semin. Nasturt.
Dauc. ana. ʒij.
Cinam. acut.
Cubebar. ana. ℥iß.
Sacch. alb. ℔viij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dos. ℥ij. *man. ac vesp.*

Novimus, qui maximo cum fructu aliquot noctibus insequentibus sub horam somni *specierum aromaticarum rosatarum* & *foliorum Senæ pulverisatorum* ana. ℈j. cum *Aq. Flor. Tiliæ* felicissimè sumserunt,

Externè capilli Capitis abradantur, simulque *Cucupha cephalica* Vertici ejus imponatur, aut *Emplastrum* è variis *Gummis* & *Aromatibus* conciñatum raso capitis Vertici applicetur: Quandoque *Clysteres acres* cum fructu injiciuntur: *Vesicatoria* Nuchæ aut etiam Pedibus applicentur, ac Medicamenta *errhina*, leniterque *sternulatoria* usurpentur.

Catalepsis. CATALEPSIS, CATOCHUS est subita ac penè momentanea partium corporis omnium immobilitas, cùm mente attonitâ & sensuum omnium ablatione, salvâ tamen manente respiratione, ac pulsu, à Spirituum animalium aut fibrarum motricium nervearum rigiditate, vel cessante motu oscillatorio propemodum ortum trahens. Differt hinc ab omnibus aliis Affectibus soporosis in hoc, quòd utplurimum membra Catalepticorum sint immota, Ægrique partes in eo statu & situ permaneant, in quo primitus sint à morbo prehensa.

Pars affecta est vel *primaria*, nimirum Cerebrum; vel *secundaria*, totum Corpus, quatenus omnes ejus partes ob Cerebrum affectum immotæ evadunt.

Signa diagnostica eaque *pathognomonica* sunt subita Sensûs ac Motûs in toto corpore voluntarii cessatio, ita ut Æger, dum hoc prehenditur Affectu, eam membrorum figuram vel posituram retinere observetur, qualem ipso invasionis momento habuit; hinc notantur Homines, si vigiles antea fuerint, plerumque apertis oculis, ac palpebris rigentibus, sedentes aut stantes existere; etiam manus hoc illove modo exporrectas & quasi rigidas habere, aut saltem imotas tenere; quanquam non raro ab adstantibus aliis hominibus flecti queant, sed flexæ dein suo iterum in situ persistunt; quoniam mens attonita nullam vim in musculos exercere valet. Statuam hinc viventem, sensu motuque arbitrario carentem non male dixeris. Quandoque audiunt aut vident aliquid, atque antea tempore insultûs actorum recordan-

cordantur, plerumque verò nihil percipiunt. Reperti sunt, qui deglutiebant, quicquid ori ingerebatur; imò novimus, qui impulsi utut nescientes incedebant. In plerisque verò membrorum rigiditas inflexilis notatur. Respiratio & pulsus apud omnes naturaliter ferè habent. Affectum periodicum, ac incertis periodis ultra tres annos durantem in Pastore Verbi Divini observavimus.

Causa proxima seu immediata est Spirituum animalium in omnes nervos expansorum, imò ipsarum fibrillarum immobilitas, & quasi congelatio, quam nonnulli attribuunt humori austero & quasi ⊖lico, originem nervorum circa principium medullæ spinalis veluti constringenti: alii verò ♀ri narcotico adscribunt, Spiritus figenti; alii flatibus aut humoribus Spirituum laticem congulantibus, vel certè motum vibrantē oscillantemve fibrarum omnium motricium subitò cohibentibus adscribunt. Hinc inter *Causas antecedentes* & *procatarcticas* recensentur. v. gr. profundæ meditationes, terror subitaneus & ingens, spiritus narcotici, animalium spirituum latici quomodocunque permixti, quales quidem sensim ex malâ diæta sanguinis massæ infundi possunt. Inprimis autem, qui fulmine percussi sunt, tali prehenduntur Affectu, & utplurimum inde exanimantur, quatenus Spirituum animalium motus partim à fragore ingentis tonitru, partim ab exhalatione fulminis ♀reâ adeo sistuntur & figuntur, ut nunc statim omnium partium Corporis rigor & immobilitas subsequatur. Contribuunt etiam ad huncce Morbum intemperies melancholica, amor vesanus, vina generosiora largius pota, Spiritus vini nimiopere haustus, cerevisia crassa minimè defæcata, ira vehemens, mœror atque terror excessivus.

Quod *Prognosin* attinet, Affectus hic pro lethali est judicandus, tanto id magis, si in excellentiore gradu hominem invaserit, nisi enim promptè ad se revocentur Ægri, tum sensim coagulari sanguis circa cor incipit, mortemque subitam plerumque inducit. Morbus ipse rarus est, sed aliquando tamen observatus est citò accessisse & citò iterum evanuisse. In gradu debiliore contingens malum, adhuc curabile existit, præsertim in Juvenibus. *Prognosis*

In *Curatione Clysterem* ante omnia commendamus *acrem* & *emollientem*, hinc verò *Mixturam antapoplecticam* ex *Aquis cephalicis* & *cardiacis* cum *Spiritibus volatilibus* concinnatam, cochleatim exhibemus, extusque ea applicamus omnia, quæ in Convulsionibus, vel in Apoplexiâ applicari consueverunt. v. gr. *Curatio.*

℞. *Aqu Beton. Rorismar.*
cortic. Aurant. ana. ℥iß.
Spirit. cephal. Deckers.
carmin. Sylv.
antipar. Amstel. ana. ℥ß.
Tinct. Cast. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒiß.
Sal. volat. succ. ℈j.
Syrup. Majoran. ℥j.
Misc.

M. d. ad Vitr. & infundatur cochleatim.

Meminimus etiam, nos aliquando naribus inspersisse *Succum Apii* vel *Betæ* cum *Spiritu Sal. arm. Urinos.* Cujus loco tamen insufflari poterit *Pulvis sternutatorius* ex *Nicotianâ*, *Majorana*, *flor. Lilior. convallium*, *Salviâ*, *Semine Nigellæ* atque *Castoreo* compos. Vertici capitis, nuchæ, pectoriq; applicantur lintea *spiritui Vini camphorato* immersa, frequenterque repetantur. Extra ipsum morbi insultum *Infusum laxativum*, vel *medicatum Vinum purgans cephalicum* præscribatur: *Vena* quoque, si opus videbitur, *secetur*, ac tandem optima Diæta inculcetur.

Cataracta. CATARACTA vel SVFFVSIO est Visûs paulatina ablatio atque cæcitas, ab Humoris aquei spissitudine sive crassitie, sæpius & pelliculâ in eodem inter Pupillam & Humorem crystallinum enatâ, originem trahens.

Subjectum. Vt adeo *Pars affecta* in genere quidem Oculus, in specie autem Humor ipsius aqueus dici mereatur.

Causa. *Causa proin cæcitatis hujus proxima* est vel ipsius Humoris oculorum aquei, inter Pupillam & Humorem crystallinum siti, crassities præternaturalis, radiorum visivorum ab externis objectis reflexorum transitum præcludens; vel etiam pellicula quædam in ipso humore aqueo à condensatis particulis glutinosis & crassioribus enata, atque corneæ tunicæ pupillæque anterius obtensa, similem hinc cum priori causâ effectum producens. Ad Causas has conferunt particulæ crudiores, terrestres ac viscidæ, diu in sanguine collectæ & circumfluentes, tandemque per varios porulos in Oculum præcipitatæ. Accusatur etiam sæpè ipsiusa quosi Humoris exsiccatio, orta ab exercitato plus nimis circa res subtiles Visionis sensu, & hinc quiete crebriore particulis humoris ejusdem concessâ. Hinc lucubrationes nocturnæ frequentiores, Venus intempestiva & immodica, Crapula quotidiana, usus continuus ciborum crassioris succi, tristitia atque mœror excessivus, subtilia manuum opera sine intermissione tractata, & similia ad producendum hanc Visionis labem sæpenumero concurrunt.

Signa diagnostica sunt vel Suffusionis *incipientis*, vel ejusdem *confirmatæ*: etenim non simul & in instanti Affectus hic mortalibus obtingit, sed paulatim formatur & augetur, tandemque biennii circiter spacio ad maturitatem devenit, hoc est, eam consistentiam, sub quâ per operationem pellicula deponi potest, adquirit. In principio autem Visus solet hebetari, & variæ res, sicut muscæ, nebulæ, aranearum telæ, aliaque similia oculis frequenter videntur obversari, ut hinc Ægri non semel magnopere incommodentur. Dum verò Malum augetur, Homines frequentiùs tanquam per nebulam conspiciunt, hinc paulatim omni visionis claritate ablatâ obscuritas inducitur, in quâ Ægri tanquam per nebulam conspicientes objecta à se invicem non discernunt, donec tandem Visionis sensatio penitus aboleatur, Homoque nil præter aliqualem

qualem luminis externi perceptionem reliquum habeat. Ratione *Coloris* suffusio est nunc *albicans*, nunc *fusca*, nunc etiam aliûs obscuri coloris: Quòd si verò nigricet pupilla Oculi, neque ulla planè Luminis externi sensatio adfuerit, ipsaque præterea Pupilla post oculi fricationem qualitercunque institutam non dilatetur, quod in verâ Suffusione contingere solet, tum Cœcitas hæc propriè non *Cataracta*, sed potius *Gutta serena*, in quâ Oculis ùtcunque serenis, maximè claris ac pellucidis existentibus, Homo tamen ne vel tantillum luminis percipit, appellari consuevit, ab opticorum Nervorum obstructione unicè dependens, ac utrumque simul Oculum, plerunque confestim & uno actu occupans; cùm ordinaria Suffusio non utrumque simul, sed alterutrum prius Oculum, ac demum postea alterum quoque adoriatur.

Perfecta Suffusio ea demum venit dicenda, quando Homo visu omni in Oculo affecto privatur, nullumq; prorsus objectum externum percipit ac discernit; etiamsi, dum Oculi bulbum cum propriâ palpetrâ aliquandiu fricamus, animales hinc Spiritus copiosius influant, atq; Pupillam aliquantillum dilatent, id quod certissimum indiciū esse solet, *Cataractâ* Oculum affici.

Quando Affectus hic alterutrum Hominis Oculum affligit, tum non sine ratione metuit, ne alter quoq; sensim infestetur, plerunque enim hoc ita contingere solet. Quòd si Humor aqueus non sit nimiū crassus, neq; pellicula intus Pupillæ obtensa sit valde tenax, tū Affectus adhuc curabilis, Visioque per depositionem, à peritissimi Operatoris manu instituendam, reparabilis existit. Si autem crassiorem nimis humorem eundem esse deprehendamus, si itidem pellicula valdè dura, atque prorsus inveterata existat, tum non adeo certò pristinum Visum vel polliceri, vel sperare possumus. Vbi tandem non nisi principium Cataractæ adest, tum ejusdem progressum præcavere licet.

Curatio. In *Curatione* proin ad principium, progressum & perfectionem hujus vitii est attendendum: etenim in Cataractâ *incipiente*, quando Visus adhuc constat, ac subinde tantùm leviter obscuratur, vel sæpiùs corpuscula quædam nigricantia oculis obvolitare videntur, tum semel atque iterum Corpus est *Pilulis ☿rialibus* cum *Oleo destill. Fœniculi* purgandum; v. gr.

℞. *Extr. catholic.* ℈j.
Cinnab. ♁n. opt. ℈ß.
Resin. Scamm. gr. iij.
Ol. still. Fœnic. q. s.
M. f. Pilulæ num. 15. *dentur pro dosi matutinâ.* Vel
℞. *Mass. Pilul. maroc.*
Extract. panchym. Croll. ana. ℈ß.
Merc. dulc. opt. gr. 12.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Ol. stillat. Anis. q. s.
M. f. Pilulæ num. 13. *Inauratæ sumantur mane jejuno stomacho cum regimine Diætæ.*

Hinc verò statim *Fonticulus* brachio lateris affecti incidendus, vel *Setaceum* nuchæ applicandum. Freqentia etiam

Pediluvia cum incoctione *Herbarum cephalicarum* paranda, & pluribus insequentibus noctibus in usum vocanda sunt. Intus hinc diu multumque vel solum *Fœniculi Romani Semen masticetur*, vel etiam *Tragema opthalmicum è Radic Pœon. Valerian. Chelidon. major. Angel. Petasit. Anemon. Herb. Majoran. Euphras. Salv. Rutæ. Sem. Fœnic. Dauc. Bacc. Iunip. Cardam:* atque *Sacch. parat.* quotidie bis vel ter capiatur. Interim Visus ad subtilia opera studiaque severa, inprimis nocturna, minus applicetur. Quod si Massam sanguin. nonnihil biliosо-viscidam observemus, æstivo tempore *Acidularum* bonarum usum suadebimus. Si verò pituitosam magis eandem minusque acrem deprehendamus, tum potiùs usum *Thermarum* quarundam *nitroso-sulphurearum* commendamus. Præterea capilli capitis deradantur, & capillamentum gestetur. Vsus Tabaci modicus concedatur. Cucupha etiam, si opus videbitur, aliquandiu gestetur, è cephalicis maximè composita. Lintea denique *Spiritui Anthos*, *Fœnicul. Anis: Vini camphor. Cephalico* cuicunque immersa singulis noctibus calidè applicentur. In augmento præter usum quotidianum *Seminis Fœniculi Romani* aut *Bacc. Junip.* & aliquoties repetitam purgationem, nihil penitus est tentandum, sed exspectandum eò usque, donec Cataracta fuerit perfecta & matura. Dum autem jam matura est Suffusio, unicum superest remedium, Depositio nimirum ejusdem, per Operationem chirurgicam præstanda, quæ post exhibitum *Purgans*, atque *Clysterem* unum aut alterum *emollientem* injectum, expeditur *perforatione* tunicæ Corneæ factâ in angulo exteriore pone Pupillam cum acutissimâ chalybeâ Acu in hanc rem adaptatâ. *Perforatio* est ita instituenda, ut acus semper juxta Pupillam adigatur, sicque per ipsam Pupillam transparere possit. Cùm autem sufficienter eadem est intrusa, tum omni modo pellicula ab ipsâ Pupillâ est avellenda, atque vel deprimenda, vel, si possibile fuerit, discerpenda: in quo actu tamen benè cavendum, ne vel Humor crystallinus, vel alia interna pars Oculi ab acu perforetur & lædatur. Postquam hinc pellicula sufficienter est depressa atque avulsa, tum Acus est extrahenda, statimque *Collyrium* conveniens, ex *Aquâ Plantagin. Chelidon. majoris*, & *Euphras.* cum *Tutiâ ppt.* compositum, calidiusculè est instillandum, tandemque *Epithema* ex *Croco*, *Albumine Ovor. Aq. Plantag.* & *Tutiâ* tepidè applicandum, sicque deligatio per plures dies continuanda, donec Vulnus inflictum persanatum esse notabimus. Quod si in operatione Æger lumen videat, & persentiat, signum est bonum rédituri Visûs: si verò nullum lumen percipiat, tum spes Visionis ulla fieri nequit. Post operationem in obscuro semper teneatur conclavi Æger usque ad Vulneris curationem, postea autem sensim est lumini assuefaciendus, quoniam subitum lumen si admitteretur facilè Visum omnem simul perderet. Recuperato autem per operationem Visu perspicilla aut conspicilia convexa in usum sunt trahenda, & opti-

De Ca ab

ma

ma quæque inter hæc ſeligenda. Tandem diu adhuc vel ſupradicto *Tragemate* Æger, ſi poterit, uti, vel *Fœniculum Romanum* diligenter manducare debet. Verno & autumnali tempore Vinum medicatum purgans bibet. Interea ſubinde Cucurbitulas cum ſcarificatione admittet. Diætam convenientem exactè obſervabit.

CATARRHVS, Κατάρρος, ex κατὰ & ῥέω, *fluo*, compoſitâ voce, latinè *Defluxio*, in genere denotat omnem lymphæ vel ſeri cujusdam vitioſi ſtagnationem aut extravaſationem, in parte vel membranoſâ vel glanduloſâ cum dolore, aliisve ſymptomatibus contingentem. Cùm igitur plurimæ ſint partes, in quibus ejusmodi lymphæ ſtagnatio vel exundatio produci ſolet, *Catarrhus* certè earum reſpectu multiplex exiſtere debet; meminit tamen antiquitas non niſi quatuor ſpecierum, quarum *prima*, per excellentiam dicta *Catarrhus*, eſt Lymphæ ſalſo-acris copioſa moleſtaque è Cerebro in fauces defluxio; *ſecunda* nomine *Gravedinis* vel *Coryzæ* inſignita, eſt ſeri ſimilis è mucoſo-glanduloſâ tunicâ in Narium cavitatem profuſio copioſa: *tertia* nuncupata *Raucedo*, Βράγχος, lymphæ eſt ſalſo-acris in aſperam arteriam effluxio: *quarta* denique *Rheuma* fuit appellata, quando ſerum plus minùs copioſè in pectus vel pulmonum angulos ruebat. *Schola Salernitana* rem ſequentibus verſiculis expreſſit:

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus.
Si ad fauces Branchos, ad nares eſto Coryza.

Sed præter has ſpecies adhuc plures aliæ, ſimili modo in aliis partibus productæ, notantur, quæ ſuis quoque peculiaribus ferè ſingulæ nominibus efferuntur. Referri profectò huc poſſunt ſoporoſi Affectus omnes, *Cephalalgiæ*, *Hemicraniæ*, *Ophthalmiæ*, *Otalgiæ*, *Odontalgiæ*, *Aſthmata*, *Tuſſes*, *Stupores*, *Dolores rheumatici*, *Arthritici*, *Pleuritides*, *Peripneumoniæ*; &c. de quibus omnibus ſuo loco agitur.

Catarrhus ſuffocativus. Inprimis verò *Catharrhus ſuffocativus* hic conſiderandus venit, qui Affectus repentina eſt eaque maxima reſpirationis offenſio, quâ Homines, niſi adhibita impedire id valeant remedia, intra breve temporis ſpatium quaſi ſtrangulati vel ſuffocati moriuntur; à conſtrictione vel compreſſione bronchiorum oriunda. Vt adeò ſubjectum ejus propriè Pulmo cum aſperæ Arteriæ ramificationibus exiſtat. *Ejus ſubjectum.*

Cauſa. Quemadmodum autem *in genere Catarrhus* omnis produci ſolet ab humoris, ut plurimùm ſeroſo vel lymphatico-ſalſi plus minus acris, acidi reſoluti, hincque magnitudinem, figuram & motum particularum ſuarum præternaturalem adepti, ſtagnatione, extravaſatione in parte glandulosâ aut membranoſâ; vel effuſione quoque in partem aliquam cavam, veluti ſunt Fauces, Nares, Veſiculæ Pulmonis, Gula, Ventriculus &c. ita *in ſpecie* Catarrhus ſuffocativus originem trahit nunc à copiâ ſeri fluidioris, in veſiculas dictas pneumonicas, aut bronchia repentino motu effluentis,

& aëris introitum præpedientis, ſicut in Excellentiſs. quodam viro notavimus; nunc ab exſtillatione lymphæ cujusdam acido-acris, bronchiorum fibrillas conſtringentis, atque ſpaſmodicam ſic criſpationem, ſive contractionem eorundem arteriæ aſperæ ramulorum, non ſecus atque veſicularum pulmonalium producentis; nunc à ſanguinis intra vaſa pneumonica tardiore decurſu, tandemque ſubitaneâ ſtagnatione, bronchiorum tubos comprimente, & ita aëris ſufficientis ingreſſum ſufflaminante; ut hinc *Apoplexia pneumonica*, ſi velis dici queat, eo quòd inſtar Apoplexiæ aliàs à ſanguine in Cerebro ſtagnante provenientis excitetur. Stagnat verò, aut ſaltem tardius decurrit ſanguis, quando vel craſſus & lentus nimis, aut acidus, acris auſterusve redditus eſt, fibrillas vaſorum adſtringens; vel quando vaſa ſanguinea pulmonis ab incumbente nimiâ pinguedine validè comprimuntur in valdè obeſis, quale exemplum Dolæus in *Praxi* attulit; vel denique, quando à ſubtili quodam veneno maximè diſſolvente ita fluidus redditur, ut hinc per extremitates vaſorum Pulmonis capillarium copiosè effluens veſiculas iſtius partis oppleat, & ita tandem ſpiritum omnem cum horrendis anxietatibus, imò convulſionibus ipſis, & horrore liquorum intercipiat. Annon licebit etiam dicere, periodico veluti Catarrho ſuffocativo excruciari, quibus in Hydrope pectoris, à ſero intra cavitatem alterutram vel utramque thoracis effuſo, Pulmonis veſiculæ per vices magnopere & aliquandiu comprimuntur aut conſtringuntur adeo, ut ſingulis momentis ſuffocari metuant.

Quibus indiciis Catarrhorum ſingulorum præſentia cognoſcatur, prolixius heic exponere nil attinet, cùm pleræque ſpecies illorum ſuis peculiaribus locis explicentur. Quod ſi verò Lympha in variis Capitis glandulis collecta obhæreſcat, & ſenſim cumulata ſtagnet, tum *Catarrhus* erit propriè *cephalicus*, copioſâ ſternutatione, gravitate obtusove dolore capitis, hebetudine ſenſuum, & exſpuitione interdum copioſiore ſalivæ ſalſæ, tenuis aut viſcidæ, vel etiam muci maximè frigidi in palatum labentis, ſeſe cognoſcendum præbens. Hinc Catarrhum duplicem admittere ſolent, *calidum* unum, *frigidumque* alterum. *Calidus* acris eſt, ſalſus, amarore oris, interdum ſternutatione crebriore, pruritu partium variarum, ſenſu caliditatis quodam, oculorum & faciei rubedine, capitis dolore, febriculâ etiam utplurimum conjunctâ ſeſe prodens. *Frigidus* autem Catarrhus ex ſenſu frigiditatis partium, utcunque dolentium, ex ſalivæ craſſitie & viſciditate, facie pallidâ, Febris abſentiâ, Urinâ crudâ, virium languore, ſenſuum aliquali torpore, doloris ſenſibili augmento, ſi ſub ſtragulis plumaceis membrum teneatur, pateſcit. Dividere etiam liceat *Catarrhum* in *ſanguineum* à ſanguine, & *ſeroſum* à lymphâ ſtagnante oriundum; nec non in *ſalſum*, *inſipidum*, *dulcem*, *acrem*, cum vel ſine Febri.

Catarrhus ſuffocativus in ſpecie cognoſcitur ex eo, quando quis ferè ſubitò

ſubitò maximam adipiſcitur reſpirandi difficultatem, ſine Tuſſi, vel cum Tuſſiculâ quadam ſiccâ, quando Ægrotans non niſi erectâ ferè cervice, feneſtris januisque apertis ſpiritum, cum ſtertoroſo etiam ſono, ducere cogitur, quando reſpiratio ſingulis propemodum horis difficilior redditur; quando ſudor ubicunque modò frigidus, modò calidus è cute profluit. Si à ſtagnante ſanguine circa Cor Malum producitur, facies etiam maximè rubet; ſi verò magis à lymphâ acri vel copiosâ, pulmonis branchia implente aut comprimente, aut eadem conſtringente ortum trahat, facies magis pallet, ac ſenſim cadaveroſa redditur. Interdum nauſea ſimul adeſt, ſi cruditates acres viſcidæ in Ventriculo adſint, aut lymphæ copia ejus cavitatem impleverit, fibrillasque nerveas molestè ita laceſſat, ut motu ſuo in contrarias plagas determinentur. Adeſt hinc etiam maxima pectoris anguſtia & anxietas, cum metu ſuffocationis perpetuo, quale quid in Cardialgiâ non adeſt. Malo denique augmentum capiente inquietus valde redditur Æger, locum continuè mutare cupit, ut levamen quoddam inveniat, vires paulatim amittit corporis & animi, tandemque, niſi auxilium & levamen exhibita remedia afferant, quietus evadit, ac velut ſomno ſopitus ſenſim animam efflat. Differt tamen à Syncope, ab Apoplexiâ & ſoporoſis quibuscunque Affectibus, eo quòd in his omnibus ſenſus motusque voluntarius amittatur, & reſpiratio tantopere mox non affligatur, in Catarrho autem hoc vigiles ſint, maximeque anxii homines. A Cardialgiâ item dignoſcitur, quoniam in hâc quidem anxietas ſubinde maxima adeſt, ſed reſpirandi tamen actio non adeo præpedita. Ab Hydrope pectoris in tantum differt, quod in hoc reſpirationis negotium ſæpius offendatur, ſed iterum dein liberius reddatur.

Prognoſis Varium proin Catarrhi ſortiuntur eventum, prout ipſimet diverſi ſunt, atque à Cauſis plus minusve gravibus aut contumacibus producti. Plerique hinc Catarrhi, ſi apoplecticos & ſuffocativos excipias, periculoſi adeo atque lethales non ſunt, ſed tamen ſubinde nihilominus diuturnitate ſuâ admodum moleſti; quemadmodum id in ſpeciebus Catarrhorum ſingulis indigitatum deprehenditur. Suffocativus Catarrhus plerumque lethalis eſt, niſi ſtatim in principio cauſa mali potenter fuerit debellata & diſſipata; atque Homines inde paucarum dierum ſi non horarum ſpacio velut ſtrangulati vel ſuffocati moriuntur. Affligit autem magis Homines obeſos, ſanguineos, catarrhoſos, & aliàs propter obeſitatem thoracis ſpiritum liberrimum haud ducentes. Imò, qui ab Animali rabido fuerunt demorſi, ſi venenum in vulnere acceptum non fuerit probè diſſipatum, tandem poſt plurium ſæpè menſium annorumve ſpatium, Catarrho etiam ſuffocativo ſanguineo prehenduntur, ac inde brevi temporis ſpatio ſuffocantur.

In Curatione proin Catarrhorum indicationibus diverſis eſt ſatisfaciendum

dum; nimirum quantitas nimia seri vel sanguinis, evacuantibus, aut Venæsectione diminuenda, stagnatio talium humorum vel profusio resolventibus medicaminibus dissipanda; crassities atque visciditas, attenuantibus & incidentibus corrigenda, acrimonia vel aciditas edulcorantibus atque absorbentibus emendanda, fluiditas denique nimia incrassantibus tollenda. Quibus si satisfacere poterimus scopis, ipsa mox symptomata qualiacunque mitigabuntur, si non perfectè statim tollentur.

Quando proin quis *Catarrho* qualicunque *seroso* afflictus sive in faucibus, sive in collo, sive in membro hoc aut illo molestos dolores & cruciatus percipit, huic suasores sumus, ut si quidem Febricula simul adfuerit continua, statim *Clysmatis* ope primas sibi vias eluere curet, illud autem parari poterit ex *Decocto Radicum Apii, Asparagi, Cichor. Lilior. alb. Aristoloch. Alth. Scorzoner, Vincetox. Angelic. Herbar. Majoran. Malv. Atriplic. Alliar. Scord. Parietar. Meliss. Salv. Ocymi, Menth. Origan. Summit. Absynth. Abrot. Anethi, Thym. Lavend. Rorismar. Flor. Anth. Calend. Chamomill. Spic. Melilot. Genist. Baccar. Laur. Junip. Semin. Anis. Dauc. Fœnic. Aquileg. Nasturt. Lin. Cannab.* cum admixtione *Electuarii lenitiv.* aliusve purgantis, nec non *Olei Olivar.* vel similis, *Mellis* ac *Salis.* Alvo lubricitato ac eloto mox, si sanguis sufficiens in corpore fuerit, æstumque conceperit, *Venæsectio* in brachio vel pede instituatur, vel saltem *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicentur. Deinceps verò ulterius adhuc corpus à copiâ serosarum particularum purgante quodam hydragogo liberetur, quod sequentibus aut similibus fieri poterit.

℞. *Mass. Pilul. è Succin. Crat.*
Extract. diacartham vel
Pilul. aurear. ana. ℈ß.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Mercur. dulc. opt. vel
Cinnab. ♀n. corr. ℈ß.
Essent. Succin. q. s.
M. f. Pilul. num. 15. *Inaurat. sumantur mane pro dosi cum regimine diætæ.*

Vel ℞. *Syrup. Ros. sol. compositi cum Rhab. A. & S.*
Flor. Persi. ana. ℥j.
Elect. è Succ. Rosar. ʒij.
Aqu. fl. Sambuc. ʒx.
Fœnic. ℥ij.
M. f. Potio, detur ad Vitr. sumatur mane una vice.

Hisce præmissis resolventia atque diaphoretica interna & externa sunt adhibenda, ad stagnantem humorem dissipandum. Juvant in hunc finem *Decocta Lignorũ Guajac. Sassaphr. Santal. Juniper. Radicum Chinæ, Sarsæparill. Ulmar. Carlin. Apii, Ireos flor. Vincetox. Aristol. Helen. Scill. Herbar. Agrimon. Scabios. Betonic. Meliss. Sanicul. Pyrol. Chamædr. Card. bened. Calaminth. Hyssop. Salv. Veronic. Semin. Anis. Fœnic. Baccar. Juniper.* v. gr.

℞. *Radic. Apii vel Aristol. rot.*
Chin. vel Sarsæpar.
Vincetox. vel Enul. ana. ℥ß.
Calam. arom. ʒij.
Herb. Agrimon.

Betonic.
Hepat. nob.
Card. bened. ana. Mj.
Raſur. Lig. Saſſaphr.
Guajac. ana. ℥iij.
Semin. Fœnic. ʒij.
Inciſa & cont. coque in Aqu. font. [M]*enſuris duabus cum dimidiâ ad quar*[t]*æ partis conſumtionem, de Colaturâ* [p]*oſtmodum mane ac veſperi unciæ tres* [c]*um ſemunciâ Syrupi de Jujub. aut Far*[f]*ar. hauriantur.*

Loco Decocti *Infuſa* prodeſſe poſ[s]unt, ad modum *Infuſi folior. Theè* [p]arata & quotidie bis calidè ad qua[t]uor pluresve uncias hauſta. Ad In[f]uſa autem talia ſumuntur cum fructu [R]*adices Sarſæparill. Chin. Calam. arom.* [I]*reos flor. Caryophyllat. Carlin. Folia &* [H]*erbæ Theè, Chamædr. Beton. Veronic.* [T]*rifol. fibrin. Meliſſ. Beccabung. Na*[ſt]*urt. aquat. Hepat. nobil. Scab. Heder.* [t]*err.* Cumque ſudor ſubinde pro[f]ectus maximè juvet ad diſſipationem [C]atarrhorum, ſi dicta hactenus non [ſ]ufficere deprehenduntur, *Potiones* [ſ]*udoriferæ* præſcribentur, compoſitæ [e]x *Aquis deſtillatis Agrimoniæ, Carlin.* [U]*lmar. Card. bened. Fumar. Scabioſ.* [f]*l. Sambuc. Elect. diaſcord. Fracaſt.* [T]*heriac. Androm. Mithrid. Damocr.* [R]*oob. Sambuc. Juniper. C. C. phil. ppt.* [E]*bor. ppt. Antimon. diaph. Bezoard.* [m]*in. Dente aprin. ppt. Cinnab. nativ.* [v]*el ♀nii opt. Ocul. ♋. ppt. Salib.* [v]*olat. C. C. Ebor. Succin. & ſimilib.* [v]. gr.

℞. *Aqu. Hed. terreſtr.*
Ulmar.
Scabios.
Beton. ana. ʒvj.
Spiritûs Lign. Guajac. ℈j.
Elect. diaſc. Frac.
Roob. Juniper. ana. ʒß.
♁*n. diaph.* ℈j.
M. f. Potio detur ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Aqu. fl. Sambuc.* ℥iß.
Cherefol. ℥j.
Fumar. ʒvj.
Mithrid. Damocr. vel
Theriac. Androm. ʒß.
Salis volat. C. C. gr. v.
Ocul. ♋. ppt.
Ebor. phil. calcinat. ana. ℈ß.
Miſc. f. Potio detur ad Vitr. pro doſi.

Quando dolor in parte urget valde, cum dictis hactenus admiſcemus anodyna vel opiata; v. gr.

℞. *Aqu. Beton.* ℥j.
Salv.
Origan. ana. ʒij.
Syrup. fl. Tun. ℥ß.
Eſſent. lign. ℈j.
Opii Liquid. gutt. 8.
Cinnab. ♁*n. corr.* ℈ß.
M. detur ad Vitr. ſumatur pro doſi.

Externè, ubi opus erit, diſcutientia calida applicentur, quem in finem Sacculi ex *Radicib. Angelic. Imperator. Herbis Abſynth. Aneth. Matricar. Abroton. Meliſſ. Calaminth. Beton. Menth. Origan. Florib. Sambuc. Chamomill. Baccis Lauri, Juniper. Seminib. Aneth. Angelic. Cumin. Carv. Dauc. Napi* & ſimilibus concinnari poſſunt, hinc *Vino* incoqui, exprimi, & calidè applicari. Loco horum ſacculorum alii Lintea tantùm *Spiritui Lumbric. terr. Formicar. Anthos. Vini camphorato*, vel *cephalico*, vel *carminativo* aut *matriculi* cuidam

dam calenti immergunt, expreſſaque admovent. Ante talium applicationem pars quoque calentibus pannis leniter fricari poteſt. Sunt qui etiam *Olea carminat.* v. gr. *Chamomillæ, Abſynth. Aneth. Menth. Laur. Juniper. Pin. Lumbricor. Scorpion. Matthiol. è Florib. Slotan.* & ſimil. inungunt.

Quandoque ſicca magis proſunt, ita enim *Lintea fumisata* ex accengo qualicunque *Pulvere fumali*, & calidiſſimè ſæpius applicata vim diſſipandi excellentem obtinent. *Pulverem fumalem* componere licet ex *Foliis Menth. Meliſs. Origan. Ocymi, Solani, Nicotian. Majoran. Beton. Salv. Floribus Sambuc. Chamomill. Calendul. Lil. Convall. Stœchad. Lavendul. Bacc. Juniper. Maſtich. Oliban. Succin. Storac. calam. Ladan. Seminib. Anis. Fœnic. Carv. Cumin. Dauc. Raſur. Lign. juniperin. & ſimil.* Quin ex iisdem rebus, vel ex *Seminib. Cicer. Aven. Tritic.* addito *Sale communi toſto*; vel ex *Cineribus* qualibuscunque *Sacculi* replentur, & hi dein ſiccè calefacti loco dolenti, ubi fluxio adeſt, applicantur; locus verò prius ſemper mollibus calidisque linteis aut pannis fricari, imò ſimul vel *Spiritu* aliquo lavari, aut *Oleo* quodam, uti ſupra monitum, prius inungi poterit. Si neque hæc ſcopo ſatisfaciunt, confugiendum erit ad *Emplaſtri diaphoretici Mynſ. de Cicut. de Bacc. Laur. de Ranis Vigon. cum duplo Mercurii*, ſimilisve impoſitionem. Deſuper ſemper cum fructu tandem applicari juſſimus *Pellem leporinam* vel *felinam*.

Si *Catarrhus* fuerit *cum Febre* intenſiore *conjunctus*, cum fructu ſtatim injicimus Clyſma emolliens atque detergens; vel ſi nauſeabundus fuerit ſtomachus emeticum propinamus blandum; poſtmodum Venam brachii vel pedis alterutrius ſecari curamus; atque demum præſcribimus intus quidem diaphoretica, mane, veſperi & noctu ſumenda; extus verò applicamus ea, quæ ſupra fuſius indigitavimus, quæque & in hoc caſu proſunt maximè.

In *Catarrho ſuffocativo* ſi ſtatim fueris accerſitus, ſine morâ Clyſma acriuſculum incidens, emolliens atque detergens inſpergi curabis, Venam hinc brachii aut pedis mox aperiri, atque notabilem ſanguinis quantitatem pro Ægrotantis viribus admittentibus effluere permittes. Si dein ſimul Ventriculum ſaburrâ vitioſorum cruditatum repletum deprehendas, vomitorium mox præſcribes, quod ſæpè ruentem ad aliquod membrum lympham vel ſanguinem quaſi revellere aut avertere poteſt: v. gr.

℞. ♀ri ⊖lat. gr. vij.
emet. gr. j.
Gutt. Gamandr. gr. iiij. *vel* v.
⊖*is volat. Succin. gr.* iij.
Sacch. roſat. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. ſumatur ſtatim pro doſi. Vel *Radicis Ipecacuanæ pulvis* ad ʒß. vel ℈ij. exhibetur.

His præmiſſis accedendum eſt ad incraſſantia, abſorbentia & antiſpaſmodica; ſed quæ tamen ſanguinis circulationem minimè impediant.

℞. *Ol.*

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Axung. canin. non vetuſt. ℥ß.
Spermat. Cet. rec. ʒiß.
Eſſent. Croc.
Lignor. ana. ʒß.
Diacod. Montan. ʒvj.
Miſc. detur ad Fictile, de quo ſæpe cochleare plenum capiatur.

Vel ℞. *Looch. de Pulmon. Vulp.*
Syrup. de Jujub.
Heder. terreſtr. ana. ʒvj.
Anodyn. ℥ß.
Aqu. Veron. ℥ij.
Hyſſop. ℥j.
⊖is volat. Oleos. Sylv. ʒj.
Miſc. detur ad Vitr. ſumatur frequenter cochleatim.

Vel ℞. *Oxymel. helleb. Geſner.*
Syrup. de Farfar. ana. ℥iß.
Spir. antaſthmat. Michaël.
Balſam. ♀*r. tereb. ana.* ʒj.
Aqu. Solan. ℥ij.
Eſſent. anodyn. Dan. Lud. ℈j.
Miſc. detur ad Vitr. ſingulis bihoriis cochlearia duo exhibeantur.

Vel ℞. *Mellis roſac. aut*
Oxymel. ſquillit.
Syrup. de Erys. Lob.
Olei Olivar. opt. ana. ℥iß.
Specier. diair. ſimpl. ʒj.
Aqu. Hyſſop. ℥j.
Eſſent. Lignor. ℈iiij.
Miſc. detur ad Fictil. ſumatur ſæpius per cochlearia.

Vel ℞. *Millep. vivos grandes, num. 20. vel 30.*
Contuſis affunde
Aqu. Hyſſop.
Vini generos. ana. ℥iß.
adjice Croc. orient. ver. ℈ß. *ſtent per horam in loco tepido, poſtmodum exprime, & addito Sacchαro roſato propina pro doſi ſubinde repetendâ.*

Vel ℞. *Gumm. am̃oniac.* ℈ij.
Solv. in Aqu. Hyſſop.
Veron. ana. ℥j.
Colatis adde Theriac. cœl. gr. iij.
Syrup. de Eryſ. Lob. ʒiij.
Tinct. Caſt. cum Spirit. Sal. armon. par. ℈j.
Eſſent. Croc. ℈ß.
M. detur ad Vitr. & ſumatur pro doſi ſæpius iterandâ.

Denique qui Catarrhis ſunt obnoxii, quibus humoralis maſſa admodum eſt ſeroſa, & ſalino vel ſalſo-acris, quibus capitis vertex utplurimum frigidus exiſtit, qui debiliori ſunt fibrarum ſtomachicarum & inteſtinalium tono, quique adeo ad vomendum & ad diarrhœam ſunt proclives, illis præſervatoria quædam Cura venit præſcribenda. Suademus proin his, ut frequenter, quantum vires permittent, ſudent, & quidem in Laconico, ut ſingulis propemodum menſibus doſin *Maſſæ Pilularum marocoſtinar.* aut *de Succino Craton.* aut *hydropicar. Bont.* aut *Extract. panchymagog. Croll.* aſſumat. Verno & autumnali tempore etiam *Vinum medicatum purgans* eſt proficuum: v. gr. *Cura Catarrhorum prophylactica.*

℞. *Radic. Angelic.*
Caryophyllat.
Calam. arom. ana. ʒiij.

 Herb.

Herb. Betonic.
Chamædr.
Summit. Cent. min. ana. Mj.
Absynth.
Abroton.
Amarac. ana. Mß.
Baccar. Laur. ʒiij.
Semin. Fœnic.
Aquileg. ana. ʒij.
Flor. Stœch. Arab. ℈ij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Agar. trochisc.
Rhab. elect.
Radic. Helleb. nigr. ana. ʒiij.
Cortic. Winter.
⊖*is Rutæ ana.* ℈iiij.

Incisis, contusis atque in nodulo ligatis affunde Vini albi Veteris Mens. 1 $\frac{1}{4}$ *sive Libras quatuor pond. civ. Aquæ ferventis* ℔ij. *Hinc quotidie mane cyathus exhauriatur.*

Si quis Sanguinis quantitatem sufficientem obtineat, absoluto ad medium Vino medicato Venam Brachii sibi curabit aperiri, atque septem vel octo uncias sanguinis emitti.

Intermedio tempore serum sanguinis acre mitigabunt, copiosumque diminuent etiam sequentia *diuretica, absorbentia, diaphoretica,* &c. alternatim usurpabilia, diversis sub formulis, ne fortè nauseam pariant: v. gr.

℞. *Essent. Succin.*
Beton. ana. ʒij.
Ambr. grys. ʒj.

M. d. ad Vitr. Dosis m. ac vesp. gutt. 2·. *cum Infus. fol. Thee & Melis. vel cum Aqu. Beton.* aut *cum Jusculo farin.*

Vel ℞. *Essent. Lign. Sassaphr. cum Spirit. Serpill. par.* ℥ß.
Ess. Chamædr. ʒij.
Ol. stillat. Majoran. vel Rorismar. ℈ß.

Misc. d. ad Vitr. Dosis gutt. xx. *cum vehiculo convenienti.*

Vel *Essent. Trifol. fibr.*
Catarrhal. ana. ʒij.
Aqu. Cinam. cum vin. dest. ʒj.

M. d. ad Vitr. Dosis 30. *guttæ m. ac vesp. horâ ante pastum.*

Vel ℞. *Radic. Helen.*
Calam. arom. ana. ℥iß.
Galang.
Cyper.
Zedoar. ana. ℥ß.
Herbar. Beton.
Meliss.
Majoran.
Salv.
Trifol. fibrin.
Card. bened.
Hepat. nob.
Summit. Absynth.
Rorismar.
Cent. min. ana. Miß.
Florum Calendul.
Primul. Ver.
Rosar. rubr. ana. Mj.
Cinam. elect. ℥iß.
Cubebar.
Macis. ana. ℥ß.

Incisis, contusis atque sacculo inditis affunde Vini albi Veteris Mensuras 24. *vel* 30. *aut*
Cerevisiæ optimæ, claræ, generosæ ac benè defœcat. Mensuras 25. *vel* 30.

Singulis dein mensis sive pastibus unciæ quatuor cum cibis hauriantur.

Vel

Vel ℞. *Conſerv. Roſar. rubr.* ℥vj.
Amarac.
Flor. Anth. ana. ℥ß.
Nuc. Indic condit. ʒiß.
Condit. rad. Acor. ℈iiij.
Specier. diambr.
aromat. roſat. ana. ʒß.
Succin. alb. ppt. ʒj.
Syrup. de Beton. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad Ollam; doſis m. ac veſp. vel ſemel de die magnitudo nuciſtæ.

Sunt qui ſolam *Conſervam Betonic.* aut *Flor. Aurant. Flor. Primul. veris, Flor. Anth. Summit. Majoran. Thym. Folior. Meliſſæ*, & ſim. mane & noctu lambunt per longum tempus. Prodeſt & *Tragema* ſequens, vel non abſimile:

℞. *Specier. diatr. ſantal.*
diambr. ana. ʒiß.
Raſur. Ebor.
Corall. rubr. ppt.
Succin. alb. ppt.
Terr. ſigillat. ana. ʒij.
Japonic. ʒß.
Flaved. Cort. aurant.
Pulver. fol. Meliſſ.
Majoran.
Semin. Fœnic. ana. ʒj.
Cardamom.
Cubebar. ana. ℈ij.
Sacchar. alb. ℥iiij. *vel.* 5.
Miſc. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul. Doſis quotidie ad ʒij.

Infuſum fol. Thee, Betonic. Chamædr. Trifolii fibr. Radic. Calam. arom. Caryophyll. Ligni Saſſaphr. Quajac. &c. nonnihil fortius factum, & quotidie ſemel potum itidem Catarrhos arcere poteſt.

Externè Cucupha, ex Herbis cephalicis, Gummatibus & Aromatibus concinnata, in capite perpetim geſtari debet. Capilli capitis deradendi, atque capillitium geſtandum. Vertici ſubinde illini poteſt *Oleum ſtillat. Baccar. Juniper. Succin. Rutæ, Lavendul. Majoran. Thymi*, *Fonticulus* in brachio vel pede ſiniſtro excitetur, & continuè geſtetur. Subinde *Fumus* optimi *Tabaci* ſugatur, imò *errhini*, vel etiam *ſternutatorii Pulveres* naribus moderatè immittantur. Frictiones capitis & dorſi frequentes cum linteis calentibus mollibus inſtituantur.

In Diætâ *Aër* humido-frigidus diu nunquam frequentetur. *Cibi* non ſint feroſi nimis, ſed exhibeant nutrimentum balſamicum optimum. Pro *Potu* ordinario bibendum eſt *Vinum rubellum*, rubrum ſcilicet Vino albo, vel Aquâ bonæ notæ nonnihil dilutum ceu ſaluberrimum. *Alvus* reſpondere debet quotidie naturâ vel arte. Et *Corpus* exercendum eſt probè. Æſtivo tempore *Thermarum*, inprimis *Plumbarienſium Lotharingiæ, Badenſium Helvetiæ, Carolinarum Bohemiæ, Wisbadenſium Wetteraviæ*, ſimilesve aliæ conducunt, debito cum Regimine Diætæ uſurpatæ.

CEPHALÆA à Κεφαλὴ, *Caput* derivato nomine, eſt Capitis dolor diuturnus, inveteratus, per plures menſes, imò & annos, nunc majore, nunc minore cum vehementiâ durans, & vel continuè, vel per periodos, utplurimum incertas, hominem affligens. *Cephalæa*

Typi affectus. *Afficiuntur* nunc ſub Cranio Membranæ ſive Meninges Cerebri, nunc ſupra Cranium hærens membrana, *Pericranium* dicta, vel ſuperjacentes aliæ. Dolor hic nonnullis ita conſuetus eſt, ut etiamſi non continuè duret, levi nihilominus de causâ redeat. Alioquin *inveteratus* eſt, & modò utramque, modò alterutram, tantùm partem Capitis occupat. Si utramque occupet, *Cephalæa*, ſi alterutram duntaxat, *Hemicrania* vocatur, de quâ ſuo loco.

Cauſa. Producitur verò iſte morbus à causâ aliquâ continente perpetuâ, quemadmodum ſunt, v. gr. Scirrhus aliquis ſub cranio aut ſupra illud enatus, item Lapillus, Vermis, ſtagnatio Pituitæ viſcidioris in variis tubulis, unde membranæ vel comprimuntur moleſtè, vel diſtenduntur; vel punguntur, & lacerantur, aut roduntur. Sic & quando à cauſâ quacunque v.gr. à vitio quodam conformationis nativo, aut à depreſſione Cranii anguſtati ſunt tubuli Cerebri, ut Sanguis vel Lympha ægrè admodum tranſire queat, tum itidem ab iiſdem tubulis diſtenſis, hincque ſpaſmodicè ſimul criſpatis variis membranis nerveis dolor ille fixus excitatur. Si verò Lympha aut Sanguis, ſæpè juſtò craſſior, non niſi lento gradu tubulos illos tranſmeare poteſt, tunc itidem Cephalæa ſive dolor frequenter recurrit. Tandem ſpina Cranii ab accepto vulnere aut contuſione ſubtus meningi infixa, continuè pungendo Cephalæam excitat. Sic & qui durum admodum & craſſum habent Cranium, in quo Suturæ omnes per arctiſſimam coalitionem obliteratæ ſunt, quibus itidem Cranium ſimul & membrana inveſtiens corroditur, prout in Lue venereâ; aut quibus congeſtio quædam eſt facta humoris viſcidi, indurati circa Cranium; quibus denique ex contuſione aut vulnere Cranium difforme eſt redditum, his frequentes quoque dolores Capitis, mutatâ temperie aëris obtingunt.

In *Cephalæa* dolor vel perpetim ſine intermiſſione affligit, dum etſi interdum mitior evadat, mox tamen iterum acerbior redit; vel aliquando penitus remittit, & per intervalla, tanquam per *paroxyſmos*, revertitur, eosque nunc *regulares* & *ordinatos*, certis diebus vel hebdomadis, mane, ſub meridiem, aut veſperi recurrentes, atque plurium vel pauciorum horarum ſpatio durantes; nunc *irregulares*, incertis temporum intervallis redeuntes, prout qualiscunque cauſa vel leviſſima externa occaſionem dederit. Quandoque dolor hic ſub Cranio ſuam ſedem unicè habet, ſicque ab attactu externo neutiquam exacerbatur, & hinc dici poteſt *Cephalæa interna*. Qui verò dolor extra Cranium in membranis obhæret, contactu ingraveſcit, & *Cephalæa externa* dici poterit. Hæc interdum ab internâ originem habet, adeoque cum illâ ſimul excruciat. Extus verò nunc utrumque, nunc alterutrum tantùm latus capitis afficit; nunc etiam inſtar Clavi infixi unum locum capitis veluti perterebrat, *Clavi* nomine peculiari eapropter veniens. Nonnunquam

quam & nodos in Cranio protrudit, ſicut in Lue venereâ. Si Cephalæa eſt à *Spinâ oſſeâ* Cranii, tunc præceſſit Vulnus, vel Contuſio inſignis, dolorque ſentitur pungens. Si eſt à *Verme* aliquo in Veſiculâ quadam incluſo, tunc dolor obſervabitur lacerans, rodens, nunc mitior, nunc gravior, nunc etiam prorſus ceſſans, quando ſcilicet Vermiculus quieſcit. Si eſt à *Calculo* productus, aſperitate ſuâ rodente, aut pungente, tunc dolor lancinans, ac perpetuus ſentitur, ſine magnâ remiſſione. Si provenit à Tumore quodam ſcirrhoſo, tum dolor ſentitur gravans, obtuſus, intenſior etiam, quando ab exercitatione corporis ſanguis æſtuat. Si ortum ducit ab Humoribus craſſis ac viſcidis, tunc periodicus magis eſt dolor, ac multum varians. Qui denique ab humoribus acribus, ſalinis, acidis corrodentibus, ſcorbuticis aut venereis provenit dolor, ex acerbitate ejus majore, lancinatione ac velut terebratione inſigni cognoſcitur; præceſſerunt etiam ſigna Scorbuti, vel Luis venereæ.

In *Prognoſi* tenendum, quod Cephalæa à Calculis, Vermibus, aut Scirrho proveniens penè ſit immedicabilis, & hominem plerumque ad mortem usque comitetur. Imò Vermis, ſi increſcat, Delirium quoque aut Maniam poſt ſe trahere valet. Si tamen fortè contingat, ut Vermis emoriatur, tunc Æger à dolore quoque liberatur. Quando Cephalæa, ab humoribus aut etiam à Tumore quodam in Abſceſſum erumpente, producta fuit, tum curatur, quamprimum Abſceſſus extra Cranium erumpere poteſt. Quæ denique Cephalæa à malâ Cranii conformatione, ſive nativâ ſive adventitiâ, ortum trahit, curationem ſimiliter omnem reſpuit.

In *curatione* Cephalææ, quæcunque demum ejus cauſſa ſit, ad nihil attenditur aliud, quàm ut dolorem quovis poſſibili modo tollamus. Vbi igitur ſpina oſſea Cranii perpetuò Meningem pungit, ibi nullum ſupereſt remedium præterquam *Trepani applicatio*, eo ipſo in loco, aut quam fieri poteſt proximo, ubi dolor pungitivus ſentitur, inſtituta; quâ operatione factâ commodis Inſtrumentis ſpina dicta extrahi debet, hincque Vulnus tam Oſſis, quàm Cutis ſuperſtratæ debitâ ratione ſanari. Hæc autem *Trepaniſatio*, non ſecus ac ſimiles aliæ Operationes chirurgicæ in Chirurgiorum de hâc Materiâ expreſsè ſcriptis libris fuſius docentur, omnium optimè verò ex frequenti inſpectione addiſcuntur. *Curatio.*

Quando autem *Scirrhus* ac *Tumor* aliquis pituitoſus Cerebri in culpâ eſt, tum ante omnia *Pilulæ purgantes* cum *Mercur. dulc.* exhibebuntur, & ſubinde repetentur. Dein per longum tempus uſurpabuntur ea, quæ inviſcatam Lympham reſolvere paulatimque volatiliſare poſſunt; quem in finem conducunt *Infuſa Herbar. Thee, Beton. Hyſſop. Meliſſ. Trifol. fibr. Cochlear. Beccabung. Thym. Amarac. Salv. Chelidon. major.* aliarumq; blando ſale volatili oleoſo gaudentium. imò & harum ipſarum *plantarum Eſſentia*, cum *Spiritu Cochleariæ* atque *Cephalæa à Scirrho.*

Serpilli aut *Meliß.* extracta, vel *Sal. Vol. C. C. Succin. Viper. Ebor.* ad gr. 6. quotidie; vel etiam *Essent. Trifol. fibrini*, *Nasturt. Betonic. Plantagin. aquat. Hyperici*, *Tinctur. Pœon. Castorii cum Spirit. Sal. armon. par. Succin.* ♀ *nii*, ♂ *tis aperitiv. Spiritus Cochlear. Sal. arm. urinos. C. C. vol. aperitivus Penoti*, *Sal. vol. oleos. Sylv.* vel simile aliud, in usum trahi possunt, dosi quotidianâ guttularum 20. ad 30. Sunt qui & ex ipsis *Thee foliis* cum *Spiritu Vini* aut *Serpill. Anth.* &c. extrahunt *Essentiam*, & cum fructu ad gutt. 30. frequentissimè in Capitis obstructionibus usurpant. Æstivo tempore prosunt *Thermæ Fabariens. Helveticæ*, aut *Plumbariæ Lotharingiæ*, similesve aliæ per Europam notæ tam in *Potu* quàm in *Balneo*. Neque verno tempore contemnimus *Juscula Plantis antiscorbuticis*, aliisque sale alcalino-volatili blando gaudentibus alterata, ac per plures hebdomadas hausta. Si *Pulveres* quis desideret, protinus Lunâ decrescente commendamus *Pulverem pro Botio* sive *Strumis*, cujus ℨj. singulis quis noctibus capere, ac sequente dein mane semper *Infusum fol. Thee* aliarumque Herbarum super haurire potest. *Externè* aliquid heic præstare valent *Sacculi* ex *Herbis cephalicis* parati, *Vino rubicundo* incocti, hinc expressi, & calidè sæpiùs applicati, quos tamen ante applicationem adhuc *Spirit. Anth. Meliß.* vel *Vini camphorata*: adspergere licet.

Cephalæa à tubulorum obstructione. Quibus *Cholericis*, *Scorbuticis* aut *Melancholicis* Cephalæa obtingit à frequenti obstructione Tubulorum cerebralium, his melius non datur remedium, præter *Acidularum*, vel etiam *Thermarum Piperinarum*, *Embsensium* aliarumve, non secus atque Succorum & Aquarum ex Herbis antiscorbuticis destillatarum, potum, cum bono regimine diætæ debito tempore usurpatum. Autumno tamen & Hyemè prosunt quoque vel *Essentiæ cephalicæ Succini*, *Betonic. Thee*, *Majoran. Rorismarin. Trifolii fibrini* vel *Tincturæ Corallor.* ♃ *nii*, *Spirit. Theriacalis camphoratus*, & simil. ad guttas 15. 20. vel 30. mane ac vesperi usurpatæ; vel *Infusa* dictarum *Herbarum*. Sed & necesse est quandoque corpus blando Cathartico expurgare, ac ubi sanguinis quantitas adest, Venam secare, vel etiam Cucurbitulas cum scarificatione dorso applicare.

Si *Vermes* in culpâ hærere credantur, usus longus & diuturnus *Aquar.* ex *Herbis Matricar. Centaur. minor. Abroton. Absynth. Card. bened. Semin. Plantag. Santonic. Rut. destillatar.* vel *Succorum* è *Plantis Nasturcinis* expressorum quàm optimus est, quotidie de illis aliquot uncias capiendo. *Essentia* item *Seminis Cynæ* ac *Tanaceti ad* ℈ß *vel* ℈j. quotidie data multum conducit. *Suctio Fumi Tabaci* frequens & heic non contemnenda, inprimis si *Semen Cynæ*, *Anisi*, *Storax calamit.* & *Cinnabar. Nicotianæ* permista fuerint. Tandem & *purgans* aliquod cum *Mercurio dulci* sæpiùs exhibendum.

Calculus verò in Cerebro hærens nullo inde deturbari potest remedio, quin ad mortem usque Hominis ibidem hærebit, nec multum levamini

quoad

ioad dolores concedet. Cephalæa dem à Cranii depreſſione, vel aliâ alâ conformatione Capitis, nativâ ıt adventitiâ, non ſecus atque à Crai & Perioſtii corroſione in Lue vereá inveteratâ proveniens, vix iam, quàm palliativam admittit ıram, niſi Cranium elevare, vel Cute ıcisâ humori corroſivo exitum pro ırare, cariem & corruptionem Cranii ıque Pericranii debitis abſorbentius emendare atque perſanare velis.

Tandem Diæta hominibus Cehalæâ laborantibus quàm maximè eceſſaria eſt; in quâ non ſolùm anii Paſſionum inſigne moderamen teendum, ſed & Aër temperatus, Exrcitia corporis modica, Vinum album enue, vel Cerevisia probè defœcata, enuis & pellucida, Cibi itidem optii ſucci ac concoctu faciles ſunt ſegenda. A veneris uſu quoque abınendum.

CEPHALALGIA, ex Κεφαλὴ, aput, & Αλγος, dolor, compoſitâ voe, eſt dolor vel triſtis ſenſatio memranoſarum Capitis partium minùs liuturna, juncta plerumque cum viiliis, aliisque incommodis, ortum deens diverſis cauſſis, fibrillas membraarum nervoſas plus minus graviter ædentibus, & continui ſolutionem nolientibus.

Afficiuntur in hoc Morbo nunc Meninges Cerebri, nunc membranæ tunicæ variæ extra Cranium ſitæ, tiam quæ Suturas ipſius penetrat. Si utem membranæ iſtæ vel in medio Cranio, vel per totum caput dolent, morbus propriè *Cephalalgia* audit; ubi verò ſive in Fronte tantùm, ſive in Occipite, ſive in dextro aut ſiniſtro ſolùm latere membranæ afficiuntur, tunc *Hemicrania* appellatur.

Cùm autem Dolor ille nunc *gravativus*, nunc *obtuſus*, nunc *pungens*, *lancinans*, *terebrans*, aut *pulſans*, vehementior vel remiſſior ſit; variæ quoque illius *cauſſæ* erunt. Principalis tamen, eſt obſtructio canaliculorum quorundam, ſive lymphaticorum, ſive ſanguiferorum, inducta ab humoribus craſſis, lentis, viſcidis, modò ægrè tranſeuntibus, modò ibidem quoque ſtagnantibus; atque vel acrimoniâ nimium pungendo, vel quantitate nimis expandendo &c. moleſtam ſenſationẽ, ac fibrillarum nervearum præternaturalem tenſionem ſive criſpationem excitantibus. *Pulſans* hinc dolor non niſi ſanguini æſtuanti & craſſo eſt adſcribendus, arterias ad fortiorem pulſationem ſtimulanti, ac inde etiam difficiliùs per capillares canaliculos tranſeunti, ut proin fortiore pulſu opus ſit ad eundem tranſmittendum: atque talis dolor nunc febricitantibus, nunc aliis etiam contingit, qui vel in aëre æſtuante, flante multum vento aquilonio, vel in aëre frigido-humido diu admodum verſati ſunt; vel acri ſanguine præditi vehementem corporis exercitationem inſtituerunt; vel odorem quendam valde gravem & adverſum naribus exceperunt; vel Inflammatione & Abſceſſu Cerebri laborant, vel denique generoſo ſeſe obruerunt Vino, eoque admodum tartareo, minùs penetrante ac diuretico, Causæ.

Dolor

Dolor verò *pungens*, *lancinans*, aut *terebrans* oritur à ſtagnantis cujusdam lymphæ particulis ſalino-acidis, acribus & rodentibus. *Obtuſus* tandem *gravansque* pituitæ ſtagnanti minùs acri attribuendus venit, illisque inprimis contingit, in quibus communia Narium, Aurium vel Palati emunctoria ſuis non defunguntur muniis, ſecretoque humori liberum exitum, propter aliqualem in tubulorum extremitatibus contingentẽ obſtructionem, denegant. Sic & Capitis Vulnera, jctus atque contuſiones graves, Alvi conſtipationes, Menſium aut Hæmorrhoidalis fluxûs periodici ſuppreſſiones, Somnus & Vigiliæ immoderatæ, Ira atque Terror vehemens, dolorem quoque non rarò poſt ſe trahunt. Nec infrequens eſt idem in Lue Venereâ, Scorbuto, Febribus continuis atque ardentibus.

Differentiæ Doloris Capitis.

Differentiæ tamen adhuc aliæ quædam Capitis dolorum ſunt notandæ, à diverſis procul dubio cauſis oriundæ; etenim Dolor eſt vel *idiopathicus*, cujus proxima cauſa in ipſo capite hæret; vel *ſympathicus*, qui propter nervorũ & membranarum conſenſionem excitari ſolet à cauſis extra caput hærentibus, v. gr. in Ventriculo, Inteſtinis, Utero, quarum partium fibræ nervoſæ, ſi ab humore acido-auſtero, acri, crudo, vel à bile, vermib⁹, aut flatib⁹ lancinantur, criſpanturve, non rarò per conſenſum etiam fibras Meningum Cerebri affligunt, indeque triſtem in animâ ſenſationem producunt. Reſpectu magnitudinis dein etiam dolor nunc *vehementior*, nunc *mitior*; & ratione alia-

rum circumſtantiarũ, modò *brevis* e
modò *diuturnus*; modò ſub Cranio l
tens; modò partes extra Craneum o
cupans; modò *cum* modò *ſine febri* a
fligens; modò *periodicè*, modò ſine r
gularibus periodis homini moleſtus.

Capitis Dolor omnis ex ægrota
tium querelis cognoſcitur. Verù
cùm differentes iſtius cauſæ exiſtan
partesque capitis diverſæ laborent, h
rũ certè indicia probè veniunt exam
nanda. Quod ſi proin dolor extra Cr
nium verſatur, tum Cutis compreſ
one augetur: acerbior verò longè e
cruciatus, quando pericranium læd
tur, quàm quando fibræ membran
rum cutanearum & panniculi carno
offenduntur. Quando contumacit
perſeverat dolor, externoque attac
non exacerbatur, tum partes ſub Cr
nio ſitas magis affici judicandum e
Punctorius dein dolor fibras à ſalino
acidis acribus particulis irritari ind
cat. *Gravantẽ* cum faciei pallore, ſon
nolentiâ, ſenſuum hebetudine, & ſe
nitie dolorem producit obſtructio, a
compreſſio vaſculorum maximè lym
phaticor. à craſſitie & lentore ſeri ſa
guinei oriunda. Sanguinis craſſi & a
ſtuantis difficilem per arteriolas mino
res tranſitum, imò & incipientem ſta
nationem inflammatoriam indicat d
lor *pulſatorius*, cum majori vel mino
totius calore hominem afficiens.
dolor fuerit *lancinans*, ac rodens, tu
ſalia vel acida vel ſalſa acria, ſubind
ſcorbutica, malum producere indic
tur. Si *terebrans* extiterit, tũ ſal ſalſu
acre fixum in culpâ ferè eſt. *Tenſiv*
denique dolor cum vertigine & ſibil
auriu

Aurium ferè junctus flatulenti humoris præsentiam indigitat. *Idiopathicum* porrò dolorem esse significatur, quando nulla extra caput pathemata corpus divexant. *Sympathicus* autem, & quidem â vitio stomachi, cognoscitur, quando frontem magis occupat, quando itidem ructus, nausea, vomitus, singultus, anorexia adsunt. A Vermibus proveniens dolor ex signis præsentium lumbricorum judicatur, nec ita continuus is est, sed cum oris fœtore, aliquali vertigine, & velut rei cujusdam viventis, inque abdomine rodentis vel morsicantis sensu conjunctus. Vterus si fuerit in culpâ, dolor magis in occipite existet, mensium fluxus segnis aut suppressus erit. Si dolor fuerit acerbus, cum calore totius mordaci, inquietudine, vigiliis, amarore oris, colore faciei citrino, siti, nauseâ, urinâ magis tinctâ, bilem in ventriculum profusam, saliaque humoralis massæ oleosa nimis exaltata esse notatur. Vbi dolor contumax est, vel cum reciproco frigoris & incalescentiæ sensu frequentius redit, ibi lympha certè crassa, viscida & acido-austeriuscula in motu suo per canaliculos sæpè impeditur. Si dolor fixus semper, immobilis, terebrans, medicaminum quorumvis efficaciam respuens existat, cum sopore quandoque junctus, sed sine febri, tum vel Scirrhus, vel Calculus, aut simile quid sub Cranio hærere judicandum. Si frequens est, à levi interdum causâ, v. gr. motu corporis vehementi, vini generosi haustu, aëre nunc frigido, nunc fervido, odore ingrato &c. irritabilis Cephalalgia, signum est, vitium aliquod conformationis in Capite, vel Intemperiei in sanguine latere; hinc enim est, quòd nonnulli vel à naturâ Cephalalgiæ sint obnoxii.

Si *Prognosin* spectes, dicendum *Prognosis* quidem, Cephalalgiam, quando simpliciter sine comite alio Affectu morboso Hominem affligit, nullum vitæ discrimen portendere; sed si Febri malignæ jungatur, eam periculosam facit. Si citra Febrim Hominem inassuetum cum aliquali Vertigine, & pulsu vehementi ac magno, inclinatione quoque ad soporem, & vigilias reciprocas, affligat, tum ferè solet prænunciare Apoplexiam. *Quibus benè valentibus Capitis dolores derepente contingunt, statimque voce deficiunt, & stertunt, intra dies septem pereunt, nisi Febris eos prehenderit*: Hippocrat. *Sect. 6. Aphor.* 51. Ita sympathicus Dolor minus diu durat, quâm idiopathicus; & qui causam minùs fixam habet, citius quoque transit.

In *Curatione* statim attendendum, num *sympathica* vel *idiopathica* existat Cephalalgia. Sympathica à Ventriculi cruditatibus biliosis aut pituitosis oriunda emeticum statim exhibendum indicat: v. gr. *Curatio Cephalalgiæ sympathicæ à cruditatibus stomachi.*

℞. *Cremor.* 🜿*ri gr.* xij.
🜔is Amarac.
Cinnab. ♁*n. opt. ana. gr.* iiij.
🜿*ri emet. gr.* ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad chart. pro dosi cum jusculo capiendâ.

Vel ℞. *Radicis Asar. vel Ipecacuann. gr.* 25. *ad* 30.
Salis essential. Acetos. gr. vj.

Olei stillat. Mac. gutt. j.
Misc. f. Pulv. subt. detur pro dosi.

Vel ℞. *Aqu. bened. Ruland.* ℥ß. *ad* ʒvj.
Cinam. cum Vin. dest. ʒvj.
Borragin. ℥ß.
Syrup. Capill. ♀*r.* ℥ij.
M. detur ad Vitr. sumatur unâ vice.

Præmisso vomitorio stomachica mox ordinabuntur remedia, qualia possunt esse seqq. v. gr.

℞. *Elix. propr. Claud.* ℥ß.
Essent. Succin.
Absynth.
Zedoar. ana. ʒj.
M. detur ad Vitr. Dosis m. ac. v. horâ ante pastum 30. vel 40. guttæ cum Jusculo vel Vino.

Subinde post pastum etiam cochleare unum alterumve plenum *Elixiris vitæ Matthioli*, vel *Spiritûs Ceras. nigr. Liquoris Roris Solis*, *Vini Malvatici*, *Hispanici*, aut *Hungarici* hauriatur, ad digestionem ventriculi roborandam. Aut certè *Infusum fol. Theé* & *Betonic.* cum *Cortic. Citr.* vel *Aurant.* & *Caryophyll. arom.* vel *Decoctum granor. Caffeè tost.* calidè bibatur.

ab acido nimio stomachi Si acidi multum in Stomacho hæreat, à vinosis ac spirituosis sulphureis est abstinendum; *Decoctum Lignorum* lene pro potu ordinario bibendum, & Pulvis absorbens, acidum validè destruens per plures hebdomatas usurpandus: v. g.

℞. *Rasur Ebor. ppt.*
Ocul. ♋ *ppt.*
Corall. alb. ppt.
♁*n. diaph.*
Lact. Lun. ana. ʒij.
Semin. Anis. ʒj.
Cinam. opt. ʒß.
Sacch. rosat. tab. ℥iß.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis m. ac. vesp. ʒj. *cum Infus. fol. Thée.*

Ubi cruditates viscidæ & crassæ existunt, absente nauseâ & vomendi desiderio, catharticum erit præscribendum, præmisso tamen uno vel altero *præparante*, ex *Sale Absynth. Majoran. Betonic. Centaur. min.* cum *Pulvere Cinamon. Garyophyll. Calam. aromat.* vel ex *Tinctur.* ♁*n. Betonic. Corall.* ⊖*e volat. oleos.* & simil. concinnando. Purgans hinc esse potest sequens, vel simile:

℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Scammon. ♀*rat. gr.* iij.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Ol. stillat. Rorism. gutt. ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. Ros. solut. comp. cum R. A. & S.* ℥ij.
Confect. Hamech. ℈ij. *ad* ℈iiij.
Aqu. Beton. ℥j.
Fœnic. ʒiij.
Cinnam. ʒj.
M. f. Potio detur ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Purgato corpore supra dicta stomachica in usum trahi poterunt: vel

℞. *Specier. dianth.*
Imperat. ana. ʒiß.
Pulv. fol. Majoran. ʒij.
rad. Cal. arom. ʒj.
Aron. ʒß.
Rasur. Ebor.
C. C. phil. ppt. ana. ʒiiß.
Arcan. duplic. ʒß.
Sacch. alb. ℥iiij. *vel* v.

M. f.

M. f. Pulvis subt. d. ad scat. Dosis m. ac vesp. ℈j. *ad* ℈ij. *cum Pane tosto & Vino macerat.*

In *Cephalalgiâ à Vermibus* & *Cruditatibus Intestinorum* oriundâ Clysma statim ordinetur v. g.

℞. *Radic. Angelic.*
Lil. alb. ana. ℥ß.
Herb. Violar.
Betonic.
Ocym.
Chamædr.
Alth.
Flor. Chamom. ana. Mj.
Stæchad. Mß.
Bacc. Juniper.
Semin. Carv. ana. ℨij.

Incis. & contus. coq. in s. q. Aqu. fontan. Colaturæ ℔j. *adde*
Mellis rutac. ℥j.
Olei Olivar. ℥ij.
⊖*is Gemm.* ℨß.

Misce f. Clyster tepidè injiciendus, atque etiam pro re natâ repetendus. Vel simplex Clysma ex solo *Lacte bubul.* cum *Melle* & *Butyro* injici poterit, quod Vermes alliciet in Alvum.

Postea laxans quoddam exhibendum, v. g.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Elect. è Succ. Ros. ℨiß.
Aqu. Gramin.
Fœnic. ana. ℨvj.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.

M. f. Potio d. ad Vit. pro dosi.

Vel ℞. *Radic. Gramin.*
Scorzoner. ana. ℨj.
Cortic. rad. Mor. ℨiß.
Rhab. elect.
Fol. Sen. opt. mund. ana. ℨij.
Semin. Anis.
Santonic. ana. ℨiß.
Crem. ♀*ri* ℨj.
Cinam. elect. ℨß.

Incis. contus. atque in nodulo ligatis affunde Aqu. fontan. q. s. stent per noctem in loco calido, postridie mane bulliant parum; hinc Colaturæ ℥iiiß. *adde Syrup. flor. Persic.* ℥ß. *Detur ad Vitr. pro dosi matutinâ.* Quod si *Infusionis hujus* ℥vij. addas *Syrupi flor. Persic.* ℥j. tum duas habebis doses, binis vicibus mane sumendas cum successu haud infelici.

Laxato autem sic Corpore proderit *Elixir propr. Clauder.* cum *Essent. carminat. Wed.* permistum. Vel *Aqua physogona*, aut *Matricar. Absynth. Abroton. Aneth. Centaur. min.* cum *Tincturâ Absynt. Zedoar.* & *Opii Langel.* mixta, ad aliquot cochlearia quotidie exhiberi poterit. Exterius verò Abdomen simul *Oleo Anethi*, *Menth. Chamomill. Balsam. Peruv.* inungetur, & *Sacculus*, è *carminativis* paratus calidè applicabitur. *Vinum* quoque aut *Cerevisia medicata* laxans heic prodesse potest, è *Radicib. Gentian. Carlin. Scorzoner. Petasitid. Calam. arom. Angelic. Cichor. Cortic. rad. Mori*, *Herb. Matricar. Meliss. Aneth. Abroton. Absynth. Card. bened. Marrub. alb. Cent. min. Seminib. Lupuli, Santon. Dauci, Fœnic. Foliis Senæ*, *Radic. Rhab. el. Hellebor. nigr. Mechoacann. Agaric. trochisc. Cinamon. opt.* ⊖*e Absynt. &c.* composita.

Si ab irritatis Uteri membranis aut nervis *Dolor capitis* fuerit natus, tum Clysmata prosunt, aliquoties iteranda, *Cephalalgia ab Utero.*

 da,

da, & parata è Decocto *Radic. Imperator. Valerian. Menth. Alth. Herbar. Alth. Puleg. Malv. Meliß. Mercurial. Matricar. Rutæ, Artemis. Flor. Chamomill. Calendul. Stœchad. Arab. Semin. Fœnicul. Aneth. Cumin. Baccar. Laur. Juniper.* Internè autem quotidie dabitur *TincturaSuccin.Croc. ♁nii. Castor. cum Spir. Sal. armon. parat. Elix. uterin. Croll. Essent. Castor. Trifol. fibrin. Cortic. Aurant. Puleg.* vel simile, cum Aquâ quadam appropriatâ, v. gr. *Matricar. Meliß. Salv. Chamomill. Card. bened. Calaminth.* Si Mensium fluxus non respondeat, etiam *Venæsectio* in brachio aut pede administrabitur, vel *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicabuntur. Balnei quoque usus tum erit proficuus, sive *Thermarum sulphureo-aluminosarum.*

Cephalalgiæ idiopathicæ cura. Quæ *Cephalalgia idiopathica* à *Lue venereâ*, vel *Scorbuto* originem trahit, non melius, quàm hisce Affectibus extirpatis curabitur. Vide Titulos de *Lue venereâ* & *Scorbuto.*

à spinâ, calculo, vermibus, scirrho. Quæ à *spinâ osseâ*, *calculo*, *vermibus*, aut *scirrhoso* quodam *tumore* originem ducit, curationem admittit sub præcedenti titulo de *Cephalæâ* expositam.

à Lymphæ stagnatione. Quando autem Capitis dolor à seri vel lymphæ viscido-acris stagnatione in tubulis Cerebri provenit, tum ante omnia digestivi pulveres aliquot dabuntur, parandi ex *Ocul.* ♋. *ppt.* ♁*nio diaph. Diaphor.* ♂*ial. Bezoard. miner. Radic. Aron. Salibus Absynth. Card. bened. Helen. Amarac. Beton. Crem.* ♀*ri*, ♀*ro* ⊖*lat.* ⊖*e polychrest.* &c. v. gr.

℞. ♁*n. diaphor.*
⊖*is polychrest. ana.* ʒß.
Beton. vel
Cent. minor.
♀*ri* ⊖*lat. aa. gr.* xij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro 2. *dosibus.*

His præmissis *purgans* exhibebitur *mercuriale*, cui scopo inservient *Maß. Pilul. è Succ.* Craton. *Marocostin.* ♀*ear.* Quercetan. *Extract. Panchymag.* Croll. *Catholic. Pilul. coch. Rhabarb. Hellebor. nigr.* aut similium cum *Mercurio dulci* vel *Cinnabari* ♁*n. correct.* v. gr.

℞. *Extract. cathol. vel panchymag.*
Maß. Pilul. marocost.
è Succ. Crat. aa. gr. vij.
Resinæ Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Cinnab. ♁*n. corr. vel Mercur. dulc. opt.* ℈ß.
Ol. stillat. Rorismar. q. s.
Misc. f. l. a. Pilulæ num. 15. *Inauratæ dentur pro dosi.* Si Æger respuat *Pilulas*, earum loco *Pulvis* concedetur, vel *Bolus*, v. gr.

℞. *Conserv. fl. Beton.*
Anth. ana. ʒß.
Radic. Jalapp. ℈j.
Scamm. ♀*rat. gr.* iij.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Crem. ♀*ri gr.* vj.
M. cum Sacch. f. Bolus d. ad ch. pro dosi.

Purgato corpore *Infusum fol. Thée* per aliquot hebdomadas m. & vesp. hauriendum, simulque capienda quædam *Essentia cephalica*, v. gr. *Betonic. Thée, Anth. Majoran. Galang. Trifol. fibrin. Succin. Betonic. Ambr. gryß. Spir. Coch-*

ochlear.Sal.armon.Tinctur.Antim.Co-
ll. ⊖ *volatil. oleos. Sylv.* v. gr.

℞. *Essent. Succin.*
Beton. ana. ℥ij.
Ambr. grys. ℥iß.
M. detur ad Vitr. Dosis 25. *ad* 30. *gutt. m. ac vesp.*

Vel ℞. *Essent. Trifol. fibr.* ℥iij.
Anth.
Thée ana. ℥iß.
Tinct. Corallor. ℥ij.
Aqu. Cinam. cum Vin. destill. ℈iiij.
M. d. ad Vitr. Dosis m. ac v. 25. *gutt.*

Vel ℞. *Specif. ceph. Mich.* ℥iß.
⊖*is vol. Viper. aut C. Cerv.* ℨß.
M. f. Pulv. subt. div. in 6. *dos. æqu. d ch. sumantur m. ac vesp.*

Vel ℞. *Spir. Cochlear.* ℥ij.
Liqu. C. C. succ. ℥j.
Aqu. Cinam. cum vin. dest. ℥j.
M. d. ad Vitr. Dosis m. ac vesp. gutt. 5. *cum Aquâ Betonic.*

Externè dolenti Capitis loco fre-uenter calidè applicandum venit *spi-ituosum* quoddam *Epithema*, con-innandum è *Spirit. Anhaltin. Lum-ric. terrestr. Formicar. Melissæ. Lil. onvall. Vini camphor. Ceras. nigr. An-os, Meliss. Juniper. cephalico* qua-cunque, *antapoplectico*, & *ante-leptico*, *Tinctur. Castor. cum Spir. alis arm. par.* Vel miscebitur *Aqua etonic. Salviæ, Meliss. Rosar.* cum *A-to destillat.* & *Spirit. Serpilli*, hinc-ue linteum mixturæ calefactæ im-ersum, iterumque expressum sæpi-s applicabitur.

Vertici Capitis atque Temporibus lini potest *Oleum destill. Baccar. Ju-p. Succin. Rut. Nuc. mosch. Rorismar. Lavendul. Majoran. Salv. Ocym. Meliss. Cinamom.* cum *Balsam. Peruv.*

Nuchæ & Brachiis in malo pertinaci *Vesicatoria* applicantur: imò & Vertici capitis raso *Emplastrum rubificans* imponitur ex *Seminib. Eruc. Sinap. Radic. Raphan. rustic. Pyreth. Aceto* ac *Fermento* componendum. Vel *Emplastrum* tenax è *Tacamahacâ*, *Colophonio*, *Balsamo Peruv. Semine Sinapi* &c. confectum applicatur. *Clysmata* quoque acria, è decocto *Plantarum cephalicarum* & *emollientium* parata, & iteratis vicibus injecta salutari effectu non carent.

Tandem *Cucupha*, è *Foliis Amaraci, Serpilli, Calaminth. Ocymi, Meliss. Florib. Anth. Stœch. Arabic. Primul. ver. Rosar. rubr. Betonic. Styrace calamit. Benzoin, Oliban. Mastich. Mac. Cinamom. Rasur. Lign. Santal. citr. Rhodii*, aut similibus composita in Capite gestetur.

Cephalalgiâ à Contusione, Vulnere.

Quod si à contusione, ictu aut vulnere accepto dolor excitatus sit, statim Vena brachii secabitur; hinc *Clysma emolliens* atque *detergens* infundetur; & quotidie m. ac vesp. cuspis cultri plenus *Pulveris ad casum Augustan.* cum haustu *Decocti* alicujus *traumatici* exhibebitur. Extus Vulnus, si quod adest, consueto more deligabitur; aliàs verò ad sanguinis circulationem restituendam, laceratas & crispatas fibras demulcendas *Sacculus herbaceus Vino incoctus* frequenter calidè applicabitur; si *Vinum* haberi nequeat, saltem *Aquæ* incoquetur cum admistione *Passular. major.* & tantilli *Salis tartari*. v. gr.

℞. *Herb. Beton.* Miij.
Absynthii.
Meliss.
Scabios.
Card. bened. ana. Mj.
Majoran.
Summit. Marrub. alb. ana. Mß.
Lavendul.
Rorismar.
Flor. Calend.
Primul. Ver. ana. pij.
Baccar. Juniper. ʒiij.
Passul. major. exac. ℥j.
⊖is ♀r. ʒj.

Incis. & contus. tenuiter insuantur duobus sacculis interpassatis, ut quam primum unus refrixit, alter in parato haberi, & applicari calidè queat.

Loco *Sacculi* tamen alii Lintea *Spiritui Vini camphorato*, vel *Spiritui* alicui *cephalico*, in quo simul *Gummi ammoniacum* solutum fuerit, calefacto immergunt, exprimunt, & calidè apponunt. Atque sic pergunt, usque dum dolor cessaverit, nullaque amplius humorum stagnatio metuenda sit.

Cephalalgia ab æstu sanguinis, vel inflammatione.

Quod si denique Cephalalgia, sive *externa* sive *interna*, ortum debeat Inflammationi, aut æstui sanguinis crassioris, per vascula arteriosa ægre transeuntis, cum vel sine Febri, tum statim quidem alvus, si segnis aut constipata extiterit, *Clysmate emolliente* eluetur; hinc statim *Venæsectio* instituetur, ac deinceps Potiunculæ diaphoreticæ nonnullæ dabuntur, sequentem vel similem in modum:

℞. *Aqu. flor. Sambuc.*
Hed. terr.
Succis. ana. ʒvj.
Syrup. de Nymph. ℥ß.
Elect. diasc. Frac.
♁n. diaph. ana. ℈j.
Cinnab. ♁n. opt.
Nitr. ♁niat. ana. gr. v.

M. f. Potio, d. ad Vitr. sumatur pro dosi, pluries si opus est reiterandâ.

Vel ℞. *Aqu. Betonic.*
Endiv.
Lactuc. ana. ℥j.
Syrup. Capill. ♀r. ℥ß.
Spirit. Nitr. dulc. vel
Mixtur. simpl. gutt. 15.
Bezoard. min.
Specif. ~~*Ceph. Mich.*~~ *ana.* ℈ß.

Misc. d. ad Vitr. pro dosi.

Loco Potionis Mixtura cochleatim sumenda præscribi poterit: v. gr.

℞. *Aqu. Verben.* ℥j.
Scabios.
Vlmar.
Syrup. Rub. id. ana. ʒvj.
Tinct. ♁n. vel Corall. ʒß.
Ebor. ust. ppt.
Specif. ceph. Mich. ana. ℈j.

Misc d. ad Vitr. singulis trihoriis aliquot cochlearia assumantur.

Juxta hanc Mixturam etiam *Pulveres diaph.* aliquot dabuntur:

℞. *♁n. diaph.*
Specif. cephal. Mich. ana. ℈j.
Nitr. ♁iat. gr. vj.
Camphor. gr. iv.

M. f. Pulv subt. div. in 2. dos. æqu. m. ac v. exhibendas, atque etiam porrò iterandas pro rei exigentiâ.

Vel ℞. *Bezoard. miner.*
Pulv. Viper. ppt. ana. ℈j.
⊖is vol. C. C. aut

Suc-

Succin.
Cinnab. ♄ *n. opt. ana. gr.* v.
Sacch. ros. tab. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. div. in 2. *part. æqu. ad ch. m. ac v. dandas.*

Vsurpentur etiam, si Febris adfuerit, *antifebrilia* alia. *Externè* verò temporibus illinatur, æstuante sanguine, *Vnguentum de Alabastr.* vel *populeum* cum *Oleo expr. Semin. Hyosc. Papav. alb.* ac *Nuc. mosch.* Vel applicetur calidè fronti *Epithema* ex *Aqu. Solan. Rosar. Nymph. Beton. Chamomill. Melilot. Hed. terr. Verben. Scab. Portulac. Semperviv. cum Alb. Ovor. Aceto Rosar. sambucin. rutac.* Vel *Rutæ*, *Semperviv.* & *Heder. terr.* Herbæ recent. cum *Baccis Juniper.* contusæ, atque *Aceto rosaceo* consperſæ, calidiusculè apponentur. Vel *Aquas Puleg. Verben.* & *Rosar.* cum *Albumine Ovor.* probè commisce, calefac, & immersum linteum sæpè applica. Addere licet *Spiritum Vini camphor.* vel *Acetum rutac.* cum *Croco* pulverisato. Vel solve *Sal commune*, *Nitrum*, aut *Alumen* in Aquâ fontan. aut destillatâ aliquâ superiore, calefac, & immersum linteum appone, quamprimum fuerit siccatum, denuò madefiet. Vel sequens proderit *Emulsio:*

℞. *Aqu. Verben.*
Ros. alb.
Solan.
Nymph. ana. ℥ij.
Semin. Cucum. ℥ß.
Cucurb. excort.
Nucleor. Persic. ana. ʒij.
M. f. l. a. Emulsio, cui adde
Acet. rosar. ℥iß.
Detur ad Vitrum, & applicetur calidè.

℞. *Nucl. Persicor.* ℥ß.
Semin. Lactuc.
Papav. alb. ana. ʒij.
Aqu. Verben.
Succis. ana ℥iiij.
M. f. l. a. Emulsio, cui adde
Aceti rutac.
sambuc. ana. ʒvj.
Nitr. purif. ʒiß.
M. d. ad Vitr. & usurpetur ut supra.

Vel ℞. *Vnguent. popul. aut*
de Alabast. ʒij.
Ol. express. Nucist.
Semin. Papav. alb. ana. ʒi.
Opii Aceto soluti ʒj.
M. f. Vnguent. d. ad Oll. Temporaque eo ter quotidie inungantur.

Vel ℞. *Vnguent. rosac.*
de Hyoscyam. ana. ʒiiß.
Olei Nucist. express. ʒj.
Sem. Hyosc. expr. ʒß.
Laud. opiat. ℈ß.
Cinnab. nativ. opt. ʒß.
♄ *n. diaph.* ℈ij.
M. f. Vnguent. d. ad Pyxid. utere ut supra.

Vel ℞. *Aqu. Rosar.*
Betonic. ana. ʒvj.
Olei rosar. ℥j.
Album. Ovor. ℥ß.
Misc. d. ad Pyxid. pro Oxyrrhodino calidè sæpius applicando.

Vel ℞. *Olei Chamomill.* ʒij.
Violar.
Nymphææ.
Semin. Papav. alb. expr.
Cucum. expr. ana. ʒij.
Axung. Canin. ℥ß.
Cinnab. factit. ʒj.

M. f.

M. f. Liniment. d. ad Pyxidem. Tempora hinc ſæpius illo inunge.

Alii *Baccas Juniperi*, *Nucleos Perſicorum*, *Myrrham*, *Olibanum*, *Gummi arabicum*, *Semen Melonum*, *Papaveris albi* & *Hyoſcyami* invicem contundunt, *Aquâ Roſar. Nymphææ, Portulac. Solani*, aut ſimili aliâ continuè irrorant, donec inde pulmentum fiat, quod dein linteis inductum tepidè Temporibus ſæpius admovent. Sunt qui *Micam panis*, *Lutum*, *Farinam Hordei*, *Limum*, *Bolum armenat.* & ſimilia cum *Oleo roſaceo*. *Aquâ verben. Majoran. Meliſs. Ocym. Pulegii*, & *Albumine Ovorum* in *Pultis* formam contundunt & commiſcent, ſicque applicant. Vel conquaſſa *Albumen Ovi* cum *Oleo Lil. albor. Verbaſc.* aut *Olivarum* & *Sale communi*, & coque dein parum, hincque cum linteis appone. Nonnulli *Olibanum*, & *Maſtichem* pulveriſant, pulverem hunc dein cum *Spiritu Vini*, vel *Spiritu Anthos* aut *Lilior. convall.* & *Albumine Ovi* in formam *Linimenti* commiſcent, & in uſum non ſine ſucceſſu modo ſuperiore trahunt.

Sic & Plantis pedum revulſionis gratiâ cum fructu ſæpè Cataplaſmata admovent, ex *Foliis Quercûs*, *Hyoſcyami*, *Solani*, *Sempervivi majoris*, *Salicis*, *Foliorum & Capreolorum Vitis*, *Mercurialis*, *Lactucæ*, *Portulacæ*, *Parietariæ*, *Pulegii*, *Radicibus Cepar. Allii*, *Lil. albor. Farinâ Avenæ*, *Hordei*, *Baccis Juniper. Sale commun.* & ſimilibus, invicem contuſis, & tantillo *Aceti* madefactis compoſita.

Si autem Dolor capitis citra Febrim aut æſtum Sanguinis magis à viſcidâ ſtagnante pituitâ, plus minus ſalſâ, originem trahat, tum externè ſpirituoſa magis reſolventia atque diſcutientia proſunt, atque in hunc finem Vertex & Tempora ſequentibus vel ſimilibus inungi poſſunt:

℞. *Olei expr. Nuc. moſch.*
Axung. Anat. vel Anſer. ana. ℥ij.
Balſam. Peruv. ʒj.
Ol. ſtillatit. Thymi.
Lavendul. ana. ℈j.
Rut.
Chamomill.
Majoran.
Succin. ana. ℈ß.
Miſc. d. ad Pyxid.

Vel ℞. *Olei Nucis moſch. expr.* ʒij.
ſtillat. Roriſmarin.
Meliſs.
Salv. ana. gutt. xv.
Garyophyllor. gutt. vj.
Zibeth. gr. iiij.
Miſc. d. ad Pyxid.

Sunt qui *Spiritum Anhaltinum*, *Meliſſæ*, *Serpilli*, *Anthos*, vel alium quemcunque *cephalicum* una cum admixtis Aromatibus paratum, *Spiritui Formicarum*, *Liquor. C. C. ſuccinato*, *Tincturæ Caſtorei cum Spiritu Salis armoniaci paratæ*, commiſcent, & frequenter Vertici capitis, aut Fronti cum linteis tepidè applicant. Alii Pulverem *Radic. Zedoar. Imperat. Angelic. Cyperi*, *Cubebar. Macis*, *Zingiberis*, *Piperis albi*, *Cinamomi*, aliorumve Aromatum cum *Aquâ fontan. Pulegii*, *Calaminth. Origani*, *Meliſs.* & *Vino* macerant parum, dein in formam

Pul-

Pulmenti redigunt, & tepidè admovent. Non rarò profuit *lotio Capitis* aliquoties instituta cum calente *Lixivio*, in quo etiam *Absynthium*, *Anethum*, *Chamædrys*, *Chamæpitys*, *Abrotonum*, *Melissa*, *Ocymum*, *Imperatoriæ* & *Angelicæ radix*, *Hederæ folia*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Piper*, *Zingiber*, *Flores Chamomill. Salviæ*, ac similia decocta fuerint. Alii Capillos in vertice Capitis deradunt, & *Cataplasma* imponunt *rubificans*, aut etiam *vesicatorium*, cujus virtute occultè volatili ac penetrante viscida & stagnans pituita resolvi atque discuti potest. *Cataplasma* sequentem in modum componere licet:

℞. *Semin. Sinapi albi recent.*
Ficuum pingu. tenuiter incisorum, per noctem in Vino maceratorum, hinc ad pulmenti formam contusor. ana. ℥ß.
Myrrh. elect.
Mastich.
Oliban. ana. ℈ij.

Misce invicem cum tantillo Vini in formam pultis, quæ linteo inducta Vertici imponitur, & ita per tres pluresve horas relinquitur, donec ruborem aut vesiculas in cute excitaverit.

Vel ℞. *Tamahac.*
Myrrh. elect. ana ʒj.
Semin. Eruc.
Staphid. agr. ana. ℈ij.
Cantharid. pulver. ℈ß.

M. f. Pulv. subtil. qui cum *Terebinth.* & *Ceræ q. suff.* in *Emplastr. Oleo stillat. Succin. Garyophyll. Lavendul. Rorismar.* aut *Thym.* irroratū redigitur, ac Temporibus, aut etiam Vertici capitis per plures vel pauciores horas imponitur.

Errhina dein, *Sternutatoria*, *Apophlegmatismi* quoque in usum trahuntur; totum Caput linteis calidis, aliquando etiam Pulvere fumali imbutis, frequenter tegitur. Quin & *Cucuphæ* simul gestari possunt, v. gr. sequentes, aut similes:

℞. *Radic. Ireos florent.* ʒiß.
Cyper. rot. ℈ij.
Summit. Amarac.
Thym.
Rorismar.
Mari. ana. ʒß.
Flor. Stœchad. Arab.
Primul. ver.
Salv.
Semin. Nigell.
Rutæ, ana. ℈j.
Styrac. Calam. ʒj.
Benzoin.
Thuris masc.
Succin. flav.
Tacamahac. ana. ℈ij.
Caryophyll. arom.
Nuc. mosch. ana. ʒß.

M f. Pulvis grossus Pileolo insuendus pro Cucuphâ.

Conveniunt & in hoc casu *Pediluvia*, parata ex *Herbis Betonic. Chamædr. Sideritid. Lavendul. Chamæpit. Origani*, *Serpill. Menth. Salviæ*, *Baccis Juniperi*, *Cineribus* vel *Sale communi*, *Furfure* & simil. in *Aquâ simplici* decoctis; quibus calentibus pedes usque ad suras ante somni tempus per dimidiam horam immittuntur.

CEREBRI CONTVSIO, vid. *Contusio Cerebri.*

Cerebri Inflammatio. CEREBRI INFLAMMATIO, est tumor Membranarum Cerebri maximè dolens & ardens, cum subsequente utplurimum Phrenitide, rariùs Abscessu, orta à stagnatione sanguinis acido-acris in tubulis Meningum.

Pars affecta. Etenim non nisi hæ Cerebri membranæ afficiuntur, atque tenuissimæ earum propagines, quæ Cerebri anfractus & mæandros subeunt.

Causa. Gignitur autem Inflamatio hæc Cerebri, quandocunque in sanguine latitantes copiosæ particulæ salino-acidæ, austeræ, fixæ, acres, primò quidem crasin humorum turbant, deinceps verò in angustissimis tubulis Cerebri paucioribus vel pluribus ob irregularem particularum suarum figuram, magnitudinem aut motum obhærent, ac sensim numero adauctæ Sanguinem subsistere & stagnare faciunt, sicque Tumorem inflammatorium producunt, tamdiu durantem, donec vel Sanguis stagnans pristinæ circulationi restituatur, vel extravasatus idem Abscessum, aut Soporem lethalem; vel etiam Sphacelum funestum excitet. Rarius per se hoc malum producitur, sed plerumque Febrim continuam & ardentem comitatur; vel tanquam causam subsequitur.

Diagnosis. *Cognoscitur* Affectus haud difficulter ex ipsâ relatione Ægri, quando hic in principio statim conqueritur de intensissimo, eoque ardente & pulsativo Capitis dolore, ei simili, qualem aliâs in Inflammationibus persentire solemus. Sed insimul hanc Inflammationem utplurimum præcedit rigor febrilis, cum subsequente æstu atque Febri continuâ ardente, sequitur dein etiam plerumque delirium seu Phrenitis, cum vigiliis, inquietudinibus, siti, aliisque symptomatibus vehementibus atque periculosis.

Prognosis. Affectus periculi plenus, utpote qui vel in Abscessum Cerebri lethalem, vel in Apoplexiam fortissimam, Lethargum, imò Gangrænam & Sphacelum ipsum mutatur. Si verò benè cum Ægro agitur, sensim stagnans causa morbifica circulationi pristinæ restituitur, Inflammatioque omnis, unâ cum Febri conjunctâ paulatim minuitur, atque tandem planè extinguitur.

Curatio. In *Curatione* huic unicè Indicationi satisfaciendum, ut stagnans in Cerebro humor quantocyus resolvatur, atque discutiatur, sicque circulatio sanguinis ibidem restituatur, id quod fieri potest, si statim in principio *Vena*, sive Brachii sive Pedis *aperiatur*, ac sufficiens sanguinis quantitas extrahatur; præmisso, si opus videbitur, *Clysmate* aliquo *emolliente* ac *detergente*, ex *decocto Malv. Alth. Portulac. Cichor. Lactuc. Mercurial. Violar. Plantag. Majoran. Chamomill.* &c. parato: v. gr.

℞. *Rad. Alth.*
Lil. alb. ana. ℥ß.
Herb. Malv. Plantag.
Agrim.
Heder. terr.
Violariæ, ana. Mj.

Flor.

Flor. Chamom.
Melilot. ana. Mß.
Sem. Fœnic.
Dauci, ana. ℥ij.
Incis. & contus. coque in s. q. Aqu. font. Colatur. ℥xij. *adde*
Elect. bened. ʒvj. *Sal. gem.* ℈j.
Ol. Rosar. ℥ij.
M. f. Clysma statim injiciendum.

Postea verò confestim intus quidem propinanda sunt *diaphoretica* tam *fixa* quàm *volatilia*, omnibus *aromaticis* aut ♀*reis* particulis exuta, utpote quæ Inflammationem magis augere valent.

Itaque commendantur *Aqu. destillat. flor. Sambuc. Cichor. Vlmar. Portulac. Lactuc. Endiv. Fumar. Scabios. Verben. Hed. terrestr. Card. bened. Card. Mar. Succi s. Syrupi Citr. Rub. id. Violar. purpur. Mixtura simpl. D. Ludov. Spiritus volatiles rectificati, & ⊖ia volatilia puriora C. Cerv. Viperar. Lumbric. terr. Ebor. Sanguin. human. Vrinæ, ⊖is armoniac. C. C. phil. ppt. Viperar. spinæ ppt. Ebur ppt. Cinnab. nativ. l. ♁n. corr. ♁n. diaph. Bezoard. min. Dens Apri vel Hippopotami ppt. Sanguis Hirc. ppt. Mandibul. Luc. Pisc. ppt. Nitr. ♁niat. Lapis bezoard. orient. vel occident. ver.* &c. E quibus vel *Potiunculæ* vel *Julepi*, vel *Pulveres* præparari atque componi possunt, diligenter usurpandi: v. gr.

℞. *Aqu. Card. ben.*
flor. Samb.
Succis. ana. ℥ij.
Syrup. Rub. id. ℥j.
Mixt. simpl. ℈iiij.
Bezoard. min.
Cinnab. nat. opt. ana. ℈ij.
Ebor. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr. sumatur 2. vel 3. dosibus, spatio 12. horarum.

Vel ℞. *Aqu. Hed. terr.* ℥ij.
Endiv.
Vlmar. ana. ℥j.
Syrup. Limon.
Acetosell. ana. ʒvj.
Ebor. ppt. ℈iiß.
Lapid. bez. occid. ver. ℈ß.
M. d. ad Vitr. pro 2. dosibus.

Vel ℞. *Aqu. Scabios.* ℥ij.
Verben.
Portulac. ana. ℥iß.
Syrup. Violar. ℥j.
⊖is volat. Viper. ℈ß.
♁n. diaph. ʒß.
Misce d. ad Vitr. Capiatur duabus dosibus, & repetatur aliquoties. Inprimis hoc in casu satisfacit pulvis ex *♁n. diaph. Cinnab. nativ. opt. Nitro ♁niat.* & *Camphorâ* compositus, & aliquoties cum vehiculo convenienti exhibitus.

℞. *♁n. diaph.* ℈j.
Nitr. ♁iat.
Cinnab. nativ. opt. ana. gr. vj.
Camphor. gr. iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi pluries repetendâ.

In usu talium remediorum tamdiu pergendum, donec Inflammatio discussa fuerit; sed ubi discuti incepit, fixiora magis, quàm volatilia sunt exhibenda.

Externè Pili capitis deradendi, hinc *Pullus gallinaceus*, vel *Columba* viva, per medium *dissecta*, adhuc calens Capiti imponatur, ibique per 3. aut plures *Cura externa.*

plures horas relinquatur. Poftea verò *Epithemata* alia *ſpirituoſa* applicentur, ex *Spirit. Lil. convall. Anth. Ceraſ. nigr. Vini camphorato, Serpilli, Rore mineral. Spirit C. C. volatil. Lumbric. terreſtr.* & ſimilibus parata. Si à primâ *Venæſectione* in Brachio inſtitutâ parum levaminis ſentiat Æger, tum *raninæ* quoque *Venæ* ſub Linguâ *incidendæ*.

Tandem ſymptomatibus qualibuſcunque ita eſt occurrendum, ne primaria Morbi indicatio impediatur. Quando Inflammatio in Abſceſſum mutatur, nullum ſupereſt remedium, niſi fortè ex Trepaniſationis operatione, ſi modò ſciri poſſit, ſub quâ parte Cranii Abſceſſus lateat, ut ibi dein Perforatio inſtitui, puſque emitti queat. *Diæta* eadem præſcribenda, quæ in Phrenitide aut Febri malignâ commendari ſolet.

Cerebri Vulnus. CEREBRI VULNUS, eſt ſolutio continui in ſubſtantiâ Cerebri facta à re quadam, vel inſtrumento caput graviter lædente, atque per Cranium penetrante. *Cerebrum* eſt viſcus illud ſupremi Ventris in noſtro corpore, Cranii oſſibus undique concluſum, atque è diverſis partibus conſtans; ambiunt illud duæ membranæ, *Meningum* appellatione donatæ, quarum exterior, craſſior atq; firmior *dura Mater*, interior autem, ſubtilior, tenuior, minus firma, ac tenerior *pia Mater* vel Meninx nuncupatur. Subſtantia ipſa in corticem, cinereum, ſive glanduloſum, atque medullam albam, hujusque cavitates & varia corpora diſtinguitur. Tota jam hæc Cerebri moles *Vulneribus* etiam obnoxia eſt, quæ quidem variis accipere modis poteſt; etenim vel per contuſionem ſpina inferioris tabulæ Cranii decuſſa Meningibus infigi; vel ictû globuli ſclopetarii ſubſtantia Cerebri quacunque demum in parte transfodi; vel eadem gladio incidi ac dividi, ſubinde etiam portio quædam illius planè amputari poteſt. Singulorum exempla non pauca inter militantes occurrunt; in quibus Cranium ſimul, qualicunque etiam modo, frangi, perforari, findi, interdum & planè diſcindi atque mutilari ſolet.

Cognoſcuntur hæc Vulnera ex intuitu haud difficulter, ubi ſimul pateſcet, quo loco Cerebrum ſit læſum, Vulnusne grande vel parvum, profundum vel ſuperficiarium exiſtat? An in loco ſuturarum Cranii, vel extra illas contigerit? Denique quonam inſtrumento Vulnus inflictum ſit? Equidem omne Vulnus Cerebri, utut non niſi membranas ipſius attigerit, maximè periculoſum eſt pronunciandum, non abſolutè tamen lethale dicendum; quandoquidem in aliquibus talia Vulnera utcunque feliciter ſanata eſſe Medicorum obſervationes teſtantur. Quod ſi tamen medulla Cerebri profundè læſa ſit, nequeeffuſus in illud ſanguis exitum habere queat, Vulnus abſolutè lethale dicetur. Quæ autem Vulnera corticem ſolum Cerebri attigerunt, & è quibus extravaſatus atque congrumatus ſanguis per Cranii rimam prodire poteſt; ubi denique nulla gravis contuſio ſimul

mul facta fuerit, periculum adeo magnum non eſt, modò Vulnus rectè tractetur.

Novi ipſemet hominem, qui ex ſubſtantiâ Cerebri aliquid perdidit, & nihilominus ſanitati fuit reſtitutus; ſed rari ſunt nantes in gurgite vaſto. Certè qui acrem habent, acidam, ſalſam, ſcorbuticam, venereâ Lue infectam Maſſæ humoralis diſpoſitionem, ex accepto tali Vulnere plerunque intereunt; tanto id certius, ſi poſt adquiſitam hanc plagam in frigido, humido, vel in æſtuante maligno aëre coactus Homo fuit aliquandiu adhuc morari; eo enim tempore Atmoſphæræ miaſmata acida acria ad cerebrum penetrare, allabentes ſuccos corrumpere, eoſque maligno acore, vel acrimoniâ inficere potuerunt. Vulneribus dein ejuſmodi facilè accedunt Gangræna, Sphacelus, atque Convulſiones lethales.

Si *curare* proin velis tale Vulnus, cavebis tibi ſtatim ab unctuoſorum qualiumcunque impoſitione, utpote à quibus vel fungoſæ ſubſtantiæ cita excreſcentia, vel Gangræna atque Sphacelus accelerabuntur. Sed ante omnia Vulnus in externâ cute eſt dilatandum imiſſo linteo carpto vel ſicco, vel prius *Spiritu vini rectificato*, in quo *Gummi ammoniacum* & *Aloës* nonnihil ſolveris, imbuto; deſuper applicabis *Emplaſtrum diapalma*, vel *diachalciteos* atque *de Betonicâ*, tandemque impones *Sacculum Herbis Betonicæ, Salv. Meliſſ. Scabioſ. Card. bened. Lavendul. Rorismar. Florib. Primul. ver. repletum, vinoque incoctum*, ſæpius calefaciendo, ubi refrigerari inceperit. Dilatatum ſi fuerit ſufficienter Vulnus, ipſa fractura Cranii erit examinanda, per quam effluere debet, quidquid ſubtus deliteſcit humoris extravaſati. Quando effluere nequit, tum diu exſpectandum non eſt, quin confeſtim eximatur, ſi quid ſpinarum in fracturâ hæret, ut ſic porta pateat ad humorem, aut corruptam etiam ſubſtantiæ Cerebri portionem emittendam. Si ſpina nulla adſit, aut eximi nequeat, Trepani ope Cranium juxta vel prope Fracturam erit perforandum, & ſic è foramine facto emittere licebit, quidquid corrupti hæret ſub Cranio; ſimulque hamulis, aliisve inſtrumentis facilius ſpinæ extrudi, vel extrahi poterunt. Immittentur dein in deligatione, quæ Vulnus Cerebri extergere, paulatimque conſolidare valent. Itaque *Linteola* ſemper imponent *Melli roſaceo*, cum *Spiritu Vini rectificato*, atque *Eſſentiâ Aloës, Myrrhæ, Radic. Ariſtol. rot. Gentian. Garyophyll. arom.* permixto intincta, deſuper applicatis linteis carptis ſiccis, ad Cranium integendum, impoſitoque *Emplaſtro de Betonic. de Gratiâ Dei*, aut *Diapalm.* ac denique ſacculum herbaceum ſuperius jam deſcriptum ulterius calidè admovendo. Ejuſmodi deligatio eſt continuanda, donec Cerebrum à naturâ fuerit conſolidatum, quod quidem facilè ex hoc cognoſcetur, ſi nullus amplius humor plus minus ſanioſus aut purulentus effluet. Hoc igitur tempore Cranium, ejuſque fiſſuræ ac foramen non niſi ſiccis linteis fi-

lis obtegendum, Emplastrumque superius aliquod desuper imponendum, usque dum carne omnia, vel recenti sensim cute claudantur.

Interea intus per aliquot hebdomadas *Decoctum traumaticum* propinabitur cum *Essentiâ Succini*, *Betonic.* ac *Virgæ aureæ*. *Pulvis* etiam *diaphoretico-antispasmodico-absorbens* subinde dabitur, compositus ex *Vngul. Alcis ppt.* ♁n. *diaph. Oculis* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Ebor. ppt. Dente Apri ppt. Cinnab. nat.* vel ♁n. *opt. Terrâ sigillat. Succin. alb. ppt. Diaphoret.* ♃*ial.* aut *lunari*, vel similib⁹. Alvus quotidie naturâ arteve per Clysmata aut Suppositoria debet respondere. Ab omnibus animi Pathematibus vehementibus abstineat Æger; Motus corporis ei placidus sit; Somnus tranquillus, nec nimis longus; *Vini* aut *Cerevisiæ* facilè acescentis potum fugiat, ejusque loco *Decoctum ras. C. C. Fol. Betonic.* & *Agrimon.* bibat. Subinde & *Infusum fol. Thée*, *Betonic. Chamædr.* ac *Chamæpit.* in deliciis habebit. Cibi omnes euchymi sint atque eupepti, nec tamen & his nimis indulgeat.

Cerebri Fungus. CEREBRI FUNGUS, est excrescentia carnea, mollis, spongiosa, rubicundi vel cineritii, aliusve coloris, è substantiâ aut membranis Cerebri laceratis, per affluentem copiosum succum nutritium, illico concrescentem, sensim ad magnitudinem notabilem, vel extra rimam aut foramen efflorescens, atque consolidationem impediens.

Impeditur hic Fungus facilè, si supra dicta externa spirituosa diligenter applicentur: sed si affuerit, paulatim diminuetur, ac tandem planè discutietur, sicubi cum vel sine *Spiritu Vini rectificat.* *Pulvis* ille *Fabr. Hildani*, vel similis è *Radicib. Angelic. Imperator. Meu. Calami aromat. Cyper. long. Jr. Florentin. Summit. Amarac. Rorismar. Aloë*, *Myrrhâ*, &c. compositus, quotidie bis inspergatur, & solito hinc in Cerebri Vulneribus more deligerur.

Ch… CHEMOSIS, χήμωσις, à χήμη *hiatus*, est species Inflammationis Bulbi oculorum, in quâ albicans tunica Adnata, supra nigram aut cœruleam Corneæ & Pupillæ tunicam intumescit, valde rubet, atque insigni dolore prurituque molesta est, ita ut Homo palpebras adducere, oculumque tumentem claudere nequeat. Hujus ergo generatio atque cura in *Ophthalmiâ* exponetur.

CHIRAGRA, χειράγρα, qu. ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς, *captura manûs*, ea est species Arthritidis, quæ manuum articulos occupat. Vid. *Arthritis.*

CHIRONES, χειρῶνες, ἀπὸ τῆς χειρὸς, *à manu* derivatâ voce, sunt pustulæ manuum certæ, de quibus vide titulum de *Sironibus manuum.*

CHOIRADES, χοιράδες, à χοῖρος, ȣ, *Porcus*, deducto nomine, sunt tumores glandularum Colli, Vid. *Scrophulæ.*

CHLOROSIS, vid. *Febris alba.*

Ch… mo… CHOLERA HUMIDA, *Cholera morbus*, *Passio cholerica*, *Febris cacatoria*, est frequens atque immoderata

ꝛata humorum crudorum , varii coloris & conſiſtentiæ, inprimis aquoſo-bilioſorum, per ſuperiora & inferiora rejectio, cum torminibus ventris, præcordiorum anxietate, vigiliis, ſiti, Febri, aliisque ſymptomatibus vehementibus conjuncta. Græcis χολέρα ἀπὸ τῆς χολῆς, *à Bile*, nuncupatur.

Partes affectæ ſunt Ventriculus, & Inteſtina, quorum fibræ perpetim à cauſâ morbificâ ad utrumque motum, ſuperiora & inferiora verſus, ſollicitantur. Imò nidus, ſive focus hujus Paſſionis in Duodeno ferè eſſe videtur, ubi Bilis & Succus pancreaticus per ſuum quiſque oſtium confluere ſolent.

Producitur Morbus proximè ab humore qualicunque alcalino, vel ſalſo-acri, leniter corroſivo, fibras nervoſas Pylori atque Inteſtini duodeni adeo fortiter irritante rodente & continuè criſpante, ut illæ hinc verſus utramque plagam contractæ contenta primarum viarum, qualiacunque adfuerint, per gulam æquè ac per alvum expellant. Humores illi acres, naturam Venenorum vel mercurialium aut arſenicalium, vel emeticorum ♁ialium, aut helleborinorum adepti, *nunc* intra humorum laticem ſenſim gignuntur, atque cumulantur, donec tandem occaſione qualicunque arreptâ maſſam ſanguineam turbent, fundant & irritatione in poris bilariis, veſiculâ Fellis, Glandulis inteſtinalibus atque pancreaticis factâ, bilem atque ſerum acriuſculum copioſè in inteſtinum Duodenum ac Ventriculi cavum præcipitent: *nunc* ab intempeſtivâ, ac velut ſuppreſſâ graviſſimâ Irâ per ſpirituum motum tumultuarium, indeque contingentem profuſionem largam Bilis ac Succorum lymphaticorum acriorum redditorum proveniunt: *nunc* denique ab aſſumptorum alimentorum laxâ admodum particularum ſuarum cohæſione præditorum, corruptione intra primas vias producuntur. Itaque aſſumpta Venena, Purgantia & Emetica fortiora, Alimenta in primis viis facilè corruptibilia, atque in nidorem bilioſo-ſeroſum convertibilia, qualia ſunt Fructus horæi, Pruna, Ceraſa acida, Cucumeres, Cucurbitæ, Melones, Ficus, Mala Perſica, Armeniaca, Fungi terreſtres, Piſces ſaliti, Ova Barbi & Lucii piſcis, Edulia alia ſale plus juſto condita, Potus denique Vini penduli, aceſcentis, Cereviſiæque malæ notæ, ſive novellæ, Aquæ gelidæ, ſeri Lactis frigidi, ad producendum hunc dirum Affectum aptiſſima ſunt. Nimirum gignitur ſic in Sanguine aliquod ſal acre, ſubtile, volatile, Veneni naturâ & efficaciâ præditum, quod Maſſam dein ſanguineam ita fundit, ut ſerum ejus liquefactum, non ſecus atque Bilis juſto plus ſoluta copioſè per Glandulas hepaticas, pancreaticas, & ſtomachico-inteſtinales in Duodenum præcipitentur, ubi dein cum allabente chylo, & pituitâ inteſtinali in liquamen ſordidum, nidoroſum mutati tales humores acrimoniâ ſuâ fibras tunicarum & glandularum fortiter ſtimulando excretionem illam copioſam

produ-

producunt. Sed & idem ſal talium humorum acre malignum, quoniam nervoſis fibris adeo inſenſum eſt, ſimul varia alia ſymptomata graviora, propter nervorum criſpationem excitat; Anxietatem videlicet præcordiorum, Vigilias, Lipothymias, & alia plura ſuperius recenſita. Jungitur utplurimum Febris maligna, ſi ab internâ præprimis cauſâ malum fuerit productum; ſi autem ab aſſumtis fructibus, ac cibis in Ventriculo corruptis ortum duxerit, tum Febris ejuſmodi utplurimum abeſt.

Diagnoſis. Affectus hic facilè ex crebris dejectionibus ἄνω καὶ κάτω contingentibus cognoſcitur. Præcedit tamen illum nunc ira immoderata ac ſuppreſſa cum inſigni odio aut triſtitiâ, nunc aſſumptum Venenum, nunc uſus alimentorum ineptorum. Affligit plerumque ſubitò idque cum continuâ Febri, inflatione aut tenſione maximè doloroſâ hypochondriorum, præcordiorum anxietatibus, vigiliis, jactigatione corporis, inquietudinibus, ſiti, pulſu celeri ac frequenti, interdum parvo & languido, vomitu atque dejectione variorum ſuccorum, inprimis ſeri flavidiuſculi plus minus acris, turbidi, particulis luteolis interſperſi. Quicquid aſſumitur, paulo pòſt per vomitum & alvum rejicitur. His interveniunt quandoque deliquia animi, cum ſudore frigido, inprimis in fronte, Vires tandem maximè proſtratæ comparent.

Prognoſis Quoad *Prognoſin* tenendum, Affectum hunc, ſi ſponte citra cauſam manifeſtam oritur, ac in principio Febris malignæ apparet; vel ſi aſſumtum qualecunque potens Venenum pro cauſâ habet, periculi eſſe plenum, utpote qui intra tres, quatuor vel quinque dies, ſubnatâ in Inteſtinis Gangrænâ hominem interimere ſolet. Si verò intra primum aut ſecundum diem ceſſat, ſi in declinatione Febris cum euphoriâ accedat, vel ſi ab aſſumtis cibis proveniat, tunc ſalutem priſtinam citò promittit. Recidivat facilè Morbus, niſi cautus fuerit & Medicus & Ægrotans. Si mitiora fuerint ſymptomata, ſpes etiam aliqua ſalutis ſupereſt.

Quantum ad *Curationem* ſpectat, in principio ſtatim convenit *Vomitorium*, ſi Morbus evidenter ab aſſumptis fuerit ortus, ex *Aqu. bened. Ruland.* vel *Syrup. emet. Angel. Sal.* cum *Aqu. Cinam.* & *Burſ. paſtor.* v. gr.

℞. *Syrup. emet. Ang. Sal.* ℥iiiß.
flor. Tunic. ℨiß.
Aq. Bugloſſ. ℥iij.
Cinam. ℥j.
Miſce d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Crem.* 🜿*r. aut*
⊖*is Eſſ. Card. ben.* vel
Abſynth. gr. vij.
Cinnab. nativ. opt.
◷*li* ♂*is ana. gr.* iv.
🜿*ri emet. gr.* ij. *vel* iij.
M f. Pulv. ſubt. d. ad ch. ſumatu[r] pro doſi. Vel ſaltem *Rhabarbarum i[n] ſubſtantiâ ad* ℥j. *cum Crem.* 🜿*ri*, ⊖ *Abſynth* & *Oleo Nuciſtæ deſt.* exhibe[ri] poteſt. Deinceps plurima *Aqua te[pida]*, aut etiam *Lac bubul.* copiosè & frequenter hauriri debet. Imò condu[cit] quoque *Potus* qualiumcunque *Aci[dula]*

dularum largus, vel *Seri Lactis capril-li* aut *vaccin.* cum *Saccharo rosaceo.* Qui novit *semunciam Salis polychresti* cum largo haustu *Ptisanæ* ordinariæ epotare, citò ab hoc malo liberatur; præcipitatis nimirum sic salibus corrosivis. Juxta hæc etiam commendantur Stomachi & Intestinorum fibras nimis irritatas demulcentia, v. gr. *Essentia Croci, Myrrhæ, Absynthii, Mumiæ, Zedoar. Galang. Calam. arom. Succin. Card. ben. Bistort. Ambr. Catechu, Spirit. theriac. camph. ad gtt.* 20. *vel* 30. m. ac vesp. danda. Vel *Pulveres* largire *absorbentes, edulcorantes,* & *alexipharmacos*; v. gr. *Ocul.* ♋ *ppt. Corall. rubr. vel alb. ppt. Ebur. ppt.* ♁ *n. diaph. Bezoard. min. Mastich. Myrrh. elect. Unicorn. fossil. Bol. armen. Terr. sig. Diaph.* ♂ *t. Croc.* ♂ *is aperit. Vitriol.* ♂ *is,* qualia vel per se, vel cũ *Elect. Diascord. Mithridat. Damocr.* aut *Theriacâ Andromachi* exhiberi, vel etiam cum *Conserv. Ros. rubr.* in *Electuarii* formam redigi, & per frequentes cuspides cultri capi possunt. Pro specifico habentur *Crystalli alb. ppt.* cum ⊖*e Centaur. min. Nuc. mosch.* & tantillo *Laudani opiat.*

Quando Morbus à causâ internâ, sive humore quodam acri maligno citra causam externam manifestam fuit productus, simulque, quod fieri solet, Febris maligna comitem-se præbeat, tum neque vomitorio, neque purganti locus est, sed ea in usum vocanda, quæ temperandi, invertendi, præcipitandi, per sudorem aut urinam pellendi virtute gaudent, alexipharmaca, diaphoretica, absorbentia, diuretica, acrimoniam humoris maligni destruentia; quibus denique anodyna atque fibras irritatas demulcentia sunt addenda. Statim igitur in hoc casu exhibeantur, v. gr. *Mithridat. Damocr. Theriac. Andr. Elect. Diascord. Frac. Orvietan, Confectio. Hyacinth.* ♁ *n. diaph. Bezoard. miner. Diaphor.* ♂ *iale,* ♃ *vial. Specific. stom. Poter. Dens Hippopot. ppt. Unicorn. foss. aut marin. ppt. Terr. sigill. Bolus Arm. ppt. Ebur. ust. ppt. Corall. rubr. vel alb. ppt. Crystall. alb. ppt. Pulv. bezoard. Senn.* ⊖*ia lixiviosa Absynth. aliave, Lapis Bezoard. orient. vel occident. ver. Pulvis Viper. ppt. Theriac. cœlest. Laud. opiat. Essent. Opii Langel. Acetum Bezoard. Syrupi aut Succi aciduli, Spiritus theriac. camphorat. Tinctur. antiphthis. Essentia Catechu,* aliave styptica, quibus convenientia vehicula sunt miscenda. v. gr.

℞. *Aqu. Burs. past.*
Card. bened. ana. ℥iß.
Puleg. ℥ß.
Elect. Orvietan. vel
diascord. Frac.
Liqu. Nitr. fix. vel
Terr. fol. ♀*ri ana.* ℈ij.
Spir. theriacal. camph. ʒß.
♁ *n. diaph.* ℈ij.
Syrup. Corallor. ʒvj.
Misc. d. ad Vitr. sumatur duobus haustibus spacio sex vel octo horarum.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Portulac. ana. ℥iß.
Menth. ℥ß.
Syrup. Cydon. ℥j.
Conf. Hyac. inc.
Corall. rubr. ppt. ana. ʒß.

Diaph. ♂ial.
Essent. Catechu ana. ℈j.
Theriac. cœlest. gr. vj.
M. d. ad Vitr. Exhibeatur duabus vel tribus dosibus spacio 12. *horarum.*

Vel ℞. *Cons. Ros. rubr.* ℈ij.
Menth. ℈j.
Mithrid. Damocr. ʒß.
Bol. Arm. ppt.
Unicorn. mar. ppt. ana. ℈ß.
Lap. bezoard. or. ver. gr. iij.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. cum Sacch. Bol. d. ad ch. sumatur pro dosi, & quotidie semel, si opus videbitur, repetatur.

Interea *Pulvis* simul *alexipharmacus* usurpetur:

℞. *Pulv. bezoard. Senn.*
♃*n. diaph.*
Unic. fossil. ana. ʒß.
⊖*is Cent. min.* ℈ß.
Rotul. Berber. ʒij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. singulis trihoriis cuspis cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Bezoard. miner.*
Cryſtall. alb. ppt.
Terr. sigillat.
Ebor. ust. ppt.
Pulv. radic. Tormentill.
Croc. ♂t. adstring. ana. ʒß.
Laudan. opiat. gr. jv.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. Usurpetur ut superior; idque cum *Aquâ Scabios. Succis. Galeg. Lactuc. Endiv. & Syrup. de Agrest. vel Berber. Rub. id. aut Corallor.*

Vel ℞. *Cons. Ros. rubr.* ʒvj.
fl. Tunic.
Menth. aut
Puleg. ana. ℥ß.
Condit. Cydon.
Roob. Ribium. ana. ʒij.
Conf. Hyacinth. ʒj.
Specif. stom. Poter.
Bol. Arm. ppt.
Dent. Hippopot. ppt. ana. ʒß.
Theriac. cœlest. gr. xij.
Syrup. acetos. Citr. q. s.
M. f. Elect. d. ad Oll. singulis bihoriis magnitudo nucistæ. capiatur.

Vel ℞. *Conserv. de Fumar.* ℥j.
Roob Cydon. ℥ß.
Theriac. Androm. ʒj.
C. C. ust. ppt.
♃*n. diaph. ana.* ℈iiß.
Syrup. de Menth. q. s.
M. f. Elect. d. ad Oll. sumatur ut superius.

Si Pilularum forma magis arrideat, tum

℞. *Extract. Bistort. vel*
Tormentill.
Theriac. cœlest.
⊖*li ♂t. ana.* ℈ß.
Lap. bezoard. occid. ver. gr. vj.
Cum Essent. Mumiæ, Myrrh. aut Catechu q. s. fiant. Pilul. num. 20. *Inaurat. d. ad Scatul. sumantur decem pro dosi, & post sedecim horas iterum decem, cum Julepo Citri.*

Novimus, quibus sequens Pulvis maximè profuit:

℞. *Pulv. Viper. ppt.* ℈ij.
fol. Menth.
♃*n. diaph. ana.* ℈j.
Vitriol. Martis
Myrrh. elect. ana. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iiij.
M. f. Pulv. subt. div. in 4. *doses æqu. mane ac vesperi capiendas cum*

Aquâ

Aquâ Scorzoneræ, Polygoni & Menth. *Tinctura bezoardica*, *Mixtura simplex* Danj. Lud. *Tinctura antiphthis.* *Tinctura ♀ris ⊖li*, *Liquor stypticus blandus qualiscunque*, ob vires adstringentes & diaphoreticas, similiter commendantur ad gutt. 20. vel 30. quotidie semel aut bis exhibita. Ita & *Solutio Corallorum cum succo Limonum aut Citri prodest.*

Externè in omni Cholera totum Abdomen inungi debet *Oleo Nucist. express. Ol. Chamom. Mastich. Cydonior. Myrtin. Rutæ, Hyoscyam. expr. Sem. Papav. alb. express. Ol. dest. Macis, Nucistæ, Menthæ, Salviæ, Carvi.* &c. v. gr.

℞. *Olei Chamom.* ℥vj.
Scorp. Matth. ʒij.
Nuc. mosch. express. ʒiß.
still. Menth.
Carv. ana. ℈ß.
Balsam. Peruv. ʒij.
M. d. ad Oll. Inunctio ter de die repetatur calidè.

Vel *Emplastrum de Crustâ Panis* Abdomini imponatur, aliudve simile euporiston ex *Cydoniis Vino rubr. incoct. Crustâ panis tostâ, Nuce mosch. Mastiche, Thure, Herb. Menth. Florib. Chamom.* &c. *paretur.* Aut

℞. *Emplast. de Ladan. Croll.*
Gumm. Tacamahac. ana. qu. satis.
Malax. cum Balsam. peruv. ut fiat Emplastrum, quod regioni Stomachi & Umbilico cum successu imponitur. Vel

℞. *Spirit. Anthos aut Ceras. nigr. camphor.* ʒiij.
Theriac. Andromach. ʒj. *vel* ʒij.
Misce & confestim ad scrobiculum Cordis applica.

Vel *Frustum Panis tosti Vino Malvatico* aut alii *generoso* immergitur, hinc *Pulvis Nucis mosch. Garyophyll. arom. Cinam. Galang. Zedoar. Tormentill. Mastich.* &c. adspergitur, & ita calidè regioni Stomachi applicatur.

In Cholerâ à *vehementiore Purgante* natâ statim *Theriaca ad* ʒj. *vel* ʒiß. cum *Aqu. Plantag. & Menth.* vel haustu *Vini rubr.* danda. Pulvis etiam sequens confert.

℞. *Radic. Tormentill.*
Terr. sigill. ana. ℈j.
Nuc. mosch. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iij.
M. f. Pulv. subt. div. in 2. dos. æqual. ad ch. Dentur spatio 24. horarum, cum *Vino rubro*, vel *Vino Absynthites.*

Externè superius comendata prosunt vide etiam titulum de *Hypercatharsi.*

In Cholerâ ab assumpto qualicunque *Veneno* nil melius, quàm frequenter *Lac bubulum* simplex, aut *chalybeatum* cum *Terrâ sigillatâ, Corall. rubr. ppt. Unicorn. fossil.* & tantillo *Sacchari* propinare: vel statim haustus *Olei Olivarum*, aut *Amygd. dulc.* aut *Aqu. muriat.* aut *Lixivii*, cum ♁ *n. diaph. Theriac.* vel *Mithridatio* detur, & reiteretur. *Cholera à Veneno.*

In *Diætâ* prosunt *Juscula hordeacea*, vel *avenacea*, frequenter & largiter hausta. A *Vino* abstinendum loco autem ejus *Decoctum Ras. C. C. Herb. Agrimon. Scabios. Sanicul. Tormentill. Card. bened.* &c. concedendum. Vel etiam *Aquæ still. Bursæ pastor.* *Diætâ.*

ſtor. Plantag. Borrag. Endiv. &c. bibantur. Ira peſtis.

Cholera ſicca. CHOLERA SICCA vel NOTHA eſt flatuum crebra per gulam & alvum rejectio, cum Abdominis inflatione, murmuribus ventris, vagis doloribus hypochondriorum & lumborum, nonnunquam & Lipothymiis conjuncta. *Pars affecta.* Vnde colligitur, & heic præcipuè Ventriculum atque Inteſtina affici, quoniam in his partibus flatus maximè gigni, colligi & tumultuari ſolent.

Cauſæ. Gignitur autem hic Morbus non niſi à copiâ particularum aërearum è variis Cibis & cruditatibus flatulentis per Liquorem ſtomachicum acidiorem, indeque corruptam vel debilitatam digeſtionem, elicitarum, ſuaque dein vi elaſticâ canalem Inteſtinorum expandentium, & quâ datâ portâ, ſuperiora, ac inferiora verſus, erumpentium. Verùm ſciendum, ſubinde aërem aliquandiu intra Ciborum particulas, aut etiam cruditates viſcidolentas compreſſum latitare poſſe, usque dum poris adapertis, vel laxioribus redditis, libertati ſuæ reſtitutus undiquaque ſeſe expandere, evagari, aut intra Liquorem quendam viſcidum bullas excitare queat. Affectus hinc eſt apud Hypochondriacos haud infrequens, præſertim quando flatulentis Cibis, Leguminibus, Oleribus hortenſibus, Carnibus durioribus, Caſeo, Vino pendulo, Muſto, Cereviſiâ craſſâ, ac ſimilibus ſeſe ſaginârunt. Si quis fortè Ova Formicarum cum Cibis comedit, ſimiliter tali flatuum eruptione moleſtatur.

Signa. Facilè cognoſcitur Morbus hic ex ructibus & crepitibus Ventris crebrò erumpentibus, ut & ex Abdominis doloribus vagis, colicis, murmuribus, atque inflatione.

Prognoſis. Per ſe autem tam periculoſus non eſt atque Cholera humida; ſed negligenter habitus tandem in Tympanitidem lethalem mutari, vel ſaltem frequenter Cordis imbecillitates, ac Lipothymias poſt ſe trahere poteſt.

Curatio. *Curatio* tota abſolvitur exhibitione Remediorum carminativorum. Ante omnia igitur dari poteſt purgans ex *Radic. Rhabarb.* cum *Mercur. dulc. Crem.* ♀*r.* atque *Ol. deſt. Carvi*, vel *Cortic. Aurant.* v. gr.

℞. *Rhab. elect.* ʒß.
Crem. ♀*ri gr.* vj.
Mercur. dulc. ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. jv.
Ol. deſt. Carv. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutin.

Vel ℞. *Spirit. Anis.* ℥j.
Juniper. ℈ß.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
Solutis lento igne adde
Syrup. Flor. Tunic. ʒiß.
Aqu. Cinam. ℥j.
M. detur ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Imò etiam unus vel alter *Clyſter* injiciatur ex *Decocto Radic. Imperat, Valerian. Vincetox. Angelic. Herb. Meliſs. Matricar. Menth. Mercurial. Aneth. Abſynth. Abroton. Chamomill. Origan. Serpill. Semin. Dauc. Aniſ. Fœnicul. Carv.* Dein intus quotidie exhibebitur *Oleum* aliquod *deſtill. carminativum*; velut *Aniſi*, *Carvi*, *Cumini*, *Chamo-*

Chamomill. Menth. Rut. Meliss. ad gutt. 8. 10. vel 12. Item *Spirit.* ⊖*is armon. anisatus* aut *fœnicul. Sal volatile oleos. Sylv. Liqu. C. C. succin. Elix. Vitæ Matth. Elix. propr. Claud. Essent. Zedoar. Galang. Absynth. Tinctur. Castor. cum spiritu* ⊖*is arm. parat.* ad *gtt.* 18. vel 20. *pro dosi.* Quæ quidem cum *Aqu. Trifol. fibrin. Cochlear. Meliss. Menth. Matricar. Apii Maced. Nasturt. aquat.* & similibus exhibita haud pœnitendum effectum præstant; v. gr.

℞. *Aqu. Meliss.*
Puleg.
Fœnic.
Chamom. ana. ℥iß.
Elect. Diascord. ʒj.
Spir. Sal. arm. anis. ℈ij.
Essent. Castor. ℈j.
Corall. rubr. ppt. ℈iiij.

M. d. ad Vitr. sumatur cochleatim.

In longiore malo etiam *Panacea solutiva alcalina* per 8. vel 10. dies cum *Oleo still. Anis.* dabitur. Vel quotidie m. ac v. propinari possunt, v. g. *Juscula succis Herbarum nasturcinarum* & *carminativarum alterata*: Imò ipsæ *Aquæ* inde *destillatæ* valdè prosunt. Quæ verò ex *Fimo Equorum avenâ saginatorum, Nasturt. aquat. Cochlear. Beccabung. Fumar. Cherefol. Fœnicul.* recens destillatur *Aqua*, quotidie bis ad ℥iij. exhibita Malum omne citò discutit. Cholerici æstivo tempore bibant *Acidulas*, *Melancholiæ* obnoxii verò *Thermas fabarienses Rhætiæ*, *Embsenses*, aut *Plumbarias Lotharingiæ*.

Extus Abdomen frequenter inungatur *Oleo destill. Anethi, Cumin. Carvi, Absynth. Chamom. Menth. Rosmarin. Rut. Pulegii*, quæ *Unguent.* de *Hyoscyam*, *Oleo Nucist. express.* & *Axungiâ caninâ*, vel *anserinâ* excipi possunt. In *Diætâ* fugiantur omnia, quæ flatus progignere valent; è contrariò sumantur Cibi facilioris digestionis, benè aromatisati, imò & nasturcinis quoque herbis ac radicibus, sale volatili eminenti turgidis alterati. Pro potu autem inserviat *Vinum album vetus* generosum aut *Cerevisia optima.* Post singulos pastus vel *Ros solis*, vel *Elixir vitæ Matth.* vel similis spirituosus Liquor aut *Vinum Malvat. Hispanic. Hungaricum*, *Creticum* ad aliquot Cochlearia bibatur; vel *Tragema post pastum* usurpetur. *Diæta.*

CHORDAPSUS. Vid. *Ileus.*

CHOREA vel SALTUS S. VITI, *Morbus S. Viti*, vel *S. Modesti* aliis, Paracelso *Chorea lasciva*, est insatiabilis atque propemodum invita, imò insana cupiditas saltandi, à determinatâ quadam, eaque indefinenti fibrillarum medullaris Cerebri substantiæ nervearum vellicatione & commotione proveniens, unde Mens perpetim ideas saltandi agitat, sicque corpori motus subsultorios, tantùm non continuos, imprimit. Dicitur *Chorea*, χορεία ἀπὸ τῦ χορῦ, quod in Comœdiis *saltantium & canentium multitudinem* denotabat; & *S. Viti Chorea* vel *saltus*, à sancto quodam hujus nominis Viro, quem fabulæ antiquorum docent imprecando hunc Morbum Hominibus dedisse, & invocatum dein iterum abstulisse. Ita Phil. Camerarius *Horar. succis. Cent.* 2. *cap.* 81. refert, in monte *Chorea S. Viti.*

prope *Ravenspurgum*, Sueviæ oppidum, à Vito nomen habente, monstratum adhuc suo tempore fuisse Sacellum, ad quod antehac singulis annis tripudiantium turba, velut Divo illi sacrificatura, accurrerit, ut ejus ope per continuos ferè saltus à morbis liberaretur. Similis Sacelli in Vlmensium finibus *S. Vito* dicati, ad quod singulis annis Mulierculæ prurientes saltaturæ spe sanationis confluxerint, Georg. Horstius meminit *Lib.* II. *Observ.* 45.

Cupiditas vel *desiderium* saltandi dicitur hic Affectus, quoniam inclinatio mentis constans adest ad saltationis actum. *Insatiabile* est desiderium, quamdiu fibrillarum in Cerebro nervearum vellicatio certa durat, id quod diu subinde contingit. *Insana* est cupiditas, quia mens simul ob eandem causam malè ratiocinando laborat, dum inconcinnis & lascivis sæpè gestibus suum Homines corpus exagitant. Saltûs autem vel saltationis cupiditatem esse hunc Affectum vel ipsæ Ægrotantium gesticulationes docent.

Differentiæ. *Differentias* admittit varias hic Saltus, etenim 1. alius est *continuus*, qui vel sine intermissione à principio usque ad finem morbi durat, vel aliquando per inevitabilem dormiendi necessitatem interpellatur: alius est *periodicus*, qui per certa aut incerta temporum intervalla recurrit, qualis fuit illa Mulierum apud Horstium *loc-cit.* qualisque ferè est omnium *Tarantismo* laborantium, ut adeo *Tarantismus* huc omnino queat referri, tanquam species saltationis peculiariter à *Tarantismus.* Tarantularum ictu originem trahens. 2. Alius est *idiopathicus*, à causâ in Cerebro hærente, læsaque phantasiâ proveniens; alius est *sympathicus*, à vitiato sanguine aut viscere quodam læso productus. 3. Alius est *universalis*, totum corpus exercens, alius *particularis*, brachia vel pedes tantùm occupans, mereque convulsivus. 4. Alius est *naturalis*, à causis naturalibus excitatus, alius *contranaturalis*, à Diabolo vel Sagis per incantationem homini immissus. 5. Alius est merè *invitus* & *convulsivus*, ubi homines citra voluntatem sua flectere membra coguntur, alius est etiam *voluntarius*, quando homines nescientes unde ad continuè saltandum stimulantur. Voluntas tamen heic subinde perversa est.

Quando igitur corpus Hominis in Morbo hoc saltare nequit, nisi musculi omnes, membra diversimodè flectentes, ad reciprocas contractiones & relaxationes, sive tensiones & restitutiones assiduè incitentur; necesse prorsus est, causam quandam adesse debere, quæ vel per se Spiritus animales sive fluidum nerveum urgeat ad dictas illas fibrarum muscularium tendentias ac relaxationes præstandas; vel determinatos in medullaribus Cerebri fibris motus instituat, unde Anima ideam sibi fingat corpus perpetuo tripudio exercendi. Causa ejusmodi dici potest Sal quoddam volatile, peregrinum, in sanguine collectum, atque tali configuratione præditum, sub quâ non solùm quendam in humoribus orgasmum excitare, sed & fibrillas

las membranoſo - nerveas in muſculis Artuum, Cerebrive medullâ, certâ quadam, & jucundâ quidem eâ, titillatione afficere, hincque cogitationes vel ideas ſaltandi firmas in Animâ excitare queat. Salia ejusmodi peregrina vel colliguntur occultè & paulatim ex ſemine corrupto, & acri, aut ex uſu Rerum nonnaturalium in Sanguine; vel immittuntur per incantationem; vel à morſibus ictibusve Tarantularum imprimuntur. *Tarantula* verò ſpecies eſt Aranei cujusdam marini, in Apuliâ Italiæ Provinciâ copiosè provenientis, nomenque adepti à *Tarento* Oppido, ubi Hortulanis & Agricolis infenſum animalculum exiſtit; Græcis φαλάγγιον audit. Araneus autem eſt noſtratibus Araneis vel triplo major, caput exiguum, & crura ex utroque latere quatuor obtinens, quorum ſingula tribus internodiis conſtant.

Imminere hunc Affectum ferè ſignificant riſus frequens ſine ratione, geſticulationes ridiculæ, inquietudo ac titillatio ferè continua Artuum. Præſentem indicant inſatiabilis Saltandi pruritus cum frequentiſſimâ, ſi non perpetuâ, corporis agitatione ſubſultoriâ, per ipſa etiam cibationis momenta continuante; ubi Homines dies noctesque ad plantarum usque pedum excoriationem ſaltant, ſicut Platerus *Obſerv. Lib.* 1. *cap.* 3. notavit in Muliere, quæ Baſileæ per aliquot hebdomadas ſaltavit. Huic ſigno pathognomonico dein junguntur varii generis ſymptomata, modò hæc modò illa, videlicet alienatio mentis, dolor, pruritus aut titillatio nervorum, quandoque Vertigo, contumaces Vigiliæ, Priapiſmus aut Tentigo, interdum etiam Febris, Surditas, viſûs Hebetudo, Lipothymiæ, Dyſorexia, ac Dyſpepſia, Muſicæ appetitus, clamor, cantus, ſeminis profluvium, Nauſea, materiæ pallidæ, nigræ, rubræ, viſcidæ, craſſæ, vitellinæ, quandoque inſtar telæ Aranearum vomitio; alvus nunc dura, nunc fluida; ſudor interdum frigidus; urinæ parcæ vel nullæ, utplurimum aquoſæ & crudæ, cum filamentis ſeminis permiſtis in exitu.

In ſpecie Tarantiſmum indicant prægreſſus Tarantulæ ictus, cupiditas ſaltandi pertinax, deſiderium Muſicæ, atque harmonici chordarum numeri; quibus pathognomicis Morbi criteriis dein adhuc alia ſymptomata veniunt jungenda; v. gr. frigus circa genua, lumbos & ſcapulas, dolor aſſiduus, tremor membrorum, pallor faciei, vigiliæ; oculi plorantes & cavi; venter inæqualiter elevatus; tumor lenis totius ferè corporis, ſtupor, riſus, ac ploratus reciproci. Qui Tarantiſmum à Choreâ S. Viti curiosè ſeparant, illi nobis videntur entia citra neceſſitatem multiplicare. *Signa Tarantiſmi.*

Non vacant periculo hæc mala, niſi in tempore medicamentis debitis ſuccurratur: ex Tarantiſmo tamen pauci vel nulli moriuntur; quando tamen vel plures ſimul ictus, vel graviores & profundiores eos aliquis accepit, tum is in diſcrimine verſatur. Diutius durat malum, ſi venenum parcius atque ſegnius fuerit: citius Juvenes quàm Senes convaleſcunt. Si *Prognoſis*

con-

conjuncta existat Febris, tum citiùs à malo liberantur Ægri. Frequens in Apuliâ morbus est *Tarantismus*, sed rarus ubique *Saltus* existit *S. Viti*, unde tam pauca apud Auctores memorantur ejus exempla.

Curatio. Si *curare* proin velis Homines ejusmodi malo laborantes, in eo totus eris, ut titillationem illam nervulorum molestam, à quâ proximè venit necessitas saltandi, coërceas maturè, pacatumque fibrillis atque spiritibus motum restituas. Obtinebis scopum hunc, sicubi *laxantem* in principio *Ptisanam* aliquoties propinaveris, quæ quidem sequens esse poterit:

℞. *Radic. Gramin. Scrophular.*
Scorzoner. ana. ℥iiß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥x.
Pulp. Tamarind. ℥vj.
Semin. Anis.
Coriandr. ana. ℥ij.
Incisa & contus. coqu. in q. s. Aquæ fontan. Colaturæ ℔j. *adde*
Syrupi Viol. purpur.
de Nymph. ana. ℥iß.
Misc. d. ad Vitr. & exhibeatur tribus vel quatuor haustibus matutinis.

Inter hæc, si Sanguinem Ægrotantis ex pulsu forti ac magno deprehenderis in statu aliquo turgescentiæ existere, sine morâ Venæsectionem in Brachio instituės, & sanguinis quantitatem Viribus proportionatam extrahes. In Tarantismo autem ab eâ abstinebis, quoniam Venenum acceptum magis in Sanguinem eâ administratâ transiret. Quin potius icto loco statim *Cucurbitulam cum vel sine scarificatione* ad extrahendum Venenum applicabis. Imò *Vesicatorium* quoque à nonnullis admovetur, ut ejus beneficio Venenum ab ictu acceptum tanto efficacius eliciatur. Idem facit *Ignis actualis*. Applicabitur deinceps *Unguentum digestivum* ordinarium cum *Myrrhâ*, *Aloë*, *Sale* ♀ri, *Theriacâ*, ac *Melle rosaceo* permistum; addes quoque pro lubitu *Spiritum theriacalem camphoratum*, aut *Theriacam* ipsam. Si *Tarantulam* araneam habere possis, protinus eam contusam applica.

Deinceps internè conveniunt vel *Tinctura Antimon. Corallor. Succini. flor Aquilegiæ*, *Tinct.* ♂ *tis cydoniata*, vel *tamarindinata*, vel *balsamica*, *Essentia Fumar. Lignor. Pœon. Anagallid.* vel *Spiritus-theriacalis camphoratus*, cum *Spiritu* aut *Sale volatili Viperarum*, ad gutt. 20. vel 30. bis quotidie datus. Prodest & usus ♁*n. diaph. Bezoard. miner. Terr. sigill. Pulv. Pannon. rubr. Cryst. alb. ppt. Viperar. ppt. Diaphoret.* ♂ *ial.* ac ♃*vial. Pulvis cachecticus Quercetan.* cum *Cinnab.* ♁*n. opt. C. C.* vel *Ebur s. igne ppt.* His adde *Theriacam*, *Mithridatium*, *Electuarium Orvietan.* vel *Diascordium Fracast.* Quibus tandem *Opiata* pro rei necessitate miscere possumus. Pro potu *Acidulæ* prosunt, vel *Decoctum Rad. Acetos. Gramin. Hordei integr.* & *Passular. minor.* Tandem *Musica*, & quidem certis tonis vel sonis instructa, præstantissimum remedium censetur. De illâ verò consulatur Athan. Kircherus in *Libro de Magnete*, ubi prolixè & eruditè hanc materiam pertractavit. Cica-

CICATRIX, *Callus cutaneus*, *Tyloma*, vel *Tylos*, Τύλος, est eminentia quædam vel crassities Cutis, nunc per se nascens, nunc è coalescentiâ labiorum Vulneris vel Vlceris producta, reliquæ cuti concolor, vel subinde magis alba. Quod si talis eminentia insensilis sit, vicinam cutim parum vel nihil excedat, cutisque non nisi crassior aut durior reddita fuerit, cum aliquo velut stygmate læsionis præteritæ, tū simpliciter *Cicatrix* appellatur. Si autem cutis magis elevata existat, dura & crassa, tum *Callus* vocatur *cutaneus*, ad distinctionem à *Callo osseo*, qui in Fracturis ossium non rarò enascitur.

Cicatrix illa reliquâ cute albidior ac solidior sine pilis semper est, & modò exiguum, modò amplius in sese spatium complectitur; subinde extra cutis superficiem plus minusve assurgit, interdum cuti profundius inhæret, aut ei æqualis existit, atque faciem duntaxat albæ maculæ refert. Hæc Cicatrix si cutis superficiem in facie præprimis excedat, quandoque deformis est, & hactenus medelam apud formositatis studiosos exposcit. Ortum verò habet quælibet Cicatrix ex Vlcere vel Vulnere quodam, dum sensim ejus labia per affluentem succum nutritium coadunantur; quod si proin talis succus vel propter nimis laxam deligationem, vel propter emollientis continuè Balsami aut Vnguenti applicationem luxuriat, tum Cicatrix inde magna, atque deformis quoque nascitur.

Callosa hinc est propemodum omnis Cicatrix, sed *Callus* tamen non Cicatricem tantùm sub se comprehendit, verùm etiam duram, incrassatam, insensibilem, atque supra cutim sæpè multum elevatam Epidermidem significat, quæ nunc amplum, nunc breve membri alicujus spatium occupat; sicuti videre est in circumferentiâ volæ manuum, & plantæ pedum, apud Rusticos, Opificesque varios. *Callus* autem talis generatur à frequenti eaque forti compressione, aut attritione partium, unde sordes cutaneæ in cuticulâ remanentes, sensim exspirantibus subtilioribus particulis, crassescunt, atque in solidam substantiam concrescunt, quæ vel ideo insensibilis existit, quoniam nervosis fibrillis destituitur. Quod si nimis crassus fuerit ejusmodi Callus, tum non rarò solet aliquam Cuti molestiam, subinde & pungitivum dolorem conciliare, præprimis, quando nimium durus evasit. *Calli generatio.*

Cicatrix deformitatem quandam, aliudve incommodum procreans, vel *emollientibus ac detergentibus* sensim remediis, præprimis autem quotidianâ affrictione *Foliorum recentium Verbasci*, *Solani*, *Consolidæ majoris*, *Parietariæ*, *Eupatorii*, *Florum Papav. rhead. Liliorum*, & *Fabarum* tollitur, atque discutitur: vel *cathæreticis* paulatim exeditur, simul *Emplastro diapalmæ*, aut *diachalciteos*, aut *diasulphuris Rulandi*, cum arctâ nonnihil ligaturâ applicato. *Cathæreticum* esse potest vel affrictio *Lapidis infernalis*, aut *Butyri* ♁ *nii*, aut *Lapidis caustici*; vel *Vnguentum* aliquod blandè erodens, ex *Axungiâ Thymalli piscis*, *Vulpis*, *Curatio Cicatricum.*

pis, *Calce vivâ*, *Cineribus Tabaci*, *Borace Venetâ*, *Testis Ovorum* aut *Cochlearum combustis*, *Semine Erucæ*, vel *Sinapi*, *Camphorâ*, &c. compositum. Prosunt denique & ea, quæ in *Clavis* atque *Verrucis* extirpandis commendari solent.

Callorum curatio. *Calli cutanei* in manibus aut pedibus ex operibus sive attritione enati, si nullam afferant molestiam, hactenus non auferuntur; aut etiam, dum opera manualia & pedum exercitia aliquandiu intermittuntur, vel moderantur, per se minuuntur, atque evanescunt, emollitis sensim, atque per sudorem aut transpirationem fortiorem, consumtis particulis cuticulæ inspissatæ. Ac certè hâc ipsâ ratione etiam illi, qui molestiam in incessu & operibus manuum afferunt, curari solent: vel ea simul in his adhibebuntur media, quæ validè emolliunt, id quod *Balnea Aquæ dulcis* cum incoctione *Plantarum emollientium* atque *extoum Animalium*, nec non *Inunctiones* cum *Axungiis* vel *Vnguentis* præstant. Abradi etiam solet ejusmodi crassa cuticula, sicubi Balnei calentis ope satis emollita fuerit.

CIRSOCELE, vid. *Hernia varicosa*.

Clausura Oris. CLAVSVRA ORIS, est valida Maxillæ inferioris ad superiorem appressio, ita ut homo eam flectere, sicque os aperire neutiquam possit. *spasmodica.* Affectus spasmodicus subinde, atque in Convulsione universali frequens, sed etiam aliquando ex variis casibus peculiaris. Ita enim ante aliquot annos vidimus quendam Fabrum ferrarium, cui ex accepto ictu globuli sclopetarii in Metatarso pedis sinistri, in quo tendines & membranæ interosseæ graviter fuerunt dilaceratæ, Musculus temporalis ita convulsus fuit, ut inde per plures hebdomadas Os clausum habuerit, neque hoc aperire, aut vi quadam instrumentorum adhibitâ, diducere potuerit, nisi summo cum temporum sinistrorum dolore, metuque Convulsionum universalium lethalium. Duravit autem hic Spasmus Maxillæ ultra mensis spatium, eo usque, donec calcei & tibialis frustula è Vulnere, cui pertinaciter inhæserunt, à naturâ excussa fuerint, quæ aliâs profundè inter tendines sita nullo artificio citius extrahi poterant. Quamprimum autem ultimum frustulum unâ cum pure prodierat, vel in eodem instanti aut momento Spasmus ille cessavit, & Os denuo aperiri potuit.

Neque triennium elabitur, quo Juvencula quædam, honestissimi Civis Filia duodecennis, postquam per aliquod tempus Febri erraticâ laborâsset, tandem periodico Capitis dolore affligi cœpit, qui quidem præcisè horâ octavâ vespertinâ cum imbecillitatibus Cordis, atque pertinaci Oris clausurâ, crotaphitæque Musculi indolente spasmo, Filiam ita invasit, ut loqui protinus, ob motum Maxillæ amissum, nesciverit, nec nisi parum liquoris inter Dentes ori ingerere, hincque deglutire potuerit. Duravit hoc malum ultra sex hebdomadas, & quidem unusquisque paroxysmus ab octavâ vespertinâ usque ad quartam sequen-

ſequentis diei horam matutinam, quâ Ægra iterū os aperire, loqui, edere atque bibere potuit, ſimulque à Cephalalgiâ liberata fuit, ſeſe extendebat.

Mirabilius exemplum ejuſdem Affectûs heic adhuc habemus in formoſiſſimâ Negotiatoris famigeratiſſimi Filiâ, quintum & decimum ætatis annum jam prætergreſſa, quæ tali periodicâ oris clauſurâ, quotidie à quartâ veſpertinâ uſque ad tertiam matutinam ſine dolore ullo durante, jam per triennii ſpatium laborat, ſimulque pedes retro ad nates uſque firmiter contractos ita habet, ut nullâ hactenus arte, nullis remediis iterum flecti potuerint. Multi ſunt, qui per incantationem hoc malum Filiæ inflictum eſſe ſibi perſuadent. Interim crura non in inſtanti, ſed ſenſim, & quidem aliquot hebdomadarum ſpatio, nates verſus retro tracta fuerunt, citra notabilem qualemcunque dolorem, quo etiam & nunc caret.

Subinde dentitio difficilis temporalem quoque muſculum convellit, atque ita Os maxillam validè adducendo claudit. Eundem effectum, ſed ſine ſpaſmo tamen producit Tumor plus minus grandis atque durus Gingivarum, aut Buccarum, præprimis non longè à juncturâ excitatus, unde maxilla, ſaltem abſque dolore maximè notabili diduci flective haud poteſt. Vidimus & Aphthas graviores, Vlceraque Gingivarum cum tumore & ſtagnatione Lymphæ contingentia Oris diductionem impediviſſe.

Difficilis proin hic eſt Morbus, quem certè curare non poteris, ſi cauſam genuinam ignoraveris, tollitur enim per ſe, quamprimum cauſam ejus abſtuleris. Quando itaque manifeſta eſt cauſa, eam quantocyus auferre ſtudebis, & ſic os aperietur. Si occulta fuerit eadem, aut malum per incantationem inductum, tum remedium vix ſupereſt ullum, præterquam Divini Numinis auxilium, indeque accedens incantamenti qualiscunque diſſipatio. *Curatio.*

CLAVI PEDVM, vid. *Verrucæ.*

CLAVVS, vid. *Cephalæa.*

COECITAS, vid. *Oculorum cœcitas.*

COELIACVS FLVXVS, *Cœliaca Affectio, Paſſio, Diarrhœa chyloſa,* eſt frequens alvi dejectio, in quâ aſſumta alimenta, utcunque digeſta & diſſoluta, unâ cum excrementitiâ materiâ dejiciuntur. Affectus Pueris quàm Adultis familiarior, in quo nunc Hepar cum ductibus cholidochis, nunc Pancreas, nunc Vaſa lactea, aut Glandulæ Meſenterii patiuntur. *Fluxus cœliacus.* *Partes affectæ.*

Etenim Fluxus hic contingit, quandocunque Chylus, Ventriculi digeſtione plus minus perfectè elaboratus, in Inteſtinis tenuibus vel planè non ſecernitur à materiâ fœculentâ, & ſic per vaſa lactea tranſire haud potens, cum ipſis è corpore fœcibus prodit; vel etiamſi ſegregetur, attamen per vaſa lactea aut glandulas Meſenterii præternaturaliter anguſtatas & obſtructas non tranſmittitur. *Cauſa.*

Non secernitur Chylus propter inertem vel deficientem bilem aut succum pancreaticum, hi enim liquores ad dictam segregationem sunt maximè necessarii. Inertes evadunt isti liquores, si ob qualemcunque causam volatilitate, activitate, subtilitate & nativâ crasi suarum particularum privantur. Deficiunt autem planè, cùm Hepatis aut Pancreatis glandulæ scirrhosæ evaserunt, vel cùm tubuli atque ductus eorundem Viscerum à calculis, vel ab austeritate, mucositate, aut viscididate humoris constringuntur obstruunturve. Unde in Ictero flavo atq; Atrophiâ talis Fluxus est communis. Non transmittitur atque distribuitur Chylus per vasa lactea, aut glandulas Mesenterii, quando hæ viæ, oscula ve illarum in Intestina hiantium, à chylo crudo, austero, aut muco viscido adstringuntur, constipantur vel obstruuntur; quando itidem dictæ glandulæ scirrhosæ redduntur. Contribuunt itaque huc frequens corporis refrigeratio, voracitas insignis, sive intempestiva aut immodica ciborum, utcunque eupeptorum ingestio, creber etiam dyspeptorum usus; Potus liquorum minùs spirituosorum, acidorum, aut gelidorum largus; Ira, aliave Animi pathemata vehementiora.

Diagnosis. Cognoscitur hic Morbus haud difficulter ex inspectione eorum, quæ ex alvo Ægrotantis plus minus copiosè prodeunt. Si porus cholidochus est obstructus, ita ut Bilis nulla transeat, vel si Bilis iners est, tum excrementa alvina albicantia, pallida aut grysea projiciuntur. Si Pancreatis glandulæ aut tubuli obstructi scirrhosi ve sint, tum umbilicalis regionis interanea, (fortiter contacta) reperientur dura, alvique fœces tinctæ una cum chylo albicante vel gryseo separatim excernentur. Si denique oscula Vasorum lacteorum muco obsita, & obstructa fuerint, tum excreta alvina similiter bile tincta notabuntur, atque tantillum flavescent, vel chylus segregatus cum fæcibus hinc inde confusus tantùm apparebit. Adsunt præterea subinde ructus cum aliquali Abdominis tensione, appetitus satis constat, sed sitis plerunque simul urget propter salivæ paucitatem aut crassitiem.

Non contemnendus est hic Fluxus, si diutius persistat, etsi enim sine tenesmo contingere soleat, paulatim tamen corpus, ob nutrimenti penuriam emaciat. Neglectum inprimis malum durare solet, & radices firmiores agere. Subsequitur etiam aliquando Cachexia, si nempe seroso-aquosiores tantùm, & non simul balsamico-gelatinosæ chyli particulæ intra Vasculorum lacteorum oscula admittantur. Quæ Passio cœliaca ab induratis Mesenterii glandulis, vel à coalitu osculorum Vasorum chyliferorum, vel à Cicatricibus intestinalis canalis post Dysenteriam oritur, pro incurabili habetur. Quæ itidem à Scirrho Hepatis, vel Calculo porum bilarium obstruente provenit, sanitatis spem nullam promittit.

Quod *Curationem* attinet, si Fluxus provenerit ab inertiâ & viscidicate

ditate Bilis, ductum cholidochum obstruentis, ea remedia conducunt, quæ in Ictero flavo commendantur. Si verò à muco oscula vasorum chyliferorum infarciente, aut Glandulas etiam Mesenterii obstruente oriatur, mucum talem pituitosum incidentia, attenuantia, abstergentia, & expurgantia in usum vocari debent, quibus dein superaddenda aromatica, blandè acria, amaricantia, Ventriculi chylificationem perfectam redintegrantia, sicque muci adeo viscidi generationem impedientia. Ante omnia proin blandum emeticum est dandum, illudque etiam pro re natâ iterandum; hunc in finem Pueris quidem concedimus *Trochiscos* nostros *pædocatharticos*, quorum numerus pro dosi æquabit numerum annorum ætatis, vel in fortiori complexione unico Trochisco superabit, ita ut v. gr. puero 4. annorum quinque Trochisci dentur mane comedendi, aut si ita nolint, prius in pulverem redigendi. Adultioribus damus *Pulverem radicis Asari* ad ʒß. cum *Cremore* ♀*ri* & *Oleo still. Mac.* vel *Anis.* Vel

℞. *Crem.* ♀*ri gr.* vj.
Mercur. dulc. opt.
Sacch. rosat. ana. ℈ß.
♀*ri emet. gr.* ij.
Ol still. Fœnic. gutt. ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutin. cum regimin. diætæ capiendâ.

Si Vomitorio locus non est, saltem Catharticum exhibebitur; ubi Infantes quidem aut Pueri sument *Infusum Radic. Ireos flor. Rhabarb. el. Apii, Fol. Sen. mund. Semin. Anis. Fœnic. Cinam. el.* & *Cremor.* ♀*ri*, *Melle* vel *Sacchro* edulcoratum. Vel *Panacæam solutivam alcalinam* ad ʒß. quater vel pluries mane capiant. Adultis verò exhibebuntur aliquoties *Pilulæ purgantes* cum *Mercurio dulci*, vel Vinum medicatum laxans, aperiens & detergens concedetur.

Purgato corpore prosunt *Succi Plantarum antiscorbuticarum*, tantillo *Sacchari* edulcorati, atque è *Plantagine aquat. Trifolio fibr. Nasturtio* qualicunque, *Cochlear. Beccabung. Urticâ urent. Cherefol. Chelidonio minore*, expressi filtratique, de quibus Adulti quidem duas, Pueri verò unam tantùm unciam mane ac vesperi haurient. *Juscula* quoque iisdem *Herbis alterata*, & quotidie semel vel bis hausta eundem effectum præstare possunt. Vel dabuntur gutt. 10. ad 30. *Tincturæ* ♁ *n.* ♂ *tis aperit. Salis* ♀*ri*, ⊖*i Martis*, *Corallor. cum Nitr. parat. Essentiæ Galang. Zedoar. Cinamom. Garyoph. Absynth. Elixir propr. Clauder. cũ, vel sine acido par. Liq. Nitri fix.* vel *Terr. fol.* ♀*ri*, *Spirit. Salis armon. anisat.* vel *fœnic. Sal volat. oleos. Sylv. Spirit. Cochlear. Aqua Cinam. cum vino destill.* Sequentibus etiam Pulveribus magno cum fructu uti solemus:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Aron.
Specif. stomach. Poter.
Corall. rubr. ppt.
Dent. Apr. ppt.
Unic. marin. ppt. ana. ʒj.
⊖*is volat. C. C.* vel *Fulig.* ʒß.

Semin. Anis. ℈j.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad. Scatul. Dosis m. ac. vesp. ℈j. *ad* ℈ij.

Vel ℞. *Pulv. fol. Trichoman.*
Nasturt. aquat.
Pilosell. ana. ℨj.
radic. Zedoar. ℈j.
Ebor. phil ppt.
♁ *n. diaph. ana.* ℨij.
Diaph. ♂ *ial. aut* ♃ *vial.* ℨj.
⊖*is Juniper. vel*
Arcan. dupl. Myns. ℈j.
Seminis Fœnic. ℨß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Sumatur uti prior cum vehiculo convenienti.

Adulti etiam *Infusum* Herbarum aperientium bibent, v. gr.

℞. *Radic. 5. aperient.*
Cichor. ana. ℨij.
Herb. Agrimon.
Meliss.
Card. bened.
Capill. ♀ *r. ana.* Mj.
Summit. Absynth.
Cent. minor. ana. Mß.
Semin. Anis.
Fœnic.
Bacc. Junip. ana. ℨij.
⊖*is Cichor.* ℥j.
Incisis, contusis, & sacculo inditis affunde Vini alb. opt. ℔viij.
Postea mane ac vesp. bibatur haustus unciarum quatuor.

Externa. *Externè* totum Abdomen ter quotidie inungatur *Axungiâ Anat. Caponum, Anserum*, aut *Butyro*, in quibus prius decoxeris *Radices Cichorii, Herbas Card. bened. Beton. Salv. Fu mar. Scabios. Meliss. Serpill. Nastur. Flores recent. Bellid. min. Melilot.* & similia.

In *Diætâ* pro potu ordinario ce dat Decoctum *Radic. Gram Scorzoner Irid. Flor. Liquir. Rasur. Lign. Guajac Sassaphr. Semin. Anis. Fœnic. Cinam Balneum Aquæ dulc.* vel *mineral.* hei quoque convenit. Cibi dabuntu moderatâ quantitate, statisque tem poribus, eupepti & euchyli, blan do sale volatili præditi. Somnus mo deratus esse debet. Corpus exercea tur blandè quotidie. Alvus libera si semper. Animi passiones modum null tempore excedant.

Quæ denique species *Cœliaci Fluxûs* supra in Prognosi immedicabile pronunciatæ fuerunt, illæ palliativam tantùm curam requirunt, juxta Symptomatum varietates instituendam.

COLICA FLATVLENTA, est dolor Intestinorum vagus, plus minus acerbus, à Flatibus membranas distendentibus oriundus. *Colica* vocatur ab Intestino *Colo*, in quo frequentius hospitatur. Græcis dicta Ὀδύνη vel Διάθεσις κωλικὴ, *Passio* vel *Dispositio colica.*

Pars affecta sunt Intestina inprimis crassa, in quibus conclusi flatus exitum non invenientes membranas tendunt, ac per cellulas Coli decurrunt.

Producitur autem dolor ille vagus, dum aëreæ particulæ, acido-viscidis cruditatibus conclusæ ac involutæ, suâ virtute elasticâ undique ex-

expanſionem ſui liberam & ſufficientem moliuntur, dumque eam non adipiſcuntur, ſicque exitum nullum inveniunt, Inteſtina diſtendunt, diſtendendoque fibrillas nerveas moleſtè ac dolorificè dilacerant, vel ſpaſmodicè criſpant. In craſſis Inteſtinis magis hoſpitatur malum, quoniam inibi particulæ aëreæ à fœculentis plus liberatæ feliciùs expandi, hincque intra validiùs extenſas Coli cellulas coerceri poſſunt. Quando enim Fibræ cellularum nimis extenduntur, tum motu ſuo periſtaltico privantur, ſicque tranſitum contentis haud permittunt. Ita enim & excrementa obdurata in cellulis Coli vel Inteſtino recto flatibus liberum tranſitum denegant. In Herniâ autem inteſtinali, dum flatus elapſi in Scrotum, Inteſtini portionem tendendo validè conſtringunt, colicus ſimiliter, tandemque & iliacus Dolor excitari ſolet. Occaſionem hiſce doloribus frequentem præbet Aer frigidus, cutaneas primùm tandem & inteſtinales fibras conſtringens, ſicque pituitam inteſtinalem incraſſans, atque acrem acidam reddens, ad producendos hinc flatus aptiſſimam præbent & Cibi acidi, auſteri, flatulenti, præſertim ſi potus frigidus minuſque ſpirituoſus ſuper ingeſtus fuerit; triſtitia & mœror; lucubrationes nocturnæ frequentes; meditationes ſtatim poſt paſtum; refrigeratio extremorum nimia; excrementorum ac flatuum retentio diuturna; quies corporis nimia; ſomnus denique exceſſivus.

Quoad *Diagnoſin*, ſi Colica à ſolis flatibus originem trahat, in cellulis Coli ſubſiſtentibus, tunc dolor plerumque vagus eſt, per canalem Inteſtini tranſiens, & nunc inguina, nunc hypochondria petens, ſi verò circa Umbilicum magis vagatur Dolor, tum ſignum præbet, in tenuibus magis Inteſtinis cauſam mali divagari. Subinde jungitur aliqualis Diarrhœa, & excretio ſpumoſorum tenuium excrementorum; præceſſit ſubinde refrigeratio ventris & artuum nimia, vel Cibi flatulenti fuerunt aliquoties comeſti. Si Colica à fecum durarum ſubſiſtentiâ originem trahit, tunc adeſt ventris conſtipatio, dolorque partim in uno loco obhæret, partim etiam vagus eſt. Si ab Herniâ, tum oculis ſeſe conſpiciendum præbet malum.

Differt à *Colicâ nephriticâ*, quæ principium ſumit à lumbis, & hinc verſus hypochondria atque umbilicum extenditur. A *Colicâ ſpaſmodicâ* & *bilioſâ*, quod hæc non ita vaga, ſed magis in loco aliquo fixa, atque aliâs longè vehementior, cumque ſpaſmodicis nervorum inteſtinalium contractionibus juncta ſit. Tandem à *Colicâ uterinâ*, quod hæc ſolùm Fœminas, & eas quidem hyſtericas prehendat.

In *Prognoſi* Colica flatulenta non eſt ſtatim dicenda periculoſa, poteſt tamen, malè curata aut prorſus neglecta, in alios morbos periculoſiores mutari, veluti ſunt Convulſiones, Ileos, Tympanites, Cholera ſicca, Animi Deliquia. *Prognoſis*

Quamprimum itaque Homo tali dolore prehenſus eſt, *Clyſma* ſtatim *Curatio.*

admit-

admittet *carminativum*, ex *Decocto Radicum Angelic. Imperat. Galang. Lil. alb. Valerian. Scorzoner. Herbarum Aneth. Abroton. Menth. Matricar. Melis. Calaminth. Mercurial. Puleg. Origan. Hyssop. Card. bened. Florum Chamomill. Melilot. Seminum Aneth. Dauci, Cumin. Carvi, Anisi, Angelicæ, Fœnic. Ammeos, Bacc. Juniper. Lauri* in *Jusculo carnium*, vel *Aqu. font.* paratum, admiscendo *Mel rosac.* vel *Rutac.* cum *Oleo violar. Lil. alb.* ac *Sale.* Clysma ejusmodi etiam pro rei exigentiâ reiterari debet. Sunt qui *Fumum Tabaci* per fistulam coriaceam ano immittunt, non sine successu. Postea verò extus quidem totum Abdomen inungi sæpè potest *Oleo Aneth. Chamomill. Rutæ, Sem. Hyoscyam. Papav. alb.* cum admixtis *Oleis distillatis Anisi, Carvi, Meliß. Macis, Angelic.* &c. Post inunctionem imponetur linteum quadruplicatum sæpius calefactum. Vel *Sacculus* è *carminativis* compositus, interpassatus, ac vino maximè calenti immersus, Abdomini applicetur, antequam refrixerit, semper iterandus. Interdum siccè Abdomini, priùs inuncto, magno cum calore impositus plus valet. Sunt qui *Opercula* terrea probè *calefacta* cum linteaminibus parti affectæ imponunt, & quandoque renovant. Alii iterum benè habent ex *Sacculis Avenâ* repletis, & siccè, sed calidè admodum ventri applicatis. Inprimis studebitur, ut pedes semper calidi sint, quia eorum refrigeratio multum contribuit ad Mali augmentum.

Tandem intus ordinabuntur remedia flatus potenter discutientia simul ac fibras nervosas irritatas demulcentia, & quidem sub formâ nunc *Essentiarum*, nunc *Decoctorum*, nunc etiam *Mixturarum*, quæ inter commendantur multiplici usu *Sal volat. oleos. Sylv. Spirit. Sal. armoniaci. anis.* vel *fœnicul. Essent. Zedoar. Angelic. Galang. Cortic. Citr.* vel *Aurant. Myrrh. Absynth. Aneth.* Quibus admisceri potest etiam *Essent. Croci*, aut *Opii liquid.* ad dolores tanto potentiùs mitigandos.

℞. *⊖is vol. oleos. Sylv.* ℥iij. *vel*
Spir. ⊖is armon. anis. ℥j.
D. ad Vitr. Dosis gtt. 20. *cum Vino vel Jusculo vel Aqu. Fœnic.*

Vel ℞. *Essent. cort. Aur.*
Zedoar.
Absynth.
Elix. propr. s. acid. ana. ℥iß.
M. d. ad vitr. Dos. m. ac v. gtt. 20 *vel* 25.

Vel ℞. *Essent. Angelic.* ℥iß.
Galang. ℥j.
Croci. ℥ß.
M. d. ad vitr. Dosis à gutt. 20. *ad* 30.

Pro *Mixturis* inserviunt præter modò dictas Essentias, *Aquæ destillat. Meliß. Card. ben. Ulmar. Scorzoner. Menth. Puleg. Matricar. Chamomill. Anethi, Marrub. alb. Syrup. de Absynth. Cortic. Aurant.* vel *Citri*, *de Cinnamom.* quibus addere licet quoq; ad spicula cruditatum acida absordenda *Pulveres Ocul or. ♋. ppt. Ebor. ppt. Unicorn. fossil. Corall. rubr.* vel *alb. ppt. ♁ii. diaph. Bezoard. min. Matr. Perlar. ppt*, *v. gr.*

℞. *Aq.*

℞. *Aqu. Betonic.*
Meliss.
Scorzoner. ana. ℥j.
Puleg. ℥ß.
Syrup. de Cinam. ℨvj.
Corall. alb. ppt. ℨj.
M. d. ad Vitr. Cochleatim usurpetur.

Imò subinde *Oleum dist. Carvi, Cumini, Anis. Rorismarin.* aliudve *ad gutt.* x. *vel* xij. Cum *Jusculo carnis* exhibitum valde juvat.

Vel ℞. *Aqu. Fœnic.* ℥iß.
Card. ben.
Cherefol. ana. ℥j.
Syrup. de cortic. Aurant.
Capill. ♀r. ana. ℨij.
Ol. still. Carv.
Anis. ana. gutt. vj.
Ocul. ♋. ppt. ℨj.
Sacch. alb. ℨij.
M. d. ad Vitr. sumatur cochleatim.

Rustici hunc in finem cum fructu usurpant *Oleum distill. Juniperi*, vel *Spiritum Ceras. nigrorum*, vel etiam *Balsamum ♀ris anisat.* Quibus addere licet *Elixir Vitæ Matth. Aquam physogonam*, aut similem quandum *Aquam stomachicam*, ex *Aromatibus, Seminibus carminativis, Corticibus Citri* vel *Aurantior.* cum *Spiritu Vini* & *Saccharo* paratum. Denique si cruditates in primis notentur viis, audacter per inferiora expurgentur, dando vel *Infusum Rhabarbari*, vel *Potionem* ex *Syrupis purgantibus* cum *Aquâ Chamomill.* & *Cinnamom.* factam; vel deniq; *Rhabarb. in substant.* cum *Mercur. dulci.* v. gr.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Elect. è succ. Ros. ℨiß.
Aqu. Meliss.
Fœnic. ana. ℨvj.
M. f. Potio d. pro dosi ad Vitr.

Vel ℞. *Rhab. elect.* ℈iiß.
Merc. dulc. ℈ß.
Crem. ♀ri gr. vj.
Scamm. sulphur. gr. iij.
Ol. still. Carv. gutt. ij.
M. f. Pulv. subt. d. pro dosi.

Si *feces* sint *induratæ*, ac in aliquâ Coli cellulâ immotæ obhæreant, tunc *Clysteres emollientes* sæpius reiterandi sunt; imò Æger *Balneo Aquæ dulcis*, cui *Herbæ emollientes* atque *carminativæ* incoctæ sint, immittatur. Locus dein Abdominis dolens frequenter *Oleo Menth. Chamomillæ, Verbasci, Anethi*, illinatur; imò & *Sacculus* ex *Herbis carminativis* atque *emollientibus* paratus, *Lactique* incoctus, Abdomini sæpius applicetur. In Malo pertinaciore cum Iliacus jam incipit Affectus, citra hæsitationem propinari potest *Mercurius vivus ad* ℔ß. cum *Syrupi Ros. solut. s.* ℥ij. vel ℥iij. & *Aqu. Cinam. bugl.* ℨiij.

Quod si autem *Lumbrici lati*, aliique *vermes* ad flatulentam Colicam contribuunt, tunc curatio Vermium instituitur. Si denique *Hernia omentalis* vel *inguinalis* in causâ sit, extus supra jam dictæ inunctiones atq; fomentationes cũ Sacculis, inprimis cũ *fascicul. Fili linei in lixivio cocti*, & calidè applicato instituantur; intus verò maturè *Infusum Fol. Senæ* cum *Rhabarb. Semin. Anis.* vel *Carvi*, ac ⊖e *Absynth.* propinabitur.

Extra Paroxysmum colicum præservationis gratiâ æstivo tempore qui *Cura prophylactica*

 Chole-

Extra Paroxysmum. Cholerici sunt, *Acidulas*, vel *Serum Lactis caprilli*, cum fructu bibunt: qui verò phlegmatici aut Melancholici existunt, *Thermas Plumbarienses*, *Piperinas*, *Embsenses*, *Carolinas* aliasve potare, simulque calentibus ejusmodi Aquis in Balneo uti cum fructu possunt. Memini me olim per plures annos singulis mensibus semel aut bis tales dolores colicos passum, indeque tandem potu *Thermarum piperinarum* sive *Fabariensium*, Balneique usu penitus, per Dei gratiam liberatum fuisse, Reliquis anni temporibus per aliquot hebdomadas in usum trahi potest *Essentia* v. gr. *Cort. Aurantior. Cinamom. Zedoar. Galang. Calam. arom. Myrrh. Absynth. Castor. Angelic. Carminativ.* Wedel. *Sal volatile oleosum Spirit⁹ Cochlear. Spirit. Salis armon. anisat.* aut *fœnicul.* ac simil. quæ m. ac vesp. ad guttas 20. pluresve cum *Aqu. Melis. Card. bened. Mar. Fœnic.* aut alio vehiculo misceri solent.

Colica Nephritica. COLICA NEPHRITICA est Dolor ventris plus minus acutus, à lumbis incipiens, & utrinque anteriora versus epigastrium atque umbilicum ad mesenterium usque pergens. *Nephriticus* dicitur, quia ἀπὸ τῶν νεφρῶν, à Renibus læsis suum trahit ortum.

Pars affecta. Hoc in Morbo primariò quidem Abdomen patitur, sed primò tamen Ren unus vel alter affectus sive læsus existit, atque per consensum simul plexus nerveos mesenterii affligit.

Causa. Producitur autem ejusmodi Dolor, quando vel mucilaginoso-viscidus & acris humor, vel etiam sabuloso-crassa materia, in Renum tubulis obhærens, sui quadam asperitate & acrimoniâ nervosas lacessit fibras, atque hæ postea suam dolorificam sensationem, per nervorum, plexûs videlicet renalis & mesenterici maximi, communionem, ad usque regionem Abdominis mediam, sub quâ Mesenterium latet diffundunt & propagant. Spasmodica autem est heic crispatio talium nervorum, unde tormina Ventris acerbissima evadunt, alvus adstringitur, Ventriculus convulsus vomitu omnia rejicit.

Cognoscitur exinde, quòd eos maximè affligat, qui Nephritidi, vel Calculo Renum sunt obnoxii; quodque dolor solius Abdominis non sit, sed suas in Lumbis radices agat: quòd Vrinæ simul sint crudæ, nonnunquam tenües, aliâs crassa ac viscidæ; quod interdũ Ægri simul nauseam habeant, aut vomitum Nephriticis familiarem; quæ symptomata tamen in aliis minimè observantur. Appetitus simul prosternitur, somnus perturbatur, Febricula accenditur, sitis excitatur, quandoque & difficultas mingendi succedit.

Pr. Quoad *Prognosin*, Morbus hic magis molestus quàm periculosus est habendus, neque adeo facilè inpejorem mutatur Affectum, nisi malè tractetur. Nephritis semper est, sed in minore gradu juncta, & ipsamet occasionem Colicæ tali passioni simul præbet, si nimirum illi in Renibus nervuli affliguntur, qui communionem cum variis Abdominis membranis obtinent.

In *Curatione* Nephritidis ratio est habenda, eâ enim sublatâ, simul per se Colica ista tolletur. Quamobrem primò quidem *Clysmata emollientia* atque *detergentia* injiciantur, ex *Decocto Radicum Alth. Lilior. albor. Raphan. Herbar. Malv. Parietar. Portulac. Fragar. Cherefol. Petrosel. Seminum Dauc. Cumin. Baccar. Juniper. Alkekeng.* &c. cui post colaturam admisceri debet *Terebinthina vitello Ovor. soluta*, *Oleum Lilior. alb. Violar. Malvæ, Chamomill. Mel mercuriale aut rosaceum*: v. gr.

℞. *Radic. Petrosel. Apii.*
Lil. alb. ana. ℥ß.
Herb. Alth. Parietar.
Malv. Cherefol. ana. Mj.
Flor. Chamomill. Miß.
Bacc. Juniper.
Semin. Carvi ana. ʒij.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. colatur. ℥xj. *adde*
Olei Violar. Chamom. ana. ℥j.
Tereb. Vitell. Ov. sol. ʒvj.
Mell. rosac. ℥ß.
Misc. F. Clyster tepidè injiciendus.

Hinc & Lumbi cum Abdomine frequenter inungantur *Oleo Chamomill. Semin. Hyoscyam. expr. Scorpionum Matth. Lacertar. Alth. Philosoph. Verbasc. Aneth.* &c. Intus verò exhiberi potest *Emulsio* ex *Seminibus Violar. purpur. Melon. Pepon. Nucl. Persicor.* cum *Aqu. Portulac. Fragor.* & *Cinnamom.* v. gr.

℞. *Nucl. Persic.* ʒij.
Semin. Melon. Cucum. ana. ʒiß.
Violar. ʒiij.
Aqu. Fœnic.
Portulac. ana. ℥iiij.
F. l. a. Emuls. cui adde
Syrup. de Alth. Fern. ℥iß.
Aqu. Cinam. ℥ß.
M. d. ad Vitr. pro tribus dosibus.

Imò ipsum *Semen Violarum ad* ℥ß. pro dosi in Emuls. adsumi potest, quo & Alvi & Renum viæ tanto felicius expediantur, atque detergantur. Aliàs etiam prodest *Decoctum helcocatharcticum Foresti*; vel *Infusum Fol. Senæ cum Rhabarb. Radic. Petrosel.* aut *Apii, Semin. Anis. Fœnicul. Sale Ononid.*

℞. *Radic. Apii. Fœnic.*
Rhab. elect. ana. ʒj.
Fol. Senæ mund. ℥ß.
Semin. Fœnicul.
Crem. ♀ri ana. ʒj.
Incis. & contus. d. ad Nodul. qui coquatur in Aqu. font. q. s. Colatur. ℥iij. *adde Syrup. Viol.* ʒvj. *sumatur pro dosi.*

Tandem ulterius durante malo Æger *Balneo*, vel *Semicupio*, cui *Herbæ emollientes* sint incoctæ, aliquoties immittatur, externæque inunctiones continuentur. Intus verò *Eclegma Nephritico anodynum* per cochlearia propinabitur ex *Syrup. de Alth. Fernel. Papav. alb. Capill. veneris, aperitiv. Minderer. Violar. purpur.* cum *Aqu. Fragor. Portulac. Lactuc. Ononid. Oleo Amygdal. dulc. rec. expr. Ocul. ♋. ppt. Milleped. ppt.* & simil. Quibus denique adde *Essentiam* vel *Pulverem Virgæ aureæ, Tincturam ⊖is ♀ri, Martis aperitiv. Corallor. Essent. Opii, Theriacam cœlest. Pilulas terebinthinat. Spiritum Terebinth. Elixirium quoddam nephriticum* blandè spirituosum, quale nostrum

 est,

eſt, & quotidie doſis trium, quatuor, vel quinque cochlearium dari poteſt.

Colica humoroſa & ſpaſmodica.

COLICA HVMOROSA & SPASMODICA, eſt Dolor Abdominis in aliquo loco magis fixus, & vehemens à fibrarum inteſtinalium aut plexuum Meſenterii nerveorum, ſpaſmodicâ contractione, ac valdè dolorificâ tenſione, originem trahens.

Pars affecta.

Afficitur in humoroſâ Colicâ utplurimum Cellula una vel altera inteſtini Coli, cum fibrillis ejus nervoſis, utpote maximè ſenſibilibus: rarius affliguntur Inteſtina tenuia. In Colicâ ſpaſmodicâ autem plexus nervoſi Meſenterii etiam inſontibus Inteſtinis patiuntur.

Cauſa.

Quando igitur humores acres acido-corroſivi, mucoſo-ſeroſi, aut ſimul bilioſi in Inteſtinis cumulati, feculentæ Coli ſaburræ tenacitatem conciliant, atque interea pauciores particulæ aquoſæ adſunt, quæ diluendo prædictorum acrium humorum activitatem invertunt aut mitigant, tum contingit facilè, (quâ demum exteriùs datâ occaſione) ut portio ejusmodi ſaburræ vitioſæ in globos ſenſim coacta, aut in gluten velut converſa, intrà hanc illamve Coli Inteſtini, præprimis ubi ligamentis quibusdam Hypochondriorum Viſceribus adnatum eſt, cellulam obhæreat ac ſubſiſtat, ſicque non ſolùm tranſitum excrementis denegando Alvi conſtipationem inducat, ſed & ſpiculis ſuis admodum acutis fibrillas nervoſas pungat, criſpet, atq; dolorificè contrahat, unde cellula magis contracta anguſtior redditur, atque fœcibus debitum tranſitum intercipit. Dolor verò talis in loco affecto fixus manens, ſuâ vehementiâ atque diuturnitate non ſolùm ſpaſmum Inteſtinorum excitat, ſed & motum eorundem periſtalticum ſubinde inverſum, ſive Ileum, imò ſæpius planè Convulſiones univerſales inducit, indeque non rarò Parheſin manuum poſt ſe relinquit, in quâ Homines manus atque harum digitos flectere probè, movere, aut quid eis prehendere firmiterque tenere neſciunt.

Cùm autem diverſitas adſit dolorum & cruciatuum in hâc Colicâ, *perterebrans* quidem & *immobilis dolor nunc* à materiâ glutinoſo-acidâ & acri, cellulis Inteſtini Coli pertinaciter affixâ; *nunc* à durioribus fœcum ſcybalis, quæ iisdem Cellulis interdum firmiter inhæreſcunt, & ita *Colicam ſtercorariam* efficiunt; *nunc* à pituitâ quadam frigidâ & acri ſalino-viſcidâ in Hypochondriacis non rarò fibrillas inteſtinorum graviter affligente, producitur. *Pungitivus* verò dolor ſimili humori acido-ſalino viſcido, ſed acriori, fibrillas Inteſtinorum velut acu quadam pungenti ortum ſuum debet. Dolor *tenſivus* ac velut *diſrumpens* in Colica flatulentâ magis notatur, dum à flatibus merè provenit. Dolor *gravans* à copiâ humoris viſcidi minus acris, in tenuibus Inteſtinis utplurimum collectâ excitatur. Quandoque & Tumores vel Abſceſſus Meſenterii latentes hunc quoque dolorem producunt. Dolor varius, nunc *rodens*, nunc *pungens*, aliusve, humori ſalſo-

ſalſo-acri muriatico, vellicanti ac rodenti debetur, ſubinde & à Vermibus inteſtina mordentibus producitur. Dolor denique *pulſans* ab arteriarum inteſtinalium aut meſaraicarum ſpaſmodicâ tenſione, ſanguinis tardiore decurſu, indeque ſæpius ſequente inflammatione, fit.

Convulſiva Colica, in quâ dolores *lancinantes*, *lacerantes*, *vagi*, aut *fixi*, *maximè acerbi*, cum *Inteſtinorum* velut *inverſione* conjuncti exiſtunt, ſpaſmodicæ inteſtinalium membranarum, aut plexuum Meſenterii nerveorum tenſioni, unde venter quandoque introrſum trahitur, aut etiam tympani valde expanſi inſtar induratur, ortum debet. Equidem in omni Colicâ ſpaſmodici quid adeſt, in ſpecie tamen hic convulſionis ejusmodi ſpecialis indicia deprehenduntur. Dum verò intra canalem Inteſtinorum cauſa talis mali non exiſtit, conſequens erit, extra illum in Meſenterio, vel alibi hærere humorem v. gr. auſtero-acrem, plexus nerveos valdè lancinantem, qui tale quid poſt ſe trahat. Huc igitur referre licet non ſolùm *nephriticam* ſuprà deſcriptam, ſed & *uterinam Colicam*, hyſtericis Fœminis familiarem; imò Dolores quoque poſt Partum affligentes.

Subinde radices adeo firmas capit ejusmodi Colica, ut difficillimè extirpari queat, atque hinc acceptâ leviſſimâ occaſione è cauſis procatarcticis de novo Hominem excruciet. Sæpius hinc recurrunt talia ventris Tormina, atque pro diverſâ cauſæ morbificæ agitatione Abdomen nunc tenditur atque expanſum nonnihil induratur; nunc in umbilicali regione introrſum trahitur; nunc in epileptica quoque pathemata mutatur malum. In Hypochondriacis, Scorbuticis ac Hyſtericis Colica talis non infrequens eſt, fomitem nacta à viſcido & tenaci humore, parti alicui Meſenterii aut Vteri impacto, ſed ita tamen, ut à leviſſimâ cauſâ in motum adactus circumjacentes fibrillas nerveas adoriatur, rodat, pungat, aliove modo ſpaſmodicè percellat, aut criſpet.

Colicis proin doloribus hactenus recenſitis anſam præbent diverſiſſimæ cauſæ antecedentes & procatarcticæ, quæ acres in viſceribus humores, bilem, lympham, aut pituitam inteſtinorum acido-auſteram & acrem reddere valent. Aër hinc frigido-humidus artus Hominis diu lambens; Cibi ſalſo-acidi, & auſteri, glutinoſi, fructus horæi facilè fermenteſcibiles, Olera hortenſia ſale condita, Cucumeres, Melones, pinguia cum ſuperingeſto potu frigido, aut alio facilè aceſcente, Piſces ſaliti, Cereviſia novella craſſa, Vina auſtera, acida, non defœcata, pendula, aliique potus inprimis glaciati, Muſta vinacea aliave copioſè hauſta; ſubita refrigeratio corporis æſtuantis ac ſudantis; Ira vehemens; Triſtitia crebra; Terror ſubitaneus ac magnus; Febres malè curatæ, in quibus acris humor morbificus ad Inteſtina præcipitatus eſt; Purgantia vehementiora aſſumta; Vermes, Calculi, Inflammationes, Abſceſſus Inteſtinorum; Iliaca paſſio, & ſimilia alia Dolores ejusmodi colicos inferunt.

Diagnosis. Affligit hinc Colica inprimis Cholericos, Scorbuticos, Hypochondriacos, alios, pessimâ Diætâ utentes. Dolor si humorosa est Colica, in dextro vel sinistro Hypochondrio, ubi Colum alligatur, quandoque & aliis hujus Intestini locis & incipit, & usque ad morbi finem manet; in principio lenis est, sed paucarum horarum spatio ferè intoterabilis redditur. Alvus est constipata utplurimum; Nausea, Vomitusque post aliquot dies subsequuntur, Sitis inextinguibilis; Inquietudo, Vigiliæ perpetuæ; Appetitus adest nullus. In Colicâ convulsivâ dolor est lacerans, torquens, valde acerbus, utplurimum fixus, à lumbari regione plerunque incipiens, hinc ad interrora pergens, Mesenterium ac intestina tenuia valdè crispans, & convellens; succedunt non rarò contracturæ aliorum viscerum dolorosæ; atque his cessantibus superveniunt etiam interdum Convulsiones artuum, sive Parheses, quibus disparentibus dolores intensi Abdominis redeunt. Alvus sæpè adeo pertinaciter constricta & clausa est, ut Clysma nullum applicare, imò ne specillum quidem intrudere valeas. Vrinæ excernuntur magis pallidæ, quàm tinctæ, copioso sedimento præditæ, quale quid in reliquis Colicæ speciebus non observatur.

Prognosis In *Prognosi* hoc tenendum, Colicam pituitosam & stercorariam, ab humoribus Intestinorum oriundam, curari non ita difficulter posse. Convulsiva autem Colica, quo pertinacior existit, quoque magis complicata habet symptomata, eo periculosior habenda venit. Supervenire enim post plures paroxysmos solet nunc Iliaca passio, nunc Epilepsia, nunc Parhesis; nunc Atrophia, nunc Mesenterii Inflammatio aut Abscessus: Raucedo Colicæ accedens plerunque deleterium est signum. Diarrhœa autem superveniens utplurimum salutarem Morbo eventum conciliat.

In *Curatione* Colicæ humoralis statim ab initio Paroxysmi Alvus *Clystere* uno vel altero est sollicitanda, qui componi debet ex emollientibus, demulcentibus atque detergentibus, v. gr. *Alth. Malv. Mercurial. Portulac. Nasturt. aquat. Becabung. Plantag. Cochlear. Trifolio fibrin. Fumar. Flor. papav. rhead. Verbasc. Chamom. Melilot. Semin. Carvi, Lini, Cannab. Cumin. Fol. Senn.* &c. invicem *Urinæ* incoctis, atque colato hinc liquore cum *Oleo rutaceo, rosaceo, Melle Mercurial.* &c. *Tereb. vitell. ovi solut.* &c. permixt. Postmodum etiam intus *Laxans* aliquod est exhibendum ex *Infuso Fol. Senn.* cum *Rhabarb. Radic. Scorzoner. Petasitid. Pœon. Semin. Anis. Fœnicul. Dauc.* ⊖*e Absynth.* Vel *Panacæa solutiva alcalina* per dies quatuor aut plures, quotidie ad ℥iß. capiatur mane, sub vesperam autem guttæ decem *Olei destill. Carvi* cum jusculo capiantur. Si inde Alvus succedat, benè est, & Æger statim liberatus à malo erit, nec ulteriore nisi præservativo remedio opus habebit, quale est *Serum Lactis* cum incoctione *Herb. Bell. min. Beccabung. Trifol. fibrin. Plantag. Vrtic. urent. Chelidon. major.*

ac

ac *minor. Cochlear. Apii Macedon. Nafturt. Cherefol. Borrag. Fumar. Sanicul.* Vel fubinde hauftum *Aquæ* ex iisdem *Plantis deftillatæ* capiet.

Quando autem Alvus à primis ejusmodi remediis ritè in ufum vocatis minimè obediens evadit, malumque adeo de horâ in horam deterius redditur; tum verò *Clyfmata* funt plura paulatim injicienda ex media parte *Lactis bubuli* vel *caprilli*, & mediâ *Olei Lil. alb.* additis aliquot unciis *Succi Herb. Betæ*, *Beccabung.* aut *Bliti recentis*, & admixto fimul *Melle* vel *rutaceo* vel *rofaceo*. Æger etiam, nifi æftus aliquis febrilis jam repugnet, *Balneo Aquæ dulcis* ex incoctione *emollientium* & *carminativorum* per aliquot horas immittatur; poftmodum locus Abdominis dolens frequenter *Oleis anodynis Chamomill. Anethi*, *Scorpion. Rut. Verbafc. Meliloti* &c. calidè inungatur, fuperimpofito femper *Sacculo* ex *carminativis* & *emollientibus Herbis* compofito, *Lactique* incocto. Intus a. frequenter hauftus *Seri Lactis caprilli* cũ *Succo Tamarindor.* vel *Herbâ Acetofæ* coagulati concedatur, cui tamen priùs *Herbæ* quædam *nafturcinæ* fuperiùs indigitatæ incoquantur. Si *Lactis Serum* adverfum fit, integrum quoque *Lac* dari poteft, in quo eædem Herbæ priùs bullierint, & tantillum *Sacchari* folutum fuerit; quale quid inprimis convenit, quando induratæ in Colo Inteftino feces hærent. Cùm autem pauci Lac fine moleftiâ commodè ferant, ejus loco melius præbebitur unus vel etiam alter hauftus *Olei Olivarum* optimi cum *Aquâ Paludapii* & *Saccharo*, ad emolliendas vias, demulcendasque fibras infigniter irritatas. Interdum optimò cum fucceffu aliquoties integra drachma *Spermatis Ceti recentiffimi* in *Jufculo* foluta; vel uncia integra *Axungiæ caninæ*, aut etiam plus cum Jufculo affumitur. Juxta hæc tamen oportet fimul, poft evacuatam alvum, ordinare *Mixturam* quandam *cardiaco-anodynam* per cochlearia hauriendam, ex *Aquâ Borrag. Buglofs. Fl. Til. Apii Maced. Rofar. flor. Acac. Naphæ*, *Puleg. Menth. Meliff. Confol. regal. Taraxac. Syrupo Viol. Fl. Tunic. Pœon. Tinctur. Caftorii* ♎︎ *u Sal. arm. parat. Effent. Croc. Opii liquid. Ocul.* ♋︎ *. ppt. Ol.* ♀︎ *r. per. deliq. Confect. Alk.* & fimil. v. gr.

℞. *Aqu. Cherefol.* ℥iß.
Chamomill.
Fœnic. ana. ʒvj.
Elect. diafcord. ℈ij.
Syrup. de Abfynth. ʒij.
Bezoard. min. ʒß.
Effent. Galang.
Caftor. ana. ℈j.
M. d. ad Vitr. Propinetur cochleatim.

Novi etiam quendam optimè falvatum ex ℥ß. *Pulveris polychrefti* cum athletico hauftu *Decocti rad. Liquirit, Hord.* & *Anif.* affumtâ, unde alvus egregiè fuit foluta, & Æger velut intra horæ fpatium fanitati reftitutus.

Si verò quis non formidet *Succos Plantarum nafturcinarum*, tum ei cum fructu propinari poffunt ex *Herbis recentibus Mercurialis*, *Malvæ*, *Betæ*, *Nafturt. aquat.* vel *hortenf. Cochleariæ*, *Apii Macedon. Trifol. fibrin.* &c. expreffi, filtrati, *Saccharoque*, fi placet,

edul

edulcorati, de quib⁹ ſemper duæ unciæ m. ac v. capbiantur pro doſi. Vel etiam *decoctum Meliſſ. Pulegii, Abſynth. Chamom. Mercurialis* aut *Malvæ* cum aliquot ſucci è reliquis plantis expreſſi unciis pluries hauriri poteſt. Alius ſemet aliquando feliciter reſtituit propriæ *Urinæ* adhuc *calentis* potu, ſuperingeſtâ *Theriacæ Andromachi* integrâ drachmâ, unde Spaſmi inteſtinorum egregiè fuerunt diſſipati. Pro ſpecifico denique remedio habetur *Infuſum Hippenteron*; nimirum ſumuntur aliquoties quatuor vel plures *boli Fimi* ex Caballo *avenâ probè nutrito*, iis ſuperaffunditur *Aqua flor. Acac. ad* ℥iv. *Aqu. Menth. ad* ℥ß. poſt quadrantem horæ ſuccus exprimitur, & *Julepo roſaceo* edulcoratus propinatur, quotidie per aliquot dies repetendo, usque ad notabilem Mali extirpationem. Vel dabitur ſeqq.

℞. *Elixir. propr. Claud.* ʒij.
Eſſent. Caſtor.
Zedoar. ana. ℈ij.
Opii liquid. ʒß.
Miſc. ad Vitr. Dentur m. ac v. 25. ad 30. gutt. pro doſi cum vehiculo conveniente.

Quod ſi tandem non obſtantibus hiſce remediis Æger perpetim malè habeat, alvus conſtipata remaneat; imò quicquid ore aſſumitur, ſive ſolidi ſive fluidi, ſtatim iterum per vomitum rejiciatur, hacque ratione jam *Iliacus* incipiat *Affectus*, tum niſi Ægrum intra aliquot dies Convulſionibus & Inteſtinorum Sphacelo interire velis, citra hæſitationem, non obſtantibus, quæ fortè jam ſubinde erupe-runt, Spaſmis propinare deb... bis *Mercurii vivi benè purgati* ℔ß. v... etiam plus, cum *Syrupi Violarum* ℥i... & *Aqu. Cinnamom.* ℥ß Atque lic... hinc *Mercurius* non ſtatim intra ho... ram unam vel alteram per alvum r... jiciatur, prodibit tamen etiam inn... xiè demum quintâ vel ſextâ die, ſi in... terea *Clyſmate* uno vel altero Alvu... ſollicitaveris, tandemque & *Infuſu... fol. Senæ* ſemel vel iterum exhibuer... modo ſupra allegato: notandum eni... maximè, ſtatim ab hauſtu *Mercu...* omnem ſedari vomitum, ut, quicqui... poſtea ſuperingeritur, in corpore m... neat, neque per vomitum amplius r... jiciatur. Hâc ratione plures jam c... ratos atque ſanitati priſtinæ reſtit... tos vidimus; ſed alios tamen etia... obſervavimus, in quibus *Mercuri...* ob validiorem Inteſtinorum conſt... pationem penetrare neſciens, tande... poſt ſeptimam diem ſalivationem i... ſtituere incepit, mortuo interim br... vi Ægro. In Ruſtico quoq; Mercuri... ante & poſt mortem per Vmbilicu... forâs è corpore penetravit. Apu... omnes tamen idem *Mercurius* hauſt... ſtatim omnes ſedavit dolores.

Si Æger à malo eſt liberatus, tum pra... ſervativi loco vel *Acidulas*, vel *The... mus Piperinas*, *Plumbarias*, aliasve b... bat cum regimine Diætæ, imò ſubi... de aliquot doſes *Tincturæ* ♄ *nii* cu... *Eſſentiâ Croci* & *Caſtorei* in *Aquâ M... liſſæ* vel *Menthæ* aſſumat: quin & *A... qua è Naſturtio*, *Solano*, *Apio Maced... nic. Cochlear. Meliſſ. Plantag. Rap... ruſticano*, *Trifol. fibrin. Apio ſelino*, *Bo... ragine*, & *Fimo equino deſtillata* inte... dum

dumque ad ℥iv. hausta, egregium est præservativum.

In Diætâ fugiantur omnia salita, acida, fumo indurata, maximè flatulenta; vitentur Ira, Corporisque nimiæ refrigerationes.

[..]a Co[..] [..] con[..]sivæ, [..]rina. In *Colicâ spasmodicâ* undecunque profectâ, etiam hystericâ, aut hypochondriacâ nullum Purgantibus locū dabis, sed *Clysma* tamen unum vel alterum *anodyno-emolliens* atque *demulcens* injicere poteris; v. gr.

℞. *Herb. 5. emoll.*
Solan.
Meliss.
Flor. Chamomill. ana. Mj.
Baccar. Juniper.
Semin. Aquileg.
Carv. ana. ʒij.
Lini ℥ß.

Incis. & contus. coqu. in s. qu. Aqu. commun. vel Lactis bub. Colatur. ℥x. *adde*

Olei *Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Mellis rutac. ʒvj.
Essent. Castor. ℈j.

M. f. Clyster tepide injiciendus, & aliquoties, si opus videbitur, repetendus.

Vel injici potest solum *Lac bubulum* cum *Oleo Amygdal. dulc.* atque *Chamomill.*

Intus convenit *Mixtura* sequens, aut similis.

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Aq. fl. Til.
Vin. Hungar. Hispanic. aut Malvat. optim.
Syrup. de Poeon. ana. ℥ß.
Essent. Castor. gutt. xv.
Opii liquid. gutt. ix.

Misce, sumatur uno haustu.

Sunt qui *Aquam Vitæ Matthioli*, *Aquam Vitæ juniperinam*, *Liquorem Melissæ*, *Menthæ*, aut *Pulegii spirituosum* & *Saccharo* edulcoratum commendant. Ab ejusmodi spirituosis tamen abstinendum est, sicubi febriles adfuerint phlogoses, atque in hoc casu tutius & citius juvant Pulveres alexipharmaco-antispasmodici, v. gr.

℞. *Pulv. Pannon. rubr.* ʒj.
♁ *n. diaph.*
Vngul. Alc. ppt. ana. ʒß.
Laud. opiat. gr. iii. *vel* iv.

M. f. Pulv. subtil. div. in 4. doses æqu. ad ch. m. ac vesp. sumendas.

Vel ℞. *Pulv. Viperar. ppt.*
Bezoard. miner. ana. ℈ij.
Unicorn. marin. ppt.
Cinnab. ♁ *n. corr. ana.* ℈j.
Laud opiat. gr. iiij.

M. f. Pulv. subt. div. in 4. part. æqu. m. ac vesp. sumend. cum Aqu. fl. Til. Fœnic. aut Solani.

Vel ℞. *Ebor ust. ppt.* ʒj.
Dent. Apr. ppt.
Ægagropil. ppt.
Castor. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ʒß.
Laud. opiat. gr. iv.

M. f. Pulv. subt. div. in 6. dos. æqu. ad ch. m. ac vesp. sumend.

Si Alvus interea constipetur denuo, vel Clysmate expedienda, vel exhibito intus laxante remedio blando sollicitanda venit; in quem finem modò *Decoctum Herbar. recent. Malvæ Mercurialis*, & *Flor. Ros. damascenarum* &c. ad uncias quinque vel sex aliquoties propinatur; modò *Panacea*

solutiva alcalina ad ʒj. vel ʒiß. quotidie semel per triduum aut quatriduum exhibetur.

Postmodum, ubi Dolores colici nondum cessant, ea ulterius præscribi debent, quæ acidum acre destruere aut emendare, simulque irritatas fibras demulcere, ac à spasmodica tensione liberare valent. Itaque mane ac vesperi haustus sequentis Decocti propinabitur.

℞. *Herbar. Veronic.*
Scabios.
Folior. Sclareæ.
Menthæ aquat.
Flor. Chamomill. ana. Mj.
Semin. Fœnic. Pœon.
Radic. Gentian. ana. ʒij.
Zedoar. ʒiß.

Incis. & contusa coque in Aquæ fontan. Mensuris duabus ad quartæ partis consumt. Colatura detur ad Vitr. Mane ac vesp. cyathus unciarum quinque vel sex exhauriatur.

Prosuut & sequentes Liquorum mixturæ guttatim sumtæ, v. gr.

℞. *Liqu. C. C. succinat.*
Tinct. Castor. cum Spirit. ⊖lis arm. ppt.
Spir. theriacal. camphor. ana. ℈ij.

M. detur ad Vitr. Dosis m. ac v. guttæ 15. ad 25. cum Aqu. Chamomill.

Vel ℞. *Salis volat. oleos.* ʒij.
Essent. Castor. ʒj.
Opii Langel. ʒß.

M. d. ad Vitr. sumantur m. ac vesp. gutt. 20. ad 30. cum Aqu. fl. Til. & Pœon.

Vel ℞. *Aqu. Chamomill.*
Solan. ana. ℥iß.
Puleg.
Syrup. Capill. ♀ *r.*
de Pœon.
anodyn. ana. ℥ß.
Essent. Succin.
Castor.
Carmin. Wed. ana. ʒß.

M. detur ad Vitr. Singulis trihoriis cochleare plenum capiatur.

Vel ℞. *Aqu. Meliss.*
Card. Mar. ana. ℥iß.
Menth.
Syrup. de Absynth. ana. ℥ß.
Theriac. cœlest. ℈ß.
Essent. Castor. ʒß.
Veronic. ℈iiß.
Bezoard. min. ʒß.

Misc. d. ad Vitr. sumatur per cochlearia frequenter, blandum hinc sudorem expectando.

Infusum aut *destillatum Hippenterorum* specificè heic prodest, & sæpius dicto citius omnem dolorem aufert, v. gr.

℞. *Bolor. fimi Caballi avenâ nutriti recent. num.* 4.
Affunde Aqu. Chamom.
fl. Acac. ana. ℥iß.

Stent per bihorium in loco tepido, postmodum exprime liquorem, adde

Essent. Castor. ℈ß.
Spir. theriacal. camphor. ℈j.
Syrup. de Menth. ʒij. vel *Elæosacch. Cort. Aurant.* ʒij.

M. d. ad Vitr. & hauriatur pro dosi.

Vel ℞. *Destillat. Hippenter.* ℥vj.
Essent. Carmin. Wedel. ʒj.
Opii Langel. ℈ß.
Syrup. de Semperviv. ʒvj.

M. d. ad Vitr. Exhibeatur tribus dosibus,

bus, spatio 16. *vel octodecim horarum.*

Si *Pilulæ* magis arrideant, dari poterunt seqq.

℞. *Extract. Pœon.*
Castor.
Theriac. Cœlest. ana. ℈ß.
Cinnab. ♄ *n. opt.* ℈j.
Ol. stillat. Menth. q. s.

M. f. l. a. Pilulæ num. 40. *Conspers. pulv. Cinam. d. ad scat. sumantur decem, duodecim, pluresve pro dosi.*

Quod si *Radices Gentianæ*, *Pœoniæ*, ac *Petasitid.* cum *flor. Chamomill.* & *summitat. Absynth.* in *Aquâ* & *Vino* probè decoquas, hinc *Decoctum* per colum trajicias, ejusque tres vel plures uncias m. ac v. bibas, admisto si lubebit *Elæosaccharo Angelic. Cort. Aurant. Anis. Zedoar.* aut *Menthæ*, citò etiam ab hoc Dolore liberaberis.

Externè Abdomen inungi potest bis quotidie *Axungiâ Castorei*, *Anatum*, *Vulpin. Oleis Chamomillæ*, *Aneth. Menth. Laurin. Semin. Hyosc. aut Papav. alb. expr. cum Oleis destill. Anis. Chamom. Fœnic. Carv. Cumin. Succin. Rutæ*, *Angelic. Galbanet. Paracels.* desuper imponendo frequenter Linteum probè calefactum cum papyro, ne Olea statim à linteis absorberi queant. Sunt qui *Emplastrum carminativ. Sylvii* cum *Emplastro de Cicutâ* aut *Bacc. Lauri* applicant. Denique Fomentationes Abdominis prodesse possunt, quando videlicet *Radices Angelic. Imperator. Mutellin. Levistic. Herbæ Aneth. Abroton. Menth. Meliss. Puleg. Absynth. Flores Chamomill. Sambuc. Pœon. Baccæ Lauri*, *Juniperi*, *Semina Anis. Fœnicul. Cumin. Carv.* &c. invicem incisa & contusa *Sacculo* indimus, hunc dein *Vino* incoquimus, exprimimus, & calidè Abdomini applicamus, sæpius renovando.

COLUMELLÆ MORBI, vid. *Gargareonis Affectus.*

COMA SOMNOLENTUM, vid. *Cataphora.*

COMA VIGIL, τυφομανία, ex τύφος *fumus*, *astus*, *arrogantia*, & μανία, *furor*, compositâ voce, est Symptoma Sensuum internorum, quo Æger perpetuò quidem ad somnum ducendum inclinat, oculosque claudit, sed tamen ob inquietudinem Spirituum continuis insomniis turbatur, sicque profundius dormire nescit. *Coma vigil.*

Causa. Causa hujus Morbi est serum quoddam mucilaginosum acre, copiosius ad glandulas Cerebri delatum, hincque spirituum animalium sufficientem transcolationem præpediens, unde Spirituum penuria, ac ita dormiendi cupido, imò somnus ipse enascitur. Cùm autem idem Serum acrimoniâ quadam subtili ac penetrante fibrillas Cerebri nerveas continuè simul titillat ac vellicat, tum hæ sic præternaturaliter agitatæ suum, quem fovent, liquorem spirituosum ad motum irrequietum incitant, sicque ansam turbulentis insomniis, & interrupto variè somno præbent. Rarissimè hoc Symptoma solum affligit, sed plerumque soboles est Febreos plus minus malignæ, unde & expergefacti tales Ægroti utplurimum delirant nonnihil.

Diagnosis. Quod si proin *Diagnosin* spectes, in hoc Morbo Ægri continuè dormire gestiunt, atque hinc ipsis semper oculorum palpebræ collabuntur quas diu apertas haud retinere nôrunt. Verùm licet ita per aliquot momenta partes externæ dormiant, statim tamen iterum propter insomnia turbulenta vigiles redduntur, & inquieti sunt; moxque in pristinum Somnum relabuntur. Interea Febris continua utplurimum simul Hominem tenet, in quâ mens sibi crebrò non constat, sed à præternaturali tam spirituum quàm fibrillarum cerebri medullarium motu ad perversas cogitationes, delirasque actiones incitatur.

Prognosis. Quod P*rognosin* concernit, certè huic Affectui parum est fidendum, utpote qui plerunque malignam pro comite vel causâ Febrim habet, aut talem pôst se trahit, si nondum adest, atque hinc in Lethargum, Phrenitidem aut Apoplexiam lethalem degenerare vel terminare solet.

Curatio. In *Curatione* proin feliciter instituendâ ratio primaria est habenda Causæ tam proximæ, quàm antecedentis; æstus febrilis mitigari ac planè extingui, viscositas sanguinis incidi, ejusque acrimonia salina volatilis demulceri, sicque naturalis ipsi crasis ac motus restitui debet. Itaque ante omnia unus alterve Clyster emolliens, detergens atque evacuans est injiciendus, v. gr. paratus ex *Decocto Herbarum* & *Radicum emollient.* ut & *Betonic. Salv. Meliss. Puleg. Aneth. Radic. Pyrethr. Imperator. Flor. Calendul. Cheiri, Semin. Carvi, Napi, Cochleariæ, Fol. Senn. mund.* Colaturæ hinc permisceatur aliquid de *Oleo Rutæ*, *Castor. Camphor. Aneth. Melle Mercurial. Electuar. diacatholic.* Post *Clysmatis* operationem, ad *Venæsectionem* in Homine sat sanguinis habente devenire licet; & demum ea in usum vocanda, quæ absorbere & edulcorare, vel simul acria salia per diaphoresin è latice sanguineo expellere possunt. Tale quid præstant tum *Pulveres Corall. rubr. ppt.* P*annon. rub. Cinnab.* ♄*n. vel nativ. Diaph.* ♃ *vial.* vel *Lunare, Ebur ppt. C C. phil. ppt. Dens Apri* vel etiam *Hippopotam. ppt. Nitrum* ♄*iat. Arcanum dupl.* ♄ *n. diaph. Unicorn. fossil.* &c. tum *Liquores* diluentes ac temperantes, v. gr. *Aquæ. Portulac. Malv. Meliss. Ulmar. Agrimon. Acetos. Succi Lactuc. Endiv.* Quibus adde guttatim m. ac. v. sumendas *Essentias Castorei, Succini, Betonic. Anthos, Sal volat. Viperar. Succin. C. Cerv. Ebor. Tinct. Castor. cum Spiritu Salis armon. parat. Elix. propr. s. acid. vel Clauderi, Spirit. theriac. camph.* Si fortè abest Febris, malumque à saburrâ vitiosorum humorum productum fuerit, tum statim in principio dare oportet Vomitorium, v. gr.

℞. *Rad. Asar. gr.* 27.
Crem. ♀*ri. gr.* vj.
Cinnab. ♄ *n. corr. gr.* iiij.
⊖*is volat. Succ. gr.* iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. sumatur pro dosi.

Si verò nulla talium stomachi cruditatum signa adsunt, tum *Vinum* potius *medicatum* præscribi potest, per epicrasin corpus purgans, componetur

tur autem illud ex *Radicibus aperientibus Vincetox. Apii, Caryophyll. Herb. discutientibus*, & *cephalic. Agrimon. Scolopend. Hepat. nobil. Marrub. alb. Theé, Beton. Major. Rorismar. Sum̄it. Absynth. Aneth. Flor. Cheir. semin. Anis. Fol. Senn. Rad. Rhab. opt. Helleb. nigr.* ⊖*e Cichorii, Cortice Winteran. Externè* sæpiùs naribus admovebitur *Ruta recens, spirit. Anth.* vel alius *Apoplect.* qualis etiam cum *Essent. Succin.* vel *Castorei*, *ut Spiritu Lumbr. terr. Salis arm. theriacali camphorat. Tinct. Castor. cum Spiritu Salis arm. parmixtus*, vertici atque temporibus frequenter calidiusculè imponi potest. Denique Febris ipsa maligna, vel qualiscunque adfuerit, suo modo curanda est.

COMBVSTIO, vid. *Ambustio.*
COMEDONES, vid. *Dracunculi.*
CONCEPTIO DEFICIENS, vid. *Sterilitas muliebris.*

CONCVSSIO CEREBRI, est Morbus solutæ unitatis, quo partes Cerebrum constituentes & proximè involventes à violentâ quadam externâ causâ ita commoventur, ut naturalis inter illas unio plus minusve tollatur, sicque interni & externi earum tubuli lædantur.

Causa itaque nulla est, nisi violenta & externa; nimirum modò Instrumentis his illisve caput Hominis concutitur; modò lapsus varii ex alto, cum capitis allisione gravi ad rem duram contingunt, modò denique ictus ab Hominibus, Equis, aliisve Brutis accipiuntur, indeque moles Cerebri concutitur.

Etsi hinc causa mali externa sufficienter à Medico per relationem Ægri vel Adstantium cognita habeatur; ulteriùs tamen læsum seu concussum esse Cerebrum indicant subsequentes vomitus, deliquia animi, vertigo, stupiditas, somnolentia, deliria, torpor sensuum, motusque musculorum imbecillitas. Quibus interdum jungitur sanguinis per nares, os & aures effluxus. *Diagnosis.*

In *Prognosi* morbus hic non est levis dicendus, quando enim stupiditas cum somnolentiâ, aut aliquali simul delirio continuat, signum præbet rupturæ vasorum atque hinc extravasati humoris in Cerebro, qui paulatim cumulatus subinde & putrefactus, Phrenitidem, Soporem vel Lethargum & Apoplexiam lethalem post se trahit. Quando autem Sensus & Motus omnes perfectioni suæ restituuntur, atque somnolentia omnis abest, tunc nihil hactenus mali aut periculi exinde metuendum venit. *Prognosis.*

In *Curatione* ad impediendam extravasationem, aut si quid jam extravasatum est, resorbendum ac dissipandum, *Venæsectio* confestim est administranda, eaque etiam, si opus videbitur, postridie repetenda. Postmodum statim dosis vel *Spermatis Ceti recentiss.* vel *Sanguin. Hirc. ppt. ad* ʒj. vel *Pulveris contra Cas. ad* ℈j. ℈ij. vel ♁*nii diaphoret.* cum *Oculis Cancror.* anaticâ portione sociati ʒß. cum Jusculo Carnium, vel *Infuso fol. Thee* alia- *Curatio.*

 rum-

rumque *Herbar. traumaticarum* exhibeatur, & pluries, urgente necessitate, reiteretur. *Clysma* etiam unum vel alterum in principio ad eluendas primas vias injiciatur, cui inservire potest *Decoctum Radic.* & *Herb. emollient.* cum *Salviâ*, *Calaminth. Majoran. Chamædr. Betonic.* &c. admixto etiam *Melle rosaceo*, *rutaceo*, aut *violaceo* cum *Oleo anethin.* & *vulpino.* Neque intermittenda *Decocta traumatica ex Radic. Caryophyllat. Vincetox. Herbar. Beton. Sanicul. Alchymill. Vinc. pervinc. Millefol. Pyrol. Ulmariæ, Gratiæ Dei, Flor. Calendul. Bell. min.* & simil. quæ cum tertia parte *Vini albi* & duabus tertiis *Aquæ fontan.* paranda, de quibus dein quotidie m. ac v. cyathus exhauriatur plenus. *Externè* mox capilli Capitis deradantur, atque sæpiùs *Spiritu Vini camphorato* caput lavetur calidè, super imponendo semper *Sacculum cephalicum* ex *Betonicâ*, *Chamædr. Rore marino*, *Ocymo*, *Lavendula*, *Serpillo*, *Veronicâ*, *Salviâ*, &c. concinnatum, inque *Vino albo*, coctum & expressum. Quodsi autem Vulnus simul adsit, tum illud consueto more deligabitur, atque in *Sacculorum* usu nihilominus continuabitur. Quando proin ab omni sic malo liberatus creditur Æger, per aliquod tamen adhuc tempus raso Capite impositum gestabit *Emplastr. Oxycroceum*, vel *de Betonicâ* ac *Baccis Lauri.*

Diætâ. In *Diætâ* ab omnibus acribus, acidis, salsis, & aromatisatis nimium cibis abstinendum, neque in principio mali quidquam, præter *Juscula*, concedatur, sive *hordeata*, sive *avenacea*, aut *carnea* demum illa fuerint. Loco *Vini* bibatur vel *Cerevisia tenuis*, *non acida*, vel *Decoctum C. C. rasp. Agrimon. Betonic.* cum *passulis.* *Potus* quoque *Thée* frequens in hoc malo utilis est. Ab irâ, aliisque vehementioribus Animi commotionibus desistatur. Si Febricula continua superaccedat, tum *Pulveres diaphoretici*, cum aliquâ similis efficaciæ *Mixturâ* antifebrili cochleatim hauriendâ, ordinabuntur, sicuti in Febrium continuarum curatione præscripsimus.

CONDYLOMA est morbus magnitudinis auctæ, sive Excrescentia carnis callosa in digitis manuum atque pedum, præsertim verò circa anum & pudenda muliebria prominens, & nunc mollis ac indolens, nunc dura, prurienteque, vel etiam ardente dolore molesta. Κονδύλωμα vocatur à Κόνδυλος, *Articulus*, quoniam articuli in morem quasi prominet.

Differt à *Verrucis*, quod hæ aliam plerumque figuram habeant, nullum dolorem inferant, ac promiscuè per cutim totius corporis enasci soleant; Condylomata verò articuli in modum rarius in digitis manuum atque pedum, frequentius verò circa anum & pudenda mulierum gignantur. A *Clavis* distinguuntur eadem loco affecto & formâ externâ, quippe in illorum superficiè sæpius punctum aliquod nigricans hæret, è quo, tanquam ex oculo materia sebacea crassa quandoque excluditur; cùm

Condy-

Condylomata tale quid non ſuggerant; præterea *Clavi* non rarò magnâ ſui parte citra dolorem & ſanguinis profuſionem exſcindi poſſunt; ſecus ſe res habet cum *Condylomatibus*. A *Ficubus* tandem diſcernuntur *Condylomata*, quatenus hæc prominentiora ſunt, & colorem cum reliquâ cute communem habent. *Ficoſæ* autem excreſcentiæ latiores ac minùs prominentes, præterea quoque colore fuſco aut nonnihil livido præditæ exiſtunt.

E quibus jam *Signa* Condylomatum *diagnoſtica* quiſque per ſe haurire poteſt. Contingunt nimirum tales Excreſcentiæ ſubinde in clauſtris magis, quàm in ſinu pudendorum muliebrium, non ſecùs atque in podice utriuſque ſexûs, & quidem cum tuberoſitate, vel eminentiâ inæquali: naſcuntur etiam ſenſim, non ſubitò, ac utplurimum non niſi quandam cum aliquali pruritu moleſtiam, ſed &, ſicubi Inflamatio deſuper accedat, ſimul dolorem ardentem cum rubore inferunt.

Producuntur Condylomata utplurimum à Succo nutritio nonnihil craſſiore, viſcidiore, & quaſi caſeoſo reddito, copioſiùsque in affectâ Parte cumulato, vel ibidem per externam quandã compreſſionem, aliamve occaſionem coacto, ita ut ejus particulæ juſtâ volatilitate deſtitutæ, per tranſpirationem exhalare nequeant, ſed omnes neceſſariò ibi ſubſiſtere, atque propter intercurrentes particulas ſalinas acido-fixas plus minus indurari cogantur.

Quorum igitur Maſſa ſanguinea talibus referta eſt ſalibus, iis vel ab equitatione, vel à ſeſſionibus diuturnis, ani cutim valdè comprimentibus, vel à levibus contuſionibus, Condylomata haud difficulter enaſcuntur, pro ſalium minore vel majore acrimoniâ plus minus dolentia. Inprimis autem gigni ſolent per impurum concubitum cum Hominibus Lue ♀ reâ laborantibus, ubi virus iſtud venereum externè partes pudendas lambens, illarum poros ſuâ volatilitate ſubit, inque glandulis ſubcutaneis, aut vicinis partibus aliqualem corroſionem excitat, ſub quâ ſuccus nutritius poſtea majori copiâ affluens talibus excreſcentiis formandis anſam præbet. Ut adeo Condyloma aliud *venereum* & *malignum*, aliud *benignum dici queat*.

Prognoſis. Parum vel nihili hic curatur Affectus, niſi vel dolore inflammatorio, vel pruritu moleſtus eſſe incipiat. In deteriorem morbum vix degenerat, niſi fortè corroſiva ab impuro coitu ſalia ibi fuerint collecta, quæ dein vel Inflammationem & Abſceſſum malignum, vel cancroſum tandem Ficum poſt ſe trahere valerent. Prognoſis.

In *Curatione* eo eſt maximè adnitendum, ut viſcoſitas & acrimonia humoris Condyloma producentis incidatur, attenuetur, edulcoretur, atque diſcutiatur. Hunc in finem convenit *Purgans* aliquod præmittere, cum *Mercurio dulci*, v. gr. Curatio.

℞. *Extract. cathol. gr.* xii.
Maſſ. Pilul. tartar. Qu. gr. viii.
Mer-

Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Ol. stillat. Succin. q. s.
Resin. Jalapp. gr. iij.
M. f. l. a. Pilulæ num. 15. *dentur ad ch. Sumantur mane jejuno stomacho pro dosi, & aliquoties reiterentur.*

Postea statim Condyloma, nisi malignum & venereum fuerit, quotidie bis *Succo Ranunculi*, vel *Chelidoniæ majoris, Verbasci*, *Cochleariæ*, cum *Spiritu Salis armon. permixto* tantillum foveatur; atque hinc *Ceratum* ex *Cerâ viridi* factum applicetur; cui permisceri quoque potest *Calx viva*, & *Mercur. dulc.* Vel *Emplastrum* componatur ex *Colophon. Pice*, *Terebinth. Cerâ viridi*, *Lithargyrio*, *Flor. Sal. armon. Mercurio vivo* vel *dulci*, & *Camphorâ*. Fieri etiam possunt *Cataplasmata* aut *Fomentationes* ex Herbis recentibus contusis, vel in *Vino rubro, Lixivio, Aquave Calcis viv.* decoctis, *Thymi, Verbasci, Scrophulariæ, Parietariæ, Mercurialis, Rutæ, Sabinæ, Aristolochiæ, Sigilli Salomonis, Thapsi barbati, Solani, Nicotianæ, Libanotidis, Barbareæ*, &c. Vel *Radices Scrophular. Pentaphyll. Aristoloch. rot. Rhapontic. Bacc. Laur. Stercus ovillum* & similia in *Aceto* & *Aquâ* decoquantur, spongiaque decocto calenti frequenter immersa applicetur. Vel *Fimus columbinus, anserinus*, aut *caprillus* cum *Cineribus sarmentorum Vitis*, *Floribus* ♀*ris*, *Lapide calaminari ppt. Minio, Tutiâ ppt. Aloe, Thure, Mercurio præcipitato.* Pulvere item *Fol. Sabinæ*, *Radicum Scrophular. Aristoloch. rot. ver. Imperator. Hermodactyl.* permisceatur, ac ita applicetur cum *Melle*.

Hisce nihil proficientibus, ad corrosiva est deveniendum; atque hunc in finem extrema cuticula Condylomatis decussatim incidatur, hincque *globulus* ex *Mercurio præcipitato corrosivo* cum *Terebinth.* aut *Mucilag. Gumm. Tragac. applicetur*, ac per 8. horas relinquatur; postmodum simplex *digestivum Unguentum* tamdiu applicetur, donec excitata crustula vel abscesserit planè, vel separari inceperit. Tum verò *Mercurius præcipitatus ruber* pluribus deligationibus, ad absumendas Condylomatis reliquias applicetur, etiam citra digestivum, immissis solùm filis linteis carptis, ac superimposito *Emplastro Diapalma*, vel *de Lapid. Calaminari*, vel *Diachylo simplici*, vel *Oleum* illud *causticum* ferè indolens *Plateri* diligenter illinatur; quod ita parandum esse scripsit:

℞. *Ol. Laterum opt.*
Mastich. Gumm. Arab. pelluc.
Tereb. clar. aa. ℥iij.
Pulverisata misce, destill. per Alembicum vitreum: quod extillat, incorporetur cum cineribus Hederæ arbor. reiteretur hinc destillatio, Oleumque prodiens servetur ad usum. Si totum Condyloma est consumptum, locus illius adhuc aliquoties lavabitur *Decocto* quodam *traumaticarum Herbar.* in *Vino* vel *Aquâ Calcis* facto, tandemque Cicatrix *Emplastro Diapalm.* sensim inducetur.

Quod si Condyloma ad Inflammationem tendat, *discutientibus* quidem *remediis*, inprimis *camphoratis* sicque fomentatione cum *decocto Herbar.*

bar. resolventium , *camphoratum Spiritum* admiſcendo diſſipatio eſt tentanda , ſi verò diſcuti nequeat , ſed in Abſceſſum vergat, maturantia, ſicuti in Abſceſſu monetur , ſunt adhibenda, hinc Vlcus detergentia , atque Cicatricem tandem promoventia applicanda.

dylo- ve- rum. Condyloma *malignum* vel *venereum* intus quidem poſtulat aliquoties aſſumendas *Pilulas purgantes* cum *Cinnab.* ♄ *n. corr.* vel *Mercur. dulc. opt.* Deinceps *Vena* quoque Brachii *ſecanda* , ſanguiſque pro conditione Ægrotantis majore vel minore quantitate extrahendus. Hinc *Lignorum decoctum* m. ac v. ad quatuor pluresſves uncias hebdomadæ ſpatio , vel diutius propinandum, ſimulque *guttæ 20. vel 30. Tincturæ* ♄ *nii* vel *Corallor.* addendæ. Extus verò *Aqua phagedænica* pluries calidiuſculè cum linteolo applicanda , deſuper imponendo *Emplaſtr. de Ranis Vigon. cum Mercurii duplo* ; ſi inde non diſcutiatur , *Unguentum digeſtivum* cum *Mercurio præcipitat. albo* , *Flor.* ♀*ris* , *Aloë* , *Myrrh.* atque *Bezoardico minerali* miſcendum , & diligenter illinendum, vel *Emplaſtrum ſtict. Croll.* cum *Mercur. dulc.* & *Oleo later.* permixtum admovendum.

CONSVMTIO CORPORIS , vid. *Maraſmus.*

tra- a mbro- . CONTRACTIO vel CONTRACTVRA MEMBRORVM , eſt motûs voluntarii abolitio cum membri validâ plus minus contractione , ita ut ſponte flecti nullâ ratione queat. Vnde ſub nomine *Contracturæ* etiam comprehendimus illam *Manuum immobilitatem* , quæ frequenti & vehementi admodum Colicæ ſpaſmodicæ ſuccedere , atque aliâs *Parheſeos* nomine venire ſolet, in quâ Hominum manus ac digiti valde debiles redditi contrahuntur , ita tamen ut ſi non ſponte, aliena tamen ope flecti atque à ſe invicem diduci poſſint. *Parheſis*

Duas hinc Contracturæ *ſpecies* admittere oportet , quarum altera quidem *rigida* eſt, cum abſolutâ & conſtanti membrorum immobilitate , & propriè vel κατ' ἐξοχὴν *Contractura* dici meretur : altera autem *flaccida* , in quâ membrum reſolutum contrahitur , ſed flecti tamen alieno adminiculo poteſt , ſicuti in manibus parheticis contingit. Prior ſpecies ad *Convulſionem tonicam* , poſterior autem ad *Paralyſin* commodè refertur. *Differentia.*

In *priore* ſpecie varia membra affici ſolent ; contrahitur aliquando *brachium* , vel *crus* alterutrum aut utrumque;aliquando *maxilla* inferior,dũ ad ſuperiorem ita pertinaciter apprimitur, ut os eapropter aperiri nequeat. Vidimus & caput rigidè intortum atque tantùm non planè inflexile & immobile redditum. Interdum unus alterve digitus,vel etiam plures ſimul contracti manent & rigidi in Arthritide nodoſâ. Obſervavimus quoque Homines , quibus vertebræ lumborum inflexiles redditæ ſunt , adeo ut corporis trunco perpetim inclinato incedere coacti fuerint , ſeſeque erigere nunquam potuerint. Proin hæc Contractura rigida , ſive Convulſio toni- *Pars affecta in Contracturâ rigidâ.*

ca interdum aliquandiu tantùm durat, ac dein iterum cessat; subinde verò etiam *perpetim durans* existit: tandem & aliquando *periodica* evadit; cujus quidem raram hoc tempore speciem in formosissimâ Juvenculâ non sine admiratione conspeximus; hæc enim ab optimis & lautioris fortunæ Parentibus laudatissimè educata ab ineunte meticulosa extitit, de cœtero felicibus ingenii dotibus prædita: anno 1706. qui duodecimus erat ipsius ætatis, nimio forsan pavore exagitata, atque domum reversa postridie statim febricitare cœpit, sed leniter admodum, fuitque hæc Febricula postliminiò nunc quotidiana, nunc tertiana, & quidem cum Maxillæ inferioris *Convulsione tonicâ* sive *Contracturâ periodicâ*, quæ vesperi semper redibat, & hinc usque in matutinas sequentis diei horas durabat; his & alia interdum symptomata jungebantur, donec tandem ambo simul pedes sensim immobiles redditi, atque paucarum hebdomadarum spatio retro versus clunes ita tracti fuerint, ut ultra biennium jam immobiles, clunibusque arctè applicati manserint, utut Parentes toto hoc tempore nullis in optimorum remediorum conquisitione sumtibus pepercerint, ad sanitatem pientissimæ Filiæ recuperandam, licèt hæc tandem pertæsa aliquandiu abusu remediorum destiterit, Dei misericordiæ sese unicè commendans. Nullos interim ex hâc Contracturâ unquã persensit in genubus aut alibi dolores; appetebat, digerebat atque egerebat benè, nondum menstruata est, dormit tranquillè, totum corpus, etiam contracti pedes crescunt sicut reliquæ partes, & augentur secundum naturã. Utut autem Contractura pedum immutata semper ultra duos annos permanserit, maxilla tamen periodicè tantùm, & quidem â tertiâ cujuslibet diei vespertinâ usque ad tertiam matutinam sequentis diei sine ullo dolore contracta existit. Quod si aliquando instrumentis variis pedes diducere conaremur, statim dolores non genua tantùm & tendines pedum, sed & caput ipsum cum metu convulsionum universalium prehendere cœperunt. In quo statu jam versetur ista filia dicere non licet, cùm â longo ipsam tempore videre non contigerit. Fascino interim malum hoc plures adscribere voluerunt, cùm manifesta ejus nulla causa deprehendi potuerit. Ante triennium aliam similiter Filiam duodecennem vidimus, per aliquot menses simili Contracturâ maxillæ periodicâ laborantem, quæ præcisè horâ octavâ vespertinâ incipiebat cum aliquali capitis dolore, & hinc per novem aut decem horas durabat. In utroque exemplo subitò accidebat, subitòque iterum remittebat paroxysmus.

In *Contracturâ flaccidâ* sive *Parhesi* manus tantum affligi solent, rariùs autem extremi pedes simul debiles, & ad voluntariam flexionem impotentes redduntur. In manibus etiam musculi extensores plus minusve resolvuntur, oppositis, qui digitos contrahunt, sanis manentibus.

Qui causas ejusmodi malorum veras, genuinas, atque omni dubio carentes

rentes

rentes â nobis scire desiderat, is sanè rem oppidò difficilem petit; est enim hæc ipsa materia, quæ ab omni tempore excellentium Medicorum ingenia torsit, multorumque animos in suspenso tenuit. Cum autem in morbis hisce ad oculum pateat, membra contrahi, atque ita vel rigida & inflexibilia manere, vel flaccida esse, sed adminiculo alieno flexibilia, satis facilè quivis comprehendet, illam partem, cui membrum alligatum est, decurtari, vel breviorem reddi debere. Pars verò talis est musculus cum suis fibris atque tendinibus; musculus itaque, vel musculosi tendines, atque fibræ nervosæ præternaturaliter decurtatæ *causa proxima* Contracturæ statuerunt. *Crispationem* vel *Crispaturam* vocant hodierni Medici, eamque à diversis causis produci existimant antecedentibus & mediatis; immediatè enim talis Crispatio vel Contractio fibrarum fit ab elatere earundem aucto per copiosiorem fluidi spirituosi affluxum, ob quem fibræ compactiores atque breviores redduntur, non secus atque funis siccus, quando humore perfunditur, â quo ita decurtari & contrahi observatur, ut etiam pondus aliquod attollere & elevare queat. Equidem fibræ cujuscunque musculi naturalem sese contrahendi nisum obtinent, ac eapropter perpetim contraherētur nisi oppositi semper musculi exstarent, qui similem nisum haberent, & ita membrum, cui adhærent, in contrariam partem ducerent. Quamdiu proin fluidum spirituosum in fibras talium oppositorū sive antagonistarum musculorum nerveas vel tendineas æqualiter distributum est, atque sic velut æquilibrium quoddam utrobique observat, tamdiu membrum, in quod hi musculi desinunt, ultro citroque flecti, contrahi atque extendi potest. Quamprimum autem illud æquilibrium tollitur, ita ut quantitas spirituum in nervos unius musculi major effusa sit, quàm in fibrosam oppositi musculi texturam, tum membrum reverâ spasmodicè eo trahitur, quo fibræ, quoad suum elaterem ab influxu spirituum copiosiore auctum crispatæ, tendunt; dum musculus antagonista, qui in oppositam partem idem membrum flectere solet, ob minorem elaterem sufficienter resistere nequit. Atque hinc talis præternaturalis tensio durat tamdiu, donec elater utrobique æqualis fuerit restitutus. Sed idem phænomenon similiter contingit, quando fluidum nerveum in uno quidem musculo naturali quantitate manet, in opposito autem minuitur præternaturaliter.

Si quis ergo *tonico Spasmo*, atque *immobili Contracturâ* unius membri laborat, tum vel fibræ musculi illud contrahentis continuè majorem fluidi spirituosi copiam in sese continebunt, vel fibræ musculi antagonistæ ob defectum sufficientis spirituum quantitatis laxiores & flaccidiores præternaturaliter facti erunt. *Causa contracturæ rigidæ.*

Majorem quantitatem fluidi nervei fibris conciliant, aut in illas depluere faciunt variæ nervorum irritationes & punctiones, quas modò humores acido-vel austero-acres, modò

varii generis instrumenta pungentia, lacerantia, exasperantia, comprimentia excitant; quemadmodum hoc ante aliquot annos in Fabro ferrario experti fuimus, cui ex Vulnere in metatarso accepto tamdiu maxilla contracta & immobilis mansit, quamdiu frustulum calcei aut tibialis intra vulnus permansit, nervosasque fibrillas compressit, aut asperitudine suâ lancinavit. Quando contingit, ut in omnes omnium musculorum, motui voluntario dicatorum, nervos spiritus majore quantitate æqualiter imprimantur, tum Tetanus, vel tonica totius corporis convulsio oboritur, tamdiu durans, donec spiritus à suâ in nervos contentione remittant. Quod si per longum tempus quis membrum non movit, tum tendines musculorum illud flectentium ita rigidi ac duri sensim evadunt, ut flecti postliminio amplius nequeat.

Defectus fluidi spirituosi in nervosis fibris oboritur, quando vel comprimuntur, vel discinduntur, vel obstruuntur, vel siccantur, & indurantur. Vnde podagrâ nodosâ laborantibus, graviter vulneratis, ustione læsis & similibus in casibus Contracturæ non rarò obtingunt.

A Fascino etiam contracta quomodocunque membra fuisse Georg. Abrahamus Merklinus in *Casibus medicinalibus Incantationi vulgo adscriptis*, & J. Christ. Fromannus in *Tractatu de Fascinatione* referunt.

Contractura *periodica*, quæ subinde datur, adscribenda venit humori viscido-acri statis horis suam irritationem exercenti, & ad certum temporis spatium continuanti.

Manuum Contractura, sive *Parhesis* proximè quidem contingit à resolutione nervorum & musculorum, digitos, manusque extendentium, unde fit, ut musculi oppositi sive antagonistæ, vel integrè sani, vel non multum debiles redditi, suo officio defungantur, nisumque sese contrahendi exerceant, & ita decurtati manuum digitos contrahant. Hæc contractio tamen ejusmodi est, ut alienâ nihilominus ope digiti extendi queant, quoniam naturalis tantùm fluidi spirituosi quantitas in nervis illis musculorum contrahentium existit, quæ extensionem impedire nequit, cùm aliâs per se, si oppositi musculi resoluti non essent, extensio digitorum per intercedentem hominis voluntatem, sine alieno auxilio facilè contingere posset. Quod si verò resolutis musculis extensoribus musculi adducentes sive contrahentes quantitatem fluidi nervei justo majorem acciperent, tum propter auctum sic fibrarum nervosarum elaterem adeo validè contraherentur digiti, ut neque alieno adminiculo illi extendi possent, nisi vim maximam adhibere, doloremque immanem excitare vellemus.

Resolutio autem illa musculorum contingit ab impedito fluidi nervei sufficientis influxu, unde elater in illis minutus, vel planè abolitus, renitentiam oppositorum musculorum actioni naturalem præstare nequit, atque simul flacciditatem iisdem musculis conciliat. Fluidum nerveum non influit

fluit in musculos extensores, quoniam nervosæ ipsorum fibræ per consensum, quem cum plexu nervorum mesenterico, in spasmodicâ vel biliosâ Colicâ graviter afflicto, habent, validè sunt constrictæ, & quasi ligatæ; usque adeo ut hæc ipsa Colica pro causâ antecedente, eaque ferè ordinariâ Parheseos haberi debeat. *Colica* hinc *spasmodica*, vel sic dicta *biliosa* semper ferè præcedit, atque Hominem plus minus diu aut frequenter excruciat, antequam Parhesin post se trahat. Quod si tamen nervi ad musculos distributi, horumque tendines, vel in vulnere rescissi, vel in ambustione siccati ac destructi, vel in ulcere erosi fuerint, similiter ejusmodi Contractura vel Parhesis oboritur. Venena tandem mercurialia, aliave quotidie tractata, vaporesque illorum hausti, vel assumta venena aut remedia drastica huic quoque Affectui ansam præbent.

Quod autem in Parhesi musculi manus contrahentes sint illæsi, vel exinde cognosci potest, quoniam homines per hanc digitorum contractionem aliquid manibus tenere solent.

Ex dictis jam facilè hi Affectus cognosci possunt atque à se invicem discerni solent, ut ulteriore *Signorum diagnosticorum* recensione opus non sit. Parhesis indolens est semper, Contractura autem rigida subinde, nõ perpetim dolorem comitem habet. Usque adeo ut in contractis quomodocunque membris sensatio tactûs utplurimum illibata maneat, cùm interea motus sit abolitus.

Quoad Prognosin autem hoc tenendum, Morbos hos, si radicati atque inveterati fuerint, plerunque ad mortem usque Hominis, etiam citra dolorẽ ullũ durare, omnemq; remediorum vim eludere. Imò quæ à nervorum aut tendinum amputatione, erosione, vel ambustione originem ducit Contractura, omnem statim in principio medicationem respuit, prorsus insanabilis existit, & non rarò Atrophiam tandem post se trahit, præprimis quæ â fascino, aut per incantationẽ excitata fuit. Reliquæ autem *recentes* Contracturæ, nisi æger enormes in ipsâ Diætâ errores per frequentẽ iram, aut largam quotidie Vinorum ingurgitationem, aut continuam tristitiam &c. commiserit, nunc integrè nunc magnâ ex parte curari possunt. *Prognosis*

In *Curatione* proin huic unicè satisfieri debet indicationi, ut æqualis fluidi nervei influxus atque expansio vel distributio debita & naturalis restituatur; siccitasque, si quæ adfuerit, humectantibus corrigatur. In *Contracturâ* proin *rigidâ* dolente vel indolente primæ ante omnia viæ expurgandæ, sicque impedimenta felicis sanationis tollenda veniunt: hunc in finem leniens aliquoties remedium exhiberi poterit, v. gr. in Adulto; *Curatio.* *Contractura rigida.*

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab. vel*
Ros. sol. composs. cum R. A. S.
flor. Persicor. ana. ℥iß.
Aqu. Portulac. ℥i.
Fœnic. ℨij.
M. f. Potio d. ad. Vitr. Sumatur pro dosi, & quidem bis vel ter, alternis diebus. Vel

 ℞. *Pa-*

℞. *Panaceæ solut. alcal.* ℥vj.
Semin. Aquileg.
Cinnab. ♃*n. opt. ana.* ʒß.
M. f. Pulv. subt. divid. in 6. Part. æqual. ad ch. Singulis diebus mane sumatur dosis in dilutiore Emulsione Amygd. dulc. cum Aqu. Beton. & Beccabungæ, vel simili factâ.

Præmissis hisce intus proderunt blanda volatilia per longum rempus, mutatis subinde formis ac remediorum speciebus sumta, quemadmodum sequentia proficua sæpè deprehendimus: v. gr.

℞. *Essent. Aquileg.*
Betonic.
Succin.
Ambr. gryss. cum Spiritu Meliss. extr. ana. ʒiß.
M. detur ad Vitr. Dosis m. ac vesp. 25. vel 30. guttæ cum Aquâ Beccabungæ, Nasturt aquatic. Cherefol. fl. Til. Pœon. aut simili. Vel

℞. *Essent. Trifol. fibr.*
Meliss. ana. ʒij.
Castor.
fl. Aquileg. ana. ℈ij.
Misc. detur ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.*
Tinctur. ♃*n. vel*
Corallor. ana. ʒij.
M. d. ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Spirit. Sanguin. human.* ʒij.
Salis armon. anis. ʒj.
Aqu. Cinam. cum Vin. dest. ℈ij.
M. d. ad Vitr. Dosis 20. ad 25. gutt. m. ac vesp. cum vehiculo superiore.

In formâ Pulverum sequens apprimè valet:

℞. *Viperar. ppt.*
Bezoard. miner. ana. ʒiß.
☽*aris.*
Semin. Aquileg.
Pœon. ana. ʒj.
⊖*is volat. C. C.* ʒß.
Sacchar. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. detur ad scatul. Dosis m. ac vesp. ℈ij. *cum Infuso fol. Theé, Betonic. & Chamædr.*

Vel ℞. *Specier. diambr.*
diamosch. dulc. ana. ℈iiij.
⊖*is vol. Viperar. vel C. C.* ℈ij.
Matr. Perl. ppt.
Ebor. ust. ppt.
Specif. stom. Poter.
Unicorn. marin. ppt. ana. ʒj.
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. nativ. opt. ana. ʒij.
Fol. ☉*ri num.* iiij.
Sacchar. rosat. tab. ℥ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis ad ʒj. *vel plus, m. ac vesp. per se aut cum vehiculo conveniente.*

Vel præscribi potest usus *Jusculorum* herbis nasturcinis atque nervinis alteratorum, v. gr. *Borragine, Buglosso, Chamædr. Cherefol. Majoran. Beton. Endiv. Cichor. Fumar. Agrimon. Ulmar. Beccabung. Nasturt. hortens. vel aquat. & similib.* Vel ex iisdem plantis cum additione *Fimi Caballi Avenâ nutrit. Fimi columbini, Semin. Anis. Fœnic.* &c. Aqua destillari, ac ejus postea haustus, unciarum trium vel quatuor, quotidie mane per plures hebdomadas propinari potest: vel æstivo tempore potus *Thermarum piperinarum*, aut etiam *Acidularum* prodest.

Extus

Extus ea quoque conducunt, quæ tonum fibrarum roborare, obſtructoſque nervorum tubulos reſerare valent. Quem in finem comendantur *Balnea Aquæ dulcis* cum admiſtione *Lactis vaccini*, & incoctione Herbarum tam emollientium, quàm cephalico nervinarum, ut ſunt: *Alcæa*, *Althæa*, *Agrimonia*, *Ulmaria*, *Solanum*, *Anſerina*, *Branca urſina*, *Chamædrys*, *Chamæpitys*, *Majorana*, *Anethum*, *Abrotanum*, *Abſynthium*, *Ruta*, *Malva*, *Origanum*, *Lappa major vel minor*, *Mentha qualiscunque*, *Salvia nobilis ac ſylv. Beccabunga*, *Angelica* quævis, *Petroſelinum*, *Cherefolium*, *Lavendula*, *Roſmarinus*, *Chamomilla*, & ſimil. Vel ſacculus ejuſmodi plantis repletus in *Vino* coqui, exprimi, & applicari membro poteſt. *Venæſectio* & *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* in Plethoricis non negligendæ. *Frictiones* quotidianæ cum linteis mollibus calentibus inſtituendæ. Imò juxta uſum Remediorum validè emollientium etiam membrorum artificialis extenſio per commoda inſtrumenta tentari ſenſim debet, niſi Convulſio qualiſcunque metuenda ſit.

Notandum autem, ab ejuſmodi remediis tam internis, quàm externis, ſubinde ſudorem expectandum aut eliciendum eſſe; poſt ſudorem autem, vel poſt balneum quodvis, imò etiam citra hæc m. ac veſp. Membrum afflictum, aut origo certè nervorum, ad muſculos talis membri deſcendentium, illiniri aut inungi debet *Oleo*, *Unguento*, aut *Balſamo* efficaci *nervino*; quemadmodum ſunt v. gr. *Olea Hyperici*, *Anethi*, *Abrotoni*, *Rutæ*, *Meliſ. Ocymi*, *Chamomill. è Floribus Slotani*, *Scorpionum Matthioli*, *Lumbricor. terreſtr. Later.* quibus admiſcere poſſumus *Axungias*, *humanam*, *urſinam*, *caninam*, *Caſtorei*, *Murium alpinorum*, *Anatum*, *vulpinam*, cum *Oleis deſtill. Aneth. Baccar. Juniperi*, *Spic. Lavendul. Amarac. Roriſmar.* Vel *Galbanetum Paracelſi*, ſi corpus macilentum non eſt, loco omnium uſurpetur. Commendatur etiam à nonnullis *Balſamus Viſci tiliacei*, vel *Balſamus magicus Pforzheimenſ.* non ſecus atque *ſpecif. Unguentum Hartmanni in Praxi chymiatr.* Vel *Sanguis Bovis*, *Vituli*, *Ovis*, aut alius animalis, imò *Hominis* adhuc calens ſpongiâ excipi & affectæ parti cum fructu applicari ſolet. Quin & involvi ſæpius poteſt membrum pelli recenter ab animali vivo extractæ, adhuc calenti, ad aliquot horas. Si ſudor non facilè ſequatur, in laconico frequenter pro re natâ quærendus erit.

Contractura ab *Arthritide fixâ* oriri ſolita præcaveri, vel ſi recens adhuc fuerit, curari poteſt ſæpè uſu *Balneorum mineralium*, Argillam cum tantillo Aluminis, aut Nitri vehentium; ut & potu *Lactis bubuli*, vel *aſinini* aliquandiu continuato mane; hâc verò curâ durante à *Vini* uſu eſt abſtinendum, & ejus loco pro ordinario potu *Decoctum Lignorum mite* potari debet. *Contractura ab Arthritide curatio.*

Parheſis manuum intus quidem ſequentibus curari poteſt remediis, v. gr. *Cura Parheſeos.*

℞. *Tinctur. Corall. vel* ♉ *n.* ℥iij.
Eſſent. Trifol. fibr.

Pæon.

Pœon. ana. ℥j.
Aqu. Cinam. cum Vin. dest. ℈ij.
Misc. detur ad Vitr. Dosis m. ac vesp. horâ ante pastum 25. *ad* 30. *gutt. cum vehiculo convenienti*, v. gr. *Syrupo aperit. Minderer.* vel *sceletyrb.* vel *de Beton.*

Vel ℞. *Decoct. Lignor. aut saltem.*
Ligni Sassaphr. ℥iij.
Tinctur. ♀*ri, vel*
♄*nii.*
Spirit. Cochlear. ana. gutt. xv.
Rotul. Man. Christ. simpl. ʒij.
M. f. Potio d. ad Vitrum pro dosi quotidie mane ac vesp. per aliquot hebdomadas repetendâ, horis aliquot ante pastum.

Singulis autem biduis vel triduis post haustam hanc potionem in lecto vel laconico Æger sudare debet.

Juxta hæc post cœnam, imò etiam quandoque mane sequens *Tragema*, vel *Electuarium* usurpetur; v. gr.

℞. *Fol. Betonic. Meliss. ana.* ʒiß.
Majoran. Chamædr. ana. ʒj.
Succin. alb. ppt.
Rasur. Ebor.
Matr. Perl. ppt.
Cinnab. ♄*n. corr. ana.* ʒiß.
Semin. Fœnic. Pœon.
Radic. Cal. arom.
Cassiæ. Lign. ver.
Cubebar.
Cinam. elect.
Flaved. Cort. aurant.
Nitr. ♄*iat. ana.* ʒj.
Sacch. rosat. ℥vj.
Folior. Aur. num. 8.
M. f. Pulvis subt. d. ad scatul. Dosis ʒj. *ad* ℈iiij.

Vel ℞. *Conserv. Beton.*
Meliß.
fl. Anth. ana. ℥ß.
Nuc. Ind. condit. ʒiß.
Condit. rad. Satyr. ʒiij.
Succolat. Indor. ℥ß.
Syrup. Capill. ♀*r. q. s.*
M. f. Elect. d. ad Oll. Dosis magnitudo nucis juglandis bis quotidie.

Si à Veneno aut Remedio drastico provenerit malum, tum *Lac bubulum* per plures dies, quotidie ad uncias 6. vel octo calidè bibendum, *Sacchari*, vel *Conservæ Betonicæ, Borraginis*, aut *flor. Tunicæ* tantillo edulcoratum. Sed insimul m. ac vesp. sequens Pulvis exhibebitur:

℞. *Corall. rubr. ppt.*
Terr. Lemn. ppt. ana. ʒiß.
Bol. Arm. ppt.
Matr. Perl. ppt.
Pulv. Viperar. ppt. ana. ʒj.
Fol. Auri num. 3.
Sacch. rosat. tab. ʒvj.
Misc. f. Pulv. subtil. d. ad Scatul. Dosis ʒj. cum *Emulsione Amygdal. dulc.* vel *Lacte bubulo.*

Vel *Electuarium* sequens, maximè absorbens, demulcens, atque confortans præscribetur:

℞. *Conserv. fl. Tunic.*
Borrag.
Ros. rubr. ana. ℥ß.
Conditur. rad. Symphyt. ʒij.
Nuc. mosch.
Conf. Hyacinth. compl. vel incompl.
Roob. Sambuc. ana. ʒj.
Unic. fossil.
Terr. sigillat.

Uni

Unic. marin. ppt. ana. ℈ij.
Syrup. Capill. ♀ *r. q. s.*
M. f. Elect. d. ad Oll. Dosis singulis sex horis magnitudo Nucis moschatæ.

Æstivo tempore potus *Lactis asinini*, vel *Thermarum Fabariensium*, aliarumve optimè conducit. Nonnulli virus eluunt potu *Acidularum*, si fibras Stomachi nimis teneras non habent. Vide quoque Titulum de *Hypercatharsi.*

Vapor. venenatis. A Vaporibus venenatis, mercurialibus, arsenicalibus producta Contractura, v. gr. in *Aurifabris*, *Pictoribus*, *Figulis*, *Metallifossoribus*, curatur intus quidem ante omnia decem vel duodecim doses *Panaceæ solutivæ sive laxativæ alcalinæ* exhibendo; deinceps autem *diaphoreticis* pluribus propinatis sudorem frequenter pellendo; quem in finem præscribi possunt, v. gr. ♁ *n. diaph. Specif. stomach. aut antihect. Poter. Bol. Arm. ppt. Pulv. Pannon. ruber, Viperar. ppt. Bezoardic. miner. Dens Apri vel Hippopotam. ppt. Diaphoret.* ♃*are, Unicorn. mar. ppt.* & simil. è quibus Pulvis componi, & ad dosin dimidiæ drachmæ cum *Emuls. Sem. 4. frig. major. Card. bened. Aquileg. & Card. bened. Aquâ Galegæ & Scabios. fact.* quotidie semel propinari potest. Loco hujus tamen Emulsionis inservire quandoque solet *Decoctum Lignorum* cum *Meliss. Betonic. Majoranâ*, *Origano*, & *Scabiosâ*. Sumto autem tali sudorifero *Laconicum* semper ingredi potest Æger.

Externè in Parhesi necesse est, ut per longum tempus Æger bis quotidie sibi spinam dorsi cum brachiis & manibus linteis calefactis mollibus fricari, ac postea statim *Oleo laurino*, *Lumbric. terrestr. Scorpion. Matthiol. Aneth. Majoran. Chamomill.* cum *Axungiâ Serpentum*, *human.* vel *canin.* permisto, vel *Balsamo Galbani terebinthinato*, articulos dictarum partium calidè inungi curet. Æstivo tempore nonnullis absoluto *Acidularum* aut *Thermarum* quarundam potu profuit usus Balneorum mineralium argillaceorum, vel quotidiana intrusio manuum parheticarum in recens mactati, & adhuc probè calentis animalis interanea. Vidimus & in Plumbariensibus Lotharingiæ Thermis profuisse maximè unâ cum earundem potu quotidianum sudorem in Laconico excitatum, cum repetitâ Nuchæ, Axillarum, Brachiorum atque Manuum embrocatione, sive ut inibi loquuntur, *Duciâ*, *la Douche*. Post quemvis sudorem membra calentibus probè linteis sunt abstergenda, ac fovenda, simulque ulteriùs, quantum ferre potest Æger, *spiritu Lil. convall.* vel *Anhaltino*, aliove ex *Herbis cephalicis*, *nervinis*, *Aromatibus*, & *Resinis*, in *Spiritu Vini rectificato* infusis composito calidè lavanda; aut oleo quodam superiore, vel *Balsamo paralytico Paracelsi*, vel *Oleo mirabili*, quod Cardilucius in *Officinâ Sanitatis Capit. p. m.* 135. describit, perungenda veniunt.

Si *Contractura* existat periodica, intus subinde corporis interanea blando laxante extergenda sunt, ubi conducit *Potio* qualiscunque *eccoprotica*, vel *Panacea alcalina* repetitis vicibus sumpta, Cura Contracturæ periodicæ.

ſumpta. Poſtmodum conducit frequens aſſumtio vel *Pulveris ſpecifici cephalici Michaëlis* cum *Viperis ppt.* vel *Eſſentiæ Succini, Betonic. Aquileg. Ambræ, Trifol. fibrin. Tincturæ* ♄ *n.* ♀*ri*, ♂ *tis aperitiv.* Æſtivo tempore potus *Thermarum* aut *Acidularum* non prætermittendus, exactumque *Diætæ* regimen obſervandum. *Fonticulus* in brachio excitandus. In plethoricis etiam *Vena ſecanda*, *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo applicandæ.

Contractura Senum. *Contractura Senum* nonnihil *Balneorum* & *Inunctionum* uſu emendari poteſt, perfectè autem curari nequit. Aliæ Contracturarum ſpecies, à dilaceratis, diſciſſis, eroſis, Vlcere corruptis, aut diu ſiccatis nervis, vel à Vulneribus articulorum, & luxatione malè tractatâ oriundæ, ſunt immedicabiles.

Contractura à Tumore vicino. Si *Tumor vicinus*, aut res Vulneribus inhærentes, nervos vel tendines comprimendo, pungendo, lancinandove in culpâ fuerint, tum tumor emolliendus, reſolvendus, diſſipandus, vel in Abſceſſum & Vlcus mutandus. Res autem præternaturales Vulneri inhærentes eximendæ, tumq; demum Vulnus cicatrice obducendũ.

Contractura à Faſcino. *Contractura à Faſcino*, quæ radices jam firmas egit, & inveterata eſt, curabilis vix exiſtit. Recens autem, quæque immediatè à maleferiato Spiritu maligno non eſt introducta, curationem adhuc admittit. Refert Barthol. Carrichterus, *Imperat. Maximil. II. Archiater, in Curat. Morbor. magicor.* Contracturam ſine Contabeſcentiâ interdum Homini in brachiis vel pedibus per faſcinationem contingere, quando Venefica Bufonem ejus nomine circa lumbos fuſtibus egregiè contundit; atque hunc dein morbum ſequenti modo curari poſſe memorat:

℞. *Herbarum jam florentium, Plenilunii tempore ſereno cœlo mane collectarum.*
Antirrhini nobil. Man. 5.
Abrotoni Manip. 3.
Inciſas probè & mixtas coque in Vini rubri Menſ. ij.

Colato hinc tali vino Ægrum in labro novies lava, ac deinceps vinum effunde in amnem ſive fluvium proximum; poſt ſingulas autem lotiones membra Ægri contracta *Balſamo Viſci corylini* calidè inunge, quod ita deſcribit:

℞. *Axung. Caponum purificat.* ℥xij.
Urſi probè depurat. ℥viij.
Pinguedin. Catulor. depurat. ℥iiij.
Viſci Corylin. cum baccis Miij.

Viſcum hunc contunde probè in mortario cum piſtillo tiliaceo, ut inde ſucculenta fiat maſſa, quam dein cum Pinguedinibus optimè mixtam vitro ſive phialæ anguſti orificii immitte, atque radiis ſolaribus per novem hebdomadas expone; ſic tandem fiet Unguentum viride, quod externè uſurpatur.

Balneum quoque *Aquæ dulcis* ex incoctione diutinâ largæ quantitatis *Herbæ Filicis* atque *Scrophulariæ*, præparari, eique Æger mane per bihorium, veſperi autem non niſi per horæ ſpatium inſidere poteſt. Sequens denique *Apozema* commendat:

℞. *Radic. Scrophular.* ℥ij.
Herbar. Verben. Man. 5.

An-

Antirrh. Mj.
Vini alb. veter.
Aqu. fontan. aa. Menſ. j.

Inciſ. & contuſ. coque ad tertiæ partis conſumtionem. De colaturâ hinc Æger ter quotidie hauſtum egregiũ aſſumat. Finito primo *Decocto* ſecundum, imò tertium quartumve eſt bibendum, atque ita continuandum, donec ſperatus ſuccedat effectus. Huic *Apozemati* etiam *Aquilegia cum toto, Trichomanes, Angelica, Artemiſia, Viſcus tiliaceus, Verbena, Abrotanum, Alliaria, Hypericum, Ophioglosſum, Pyrola, Scordium, Leontopodium*, &c. imitti poſſunt.

Alias etiam *Suffumigia antimagica* parare ſolent ex *Herbis Salviæ, Rutæ, Solani, Roris mar. Artemiſ. Hyperici, Verbenæ, Viſci corylin. Antirrhini, Piloſell. Ligno Aloës, Santalo citr. Thure, Maſtich. Corticib. Citr. Benzoë, Styrace calamit. Ladano, Aſâ fœtid. Sulphur.* &c.

Sunt qui *Cataplaſma* ex *Stercore humano* cum Pulvere *Aſæ fœtidæ, Viſci tiliacei, Scrophulariæ radic. Seminis Antirrhini*, &c. conficiunt, & calidè membris contractis ſæpius applicant. Decantatus verò maximè eſt *Balſamus magicus Pfortzheimenſis*, quotidie membris inungi ſolitus, cujus deſcriptionem ſequentem è G. A. Merklini *Sylloge Caſuum Incantationi adſcriptorum pag.* 85. & 254. didicimus:

℞. *Ol. Hyperic. optim.* ℔j.
Vini generoſ. Sextar. 3. *vel Menſ.* j.
Ol. Terebinth. Lumbric. terr.
Philoſophor, ana. ℥ij.
Ceræ ℥j.
Pingued. human. deſtill.
Olei medullæ Oſſium humanor.
vel cervinor. deſtillat. ana. ℥iij.
Theriac. Andromach.
Mithridat. Damocr. ana. ʒj.
Radic. Ariſtol. rot.
Dracuncul. macul.
Symphyt. ana. ℥ß.
Scrophular.
Fabar. aa. ℥j.
Viſc. quern. tiliac. & coryl. aa. Mj.
Folior. Perſicar. Pyrol.
Rutæ murar.
Menth. criſp.
Polytrich.
Scabioſ. ana. Miij.
Flor. Antirrh. Mviij.
Hyperic. Man. vj.
Verbaſc. Man. ij.
Betonic. Centaur. min.
Auricul. Mur.
Brunell.
Conſolid. aur.
Ptarmicæ.
Chelidon. maj. aa. Mj.
Pomor. Momord. ℥iij.
Baccar. Herb. Parid. ℥iß.
Seminis Antirrh. ℥ß.
Hyperic. ℥iß.

Inciſa & contuſa coque in Diplomate, vaſe clauſo, ad conſumtionem Vini. Exprime fortiter, ac dein impone
Croci Mart. aperit.
Mumiæ, Maſtich.
Thuris, Myrrh. aa. ʒij.

Coque iterum leniter, & pro circulatione Solis radiis expone: hyeme verò ad fornacem colloca.

CONTVSIO cum *Ecchymoſi* ſive *Sugillatione*, eſt Morbus ſolutæ unitatis, in quo ſanguis è vaſculis, per violentam externam cauſam ruptis, exprimitur, membranaſque cutis inter- *Contuſio cum ſugillatione*

tercurrendo, rubicundum primitus, mox lividum parti colorem inducit. Ita ut sic unaquæque ferè corporis pars externa huic malo obnoxia sit.

Diagnosis. *Cognoscitur* id ipsum è variato sensim colore partis contusæ, qui primò ruber, post lividus, aut etiam obscurè viridescens, tandem flavus evadit, donec naturalis iterum color redierit. Nullus præterea dolor, aut exiguus duntaxat simul jungitur; imò nec ipsa pars contusa semper tumet, quoniam parum sanguinis est, quod in contusione è vasis exilit, idque ultra cutim vix descendit.

Prognosis. Malum leve, modò probè tractetur: sinistrè verò curatum, aut etiam neglectum, in Inflammationem Abscessum, Vlcus, Fistulam, imò & ipsam Gangrænam, atque Sphacelum degenerare potest, apud eos præprimis, quorum sanguis acrimoniâ corrosivâ pollet. Superaccedit quandoque Febris, quæ tamen diaphoretico uno vel altero iterum dissipatur.

Curatio. In *Curatione*, antequam pars contusa sugilletur, repellens statim remedium applicandum, quod impedit vi quadam adstringente, quo minus sanguis è vasculis ruptis exprimi possit. Tale est v. gr. *Aqua gelida*, vel *Acetũ frigidũ*, vel *Lapis* aut *Ferrũ frigidum* statim ab accepto ictu applicatũ. *Spiritus* autem *Vini* aliusve sulphureus calidè cum linteis adhibitus impedit sugillationem tumoremque om-nem, vel hunc jam factum confestim, circulationem humorum probè conservando promovendoque discutit.

Si *Contusio* est magna atque vehemens, tum illicò Patiens jubetur Vrinam mittere, quam dein nonnulli adhuc calentem cum linteis imponunt. Statim verò simul vena brachii secanda, hincque Æger, aut saltem contusæ quocunque modo partes ovillâ pelle recenti & adhuc calente involvantur, ut sic extravasatio humorum prohibeatur. Si quid tamen nihilominus extravasatum creditur, internis quidem *diaphoreticis*, & *grumos sanguinis resolventibus* discutietur; v. gr. *Sperma Ceti recens ad* ʒj. *Sanguinem Hirci ppt. ad* ℈i. *vel* ʒj. *Ocul.* ♋. vel *Dent. aprin. ppt.* vel *Pulv. Viperarum ppt. ad* ʒß. aliquoties cum *Juscu-lo* propinando: cui jungatur etiam *Mixtura diaphoretica* ex *Aqu. Cherefol. Heder. terr. fl. Sambuc. Syrup. aperit. Minderer.* vel *de Betonic.* cum *Ocul.* ♋. *ppt. Cannab.* &c. Imò & *Decocta contra casum traumatica* m. ac v. calidè pota magnum in ejusmodi casibus usum habent: ad ea verò sumuntur *Herbæ Alchymill. Anserin. Betonic. Sanicul. Artemis. Pyrol. Virg. aureæ, Vinc pervinc. Fragar. Caryophyllat. Carbones Til. Aceto restinct.* &c. quæ in mediâ parte *Vini albi* & *Aquæ* coqui possunt: hinc quotidie semel aut bis ℥iij vel iv. propinando.

Si *Gangræna* immineat, quod ex duritie, livore, & insigni ardore Tumoris colligi debet; potenter est resolvendum, quod fit parti applicando *Cataplasma* ex *Scordio*, *Fimo caballino*, *Sigillo Salomonis*, *Brunellâ*, *Salviâ*, *Meliss. Card. benedict. Camphorâ*, &c. *Vino* incoctis, & in Pultis formam redactis. Vel lintea saltem

Rori

Rori minerali, ac *Spiritui vini* vel *Ceras. nigror. camphorato* immersa sæpiùs cum fructu applicantur, intus simul diligenter propinando *diaphoretica*, tam in *potionibus* quàm & in *potu ordinario*, ubi à *Vino* abstinere debet Æger. Si opus videbitur, etiam pars cultello aperiatur, vel scarificetur, hincque curatio prout in Gangrænâ absolvatur.

Si *Vulnus* simul adest, illud consueto more curetur, sed etiam *discutientia Fomenta* aut *Cataplasmata* applicentur.

Contusionibus, hincque enatis Tumoribus atque Sugillationibus Infantum frequentibus statim quidem repellentia frigida applicabis; vel linteum *Albumini ovorum* & *Aceto* confestim intinctum, sæpè repetendum. Si verò Tumor jam sit factus, aut ipsa Sugillatio, tum Mulierculæ id omne discutere nôrunt suis *spiritibus* domesticis, v. gr. *Lil. convall. Ceras. nigr. Vini camphorat.* aliove: vel etiam statim *Sambuci flores*, *Salviam*, *Majoranam*, *Chamomillam*, &c. *Vino albo* incoquunt, & lintea immersa calidè applicant. Aliæ *Butyrum elixum* cum *Spiritu vini* & *Albumine ovi* applicant. Aliæ iterum *Aquâ muriaticâ* calefactâ & sæpiùs admotâ vitiū curant. Tandè verò Sugillationes reliquiæ paulatim à solâ naturâ discutiuntur, imposito solùm *Cerato simplici* ex *Oleo rosaceo* vel *Lil. alb.* & *Cerâ flavâ*.

CONTVSIO *cum Fracturâ Cranii & Vulnere*, est Morbus solutæ unitatis, in quo non solùm Cutis capitis membranæ atque vascula dividuntur, sed & ipsum Os Cranii frangitur.

Causa. *Causa* hujus mali est vel lapsus ex alto, capitisque ad rem duram fortis allisio, vel ictus à diversis rebus duris acceptus; quâ ratione nunc punctim, nunc cæsim, nunc alio qualicunque modo, continuitas solvi potest; sed hic non nisi ea læsio, quæ per modum allisionis, aut contusionis, obtuso instrumento factæ, contingit, intelligitur.

Diagnosis. & Prognosis. Vt adeo ad cognoscendum hoc malum signis opus non sit multis; sed notandum tamen, per ejusmodi Contusionem diversimodas læsiones institui posse, sicque pro accidentium varietate Affectum nunc deteriorem & periculosiorem, nunc leviorem & minùs periculosum existere, ac eapropter diversimodè curari debere.

Curatio. In *Curatione* proin, si per Contusionem sanguinis copia sit effusa inter cranium & membranas, quod sciri potest ex emissione sanguinis per nares, aures, os; item è capitis gravitate, stupore, sopore, &c. statim post Vrinæ excretionem *Vena* brachii secetur, atque hinc, si opus videbitur, *Clysma emolliens* ac *detergens* injiciatur, paratum ex decoctione *Herbar. Parietar. Betonic. Betæ*, *Mercurial. Malv. Atriplic. Salviæ*, *Artemis. Baccar. Laur. Juniperi*, *Semin. Anis. Laur. Carv.* Additis tandem post colaturam, *Electuar. lenitiv.* vel *Melle rutaceo*, ac *Oleo oliv. Hyperic.* vel *Lil. albor.* Dein internè grumos sanguin. dissolventia sunt exhibenda, v. gr.

℞. *Aqu. Cherefol. Scab.*
Card. bened. ana. ℥iß.

Roob Sambuc. ℥iß.
♁*n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ʒß.
Essent. traum. ℈ij.
M. d. ad Vitr. Sumantur singulis trihoriis aliquot cochlearia.
℞. *Pulv. ad Casum Aug.* ʒiij.
♁*n. diaph.* ʒj.
M. f. Pulv. subt. div. in 8. *dos. æqu. ad ch. mane ac vesperi sumendas cum Infuso fol. Betonicæ & Alchymillæ. Decocta* hinc *traumatica* sunt bibenda, quibus-ni Febris obstet fortior, etiam *Essentiâ Trifol. fibr. Betonicæ, Alchymill. Sanicul. Virgæ aureæ, Gramin. Parnass. Bellid. minor. Numular.* &c. admiscere possumus, dosi qualibet 30. vel 40. guttarum.

Vulneri postmodum externè suo modo, alibi exposito, prospiciendum; ac etiam *Fractura Cranii* ipsa, quemadmodum suo loco dicetur, deliganda. *Sacculi* interim ex *Herbis Betonic.* maximè, sed & *Meliloti, Salviæ, Majoran. Origan. Calaminth. Veronic. Artemis. Bacc. Laur. Juniperi,* &c. componantur, atque *Vino* incocti & expressi frequenter Capiti applicentur, ut sic grumi sanguinei discutiantur ac dissolvantur, ipsaque sanguinis circulatio pristino vigori restituatur.

Quod si *Cranium* sit simul *depressum*, aut spinæ quoque subtus Meninges pungant, tum Cranium trepano est aperiendum, ac elevandum, quem operationis Chirurgicæ modum suo loco videre licet.

Contusio cum Hemorrhagiâ. CONTVSIO cum *Effluxu Sanguinis per Superiora & Inferiora*, est Morbus solutæ unitatis, à re quadam externâ violentâ graviter in Corporis truncum incurrente, originem trahens, ita quidem ut intus Vasa quædam sanguinea rumpantur, sicque effusus in Ventriculum, Intestina, aut Thoracem sanguis per superiora vel inferiora projicitur.

Nimirum vehementes admodum contusiones, aut allisiones Corporis, quocunque demum modo per lapsum aut ictum à variis rebus seu instrumentis duris productæ, facilè quasdam in ipso venas rumpere, indeque largiorem parcioremve sanguinis extravasationem excitare possunt. Sanguis verò ille postea coagulari, ac, nisi promtè resolvatur, putrescere, Inflammationem, Abscessum, & Vlcus producere, Febrim accendere, aliaque subinde periculosa symptomata causari solet.

Itaque in *Curatione* ad nimiam sanguinis extravasationem impediendam statim *Vena brachii* secetur, ac bona sanguinis quantitas extrahatur. Deinceps simul ad resolutionem atque dissipationem ejus, quod jam extravasatum ac fortè coagulatum est, accedendũ, intus quidẽ aliquot doses *Pulveris ad Casum Aug.* vel *sanguin. Hirc. ppt. Dent. apr. ppt.* ♁ *n. diaph. Bez. min. Spermat. Cet. recent. Ocul.* ♋. *ppt.* exhibendo cum *Aqu. Scabios. Plantag. fl. Sambuc. Cherefol.* &c. Imò Decoctum contra Casum ex *Sanicul. Alchymill. Artemis. Burs. pastor. Agrimon. Virgâ aureâ, Pyrol. Vincâ pervinc. Geranio Robert. Millefol.* & similibus cum Aquâ & Vino paratum, sæpiùs calidis

calidis haustibus propinetur. Commendant in hunc finem quoque *Poscam dilutam*, vel *Medicament. è Coagulo Leporis, Hædi, Caryophyllat. Artemis. rubr. Caul. rubr. Betonic. Rhapontic.* factum. Sic & *Decoctum Radic. RubiæTinct. Vincet. Flor. Bellid. min. Hyper. Folior. Fumar. Scabios. Fœnicul. Asclepiad. Semin. Cardui ben.* &c. non contemnendum. Ejusmodi remediis præmissis opus est, ut rupta debitè vasa conglutinentur, ne à levi quocunque motu denuò aperiantur, & novum sanguinem profundant; quem in finem *Electuarium* concedetur ex *Conservis Plantag. Rosar. rubr. Flor. Tunic. Borragin. Bugloss. Aurantior.* cum *Conditur. Radic. Consolid. maj. Bol. arm. ppt. Terr. sigill. Croc. ♂ t. adstring. Syrup. Cydon.* &c. Vel Pulvis præscribatur ex *Gumm. arabic. Gummi Cerasi. Pulvere Lichenis petræi, Sempervivi major. Bol. armenat. Unic. fossil. Lapid. Hæmat. ppt. Sanguin. Dracon. ver. Seminis Hyperic.* &c. Vel etiam *Essentia Numulariæ, Hyperic. Bellid. min. Gramin. Parnassi*, cum *Balsamo peruviano* permixta, guttatim per plures dies exhibebitur.

CONVOLVVLVS, VOLVVLVS INTESTINORVM, vid *Ileus*.

CONVVLSIO, Σπασμὸς, à σπᾶν, *contrahere*, est Symptoma Actionum animalium, in quo nunc totum corpus, nunc hæc aut illa tantũ membra involuntario, violento atque præternaturali motu contrahuntur, distorquentur, ac obrigescunt, ita ut, nisi contractio cesset, faciliùs membrum frangas, quàm in naturalem figuram reducas.

Pars affecta. Pars affecta sunt principaliter ferè Meninges cerebri, deinceps autem Musculi nunc hi nunc illi, imò fibræ quoque motrices variarum corporis partium, quas illæ sui contractione violentâ multivariam distorquent.

Differentia. *Differentiæ* hujus Morbi sunt multiplices; *nunc* enim *universaliter* totum corpus cum sensûs & motûs voluntarii amissione affligitur, & vel *Opisthotonus* est, quando musculis caput extendentibus contractis seu crispatis, abdomen in altum ita torquetur, ut caput, atque pedes posterius ferè jungantur: vel *Emprosthotonus*, ubi corpus cum abdomine retro in gibbi formâ torquetur, capite verò atque pedibus antrorsum flectitur: vel *Tetanus*, quando Corpus æqualiter obrigescit, & quasi in longitudinem extenditur; *Nunc specialiter* hanc aut illam tantùm corporis partem affligit, velut Brachium, Pedem, Digitum, Oculos, Cervicem, Linguam, Maxillam, Labia, Ventriculum, Intestina, &c ubi Sensus & reliquarum partium voluntarius motus manet integer. Quòd si Os spasmodicè contrahitur, in alterutram partem, convulso Oris musculo lato ex uno tantùm latere, *Spasmus cynicus*. Sin verò contracto in utramque partem eodem musculo Os in utrumque latus diducitur, tum formam ridentis exhibet, ac *Risus sardonius*; si porrò Musculi temporum contrahantur cum Stridore dentium, *Trismus*. Si Os in spasmo valdè apertum teneatur, *Hiatus oris spasmodicus*.

Opisthotonus. Emprosthotonos. Tetanus. Spasmus cynicus. Risus sardonius. Trismus. Hiatus oris.

Tan-

Tandem si hic aut ille solùm musculus Digiti, vel Brachii aut Pedis dolorificè trahatur, & rigidus evadat, *Spasmus flatulentus* nuncupatur. Denique Convulsionem dividunt in *tonicam*; qualis hic describitur, cum membrorum imobilitate conjunctam, & *clonicam*, cum membrorum concussione contingentem, veluti est *Epilepsia*, suo loco tractata. His adde, quod Convulsiones aliquando *continuæ* sint, brevius vel longius pro causarum varietate durantes, aliquando *periodicæ*, incertis temporum intervallis recurrentes, ac similiter citius vel tardius finientes.

Spasmus flatulentus.

Causa

Causa verò omnium ejusmodi Contractionum convulsivarum *proxima* est Spirituum animalium elastica quædam in tubulos atque vesiculas Musculorum nerveas impressio, cum aliquali velut impetu facta; ubi dum ab expansis fibris nerveis reliqua Musculi vascula simul premuntur, atque ita sanguis nonnihil in illis cohibitus augeatur, necessariò Musculus primùm in latitudinem expandi, postea verò quoad longitudinem contrahi & decurtari debet. Atque hæc contractio dura existit, firma & rigida, quoniam vis nervosarum fibrarum & spirituum impressorum elastica externæ cuicunque violentiæ maximè resistit, ut, nisi elaterium illud in musculis convulsis remittat, & ad æquilibrium cum elatere musculorum antagonistarum redeat, membrum convulsum flecti planè nequeat. *Contractionem* illam fibrarum nervearum, quâ breviores redduntur hæ, & in sese quasi ducuntur, *spasmodicam* vocan[t] plures hodierni quoque *Crispation[is]* nomine insigniunt. Quando itaqu[e] talis crispatio generaliter magnam g[e]neris nervosi partem affligit, ac i[ta] vel ab ipso nervorum principio atqu[e] meningibus incipit, tum *universa[lis]* inde *Convulsio* oboritur, & quide[m] nunc *Emprosthotonus*, quando musc[u]li Caput antrorsum flectentes conve[l]luntur: nunc *Opisthotonus*, quand[o] musculi Caput retrò vel extendent[es] crispantur: nunc *Tetanus*, quand[o] musculi totum corpus in longum te[n]dentes spasmodicè afficiuntur. Cù[m] autem crispatio unius tantùm vel alte[]rius musculi aut membranæ fibr[as] nerveas prehendit, ita ut hæc affecti[o] non communicetur principio Nervo[]rum & Meningibus, tum particula[]ris tantùm evadit Convulsio, & e[a] quidem non sine intenso convuls[æ] partis dolore; dum enim sensus Ta[]ctûs in hoc Morbo integer manet non potest non illa vehemens uniu[s] membranæ vel membri tensio dolo[]rem sive tristem sensationem inferr[e]. Ita enim v. gr. Spasmus flatulentus Colica spasmodica, Digiti unius v[el] alterius tensio dolorem inferunt hau[d] contemnendum.

Periodica si est Convulsio, hære[]bit alicubi inter membranas materi[a] quædam viscido-acris, quæ datâ oc[]casione in motum concitata fibrilla[s] proximas nerveas pungendo, lanci[]nando, aut tendendo crispabit. Ve[l] fibræ membranosæ corporis adeo te[]neræ, fluidumque nerveum adeo a[]cre, mobile & volatile erit, ut ab ob[]jecti

jectis pluribus externis quàm facillimè ad spasmodicas musculorum plurium vel pauciorum contractiones producendas incitentur.

Tamdiu autem durant Convulsiones, donec crispatio fibrarum laxetur, fluidique spirituosi nervorum elastica expansio diminuatur.

Causæ *antecedentes*, quæ proximam in corpore excitant, sunt omnia illa, à quibus fibræ nervosæ, membranosæ, aut musculoso-tendinosæ, præternaturalitar irritari, atque hinc contrahi crispariquë vehementer possunt, non sine fluidi nervorum spirituosi elatere aucto. Talia sunt acidi & austeri valdè acres humores, resve aliæ, quæ nervosas fibras, ubicunque demum locorum, gravius lancinant & pungunt, hacque ratione eas ad sui contractionem & decurtationem stimulant. Huc igitur referuntur Dolores harum aut illarum partium intensi, difficilis Dentitio, Colica, Passio iliaca, Cephalalgia vel Hemicrania vehemens, Passiones hystericæ, Lumbrici intestinales, Cruditas acris in Stomacho fluctuans, Febres malignæ, Variolæ, Morbilli, assumta Venena, vel Purgantia vehementissima, accepta itidem Vulnera ac dilacerationes nervorum, & membranarum, inprimis Cerebri; ictus vel morsus Animalium venenatorum, ac irâ æstuantium, & similia, quæ Spasmos post se trahere valent. Tale quid producunt etiam Vasorum sanguineorum exinanitiones in Hæmorrhagiis nimiis, à quibus, juxta *Baglivi Celeberrimi* systema, æquilibrium solidi & fluidi destruitur, & hinc Fibræ ob penuriam fluidi resistentis vehementer versus unam plagam contrahi atque crispari solent. Tractavi ante decem circiter annos Virginem cholerico-sanguineam, Febri tertianâ laborantem, quæ in singulis paroxysmorum initiis ultra dimidiam horam convulsa jacuit, donec repetito emetico biliosæ cruditates omnes è primis viis expulsæ fuerint.

Inter causas *procatarcticas* primum facilè locum concedimus *Iræ* atque *Terrori* subitaneo, pluries recurrenti, à quibus humores acriores redditi, & vehementius commotæ fibræ crispationibus ansam facilem præbent. Sed & *Cibi* dyspepti, acido-austeri, acres, in liquamen nidorosum, vel acido pungens conversi, cum interveniente nauseâ, Convulsiones per nervorum irritationem non raro producunt. Potus Liquorum spirituosorum excessivus frequens similiter nervis inimicus est, & spasmodicis contractionibus ansam præbet. *Procatarctica.*

Cognoscitur quævis Convulsio ex involuntariâ, eaque validâ musculorum, ac membrorum inde commoveri solitorum, contractione. Quando igitur *universalis* est *Convulsio*, membra omnia præternaturaliter intorta, immobilia, ac rigida erunt, ut flectere ea nequeas, nisi magnâ cum vi, ac metu rupturæ tendinum. Sensus ablati sunt tam interni quàm externi; oculi nunc clausi, nunc torvi apparebunt, ut non nisi album eorum cernere possis: os firmiter clausum plerunque existit, rarius aperi- *Diagnosis.*

tur cum Linguæ emiſſione, quæ interdum etiam commiſſis validè dentibus ita vulneratur ac mordetur, ut ſanguis copiosè effluat; pollices manuum cum digitis arctiſſimè in pugnum conſtringuntur; quandoque ſtridor dentium cum aliquali vociferatione accedit. In *Emproſthotono* corpus cum cervice & capite violenter ad anteriora protrahitur, ut mentum pectori firmiter annectatur, & corpus navis carinam referre videatur; imò quandoque in arcum vel in orbem ita contorquetur, ut Ægri ſuum caput genubus applicatum habeant. In *Opiſthotono* caput retro verſus dorſum validiſſimè non ſecus atque pedes trahuntur, abdomenque ſic in altum attollitur. In *Tetano*, qui moribundis eſt familiaris, corpus in longum extenditur, rigidumque evadit. Convulſiones ejuſmodi nunc brevius, nunc diutius durant, ceſſanteſque vel non recurrunt amplius, vel ſemel iterumque in Cholericis, Hypochondriacis, aut Hyſtericis datâ occaſione redeunt.

Convulſio particularis. In Convulſione *particulari* muſculus tantùm unus vel alter hujus aut illius partis contrahitur, ſalvo manente ſenſu, ac motu reliquorum membrorum voluntario; unde etiam dolor à tenſione validâ nervorum partis convulſæ oboritur. Particulares Convulſiones nonnullæ peculiaria ſortiuntur nomina, ita ut, quæ in muſculo hoc vel illo Oculi contingit, *Strabiſmus* vocetur; quæ in muſculis Mandibularum aut Temporum fit, *Triſmus*; quæ in lato oris muſculo ex uno ſolùm latere producitur *Spaſmus cynicus*, vel *oris Tortura*; ex utroque autem latere facta ejuſdem criſpatio, *Riſus ſardonius* audiat. Muſculorum virgæ ſpaſmus *Satyriaſis* ſive *Priapiſmus* nuncupatur. Dantur & plures aliæ, ſed quæ nominibus propriis carent.

Imminentes Convulſiones aliquando præſagiunt vertigo crebra, coruſcationes, ſcintillationes ac intorſiones oculorum, capitis gravitas, horripilationes cutim totius corporis crebrò pervadentes, pavores ſomnum turbantes, inquietudines corporis, anxietates pectoris, artuum tremebundæ agitationes, internorum viſcerum miræ commotiones, manuum attactu non rarò ſenſibiles.

Vniverſalis Convulſio per ſe ex cauſis procatarcticis oborta non adeo periculoſa eſt, ſed occurrendum citò, ne, ſi ſæpius recurrat, in Epilepſiam degeneret, quod apud Cholericos, Hypochondriacos & Meticuloſos non ſecus ac apud Fœminas hyſtericas fieri haud difficulter poteſt. Convulſio Dentitioni difficili ſuperveniens, aut ante Variolarum, Morbillorum, &c. eruptionem accedens minùs mala; ſed ſi perfectis jam Variolis, aut in Statu Febris malignæ adveniat, plerunque lethalis exiſtit, internam quandam Gangrænam & Sphacelum præſagiens. Convulſio ſubitò orta, alvi fluxu, vomitu, vel Febre ſuperaccedente ſolvitur. Convulſi quartum diem ſi effugiant, plerunque ſanantur. Si Apoplexiæ, Lithotomiæ, Herniæ ſectioni, aliiſque Vulneribus nervorum Convulſiones

nes ſuperveniant, lethale eſt. Ab aſſumtis autem Venenis qualibuscunque, aut draſticis remediis productus morbus in principio quidem curabilis, poſtmodum autem, cum Venenum jam radices firmiores egit, inſanabilis notatur. Spaſmi *particulares* in Febribus malignis utplurimum ſunt deleterii, extra Febres autem ſi Hominem prehendant, non magnum quidem ſtatim periculum in ſe habent, ſed ſubinde diuturni, vel periodici eſſe, & gravius etiam quid poſt ſe trahere ſolent. Hyſtericæ convulſiones, aut quæ Doloribus, vel Cibis, malignum forte ſuccum in ſe foventibus, in Ventriculo malè digeſtis, ſuperaccedunt, parum vel nihil periculi portendunt.

Quoad *Curationem*, in Convulſione ab aſſumptis Venenis, vel ab Irâ vehementi, ſtatim emeticum eſt exhibendum, & quidem pro perſonarum diverſâ habitudine, vel *Oleum Olivarum* ad aliquot uncias cum *Juſculo tepido*, vel *Aquâ* ſaltem *fontana*, vel *Hydromel tepidum*. Hinc ſtatim poſt unum vel alterum vomitum copioſum, in *Veneno* quidem *Lac* affatim hauriendum præbeatur cum *Terrâ ſigill. Unicorn. foſſil. Ebor. ppt. Corall. ppt.* &c. In *Irâ* verò potiunculæ dentur ex *Aqu. Cichor. Endiv. flor. Til. flor. Conſol. regal. Card. bened.* cum *Syrup. Pæon. Syrup. anodyn. Ungul. Alc. ppt. Dent. aprin.* vel *Hippopotam. ppt. Cinnab. ♁n. Ol. ♀r. per deliq.* vel *Sale Rutæ*, &c. *Clyſmata* quoque *emollientia* & *detergentia* non omittantur. In ipſo autem paroxyſmo Os cautè nec magnâ cum violentiâ eſt aperiendum, ne Temporalis muſculus, aut quædam ejus fibræ rumpantur. Verùm ad ſedandum paroxyſmum naribus frequenter admoveantur, quæ Spiritibus animalibus alium motum conciliare poſſunt; quemadmodum ſunt *Ruta*, *Angelica*, *Caſtoreum*, *Camphora*, *ſpiritus volatiles C. C. Viperarum*, *Salis armon.* &c. *Acetum rutac. roſac.* vel *ſimplex* vel *comp.* cum *Bacc. Juniper. Rutâ, Majoranâ*, &c. Mulierculæ quoque, vanâ ſuperſtitione adhuc repletæ, *Alcis ungulam*, *Flores Fœni*, aliaque deterioris notæ Ægrorum ſtragulis ac pulvinaribus ſubjiciunt.

Ad futuros autem paroxyſmos ſpaſmodicos præcavendos, genuſque nervoſum roborandum extra Morbi inſultum *Pilulæ* aut *Pulveres uſuales* præſcribi poſſunt ex *Extractis Beton. Pæon. Centaur. min. Caſtor. Diaphor. ♃vial.* vel ☽ *ar. Cinnab. ♁n.* vel *Nativ. opt. Ungul. Alc. ppt. Ægagropil. ppt. Bezoard. miner. Viſc. quern. Seminib. Aquileg. Pæon. Rutæ*, *Radic. Pæon. Valerian. Meu*, *Petaſitid. Antim. diaph. Succin. alb. ppt. Ebor. ppt.* Quibus pro Homine cholerico addi ſolent *Nitrum*, *♁iat. Lap. prunell.* ⊖ *Cichor.* vel *Abſynth. Salia eſſentialia Card. bened. Acetoſell. Acetoſæ*, *Rubi idæi*, &c. Pro Hypochondriacis verò jungantur *martialia* diverſis modis parata. Sed & Vere atque Autumno *Vinum medicatum laxans* atque *alterans*, ex antiſpaſmodicis, cephalicis & ſpleneticis paratum præſcribi debet, æſtivis autem menſibus

bus Thermæ piperinæ aliæve calentes, vel Acidulæ bibi possunt. *Externè* etiam præservationis loco nucha spinaque dorsi inungantur *Pinguedine Cati, Gallin. Anat. Castor.* cum *Oleis Chamomill. Aneth. Costin. Vulpin. Succin.*

Convulsio à Vulnere. Si *Convulsio* superveniat *Vulneri*, tum internè quidem *Mixtura antispasmodica*, sicut paulo inferius extant, cum granis octo vel decem *Theriacæ cœlestis* juncta cochleatim propinabitur. Externè verò pus acre ac spasmodicum est extergendum, atque eluendum, eaque indenda, quæ nervos afflictos ac irritatos demulcere valent: sed imponatur simul *Fomentum* ex *decocto plantarum cephalico-nervinarum*, necnon *Fimo equino*. Inprimis pro arcano habetur *Succus recens Symphyti, Alth Verbasci* vel *Sempervivi majoris* calidiusculè cum plumaceolis immissus.

ab acido-austero, à Vermibus. Ab *acido* Intestinorum corrosivo, vel etiam à *Vermibus* excitata primùm Colica Intestinorum spasmodica, hinc & Convulsio universalior, primùm quidem desiderat *laxans* è *Rhabarbari* vel *Pulvere* cum *Mercurio dulci*, vel *Infuso paratũ*; Vel *Panacea solutiva alcalina*, sub *Materiæ perlatæ* titulo in Germaniâ hactenus distributa, quinquies aut sexies ad ℨj. pro dosi, exhibebitur. Deinde ea in usum trahentur, quæ in *Colicâ biliosa* superiùs commendata sunt.

A *Doloribus* ingentibus excitatæ Convulsiones requirunt *Mixturas antispasmodico-anodynas*; imò & dosis una alterave *Theriacæ cœlestis* in *Pilulis*, vel *Mithridatii Damocratis* exhibebitur.

Febr. superveniens. *Convulsio Febribus* ardentibus aut malignis superaccedens desiderat *antispasmodica diaphoreticis* & *alexipharmacis* diligenter permiscenda, quemadmodum suo fusiùs loco, sub Curâ Febrium malignarum exponetur.

à Terrore proveniens. A *Terrore* autem inductus hic Morbus postulat ante omnia *Venæsectionem*, dein *Potiones antispasmodico-diaphoreticas* ex *Aqu. Cherefol. fl. Til. flor. Calendul. fl. Consol. regal. Sambuc. Pœon. Card. bened. Betonic. Syrup. aperit. Mind. Bellid. min. Citr.* ♃ *n. diaph. Ungul. alc. ppt. Bezoard. min. Lapid. Bezoard. oriental. vel occidentali vero, Pulv. viperin. Liqu. C. C. succ. Tinctur. Cast. cum Spir. Salis armon. ppt. Essent. Croc. Succin. Satyrion. Castor. Pœon. Valerian. Aquileg.*

In omni tandem Convulsione, à quâcunque causâ enatâ, seqq. formulæ cum fructu præscribi & usurpari possunt, v. gr. in *Cholericis* & *Sanguineis* post Venæsectionem, si necessaria videbitur, finito paroxysmo:

℞. *Aqu. Cichor. Endiv.*
Flor. Til. ana. ℥j.
Syrup. Citr. ʒvj.
Tinct. ♃ *nii* ʒß.
Bezoard. min.
Ebor. ppt. ana. ℈j.
Cinnab. nat. ℈ß.
M. ad Vitr. Detur per cochlearia.

Vel ℞. *Aqu. Lactuc.*
Flor. Calcatripp. ana. ℥iß.
Hirund.
Syrup. Rub. id. ana. ℥ß.
Tinct. Cast. cum spirit. Sal. armon.

mon. par. ℈j.
Ungul. alc. ppt.
Dent. apr. ppt. ana. gr. xxv.
Julep. rosac. ℥iij.
Misc. detur ad Vitr. Sumatur cochleatim.
℞. *Tinctur.* ♄ *n. vel*
Corallor. ℥ß.
Liqu. Terr. fol. ♀*ri* ℥ij.
Misc. detur ad Vitr. Dosis 25. *ad* 30. *Gutt. cum Aqu. Endiv.*
Vel ℞. *Crystall. alb. ppt.*
Corall. rubr. ppt. ana. ℥iß.
Diaphor. ♃*vial. vel*
☽*ar.*
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. ♄ *n. corr. ana.* ℥j.
Semin. Aquileg.
Pœon. ana. ℈ij.
Anis. ℥ß.
Sacch. penid. ℥ß.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis man. ac vesper. ℥ß. *ad* ℈ij. *cum vehiculo conveniente.*

In Subjectis autem *Hypochondriacis* aut *scorbuticis, pituitosis, hystericis:*
℞. *Aqu. Flor. Til.* ℥j.
Pœon.
Nasturt.
Fl. omn. ana. ℥vj.
Syrup. de Eupator.
Pœon. ana. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ℥ß.
Essent. Castor. Trif. fibr.
Succin. ana. ℈j.
Diaph. ♂ *ial.*
Corall. rubr. ppt. ana. ℥ß.
M. ad Vitr. Hauriatur per cochlearia. vel
℞. *Aqu. Satyrion.*
flor. Paralys.
Plantag. ana. ℥j.
Syrup. fl. Tunic. ℥vj.
anod. ℥ij.
Essent. Beton.
Rutæ.
Tinct. ♄*n. ana.* ℥ß.
Sacch. ros. tab. ℥iij.
M. ad Vitr. Sumatur ut supra.
℞. *Liqu. C. C. succinat.* ℥iß.
Aqu. fl. Til. ℥iij.
M. ad Vitr. D. singulis 6. *horis à* 15. *ad* 25. *guttas pro dosi.*
Vel ℞. *Essent. carminat. Wed.* ℥iij.
Castor. ℥j.
Opii liquid. ℥ß.
Misc. d. ad Vitr. Sumatur ut supra per guttas.
Vel ℞ *Elix. propr. Claud. vel*
sine acid. ℥ij.
Essent. Succin.
Aquileg. ana. ℥j.
Misc. d. ad Vitr. Dosis ut supra.
Vel ℞. *Essent. Rorismar.*
Ligni Aloës.
Salv. ana. ℥ij.
Opii liquid. ℥ß.
M. detur ad Vitrum.
Vel ℞. *Spirit. Nitr. vel*
Salis dulcis.
Liquor. Nitri fix. ana. ℥iß.
M. d. ad Vitr. Dosis 15. *vel* 20. *guttæ cum Vehiculo conveniente man. ac vesperi per aliquot hebdomadas.*
Vel ℞. *Spec. cephal. Mich.*
diamosch. dulc.
Pulv. epilept. March. ana. ℥j.
Cran. hum. ppt. ℈ij.
Radic. Doronic.
Pœon.

Fol. Mari ver.
Flor. Stœch. Arab.
Cheir. ana. ʒß.
Sacch. alb. ℥ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ʒj. *m. ac v. per aliquod tempus.*

Vel ℞. *Tinct. Castor. cum Spirit. Salis armon. parat.*
Essent. Rut. ana. ʒj.
Opii liquid. ℈j.
M. ad V. Dos. 16. *ad* 26. *guttul.*

Vel ℞. *Essent. flor. Til.*
Rut.
Castor.
Satyrion. ana. ℈ij.
Tinctur. Croc. ʒß.
Aqu. fl. Lil. conval.
Bugl. ana. ʒiß.
M. ad. Vitr. Dos. 18. *ad* 28. *gutt.*

℞. *Liqu. C. C. succin.* ʒiß.
⊖*is vol. C. C. gr.* vi.
M. ad Vitr. Admoveatur naribus in paroxysmo. Vel

℞. *Spirit. Urinæ vol. vel*
Salis armon. urinos.
Volat. Lumbr. terr.
C. C. ana. ʒiß.
M. d. ad Vitr. pro Naribus.

Vel ℞. ⊖*is* ♀*ri &*
⊖*is ammon. ana. part. æqual. statim post mixtionem admove naribus.*

Vel ℞. *Spirit. Rut.*
Anhaltin.
Meliß. ana. ʒiß.
M. ad Vitr. & Naribus inspergatur.

Vel ℞. *Ol. nucist. express.* ʒij.
dest. Rut:
Succin.
Meliss.
Amarac. ana. gutt. viij.
⊖*is volat. C. C. oleos. gr.* vi.
M. F. Bals. d. ad pyxid. Inungatur vertici, temporibus atque naso.

℞. *Axung. Anat.*
canin. ana. ʒvj.
Ol. rutac.
Chamomill.
Hyosc. Semin. express. ana. ʒiij.
dest. Chamomill.
Aneth. ana. ʒß.
M. ad Oll. Inungatur sæpiùs cervix cum totâ spinâ, nec non Regio umbilicalis.

Æstivo tempore sicut Cholericis & Sanguineis *Acidulæ*, ita Hypochondriacis ac Pituitosis *Thermæ Plumbarienses*, vel *Piperinæ* in Potu. Hystericis & Scorbuticis eædem, sed his quidem frigidæ, illis verò calidæ prosunt, cum vel sine Balnei usu.

Spasmus flatulentus tollitur frictione partis, inunctione ejusdem cum *Pinguedinibus Vulpis*, *Lupi*, *Anseris*: item applicatione *Sacculi* ⊖*e torrefacto repleti*, & calefacti. Etiam *Spiritus* vel *Oleum Juniperi* cum *Spirit. Ceras. nig.* vel *Vini camphorat.* vel *flor. Lil. convall.* aliusve calidè imponitur aut affricatur. Sic & *Cortices radicis & caulis Dulcamaræ* conquassati & applicati Spasmum quoque tollunt. Qui verò huic incommodo obnoxii sunt, subinde in parte affectâ, si fieri potest, *Cucurbitulas cum scarificatione* admittant; aut parti super spasmodicum musculum ligaturum quandam injiciant. In ipso Spasmo simul partem, quantum possibile, extendant, sicque sese à dolore spasmodico liberabunt.

Spasmu

Spasmus cynicus, ac *Risus sardonius*, sæpè à Lumbricis primarum viarum, vel venenato quodam, acrive humore oriundi, *Vomitorium* statim exigunt ad eliminandam primarum viarum saburram spasmodicam: dein *anthelmintica*, & *antispasmodica* superius commendata in usum vocabuntur.

Spasmi alii *particulares* post evacuatas primas vias desiderant *Spiritum* qualemcunque *cephalicum*, *castorinum*, aut *camphoratum*, quo musculi & nervi Partis affectæ continuè sunt calidè fovendi, v. gr.

℞. *Spir. Anthos.*
Anhaltin. ana. ℥iv.
Lumbric. terr. ℥ß.
Formicar. ʒij.
Essent. Castor. ʒj.
Misc. detur ad Vitr.

CORDIS PALPITATIO, est motus Cordis depravatus, quo pars ista præternaturali cum impetu pulsat, & ita ad costas appellitur, ut inde majus minusve incommodum Ægri persentiant.

Originem ducit à causis & rebus musculum Cordis fortiter irritantibus, quemadmodum sunt Sanguis bulliens, post motum corporis vehementiorem; Serum sanguinis crassum, lentum, acido-acre; Polypi cordis: Serum acre in pericardio, aut etiam thorace collectum, ac Hydropem pectoris vel minitans, vel ipso actu efficiens: Vermis pericardii, aut alibi circa Cor existens: Calculus: Flatus, & alia. Occasionem hinc præbent sufficientem Mensium vel nimius fluxus, vel suppressio diuturna: nec non Hæmorrhoïdum fluxus diuturnus, indeque nascens Cachexia, aut Leucophlegmatia. Vehemens cursitatio, & corporis qualiscunque exæstuatio: Intemperies melancholica aut scorbutica: Temulentia nimia: Chlorosis, in quâ ob lentorem sanguinis per Cor ægrè transeuntis fibræ illius nervoso-carnosæ perpetim ferè irritantur, ac spasmodicè tenduntur; Ira vehemens; Terror subitaneus; Metus ac Tristitia magna & continua.

Facilè cognoscitur hic Affectus tum ex Ægri relatione, tum ex applicatione manûs ad pectus ejusdem. Si mitior est Palpitatio, tantum incommodi non parit, ut adeo Ægroti vix dignum querelâ morbum æstiment. Si autem fortius pulset, ac insimul pectoris anxietatem, & inquietudinem suscitet, tum verò ansam queritandi majorem præbet; subinde Cor ita palpitat, ut dolorem costarum regioni inferat. Imò perhibitum est *Fernelio*, etiam Costam in quodam Homine, propter nimiam Palpitationem aliquando fractam fuisse, quod certè contingere potuit in Homine, cujus una vel altera costa à Lue venereâ corrupta & cariosa reddita erat; talia enim ossa haud difficulter frangi experientia testatur. Si à Flatu provenit, repentinè Cor palpitabit, sed hæc tamen Palpitatio non diu durabit. Si verò Polypus est in causâ, tum perpetuo palpitabit, donec polypus vel discussus sit, vel homo inde mortuus. Si a Verme, Palpitatio quidem *Diagnosis.*

dem continua erit, ſed nunc vehementior, nunc mitior, prout ipſe Vermis nunc quietus magis erit, nunc mobilis. Si eſt à Sanguine viſcido, maximè ſeroſo aut inæqualiter etiam craſſo tenacive; tum Ægro exiſtente quieto Cor minùs palpitabit, quamprimum autem movebitur, ambulabit, aut etiam ſcalas aſcendet, tum fortius pulſabit, ſubinde cum reſpirandi difficultate. Si tandem ab aquâ ſalſo-acri Pericardii, aut in cavo Pectoris fluctuante producetur malum, tum ſæpiſſimè anxietas magna Palpitationi jungetur. Denique non rarò obſervatum eſt, ita fortiter apud Ægros Cor pulſâſſe, ut ex ejusdem ad Coſtas alliſione ſonus fuerit productus, non in conclavi ſaltem Ægroti ab omnibus, ſed etiam extra illud à pluribus facilè auditus.

Atque ita Morbus hic non eſt contemnendus, utpote qui haud difficulter in pejores alias degenerare poteſt ægritudines, v. g. Polypum, niſi jam adſit, Hydropem Pericardii & Pectoris, Aſthma, Febrim lentam, Atrophiam, Apoplexiam, & ſimiles.

Curatio. In *Curatione* Affectûs à craſſitie ſeri ſanguinei provenientis, unicè advertendum eſt, ut ſanguinis debita naturaliſque fluiditas atque conſiſtentia æqualis reſtituatur, reſtitutaque conſervetur. Quod fit primùm, ſi abſit Febris, *Laxante* quodam *Mercuriali* ex *Syrupo de Cich. cum Rhab. de Spinâ Cervinâ*, *Florib. Acac. cum Electuar. è ſucc. roſar. Confection. Hamech. Diacydonio lucido*, & *Mercurio dulci.* v. gr. in Adulto;

℞. *Diacydon. lucid.* ℥ß.
Merc. dulc. ℈ß.
Aqu. Card. bened.
Fœnic. ana. q. ſ.
Spirit. Cochlear. ℈ß.
M. f. Potiuncula. d. ad Vitr. ſumatur unâ vice jejuno ſtomacho.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥iß.
Conf. Hamech. ʒij.
Spirit. Sal. arm. aniſ. ℈ß.
Aqu. flor. Til.
Beccabung. ana. ʒvj.
Cinam. bugl. ʒij.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ cum regimine diætæ hauriendâ.

Cum fructu optimo etiam ordinavimus aliquoties Vinum medicatum ſequens:

℞. *Radic. Apii.*
Vincetox.
Ruſci ana. ℥ß.
Herb. Beccabung.
Card. bened.
Meliſſ.
Summit. Abſynth. ana. Mj.
Baccar. Junip. ʒij.
Semin. Naſturt.
Aniſ. ana. ℥ß.
Fol. Sen. opt. mund. ʒx.
Rad. Helleb. nigr.
Rhab. el. ana. ʒiiß.
Cortic. Winter.
⊖*is Abſynth. ana.* ℈iiij.
Limat. Chalyb. ʒiij.
Inciſ. contuſ. atque in nodulo ligatis affunde Vini albi veteris ℔iiij. *& Aqu. fontan. calentis* ℔ij. *dein quotidie mane Calix unciarum quatuor plus minus exhauriatur.*

℞. ⊖*is*

℞. *⊖is volat. oleos. Sylv.* ℥iij.
d. ad. Vitr.
Dos. gutt. x. *m. ac vesperi.*
℞. *Spirit. Sal. arm. anis. vel fœnic.*
Aqu. Cinnam. opt. ana. ℥ij.
M. ad V. Dos. gutt. xx.
℞. *Spirit. volat. C. C. vel Ebor.* ℥iß.
Aqu. Meliss.
Flor. Acac. ana. ℈ij.
M. ad Vitr. Dos. gutt. xv.
℞. *Mixtur. simpl.*
Tinct. ♁nii ana. ℥iß.
M. ad Vitr.
Dosis gutt. xij. *ad* xvj.

Vehiculum hisce & sequentibus etiam præbebunt *Aquæ destillat. Card. bened. Fumar. Meliss. Flor. Acac. Nasturt. Paludapii, Cherefol.* & simil.

℞. *Essentiæ Trifol. fibrin.* ℥iij.
Spirit. Cochlear. ℥ij.
Tinct. Cast. cum Spirit. Sal. arm. par. ℥j.
M. ad Vitr. Dos. gutt. xvj. ad 26.
℞. *Bezoard. mineral.*
Diaph. ♃ial. ana. ℥j.
Milleped. ppt. ℈ij.
⊖is vol. C. C. purior.
Cinnab. nat. opt. ana. ℥ß.
Extract. Trifol. fibrin. vel Card. bened. ℥ij.

Cum Syrup. aperit. misc. f. l. a. Pilul. Pisi minoris magnitudine. Dosis earum est ab 8. *ad* 10. *vel* 12.

Cholerici aut Melancholici benè etiam habent ex potu *Acidularum maximè spirituosarum*, prout sunt *Sualbacenses*, *Egranæ*, *Deinacenses*, aliæ.

Si *Polypus* existat causa Palpitationis, tum pertinaciter insistendum est usui Remediorum volatilium, atque validè incidentium; cui scopo satisfacere possunt *Salia volatilia* probè à fœtente oleo liberata v. gr. *Cornu Cervi, Eboris, Viperarum, Cranii humani, Succini*, ad decem grana quotidie mane ac vesperi per aliquot hebdomadas cum vehiculo conveniente *Aquæ Cheref. Nasturtii, Beccabung. Urticæ, Fœniculi* &c. data. Vel usurpabuntur *Spiritus volatiles salino-oleosi*, ad guttas 20. 30. vel 40. pro dosi, v. gr. *Spiritus salis armoniac. urinosus simplex* vel *anisatus*, *fœniculatus*, *lavendulatus*, *Spirit. C. C. Viperarum, Eboris*, *Cranii aut Sanguinis humani volatilis*, *Cochleariæ*, *Tinctura Castorei cum Spir. Sal. arm. parat. ♀ri*, *Tinctura Martis ♀risata*, *♁nii*, *Corallor. Essentiæ Lignorum*, *Trifol. fibrin. Fumar. Chelidoniæ major.* Subinde Vina medicata aperientia, præsertim in principio Polypi conducunt; v. gr.

℞. *Radic. 5. aperient.*
Carlin.
Scrophular.
Cyperi rot. ana. ℥ij.
Herbar. Chamædr.
Origani.
Anserin.
Nasturt. hort. vel aq. rec.
Card. bened. ana. Mj.
Flor. Genist.
Stœchad. Arab. ana. Mß.
Semin. Anis.
Apii.
Baccar. Juniper.
Laur. ana. ℥iiß.
⊖is Cent. min. ℈iiij.
Limat. Chalybis in nod. ligat. ℥iij.

Incisis, contusis, atque in nodulo ligatis affunde Vini albi Veter. ℔iiij.
Aqu. fontan. fervent. ℔ij.
Hinc mane atque vesperi horâ ante pastum Cyathus unciarum quatuor, pluriumve exhauriatur.

Curatio Palpitationis à sero acri salso. Quando serum salsum acre, in Mediastini, Pericardii aut Thoracis cavitatem effusum, in culpâ est, tum *Mixtura sequens*, aut similis exhiberi cum fructu potest:

℞. *Conserv. Fumar.*
Meliss.
fl. Citr. vel
Aurant. ana. ℥ß.
Pulv. Viperar. ppt.
Diaph. ♂ ial.
Spod. ex Ebor. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ʒj.
Conf. Alk. compl. ℈iiß.
Syrup. fl. Tun. q. s.

F. Mixtura ad formam Opiat. d. ad Ollam. Dosis magnitudo Nucis mane ac vesperi.

Subinde simul corpus per vices purgabitur, quem in finem proderit sequens Mixtura:

℞. *Oxymel. helleborat. Gesn.*
Syrup. de Cichor. cum Rhab.
Aqu. fl. Sambuc. ana. ℥ij.
Spirit. Cochlear.
Tinctur. ♂. aperit. vel
♄nii.
♀ri ana. ʒj.

Misc. detur ad Vitr. Dosis m. ac vesp. duo cochlearia, horâ unâ vel alterâ ante pastum.

Post hæc valida *diuretica*, diutius usurpata conveniunt; v. gr. ex sequentibus parata.

℞. *Radic. Carlinæ.*
Calam. arom.
Scrophular.
Ireos florent. ana. ℥ß.
Herbar. Artemis.
Hed. terr.
Nasturt. aqu. rec. aa. Mj.
Salis Juniper.
Ononid. ana. ʒß.
Limatur. Chalyb. ʒiiß.
Semin. Urtic.
Fœnic.
Dauc. ana. ʒij.

Incisis, contusis, ac in nodulo ligatis affunde Aquæ fervidæ atque Vini albi veteris ana. ℔iiß. *Hinc m. ac v. per aliquot hebdomadas unciæ 4. vel plures exhauriantur.*

Poterimus etiam, si Vrinæ non multùm lixiviosæ ac tinctæ fuerint, aliquoties dimidiam *Radicis Jalappæ* drachmam cum Jusculo, mane stomacho jejuno exhibere, ut ita serum superfluum evacuetur. Quin & Juscula *Herbis nasturcinis* alterata, vel talium Herbarum *Succi* expressi ac filtrati ad duas m. ac v. uncias propinati conducunt. Vel *Cepæ albæ radicem* per triduum aut quatriduum mane sub cineribus assa, hinc decorticatam comede, sic per Vrinam copiosè serum purgabitur.

Ab *irâ* vel *exercitatione* corporis *nimiâ* productum malum vel per se paulatim corporis & animi quiete cessare solet, vel haustu uno alterove *Aqu. Card. ben. Borrag. Scabios.* aut *Beccabungæ* dissipatur. Si verò nihilominus continuet pulsare nimium Cor, *Venæsectio* simul in Brachio institue-

tuetur, atque cum prædictis Aquis per aliquot dies m. ac vesp. dimidia drachma ♁ *nii diaph.* & *Ocul.* ♋. *ppt.* unâ cum *Roob Sambuci* æquali dosi dabitur.

Ab *Æstu* corporis *excessivo* in Febribus vel extra eas excitata *Palpitatio Julepi refrigerantis* haustu curabitur, v. gr.

℞. *Aqu. Scab.*
Endiv.
Lactuc. ana. ℥ij.
Syrup. Rub. id. vel
Berber. vel
acetos. Cit. ℥iß.
Spir. Nitr. q. s. ad grat. acid.
M. f. Julepus d. ad Vitr. Sumatur aliquot vicibus.

A *Mensium* vel Hæmorrhoidum *retentione* producta Palpitatio remediis curatur emenagogis, prout suo loco monstratur.

Quando autem à nimiâ qualicunque Hæmorrhagiâ, indeque proveniente magnâ serositate humorum circulantium, debilitatoque inter solidas Cordis fibras, & fluidum transiens æquilibrio malum inducitur, difficile profecto est illud, & Cachexiam, Hydropemque thoracis, aut reliqui corporis universalem post se facilè trahit; hinc ea in usum vocanda, quæ balsamicum Sanguini florem restituere promtè valent, id quod *Juscula consumata* optima quotidie pluries hausta, *Vini rubri* & *generosi* modicus potus post singulas mensas, usus *Decocti granor. Coffé* & *Succolatæ Indorum*, optimi succi *Cibi*, *aromatibus* conditi, *Carnes* teneræ assæ, *Vita tranquilla* ac *hilaris*, *Corporis modicū exercitium*, ac præterea sequentia remedia præstare valent.

℞. ⊖*is volat. oleos. Sylv.* ℥ß.
Detur ad Vitr. Dosis 20. vel 25. guttæ m. ac vesp. cum Vino generoso.

Vel ℞. *Elix. Vit. Matth.* ℥ij.
Essent. Absynth.
Cort. Aur. ana. ʒj.
Misc. d. ad Vitr. Dosis cochleare plenum post singulos pastus.

Vel ℞. *Conserv. fl. Tunic.*
Ros. rubr. ana. ʒvj.
Nuc. Indic. cond. ʒiß.
Succolat. Indor. ℥ß.
Conf. Alk. compl. ʒiß.
Specif. stom. Poter.
Matr. Perl. ppt. ana. ʒj.
Syrup. de Cinam. q. s.
F. Mixtura ad formam Opiat. d. ad Oll. Dosis m. vesperi ac noctu magnitudo Castaneæ vel Nucis moschat.

Ipsa *Succolata* cum *Lacte* & *Ovis* præparata, & quotidie sumta valde etiam juvat heic. Probamus tandem usum unius vel alterius *Balnei Aquæ dulcis* non ita ferventis, cum incoctione Herbarum cephalicarum & traumaticarum.

A *Terrore* nimio, *Metu continuo*, *Tristitiâ* excessivâ sensim excitata Palpitatio requirit volatilia, omni acido resistentia, vel illud validè destruentia remedia; unde prosunt *Spiritus Cochleariæ*, *Salis armoniac. anis. Tincturæ* ♁ *nii*, *Corall.* ♂ *tis* ♀*risata*, *Salia volatilia C. C.* aut similia, *Oculi* ♋. *ppt. Diaphoretic.* ♂ *ial.* ♃ *vial. Specif. stom. Poter. Corall. rubr.* vel *alb. ppt.* &c. cum *Aqu. Scolopendr. Borrag. Bugloss.* *A terrore, metu ac tristitiâ.*

 Fumar.

Fumar. Card. bened. ac simil. exhibita. Conducunt & *Jufcula antifcorbuticis Plantis alterata*, vel Aquæ talium *Herbarum deftillatæ*, aut earundem non fecus ac *fplenetic.* ficcatarum *Infufa* ad modum *Infufi fol. Thée* quotidie fumta. Æftivo tempore potus *Thermarum Fabarienfium, Embfenfium*, aliarumve, vel *Acidularum* concedendus: Animus ad tranquillitatem, & hilaritatem excitandus.

A Flatibus. A *Flatibus* productus Affectus facilè tollitur injectis *Clyfmatibus carminitivis* pluribus, exhibitis fex vel pluribus dofibus *Panaceæ folutivæ alcalinæ*, atque deinceps propinatis *Aquis Phyfagogis* per cochlearia, aut *Effentiis carminativis* qualibuscunque guttatim exhibitis.

A Lumbricis. Si verò denique à *Lumbricis* Inteftinorum, aut Vermibus Pericardii orta fuerit Palpitatio, tum anthelmintica conveniunt medicamina fub titulo de Lumbricis commendata.

Tremor Cordis. CORDIS TREMOR eft motus depravatus, quo Cordis mufculus ob inordinatam fpirituum animalium impreffionem tremebundè pulfat, ac fæpiùs fimul pectoris anguftiam five anxietatem excitat.

Caufa. Producitur hoc Malum ab impedito nonnihil, hinc & vibrativo quodam Spirituum animalium in fibrillas mufculi cardiaci nervofas, earumque interftitia influxu vel impreffione; unde fafciculi fibrarum cordis motricium inæqualiter tenduntur, & ita pulfum ejus inordinatū efficiunt. Sed & dyfcrafia atque inæqualis confiftentia Maffæ fanguineæ, hincque diverfimoda irritatio ventriculorum cordis, nunc fortiorem, nunc remiffiorem, modò celeriorem modò tardiorem ejus pulfationem excitat: quod in illis maximè contingit, quorum fanguis ferofior eft redditus, ac ad diffolutionem totalem inclinat. Denique elater fibrarum Cordis debilitatus caufa Tremoris effe poteft, quando fanguini circulanti & irritanti, aliâs benè conftituto validè fatis reniti haud poteft.

Quoad *Diagnofin*, non faciliùs cognofcitur iftud malum, quàm ex applicatione, manus ad thoracem Ægrorum; dum hi ipfi non femper Tremorem hunc perfentiunt; & quamvis aliquando tale quid fentiant cum anxietate, nefciunt tamen fatis ipfum definire morbum. Plerumq; aliis morbis fupervenit, velut Febrib⁹ malignis, Hydropi pectoris &c. Si fanguis eft in culpâ, tum aliquid ejus è fectâ venâ extractum valde ferofum ac fluidum apparebit. Si tonus vel elater fibrarum debilitatus, tum fanguis erit bonus. Si obftructio quorundam tubulorum nervoforum Cordis, adeoque flacciditas eorum accufanda eft, tum quidam vel torpor, vel fopor præternaturalis, aut laffitudo aderit. Jungitur huic Tremori fæpiùs anxietas præcordiorum, fomnus interruptus, inquietudo.

Cùm itaque Tremor Cordis vel de obftructione quorundam ejus nervulorum, vel de inæquali fluido-fcerofâ confiftentiâ Maffæ humoralis, vel de elatere aut tono fibrarum Cordis nervearum plus minus debilitato tefte-

testetur, funestum sæpè præsagit eventum, præsertim si diutiùs duret, si Febri jungatur malignæ, & ad usum remediorum neutiquam mitigetur. Quin & indicium præbere solet Humorum ad dissolutionem tendentium, quam subsequitur facilè circulationis humorum destructio & mors. Vel Affectus post se trahere solet Hecticam, Apoplexiam, Hydropem pectoris & Ascitem.

Curatio instituenda est ita, ut vel sanguini justa & æquabilis restituatur consistentia; vel tonus & elater fibrarum cardiacarum naturalis revocetur: prius obtinetur nec per *purgantia*, nec per *Venæsectionem*, quibus Massa sanguinea adhuc magis turbaretur aut funderetur, sed per mitia *absorbentia*, *confortantia*, *blandè spirituosa*, inprimis etiam *martialia*: quem in finem commendamus *Diaph. ♂is, Crocum ♂is aperitiv. specif. Antihect.* aut *stom. Poter. Ocul. ♋. ppt. Bezoard. min. Sanguin. Hirc. ppt. C. C. phil. ppt. Ebur phil. ppt. ♁n. diaph. Unic. fossil. Dentem Hippopotam, ppt. Tinctur. ♂t. aperit.* vel *Tinct. ♁n. Essent. Virg. aur. Beton. Bellid. min. Spirit. salis armon. anis. ⊖volat. oleos. Essent. Ambr. Aqu. destill. fl. Acac. Borrag. Bugl. Rosar. Meliss. fl. Til. Lilior. convall.* &c. ex quibus variæ formulæ possunt componi.

Elaterem ac Tonum fibrarum resuscitamus, simulque obstructiones reseramus per *Cucurbitulas cum scarificatione* dorso applicandas, *lenes purgationes* repetitas, ac blanda spirituosa sæpius exhibita, quemadmodum sunt *Conf. Alk. compl. Essentia Beton. Succin. Ambræ. Spirit. Sal. armon. anis. fœnicul.* &c.

CORNEÆ *Oculorum* TVNICÆ DISCOLORATIO, est ejusdem à nativo suo colore deflexio; adeoque symptoma qualitatis mutatæ in ea parte Oculi, quàm *Corneam* appellamus *Tunicam*. Hæc tunica Oculo propria existit, reliquas omnes suâ amplitudine excedens, dura & crassa, hinc *Sclerotica*, Σκληρωτική Græcis dicta, anteriùs Cornu instar pellucens, & polita, unde nomen ortum, posteriùs opaca, diversis fibrarum filamentis ita intertexta, ut difficulter ipsam dilaceraveris; ex aliquot item lamellis membranaceis composita, quemadmodum id Pustulæ vel Vlcuscula testantur, inter pelliculas istas Corneæ nata, ac subinde plana existentia, qualia certè fieri non possent, si humor inibi stagnans circum circa æqualiter premeretur, sic enim Pustulæ magis rotundæ evaderent. Format autem Cornea velut utriculum quendam, cavum & rotundum quo reliquæ, interiores nimirum, Oculi partes continentur, atque in globosam figuram coërcentur, unde nomen Globi vel *Bulbi* etiam adeptæ fuerunt; quanquam rotunditas per totum Globum perfecta non sit, quoniam trans parens Corneæ portio nonnihil eminentior est reliquâ ejusdem superficie, & ita in Homine quidem ac plerisque Animantibus quadrupedibus, partem efficit Circuli, cujus diameter octavâ circiter parte minor esset diametro Circuli, quem Sclerotico toto suo ambitu efficit. Accipit præter hæc

Corneæ discoloratio.

Corneæ descriptio.

Cornea ſuas quidem *arteriolas* à ramo Caroditis Nervum comitante opticum; *venulas* autem, ad jugularem truncum ſenſim progredientes, & ramulos quosdam nerveos, à quinto pari deſcendentes. Omnia hæc vaſcula non tantùm in Scleroticam expanduntur, ſed & eandem exparte tranſeuntia in Vveam, cœterasque interiores partes Oculi diſtribuntur. A parte poſteriore Nervus opticus Corneam penetrat, atque in tranſitu ita firmiter eidem connectitur, ut à ſe invicem neutiquam ſeparari queant.

[E]jus co[l]or natu[ra]lis. Colorem hæc Tunica naturaliter quidem anterius in parte transparente glaucum plerunque, in reliquo autem ambitu opaco, quem conjunctiva membrana tenuiſſima obtegit, album habet. Mutatur verò utrobique color præternaturaliter à variis cauſis, velut à Sanguine ſtagnante in *Sugillatione*; à Lympha & Sanguine ſimul ſubſiſtente in *Ophthalmiâ*, à Cicatricibus Vlcuſculorum, Puſtularum, à Maculis, à Succo nutritio corrupto in *Ictero flavo* & *nigro*, atque aliis cauſis. Ejusmodi *Diſcolorationes* proin cùm ſint Symptomata Qualitatis mutatæ, neque valde urgeant, per ſe Curationem expreſſam non requirunt, ſed medela ipſarum cauſis diverſis adhibetur, quæ plerunque ſunt certi Morbi, quibus profligatis, ipſe Color Oculi naturalis per ſe redit.

Cornea obſcuratio. CORNEÆ OBSCVRATIO eſt partis ejus anterioris perſpicuitas læſa, ita ut radii viſivi lento gradu, neque confertim tranſire queant, ſicque Viſionis ſenſus debilitetur, ac Homines objecta externa veluti per nebulam quandum cernere cogantur. Ortum ducit hoc Symptoma qualitatis mutatæ vel à Corneæ denſitate per affluentem copioſiorem ſuccum gelatinoſum præternaturaliter auctâ, quæ ſi recens fuerit, medelam haud difficilem hactenus admittit; vel ab ejusdem ſiccitate, paulatim ob ſuccorum affluentium penuriam in Senectute introductâ, quam corrigere vix licet.

In *priore* ſpecie Ægrum ſubinde *Pilulis marocoſtinis*, aliisve cum *Mercurio dulci* miſtis purgamus, *Venam* quoque *Brachii* incidimus, *Cibos* boni ſucci, *Aromatibus* benè conditos ſuademus, *Vinum* ex Infuſione *Radic. Calam. arom. Chelid. major. Herb. Beton. Euphras. Baccar. Junip.* ac *Seminis Fœniculi* quotidie bibendum concedimus. Externè Oculorum bulbis ſæpè inſpergimus Pulverem *Lapid. calam. ppt. Magiſter. Zinci* vel *Marcaſit.* cum *Sacchar. cand. alb.* Applicamus quoque clauſis oculis linteola *Spiritu Anhaltino*, aut *Anthos* turgida calentia.

CORNEÆ Oculorum Tunicæ PVSTVLÆ, ſunt parvæ veſiculæ ſero plùs minùs ſalſo-acri, quandoque etiam humore purulento repletæ, in Tunicâ Corneâ, imò & Conjunctivâ ſimul efflorescentes, pruritu ac dolore moleſtæ, ſæpiùs & corrodendi vi ulteriùs ſerpentes, atque nunc interius cum viſionis læſione, nunc exterius erumpentes, & *Vlcuſcula aperta* formantes. *Phlyctænas* quoque nominant, quando ſero aquoſo plus minus turgent.

Gene-

Generantur autem à sero quodam salso, nunc tenui & aquoso, nunc purulento crasso & acri, in extremitate tubuli cujusdam inter lamellas Tunicarum ita subsistente, ut tandem cùm transpirare nescit, extravasatum parvulam quandam vesiculam efformet, cineritii utplurimum coloris. Nonnunquam externæ quoque causæ violentæ v. gr. Ardor Solis, res acres oculo illapsæ, occasionem præbent stagnationi cujusdam Lymphæ, quæ si salso-acris evaserit, & sui acrimoniâ acidâ fibrillas eroserit, Pustulam unam vel alteram excitat. Datur & *Pustula variolosa*, cum Variolis in Oculi bulbo efflorescens. Tandem remedia Ophthalmica pejoris notæ similiter tubulos Corneæ adstringendo, vel nimis rodendo, ejusmodi Pustulas producere valent. Vtplurimum verò solent esse pedissequæ Ophthalmiæ.

Facilè verò hic cognoscitur Affectus; Vesicula nimirum est parva, nunc transparens & *Phlyctæna* dicta, coloris varii pro diversitate loci in Oculo: nunc opaca magis, & purulento humore turgida, quæ à nonnullis simpliciter *Pustula* nuncupatur, & primùm quidem in ambitu rubet, deinceps verò genito pure albescit. In *Prognosi* dicendum, non semper feliciter evanescere talem Pustulam, quandoque enim major reddita, de loco quasi in locum cedit, & Vlcus malignum facit. Rumpitur etiam Pustula nunc exterius, & facilè curatur, nunc interiùs, quæ difficiliùs sanatur, & plerunque Ægrum visione nunc totali nunc partiali privat. Si Pustulæ juxta pupillam existant, difficilius abiguntur; si verò in Adnatâ solùm tunicâ hærent, faciliùs curantur: superficiariæ enim Pustulæ profundioribus semper sunt sanabiliores; eò quòd interiùs erumpentes, ipsamque corneam perterebrantes facilè in Vlcuscula sinuosa aut fistulosa abeant.

In *Curatione* talium Exanthematum ante omnia corpus purgabis remedio quodam mercuriali, ubi inprimis commendantur *Pilulæ* ex *Mass. Pilular. è Succ. Craton. Extract. panchymag. Croll. Pilulis Emanuel. Mass. pilul. hydropic. Bont.* &c. cum *Mercur. dulc.* vel *Cinnabar. ♁n.* & *Ol. still. Fœnicul.* paratæ. Postea internè vel *Acidulæ* sunt bibendæ, vel *Lac caprillum* integrum ad aliquot septimanas hauriendum. Dein & *Tragema* quoddam *Ophthalmicum* concinnabitur, ab Ægro per plures menses sumendum, non tantùm curationis, sed & præservationis scopo: v. gr. Curatio

℞. *Radic. Chelid. maj.*
Valerian. ana. ℥iiß.
Caryophyllat. ℥ij.
Semin. Rut. ℥j.
Fœnicul. ℥iß.
Herb. Euphras. ℥ij.
Ocul. ♋. ppt.
♁ n. diaph.
Corall. rubr. ppt. ana. ℈iiij.
Nuc. moschat.
Lign. aloes.
Cardamom. ana. ℈j.
Sacch. alb. ℥iv.
M. f. Pulv. subt. pro Tragemate, de quo

quo man. ac. v. ℥ij. *capiantur.* Vel etiam *Tinctura* ♃ *nii, Essentia Fœniculi, Hyperici, Bellid. min. Numular. Vincetoxic.* ad plures vel pauciores guttulas pro ætatis ratione frequenter m. ac v. concedetur. Quibus addimus *Decoctum* aliquod *traumaticum* è *Betonicâ*, *Veronicâ*, *Euphrasia, Vincâ pervincâ, Semin. Fœniculi, Radic. Chinæ, Sarsæparill. Lign. Sassaphr. Santalis* &c. confectum. In Adultis *Venam* brachii *secare*, *Cucurbitulas* cum scarificatione dorso applicare, atque Vesicam in Nuchâ excitare licet, imò oportet. Dein verò ulterius

Externè *Liquores Ophthalmici* primùm quidem *refrigerantes*, *exiccantes* aut *discutientes* in usum trahentur, ex *Aquis Fœnicul. Chelid. maj. Plantag. Euphras. Flor. Cyan. Brunell. Flor. Ligustr. Succis. Rosar. albar.* cum *Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Plant. fact. Tutiâ ppt. Lapid. calamin. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Flor. Zinci*, *Sacch. Saturni.* &c. parati, & calidè sæpius guttatim in Oculum demissi.

Quibus cautè etiam addi potest vel *Vitriolum album* ad aliquot grana; Vel *Crocus metallorum* incoqui. Si quis tamen *Balsama* felicius toleret, ji parari poterunt ex *Butyro rec. non salito*, vel *Axungiâ Serpentum, Urinâ humanâ* aut *Aquâ Chelidon. sæpiùs lotâ*, permiscendo dein *Tutiam ppt. Sacch. Satur. Mercurium præcipitatum rubr.* vel *alb. Æruginem* &c cujus Balsami granum subinde Oculi bulbo indi potest. Sunt qui prorsus diductis palpebris inspergunt *Pulverem* ex *Sacchar. cand. alb. Ocul.* ♋. *ppt.* & *Lapid. calamin. ppt.* factum, cui in casu necessitatis, ad vim fortiorem reddendam etiam granum unum vel alterum *Æruginis* aut ☉*li albi* permiscent. Quod si ex usu talium remediorum Inflammatio quidem discussa fuerit, & nihilominus Pustula remanserit, tum *Collyrium emolliens* atque *resolvens* simul in usum vocabitur, quale sequens esse poterit:

℞. *Radic. Chelid. maj.* ℥ij.
Alth. ℥ß.
Scorzon. ℥j.
Flor. Melilot.
Verbasc.
Herb. Euphras.
Fol. Hierac. ana. ℈j.
Incisa coque parum in Aqu. Euphras. Succis. ana. ℥iij.

Postmodum infunde Croci opt. grana 12. De liquore hinc filtrato pluribus vicibus aliquot guttulæ Oculo instillentur tepidè. Neque etiam *Amuleta* intermittuntur, quæ quidem sub formâ *Sacculorum herbaceorum* de collo anterius vel inter scapulas suspenduntur. Sacculis ipsis verò indunt *Radices Valerian. Angel. Caryophillatæ folia atque radices*, *Herbam Succis. Rutæ*, *Pilosellæ*, *Satureiæ* vel *Thymi*; *Chamæcisti*, *Verbenæ* &c. Tandem & ipsa Oculi Pustula ne serpendo Vlcusculum profundius excitet, cautè vel lanceolâ ad latus incidetur, vel acu pertundetur, hincque facto Vlcusculo, statim *Collyrium* detergens & exiccans tepidè sæpius instillabitur, ex *Aqu. Ros. alb. Plantag. Brunell.* cum *Mucilagin. Semin. Cydon. Tutiâ* & *Sacch. cand. alb.* paratum, cui etiam ali-

aliquot grana *Vitrioli albi*, *Liquor vesicularum Ulmi arboris*, si haberi potest, vel saltem succus *folior. Alth. Symphyti*, *Verbasci*, *Hieracii* cujuscunque aut *Tragopogonis albicans*, & *lacteus* permisceri pro lubitu possunt. Atque ita instar Vlceris Oculi persanabitur.

In *Diætâ* prohibemus omnia valdè salita, flatulenta, acria, aromatica, vinum, iram &c. Potûs a. loco concedimus *decoctum Baccar. Juniper. Sem. Fænicul. C. C. rasi* &c. Præservativi loco, ad impediendas ulteriores Pustulas, capilli Capitis non sine fructu minuuntur, *Setaceumq;* in Nuchâ, vel *Fonticulus* in Brachio excitatus per unum alterumve annum gestabitur. In eruptione Variolarum, ne Pustulæ quoque Oculorum bulbos adoriantur, statim à principio earum *discutiens Collyrium* sæpius tepidè instillari debet, v. gr.

℞. *Aqu. Spermat. Ranar. Plantag. ana.* ℥ij.
Mucilag. Sem. Cydon. Aqu. Plantag. fact. ʒj.
Croci orient. ver. gr. 12. *Camphor.* ℈ß.
Misc. stent per trihorium in loco tepido, postmodum filtrato Liquori adde Tutiæ ppt. ℈iiij. *Detur ad Vitr.*

CORNEÆ VLCVS, est Morbus solutæ unitatis, à sero quocâ salso-acri-acido, fibrillas tunicæ oculorum corneæ subinde haud citra dolorem erodente oriundus. Subsequitur hinc utplurimum Ophthalmiam, Abscessum, Pustulam, Vulnus, & in universum omnes continui in Oculo solutiones.

Veteres Corneæ Vlcera divisêrunt in *superficialia* & *profunda*. *Superficialia* plerunque excitantur vel à sero salso acri è glandulis destillante, ac superficiem Adnatæ & Corneæ lancinante; vel à pulvere, & minutis aliis rebus externis, asperitate suâ læsionem afferentibus. Quatuor etiam horum species, non nisi gradu inter se discrepantes, recensentur, quarum *prima*, *Achlys* sive *Caligo* dicta, instar tenuissimæ nebulæ in transparente Corneæ parte, quam ferè totam occupat, apparet, atque non videtur quid esse aliud, quàm levissima excoriatio epidermidis, quæ hinc citò restituta nullam post se relinquit Cicatriculam. *Secunda* dicta *Nephelion* sive *Nubecula*, priori nonnihil profundior, & magis alba est exulceratio, sed minus spatii occupans, quæque sanata cicatriculam post se relinquit valdè tenuem, & visui nonnihil incommodam, si in loco pupillæ versetur. Ante quadriennium talem speciem observare contigit in Viduâ sexagenariâ, Variolis laborante, in cujus Oculo dextro enata Pustulâ superficiaria feliciter quidem aperta, mundificata & sanata fuit, sed relictâ cicatriculâ transparente, quæ mediâ in loco pupillæ partẽ occupabat, atque ita hucusque Visionis sensum tantillum offendebat, dum per unam Pupillæ partem res probè conspiciebat, per alteram verò easdem tanquam per tenuissimam nebulam cernere cogebatur. *Tertia* spe-

Differentia. Superficialia.

Achlys S. Caligo.

Nephelion, s. Nubecula.

Argemon, s. Vlcus rotundum. species, *Argemon*, Vlcusculum est rotundum, magis profundum, quod apertas plerunque Pustulas vel Variolas subsequitur; album, si pellucidam, rubens verò, si reliquam albam Corneæ portionem tenet. Cicatrix huic superinducta, si Pupillæ locum præcisè occupat, visum magis intercipit. *Quarta* denique species, omnium pessima, Vlcusculum est inæquale, cinericei coloris, dolore ardente & pruriente molestum, hinc *Epicauma.* *Epicauma* dictum, quod malè tractatum facilè in sordidum & profundum Vlcus degenerare potest.

Profunda. *Profunda* Corneæ Vlcera à ruptis Abscessibus, vel acceptis Vulneribus oriunda, in tres quoque species distincta fuerunt, nimirum in *Bothrion*, *Bothrion.* s. *Fossulam*, quæ Vlcusculum est angustum & durum, colorem impetrans in loco Pupillæ albicantem, si cicatrizetur; extra illum verò in ambitu suo valdè rubescens, in medio autem nigricans. 2. *Cœloma* vel *Cavitatem*, *Cœloma.* Vlcusculum magis latum, nec ita profundum sicuti præcedens. 3. *Encauma*, *Encauma.* Vlcusculum valdè sordidum, pruriginosum, quod crassam, inæqualem, & pejoris notæ saniem fundit, hincque cicatricem deformem, & crassam, visionis sensum intercipientem, post se relinquit, modò Pupillæ locum obtegere potuit.

Corneæ Pyosis. CORNEÆ ABSCESSVS, seu HYPOPYON, *Pyosis*, *Lunella*, est collectio puris inter pelliculas tunicæ Corneæ Oculi, vel inter Corneam & Vveam, vel inter utramque & Humores facta, Opthalmiam graviorem, Pustulam sinistrè curatam, Contusionem sive Ictum acceptum, indeque extravasatum ac suppuratum sanguinem utplurimum subsequens. Dum formatur talis Abscessus, inflammatio atque dolor lancinans maximè intensus adest. Quando pus est inter pelliculas ipsas Corneæ, tum leviusculum quoddam, & instar alicujus Clavi acuminatum tuberculum apparebit, sed quando idem est inter Vveam & Corneam, vel etiam subter Vveam genitum, tum extus in Oculo tuberculum nullum conspicietur. Si Pyosis est inter pelliculas sive lamellas partis Corneæ diaphanæ, tum patescit hoc exinde, quando ad latus Oculum inspiciendo, retro Abscessum Iridem atque Pupillam in statu naturali cernere possum[9]. Aliâs cognoscitur præsentia hujus mali, quando vel pustula vel macula quædam albicans aut cineritia, major vel minor in Oculi Bulbo apparet; præcessit causa utplurimum manifesta: dolor semper adest, neque pure utcunque formato multum minuitur. Morbus est Visioni maximè infensus, utpote cujus usum plerunque tollit, sive per Vlcus inde formatum, sæpissimè malignum & sordidum; sive per Cicatricem subsequentem crassam; sive per rupturam ipsius Corneæ, indeque factam Vveæ procidentiam, nec non humoris Aquei effusionem, ac reliquorum dislocationem; sive denique per totalem Oculi suppurationem. Nihilominus tamen etiam hoc tenendum, minutos

Cor-

Corneæ Abſceſſus, qui magis ſunt verſus exteriorem ejus ſuperficiem conſtituti, aut in opacâ ejus parte formati, felicius curabiles eſſe.

Symptoma eſt frequentiſſimum, Ophthalmias, Puſtulas, Vulnera, Abſceſſus atque Vlcera Oculorum comitans, ob quod Ægri lumen externum ſine magnâ doloris exacerbatione tolerare nequeunt; hujus autem phænomeni ea videtur eſſe cauſa, quod cum talibus Affectibus ſimul tunica Oculi Retina per conſenſum affligatur, atque hinc ab incurſu radiorum luminoſorum ad ſpaſmodicas veluti criſpationes incitetur.

CORNEÆ VVLNVS eſt Morbus ſolutæ unitatis, à re quadam externâ violentâ ſive pungente, ſive incidente, ſive contundente, in iſtâ tunicâ excitatus, ut ſæpè per eandem ruptam humor aqueus effluat, vel ſaltem Vvea tunica nonnihil procidat.

Singuli hi Morbi, quemadmodum ex ſolo adſpectu, vel ipsâ Ægri relatione haud difficulter cognoſcuntur, ita earum quoque cauſæ efficientes ex ipsâ deſcriptione patent. Interim Morbi ſunt, utut per ſe minimè lethales, attamen valdè moleſti, dum ſæpè difficiles ſunt curatu, præſertim ſi profundi fuerint, & Ophthalmias, Cephalalgias, Corneæ rupturas, Fiſtulas, Excreſcentias carneas, & Cicatrices viſui nocivas poſt ſe trahant Si ſuperficiant, rii tamen Morbi exiſta facilius & citius, ſine magnâ viſionis læſione curantur, niſi pupillæ regionem nimis occupaverint. Quæ Vlcera ſaniem fundunt acrem, vicinas partes arrodentem, ſive tenuem, ſive craſſam, rubentem aut nigricantem, quæque à continuo humorum acrium affluxu in ſubjectis cacochymicis, ſcorbuticisque foventur, difficulter admodum mundificari poſſunt, ac ſubinde totius Oculi ſuppurationem poſt ſe trahunt. Quorum Oculi vel ab Vlceribus præcedentibus, vel à Senectute, vel à Catarrhis ſalſis, vel ab exhalationibus candelarum debilitati fuerunt, quiq; Ciliorum pilos incurvôs, oculum ſemper pungentes, obtinent, ii talibus Vlceribus valde obnoxii ſunt.

In *Curatione* autem, Vulnerum quidem Venæſectio, Vlcerum verò purgans mercuriale ante omnia prodeſt. Deinceps externè omnia ea adhiberi poſſunt remedia, quæcunque ſuperius jam adverſus *Corneæ* Puſtulam commendata ſunt. *Curatio.*

Vlcera inprimis requirunt medicamina acidum acre deſtruentia atque obtundentia, imò ſimul Inflammationem compeſcentia, ac diſcutientia; quem in finem proſunt, poſt univerſalia præmiſſa, *Venæſectionem* ſcilicet, *Alvi elotionem*, *Cucurbitulas cum ſcarificatione* dorſo applicatas, *Tutia*, *Pompholyx*, *Magiſt.* vel *Sacch. Saturn.* *Myrrha*, *Aloe*, *Camphora*, *Lapid. calamin.* *Magiſterium* ♃*nii* optimè edulcoratum; quæ vel cum *Axung. human.* aut *Serpentum Aquâ Plantag.* *lotâ* in *Balſamum Oculorum vulnerarium*; vel cum *Aquis deſtillatis Ophthalmicis* v. gr. *Chelidon. maj. Plantag.* *Brunell. Flor. Cyan. Sanicul. Geran.* *Vlcerum*

robertian. Euphras. &c. in *Collyrium*, tepidè Oculis sæpissimè instillandum & applicandum, concinnabuntur. Cui nonnulli circumspectè detersionis gratiâ immiscent guttulas quasdam *Spiritus Vini camphorati*, vel *Spirit. Sal. arm. urinos.* Ad majorem consolidationem adstringentia quoque in usum vocantur, veluti sunt *Infus. florum Balaustiorum*, *Cortic. Gran. Plantag. Flor. Cyan. Mucilago Seminis Psyllii*, vel *Cydoniorum*, ejusmodi infusis, vel aquis destillatis extracta. In Vlcere superficiali, ubi magna non adest Inflammatio, sequens *Collyrium* maximè proderit:

℞. *Aqu. Hierac. Plant. ana.* ℥ij.
Lap. Calam. ppt. ℈ij.
Trochisc. alb. Rhas. s. opio.
Sacch. cand. alb. ana. ℈j.
Vitrioli alb. ℈ß.
Gum. Arab. Aquis priorib. soluti gr. 12.

M. d. ad Vitr. Instilletur tepidè decies vel duodecies quotidie. Possunt etiam quinque vel sex grana *Camphoræ Saccharo candid. albo* prius contrita permisceri.

Quod si talia remedia ophthalmica nimis siccant, aut calefaciunt, tum mitiora sunt præscribenda: si verò nimis humectant, & sordidiora Vlcera reddunt, tum remedia magis siccantia & absorbentia fortiora sunt adhibenda.

In Vlcere profundo, si Inflammatio magna non adest, dolorque mitior existit, superiori Collyrio adhuc grana tria vel quatuor *Aloës* & *Thuris* addi possunt. Si malignitas simul adfuerit, etiam *Mercurius præcipitatus albus* vel *ruber* permiscebitur.

In formâ siccâ sæpius optimo cum successu Oculo ulceroso inspergitur *Pulvis*, v. gr. sequens:

℞. *Sacch. cand. alb.* ʒiß.
Tutiæ ppt. ʒj.
Sacch. Saturni ℈ß. *ad* ℈j.
Radic. Ireos flor. ℈ß.
Vitrioli albi gr. vj.

M. f. Pulv. subt. ter vel quater per diem oculo inspergendus.

Si *Hypopyon* adest, tum pus omni arte est expellendum ac educendum, eumque etiam in finem exitus incisione, si opus videbitur, parandus; hinc statim dolor applicatione *Lactis fœmin.* cum *croco* sedandus. Dein *Aqua Chelidon. majoris*, vel *Succus Plantag. Hieracei*, *Scabios.* &c. cum *Aloë* & *Myrrha* ad sordes purulentas eluendas tepidè sæpius adhibendus; atque hinc demum ad consolidantia superius recensita est deveniendum. Ad meliorem detersionem aliquando opus est simul *Cataplasmate* ex *Pomis putrid. Flor. Melilot. Chamom. Herb. Fœnicul. Euphras. Chelidon.* &c. composito, & frequenter calidè applicato. Prodest etiam *Linimentum ophthalmicum Hartmann.* ex *Melle rosaceo*, ac *Felle Anserum* vel *Gallinarum* in Vitro ad *Linimenti* formam concinnatum.

℞. *Butyr. rec. non saliti & Vino albo defœcato probè loti.* ℥ß.
Axung. Serpent. ʒj.
Fell. Lucii pisc. ʒß.
Magist. ♃*n. diaph.* ℈iiß.
Tut. ppt. ℈ij.
Mercur. præcipit. alb. ʒß.

Oli

Oli alb. gr. jv.

M. f. Balſ. d. ad Pyxid. Ter vel *quater de die Piſi magnitudo Oculo indatur.*

Si quantitas puris ſubſit, tum ſiphunculus quidam affabre in hanc rem conſtructus (inque tubuli medio ventrem habens, quò pus extrahendum facilè recipi queat,) foramini inciſione aut puncturâ facto inſinuetur, ſicque pus vel piſtillo, vel suctione à famulo extrahatur, & exſugatur. Extracto autem pure Vlcus ſtudiosè extergendum eſt *Decocto Hordei* cum *Melle roſaceo*; Vel *Aqu. Verben. Plantag. Burſ. paſtor. Liquore Veſicular. Vlmi, Mucilagine Semin. Cydon.* cum *Tutiâ, Thure, Lapide Calamin. ppt.* additis etiam *Succis Plantarum* ſupra dictarum.

Vidimus notabilia hujus Mali exempla ſatis feliciter curata; unum quidem in Puellâ ruſtica 15. annorum, nondum menſtruatâ, cui per frequentem Ophthalmiam tandem pus ſub Corneâ Oculi dextri enatum fuit, quod dein acrimoniâ ſuâ duo foramina in Corneâ produxit, non multum à ſe invicem diſſita, unde partim elapſum pus, partim ſimul procidens Vvea in exteriore tunicâ Adnatâ tuberculum efficiebat, ſuâ magnitudine phaſeolum penè æquans, non ſine Viſionis magnâ obſcuritate, & aliis incommodis, citra tamen notabilem dolorem. Tuberculum verò illud, quod prius erat verum Hypopyum, beneficio *Balſami* prædicti noſtri *Ophthalmici* apertum, factumque inde Vlcus ita deterſum brevi, retractaque per ſe Vveâ conſolidatum fuit, ut poſtmodum foramina Corneæ prædicta non niſi inſtar macularum albicantium extra Pupillæ regionem comparerent, Viſionis ſenſu perfectè reſtituto. *Alterum* exemplum contigit in Puello lactente anniculo, qui Variolas copioſiſſimas acres feliciter evaſiſſe videbatur, ſed ſubitò poſtea dextri Oculi Inflammatione, totum Bulbum occupante, prehendebatur; è qua dein puſtula albicans juxta Iridem enata verum Hypopyon exhibuit, cujus purulento-acris materia quatridui ſpatio Corneam ita perrupit, ut inde *Prolapſus Uveæ* excitaretur, capitello Muſcæ & magnitudine & colore perſimilis, quem poſtea ſolo *Balſamo* noſtro *ophthalmico* diſcuſſimus, & ad cicatricem deduximus, aſt Viſionis ſenſum perfectum, propter Corneæ ſtructuram in regione Pupillæ nimis graviter laceratam, reddere haud potuimus.

In *Vulneribus* externè hactenus commendata remedia quoque conducunt, citoque admodum conſolidationem procurant: In principio tamen ſtatim imponatur *Albumen ovi*, cum *Aqu. Chelidoniæ*, *Croco pulveriſato*, & *Tutiâ*, calidiuſculè. Præterea ſimul *Lintea* frequenter applicentur, *Decocto Bacc. Juniper. Flor. Chamomill. Herbar. Fœnicul. Caryophyllat. Beton. Euphraſ. Lavendul. Marrub. alb. Scabioſ. Hieracei, Plantag.* in *Aquâ* facto, immerſa & expreſſa. *Vulneris Corneæ*

Dolores Vulnera comitantes optimè compeſcit *Cataplaſma Ophthalmicum Cnœphelii.* ℞. *Pomor. dulc.* n. iij.

n. iij. *Coqu. in q. s. Aqu. Rosar. & Euphras. ad mollitiem, trajiciantur hinc per setaceum, pulpæ trajectæ adde Sacchari cand. alb.* ℥ij. *Camphor. gr. v. Misce & applica calidè.* Si quid Oculo illapsum est, velut pulvis, festuca, Musca &c. instrumentis artificiosè eximatur, & hinc Collyrium demulcens applicetur.

Internè in his omnibus Affectibus pro re natâ conducunt *Decocta vulneraria*, quæ ingrediuntur *Radic. Valerian. Rut. Caryophyllat. Herb. Succis. Euphrasiæ, Chelidon. Apii, Beton. Verben. Sanicul. Bacc. Juniper. Semin. Anis. Fœnicul. Dauc.* Prosunt etiam *Essentiæ traumaticæ* ad acidi correctionem. v. gr. *Bellid. minor. Numular. Gramin. Parnass. Fœnicul. Tinctura item Antimon.* &c.

In *Diætâ* fugiantur omnia acido-acria, salsa, flatulenta; caveatur ab *Irâ*, & corporis exæstuationibus; alvus quotidie respondeat: *Vini* loco concedatur *Decoctum Hordei, Fœnicul.* & *Baccar. Juniper. Aër* frigidus, pluviosus, fumis inquinatus, crassus, exhalationibus Ceparum, Alliorum, Raphani rusticani &c refertus, Oculis nocet.

Corneæ Fistula. CORNEÆ FISTVLA est Vlcus sinuoso-callosum in tunicâ Oculi Corneâ ex Vlcere simplici, vel punctione & rupturâ ejusdem membranæ, utut rarius, enatum. Contingit autem, quando Corneæ apertura valde angusta, ejusque sinus cum extremitate Vlceris hiante ac rotundâ evasit callosus. Effluit per hanc Fistulam subinde Humor Oculi aqueus, & tum membranæ tantillum flaccescunt; sed regeneratur ille denuo semper, tunicasque iterum expandit. Quod si Fistula hæret in opacâ Corneæ parte, tum sensatio Visus integra manet, quamdiu Humor aqueus præsens in oculo est; quando autem ille effluxit, tum, antequam regeneretur, Visio obscura erit. Si autem Fistula deprehenditur in diaphanâ Corneæ portione, tum actum plerunque est de sensu Visionis; etsi enim Fistula non omne ejusdem spatium occupet, nihilominus tamen perspicuitas Corneæ ab ejusmodi morbo tollitur, Irisque Oculi utplurimum in suo situ mutatur. Affectus est oppidò rarus, atque curatu ferè impossibilis, eo quòd callositas Fistulæ cathæretico quodam absumi deberet, quale quid autem in Oculis instituere haud licet, saltem non adeo audacter. Interim crediderim, *Balsamum* nostrum *ophthalmicum*, quem supra in curatione Abscessûs Corneæ commendavimus, atque descriptum dedimus, aliquid fructuosi in extersione, callositatis absumtione, & consolidatione Fistulæ hujus operari posse. Vtut fatendum mihi sit, quòd tale Corneæ Vlcus hactenus non viderim, cujus non nisi quatuor etiam exempla conspicienda occurrerunt *Peritissimo Oculistæ* & *Chirurgo*, *Antonio* Maitre-Jan, quemadmodum id claris verbis testatur in Gallico suo *de Morbis Oculorum Tractatu, Cap. 19. p. m. 409.*

CORNEÆ EXCRESCENTIA CARNEA, est substantiæ tubuloso-membra- *Co… E… fc…*

membranosæ ejus luxuries, ex Vlcere vel Vulnere quodam enascens. Contingit hæc in opacâ magis quàm diaphanâ Corneæ parte, propter vascula sanguinea numerosius eo distributa.

Admittit differentias respectu magnitudinis, dum alia *major* & *eminentior*, alia *minor* & *depressior* existit: utraque nunc *benigna*, nunc *maligna* sive in *Cancrum degenerans*, quæ dura, inæqualis ac diversi coloris est, saniem virulentam, & corrosivam, vicinas, quas alluit, partes excoriantem, atque inflammantem, fundens, præterea maximè dolens, & grandibus satis venis, circa basin admodum conspicuis dotata; difficilimæ hinc sanationis, imò propemodum immedicabilis.

Excrescentia *benigna* sensim aufertur adhibitis frequenter *Collyriis*, leniter *siccantibus*, & *adstringentibus*, sive liquidam, sive solidam habuerint formam. Sub formâ liquidâ prosunt *Aquæ destill. Fœnic. Euphras. Chelid. maj. Plantag. Brunell.* cum *Tutiâ ppt. Coralliis alb. ppt. Sacch. Saturni, Vitriolo albo. Sacchar. cand. alb.* &c. Sub formâ siccâ autem conveniunt *Lapid. Calamin. ppt. Sacch. Saturn. Tutia ppt. Radix. Ireos. Florent. Mercur. præcip. albus* vel *ruber*, *in subtilissimum pulverem redactus*, & similia alia, quæ quater vel pluries quotidie Excrescentiæ adhibentur. Si grandes nimis sunt illæ, tunc vel ligaturâ paulatim, vel scapello cautè adhibito simul & semel abscinduntur, & auferuntur, hincque factum Vlcusculum *desiccantibus*, & *consolidantibus Collyriis* persanatur.

maligna. Excrescentia *maligna*, à lenissimè etiam acribus remediis exasperatur, atque augetur; hinc non nisi blandissima saturnina veniunt adhibenda, quemadmodum v. gr. potest esse sequens Collyrium.

℞. *Aqu. Spermat. Ranar.* ℥ij.
Brunell.
Rosar. alb. ana. ℥j.
Cerussæ lotæ.
Lithargyr. auri.
Tutiæ ppt.
Magist. ♄ *nii diaph. ana.* ℈j.
Misc. detur ad Vitrum; instilletur sæpius per diem calidè.

Corpus hinc frequenter laxari potest *Panaceâ solutivo-alcalinâ*; Diætaque optima exactè semper observetur.

Corneæ Cicatrices. CORNEÆ CICATRICES sunt concrescentiæ callosæ & crassæ, ex Vlceribus aut Vulneribus curatis ab ipsâ naturâ productæ, utplurimum albicantis coloris, nullâ arte extirpabiles, quæ proin, si Corneæ partem diaphanam occupant, pupillamq; obtegunt, immedicabilem Visûs obscuritatẽ, aut cœcitatem totalem afferunt.

Corpulentia nimia. CORPVLENTIA NIMIA est Morbus auctæ magnitudinis, in quo Corporis humani moles usque adeo increscit, ut inde Homo valdè segnis, imò ineptus sæpè reddatur ad varias actiones præstandas.

Respicit verò hic Morbus non tam staturæ longitudinem, quàm ejusdem latitudinem, sive crassitiem:

eten im

etenim dantur ſubinde Homines longiſſimæ ſtaturæ, qui tamen nullâ Corpulentiâ ſunt prædîti, ſed macilenti potius ſunt, & contrario vitio laborant.

Partes affectæ. Affligit Corpulentia non hanc ſolùm aut illam partem, ſed totum omninò corpus, ita quidem ut à capite ad calcem usque membra ſingula præter modum craſſa, & obeſa exiſtant. In ſpecie tamen interſtitia fibrarum, mollitie & laxitate nimiâ præditarum, propriè affecta dici poſſunt, utpote quæ plus nutritii ſucci ubicunque admittunt, quàm quidem naturaliter admittere deberent.

Cauſa. Atque hæc ipſa eſt proxima quoque Corpulentiæ nimiæ cauſa, dum videlicet nutritius & pinguis ſuccus è Maſſâ ſanguineâ ubique in poros laxiores & interſtitia fibrillarum admittitur atque recipitur. Præſupponitur ergo, in Sanguine circulante particulas ejusmodi nutritias maximè cumulatas, & quidem è primis viis eo delatas eſſe. Vnde Ciborum eupeptorum copia quotidie aſſumta, probeque in Ventriculo diſſoluta, materiam illam uberem pro formandâ Corpulentiâ ſuppeditat. Animus verò à curis & gravioribus animi pathematibus vacuus, cum moderato corporis exercitio, ac Cereviſiæ ordinario potu huc multum ſimul contribuit.

Differentia. In ſpecie itaque reſpicit *Corpulentia* hæc partes tantùm vel membranoſo-fibroſas, vel muſculoſo-carneas. Vbi partes quidem membranoſo-fibroſæ, hinc inde per totum corpus, præprimis in Omento, Panniculo carnoſo, Membranâ adipoſâ, Cutis texturâ retiformi &c. in loculos quaſi, vel veſiculas diſtinctæ, ſicubi laxæ & molles ſatis ſint, pingues & oleoſas ſanguinis particulas intra ſeſe copioſius admittunt, quæ dein ibidem ſenſim magis ac magis cumulatæ & concretæ *Corpulentiam* producunt *pinguem*, *Obeſitatis* nomine venientem. Partes verò muſculoſo-carnoſæ ſi ſimiliter laxæ ſatis, aut à corporis exercitationibus (cum ſubſequente vel antecedente quadam inunctione) quoad motrices ſuas fibras diſtentæ admodū fuerint, guttulas gelatinoſo-vel balſamico ſanguineas intra porulos ſuos, vel interſtitia copioſè admittunt, quæ poſtea in totidem grumulos aut globulos concretæ, cumulatæque corpulentos homines lacertoſos, maximeq; robuſtos efficiunt. Hanc verò *Corpulentiam carnoſam* appellare licet, ubi nimia evaſerit. Si autē modica extiterit, nuncupatur tantū. *Habitus corporis toroſus*, *athleticus*, *lacertoſus*, quem Ruſtici maximè, hinc & Lanii, pluresq; Opifices alii obtinent. Adde his tertiam *Corpulentiæ* ſpeciem, ex *carnoſitate* & *obeſitate* conjunctis oriundam.

Contribuit ergo ad Corpulentiam ejusmodi nimiam radicaliter ipſa Hominis nativa temperies, ſanguis videlicet balſamico-ſeu butyroſo- & lacteo-dulcis, omnis acrimoniæ ſalinæ expers; nec non fibrarum membranacearum & muſculoſarum aptitudo ad ſui expanſionem magnam. Quibus etiam adnumeramus Ætatem con-

consistentem, juvenilem ac virilem; non enim ita frequens est, ut quis ante vigesimum annum reddatur obesus, cùm infra hanc ætatem Homo adhuc in altum crescat, & ad staturæ sibi naturalis perfectionem tendat. Accensemus dein numero causarum *Aërem* temperatum, minimè æstuantem, utpote in quo facilius atque frequentius Homines pinguescunt, quàm in *Aëre* nimis calente; Cibos itidem copiosi & laudabilis succi, saltem apud adsuetos Rusticos, &Opifices omnis conditionis;eos inprimis qui Lacte & lacticiniis, Caseo, Butyro, Pane ac Cerevisiâ copiosè quotidie utuntur, strenuosq; interea corporis labores, non sine interpositâ debitâ quiete, exercent, ac animum curis vacuum circumferunt;qui etiam Vinum, spiritumque Vini, aut similes liquores parcius bibunt. Vnde longè plures obesos in Belgio, Daniâ, Sueciâ, &c. reperire datur, quàm in Italia,Hispaniâ &c. Somnus & quies crebra tam corporis quàm animi,similiter impinguant corpus prædispositũ,&c.

Hinc manifestum evadit, neque Ossa, neque Cartilagines,neque Tendines, Arterias, Venas, Membranas denique, si semel integritatem suam adeptæ fuerint, ulterius vel crescere, vel decrescere; si excipias roridum quendam succum, qui porulos talium partium varios in statu naturali adimplet.

Sed & *Corpulentia nimia* distinguenda venit 1. quidem à *Cachexia*, hujusque specie *Leucophlegmatiâ* vel *Anasarcâ*; utpote in quibus Affectibus corpus increscit per succum non balsamicum, sed per serosum potius, cutaneos sensim poros adimplentem. 2. A subitaneo quodam Tumore, per flatus, aut ictus quoque Animalium venenatorum &c. producto. Hinc Corpulentiam nimiam facile est non tantùm cognoscere, sed & à modò dictis corporisTumoribus discernere. *Diagnosis.*

In *Prognosi* Corpulentia nimia non tantùm molesta est Hominibus, sed & teste *Hippocrate* interdum periculosa; quanto plus enim corpori accrescit, tanto plus quoque periculi accedit, & securitati decedit. Impedimentum certè illa est liberæ respirationis, imò & motûs atque operationum corporis. Hinc plerunque tales Homines obnoxii sunt Apoplexiæ, Hydropisi, Paralysi, Catarrhis suffocativis, Asthmati &c. *Prognosis*

Corpulentia itaque, quò minùs nocere queat, vel præcaveri debet, vel si adsit, corrigi & imminui maturè. Obtinere licet utrumque, si copiosioris nutrimenti generationẽ impedimus, idq; per parciorem victum; per exercitia corporis & animi continua; per lucubrationes frequentes, curas & sollicitudines, quibus tranquillitas atque somnus Hominis quotidie turbatur; per usum *Ciborum minùs temperatorum*, exiguum alimentum suppeditantium; per frequentem Chylificationis turbationem; per craseos tandem sanguineæ massæ dulcioris mutationem in texturam acriorem & salsiorem. *Curatio*

Inprimis autem Corpulentia *car-*

nosa desiderat remedia maximè chirurgica, sanguinem detrahentia, iminuentia: *obesa* & *pinguis* postulat magis pharmaceutica, chyli lactescentiam imminuentia. Vtramque bona *Diæta* minuere valet, in quâ quidem, præter superius allegata, usus *Aëris* subtilioris, calidioris & siccioris convenit; sed & prosunt *Laconica* sive *Balnea sicca*, sæpè usurpata. In *Cibo* & *potu* extenuant corpus, quæ multo aromate vel sale condiuntur, aut acidis quoque diluuntur; unde vim chylus adquirit incidentem, attenuantem vel resolventem, imò & aliquatenus diureticam. Quamobrem commendari solent frequentia *Aromata*, inprimis *Piper*, *Caryophylli*, *Cinamomum*, *Zingiber*, *Sinapi*, *Raphanus rusticanus*; item *Acida*, v. gr. *Acetum*, vel *simplex probè filtratum*, vel *scilliticum*, *Succus Citri*, *Rubi id. Berberum*, *Mororum*; *Potus Aquæ chalybeatæ* acido liquore dilutæ creber?

Inter *pharmaceutica* Remedia primò statim conducunt frequenter assumta *non vehementer purgantia*, sed *mediocria*, qualia sunt *aloëtica minimè lota*, quoniam lotione vis eorum valdè minuitur; quibus *Myrrham*, aliaque amaricantia, detersivâ suâ amaritudine attenuantia, ac dissolventia, sanguinis massam acuentia &c. ac ita nutritium succum resolventia, & paulatim abstergentia admiscentur: v. gr.

℞. *Extract. Panchymag. Croll.* ʒiß.
Mercur. dulc. ʒj.
Radic. Aristol. rot. v.
Gentian.
Myrrh. elect. ana. ℈ij.
Resin. Jalapp. ʒß.
Cum Ol. dest. Anis. f. l. a. Pilulæ granorum duorum pondere, conspergendæ pulvere Cinamom. d. ad scatul. Dosis singulis mane quinque, sex, vel septem cum vehiculo debito.

Singulis pastibus quoque cyathum seqq. *Vini medicati alterantis* exhaurire licet.

℞. *Radic. Gentian. Calam. arom.*
Rubiæ tinct. Fœnic. ana. ʒß.
Herb. Card. bened.
Marrub. alb.
Cuscut.
Meliss. ana. Mj.
Summit. Cent. min.
Absynth. ana. Mß.
Semin. Fœnic.
Dauc. ana. ʒij.
Julorum Coryli ʒiij.
Incis. & contus. coque parum in Vini albi veteris diuret. ℔iß.
Aqu. fontan. ℔iiij.
Colatura albumine Ovor. clarificata in usum vocetur.

Quin & valdè emaciatos novimus ex crebro atque diligenti *Pulveris contra strumas* usu; inprimis autem ejus, qui ex *Cancris fluviatilibus vivis*, *Spongiis marinis*, ac *Cynosbati spongiis*, invicem in terreâ Ollâ combustis, deinceps in *Pulverem subtilissimum* redactis parari consuevit; à quo certè Homines ita macilenti redduntur, ut in periculum Atrophiæ immedicabilis incidant, nisi studiosè præcaveamus. Hinc potius sequens nobis hoc in casu placet descriptio:

℞. *Spong.*

℞. *Spongiar. marin. ustar.*
Lapid. Spongit. ust. ana. ℥j.
Oß. Sepiæ ppt.
Radic. Scrophular. ana, ʒvj.
Seminis Urtic. ℥ß.
Cinam. optim. ʒij.
Piper. alb.
Singiber.
Caryophyll. arom.
⊖*is polychrest. ana.* ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iiß.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad Scatulam.

Dosis ʒj. *vel* ℈iiij. singulis Noctibus, dum Lunæ lumen decrescit, cum *Melle*, vel *Syrup. Capill. Veneris.* Laudant alii usum *Nitri vitr. Arcani duplicati Mynf. Tartari vitriolati, Nitri tartarisati*, & si quæ habentur similia, mane ac vesperi aliquamdiu ad ℈j. vel ʒß. data. Imò & *Phlegma* commendant ⊖*li* ad ʒj. vel ʒij. quotidie cum alio vehiculo exhibitum. Huc refer potum *Acidularum* quarumvis, vel *Thermarum Fabariensium, Carolinarum* in Bohemiâ, *Embsensium, Plumbariarum*, similiter corpus extenuantium, si debito modo hauriantur cum regimine diætæ per plures hebdomadas.

Imò in *Corpulentiâ obesâ salivatoria Cura* institui potest, si cœtera consentiant, corpusque benè præparatum sit; de quâ medendi ratione consuli debet Curatio Luis venereæ suo loco explicata. Novimus etiam Nobilem quendam, ultra quingentas libras ponderantem, beneficio quamplurimorum *Vesicatoriorum* abdomini, cruribus, brachiis &c. applicatorum, valde sensim attenuantium, macilentum redditum esse, aliquandiuque ita mansisse, licèt pristina paulo pòst Corpulentia redierit, comite sibi juncto Hydrope Ascite cum Hominis pernicie.

In Corpulentiâ *carnosâ* frequentes *Venæsectiones, Cucurbitularum cum scarificatione* applicationes, aut *Hirudinum* admotiones magnopere laudantur. His adnumeramus Fonticulos variis in locis simul excitatos, utpote quibus primùm membra, ubi apponuntur, dein paulatim totum corpus extenuatur, & macilentum magis redditur.

Sed verum heic quoque, si ullibi, quod in proverbio habet:

Naturam expellas furcâ tamen
usque recurret.

rarum enim, imò rarissimum, ut quis emaciatus evadat, & ita maneat. Observavimus etiam, homines post inductam aliqualem macilentiam Apoplexiâ forti subitò correptos interiisse.

CORYZA, *Vid. Narium Coryza.*

COXENDICUM S. ISCHIADIS DOLOR, *Vid. Dolor Ischiadicus.*

CRANII FRACTURA cum CONTUSIONE, *Vid. Contusio cum Fracturâ Cranii.*

CRANII FRACTURA cum VULNERE, est Morbus solutæ unitatis, in quo Calvaria una cum cute supernatâ aut Meninges etiam, Cerebrique substantia per violentam quandam rem externam dividitur, & plus minùs graviter læditur. *Cranii Fractura cum Vulnere.*

Pars affecta. *Pars affecta* est partim dura, nimirum Cranium, partim etiam mollis; nimirum Cutis capitis, Pericranium, Meninges, imò ipsum quoque Cerebrum.

Causa. Pro *Causâ proximâ* agnoscitur violenta quædam allisio ex casu ab alto, vel Ictus aliquis gladio, ligno, lapide, globo sclopetario, aliasve re acceptus, unde vel pungendo, vel contundendo, vel perforando, vel secando non solùm Cutis capitis dividitur, sed etiam Calvaria ipsa quocunque demum in loco frangitur, ac subinde Cerebrum simul plus minus graviter vulneratur.

Diagnosis, & *Cognoscitur* Fractura, si Æger ex ictu accepto conciderit, & sine sensu ac motu jacuerit: si per nares, os, aures, subinde & oculos sanguis effluxerit; si vomuerit; si filum sub dentibus firmiter tenere nequeat; si adfuerit externum Vulnus, & immisso specillo asperitas Ossis sentiatur; si atramentum è solâ Gallâ, (ubi Vitrioli acrimonia metuitur,) illitum & scalpris iterum derasum lineam reliquerit. Denique res ad oculum patebit, si divisâ magis cute in loco Vulneris Cranium detectum fuerit. Meningum ac cerebri læsionem indicant secuta Inflammatio, Febris plus minus acuta, Deliria, Inquitudines, quandoque sensuum torpor, Somnolentia, & Convulsiones subsequentes. Si autem Cranii portio amputata est, per foramen Vulneris satis patebit, num Cerebrum simul læsum existat.

Prognosis. Quoad *Prognosin*, læsio hæc frequenter est lethalis, inprimis si Meninges inflammentur, ipsaque simul Cerebri substantia lædatur, ac sensim putrescat, vel si è ruptis vasculis sanguineis humor effluens Apoplexiam inducat; si humores in tubulis stagnent, ipsique spirituum animalium pori in medulâ Cerebri distorqueantur; si glandularum fibrillæ tono suo labefactatæ spirituum transcolationem impediant, hacque ratione Carum, aut Lethargum inducant, Apoplexiæ, aut impeditæ Humorum circulationis prodromum. Si verò Cerebrum ipsum non adeo vulneratum aut læsum est, tum spem adhuc bonam felicis restitutionis facere possumus; præprimis quando jam aliquoties observatum est, Homines dulci sanguinis temperie gaudentes perfectam sanitatem recuperâsse, etiamsi post acceptum insigne vulnus, aliquam etiam Cerebri, licet non magnam, corticis portionem amiserunt.

In *Curatione* Fracturarum Cranii pro diversis circumstantiis diversimodè est procedendum. In omnibus quidem casibus statim *capilli* circa Vulnus sunt *abradendi*; etiam *Vena* Brachii *secanda*, & *Clysma emolliens* atque *detergens* injiciendum, ex *Decocto Herbarum emollientium*, cum *Plantis* quibusdam *cephalicis*, additis tandem post colaturam *Electuario lenitivo*, *Melléve rutaceo*, *Oleo vulpino*, atque *anethino*.

Si *Fissura* adsit cum *Vulnere* cutis, tum post abrasos capillos *remedium sanguinem sistens*, ubi opus, applicabitur, quemadmodum in Hæmorrhagiis

giis Vulnerum ſuo loco demonſtratur. Deſuper hinc imponetur *fomentum* ex *Decocto Betonicæ*, *Gratiolæ*, *Veronicæ*, *Salviæ*, *Saniculæ*. Atque ita continuando per aliquot dies opus naturæ permittatur; notabis tamen, ſi Hæmorrhagia ſit magna, non niſi *ſanguinem ſiſtens* remedium eſſe applicandum, atque *Fomentum* ſecundâ demum deligatione, quando nullus amplius metus Hæmorrhagiæ adeſt, eſſe uſurpandum. Poſtmodum Cutis cum ipſo pericranio, vitatis tamen ſuturis, ac Temporum muſculis, ſcalpello incidenda, à Cranio avellenda, & hinc vel ſcalpro, vel atramento Fractura inveſtiganda.

Si autem certior eſſe velis, an Fiſſura utramque laminam Cranii perruperit, imperabis Ægro, ut clauſis ore naſoque fortiter exſpirare conetur, tum enim, quando Vulnus per utramque laminam penetravit, è fiſſuris exſudabit ſanies cruenta. Hoc perſpecto Vulnus linteis carptis molliſſimis cum pulveribus cephalicis, v. gr. *Radic. Ariſtoloch. rot. veræ*, *Angelic. Calam. aromat. Garyophill. Bol. armenat.* &c. totum eſt replendum; ac deinceps *Emplaſtrum de Betonicâ*, vel de *Saniculâ*, *Virgâ aureâ*, *Scabioſâ*, *Alchymillâ*, *Hyperico*, *Vincâ pervincâ*, *Gratiâ Dei* &c. applicandum, ſimulq; *Sacculus* ex *Herbis* ſupra dictis concinnatus, *Vinoque albo* incoctus calidè imponendus, ſæpiusque renovandus. Secundo dein apparatu fiſſura ſcalpris eſt elidenda, & ubi multum ſeri ſanguinisque inter Cranium & Meninges hærere notabitur, ſuâ putredine tandem lethale futurum, tum ſine morâ Trepani inſtrumento Cranium perforandum erit. Si verò parva ſit fiſſura, vel in unâ tantùm laminâ, vel etiam in utraque, ſine tamen ſanguinis extravaſatione aut hujus ſuper Meninges effuſione, tum deligatio etiam absque Trepaniſatione peragi, tandemque cicatrix, ſanatâ Fiſſurâ, ſuperinduci poteſt. Os verò nudum & detectum aliquoties ſcalpro radendum, & ſiccè ſemper deligandum, donec carne iterum tectum fuerit, etenim Oſſibus humida unctuoſaque omnia quàm maximè ſunt nociva; horum igitur loco præſtant pulveres cephalici ſupra dicti, niſi Inflammatio aliqua vicinæ cutis adhuc obſiſtat.

Si cum fracto Cranio Meninges ſimul ſint læſæ ac diviſæ, tum non ſolùm inciſione factâ Cranium detegendum, ſed & ulterius Trepano, aut aliâ ratione, ſi fieri poteſt, aperiendum venit, ut ſic membranarum detectarum læſioni tanto melius ſubvenire poſſimus. Ante omnia verò neceſſitate cupiente *ſanguinem ſiſtens* remedium eſt applicandum, quale decantatum illud *Galeni*, ex *Aloës partibus duabus*, & *Thuris parte unâ* compoſitum, cui tamen permiſcere licet etiam *Terram ſigillatam*, vel *Bolum Armenatem*, aut *Sanguinem Hominis* vel *Columbæ ſiccatum* & *pulveriſatum*. Deinceps excuſſo Hæmorrhagiæ metu, pro deterſione ſordium, & impedimento gravioris putredinis, immitti cum carptis linteis poterit *Mel roſaceum*, aut *rutaceum*, cum *Succo Apii*, *Cichorii*, *Hieracii*, *Tragopogonis*, vel *Cum læſione Meningum.*

vel etiam *Sanguine columbino*; commendant nonnulli oleosa, sed hæc tamen, propter occultum acidum rodens, plerunque nociva existunt, ac sæpiùs fungosæ Excrescentiæ proventum suscitant, qualis subinde unâ nocte efflorescere solet ad pomi etiam magnitudinem accedens.

Ad dissipandam autem hanc Fungi efflorescentiam inspergere cum fructu consueverunt *Pulverem radic. Angelic. Imperator. Galang. Aristoloch. rot. ver. Garyophyllor. aromatic.* &c. Dissipato autem ejusmodi tumore melius est, Vlcus omne non nisi siccantibus, vel siccis rebus persanare, & ita siccè tantùm semper deligare: neque tamen hòc carptis filis, sed parvulis frustis lineis, utpote quæ faciliùs semper iterum extrahi possunt. A Turundis autem heic est cavendũ, neque specillo profunditas crebrò exploranda, eo quod facilè in ipsum usque Cerebrum adigi posset.

Sordes eluendæ. Quod si in Curatione exulceratarum Meningum sordes observentur, tum eluendæ veniunt illæ supra dicto *Melle rosaceo*, cum *Succo Apii, Salviæ, Betonic. Scordii, Majoranæ*, aut simili cephalico. Neque interea multum metuendum, etiamsi fœtor subinde aliquis è Vulnere exspiret, quoniam hic ferè in tali casu consuetus esse, ac modò laudato detergente remedio sensim dissipari solet.

Interea temporis, dum hæc aguntur, interna quoque remedia usurpari debent, præprimis autem *Decoctum Lignorum* cum *Betonicâ, Chamædri, Origano, Alchymill. Pyrol. Virgâ aur. Sideritide, Veronicâ* &c. nec non *Pulveres absorbentes Coralliorum, Succini alb. Ebor. ppt. C. C. phil. ppt. Bol. armenat. Gumm. arabic.* &c. imò & *Tincturæ Succin. Betonic. Numular. Scordii, Origani, Virg. aureæ, Hyperici*, cum *Balsamo Peruviano* mistæ. Sanatis Meningibus sicca deligatio continuanda venit, donec os quoq; Cranii simul sanatum sit; vel saltem aliquid osseæ substantiæ analogum succreverit, quo tandem facto paulatim cutis, ipsaque demum Cicatrix imposito *Emplastro diapalmæ* supernascetur. Notandum tamen, pro ratione circumstantiarum frequenter admodum ac diu *Sacculos cephalicos*, de quibus supra, *Vino incoctos* & *expressos*, ad circulationem humorem conservandam, calidè applicandos esse.

Si squamæ adsint in Osse cranii, non vi aliquâ evellantur, sed separationis opus naturæ soli permittatur; istud tamen, quantum possibile, promovendo, neque ullâ ratione impediendo. Promovebitur autem maximè, si nullus accedentibus salibus corrosivis acidis locus concedatur, atque eapropter semper deligatio sicca usurpetur, vel cum vel sine pulveribus absorbentibus, & aromaticis blandis, à quibus simul Calli generatio promovetur.

Quando cum contusione & ictu accepto simul Cranium introrsum *deprimitur*, atque hinc ipsæ Meninges simul compressæ dolorem obtusum, aliaque incommoda producunt; vel quando etiam Cranii fracti *spinæ* in duram piamve Matrem continuè impin-

impingentes pungitivum dolorem ſemper inferunt, tum ipſa quidem Cranii depreſſio Cucurbitulis majoribus impoſitis ad priſtinum ſtatum revocatur, præſertim ſi ipſe ſimul Ægrotans frequenter, ore naribusque clauſis ſpiritum ſurſum exprimat, quod in Pueris ſucceſſum habere poteſt, in Adultis autem, quorum Cranium valdè induratum eſt, neutiquam ſuccedit. Vel etiam *tenax Emplaſtrum picatum* imponitur, quando Vulnus eſt perſanatum; vel tandem, ſi Cranium eſt nudum, terebello, aut tripode infixo quantum potis eſt, in altum attollatur.

Spinæ autem, *teſtulæque* confracti Cranii, quocunque modo eximendæ, ſive id fiat per roſtra exſcindendo, ſive per ſcalpra erodendo; ſive per volſellas, cum malleo plumbeo, effringendo: ſed caveas, ne in hâc operatione, Meningem plus rædas. Operatione autem feliciter peractâ deligatio ſuperius dicto modo continuabitur.

Si ab accepto Ictu enata eſt Contrafiſſura, in Oſſe oppoſito, quod ictum propriè non accepit, tunc primò quidem inquirendus eſt locus Contrafiſſuræ, qui vel ex dolore attactum ſequente cognoſcitur; vel conjicitur, ſi raſo capillitio, *Emplaſtroque* impoſito è *Pice Liquid. Cerâ*, *Terebinth.* & *Aloe*, quis locus tumidior, humidior, aut mollior apparuerit, huic enim fiſſuram ſubeſſe, probabile eſt, adeo ut Æger etiam tale nihil cogitans manum ſubinde ei parti admovere, vel eandem fricare cogatur.

Huic vitio medela affertur, ſi *Emplaſtrum* vel *ſticticum Crollii*, vel *de Baccis Laur. de Betonicâ*, *Norimbergenſe* aut *Diapalma* imponatur per longum tempus, ac inſimul *Sacculus cephalicus*, ut ſupra, *Vino* incoctus calidè ſemper applicetur, donec nulla amplius ſymptomata Ægrum moleſtent. Si tamen Fiſſura creditur eſſe magna, ita ut metuendum, ne Sanguis aliquis extravaſatus ſubſit, Abſceſſum poſtliminiò vel ſupra vel infra Cranium pariturus, tum protinus eſt cutis ad Cranium usque incidenda & aperienda, deinceps, Hæmorrhagiâ conſueto more ſedatâ, Os fiſſum probè examinandum, ac pro re natâ etiam *Trepano* perforandum, quo ſubtus forſan latitans pus exitum inveniat. Deinceps verò ſicca deligatio inſtituetur, & ad ſanitatem usque continuabitur.

Eadem ratione procedendum, quando inferior lamina Cranii fiſſa eſt, ſuperiore manente integrâ. Interim *Symptomatibus*, ſi quæ in ipsâ Curatione accedant, ſuo more eſt occurrendum, ita tamen, ut remediis ſcopus generalis medendi fracturæ non impediatur.

Diæta in principio tenuis admodum ſit, quemadmodum in morbis gravibus: nocent *acida* omnia, *aromatica* & acria nimia, *Salſa* copioſa, auſtera; nocent maximoperè *Ira*, *Venus*, *Vinum*, riſus immoderatus, ſternutatio, ſtepitus nimius. *Aër* purus ſit & calidus. *Potus* ſit *Decoctum Raſ. C. C. Hordei. Liquirit. Betonic. Chamædr. Thée. Semin. Pæon. Aniſ.* &c. *Diæta.*

CRE-

Crepitus Ventris nimii. CREPITVS VENTRIS NIMII aliquando Hominibus, pudibundis inprimis Fœminis atque Virginibus, ob forditiem atque fœtorem molesti esse solent; dicuntur autem Symptoma Excretorum, quo quidem flatus in primis viis non solùm præternaturali copiâ gignuntur, sed etiam deinceps crebrius per alvum cum fragore extruduntur. Beneficium magnum naturæ, dum corpus sic ab onere rei inutilis, imò noxiæ liberatur; sed quod tamen originem habet emendatione indigentem, videlicet malam Ventriculi digestionem, quæ, nisi probè curetur, variis morbis ansam præbere solet. Quomodo autem hisce molestiis occurrendum sit, sub Titulo de *Flatibus* monstratur.

CRISTA. v. *Verruca*.

CRVRIS FRACTVRA. v. *Fractura*.

Crusta lactea. CRVSTA LACTEA, est ulcerosa Cutis capitis scabies, ab humore salso-acri originem ducens, crustulasque albicantes excitans, ac Infantibus peculiaris. De hâc vide *Achores*.

CRYSTALLINI HVMORIS Oculorum vitia, Vid. *Humoris crystallini Vitia*.

Cutis asperitas. CVTIS ATTRITIO, EXCORIATIO, *Vid. Intertrigo*.

CVTIS ASPERITAS, Symptoma est qualitatis in superficie Cutis mutatæ, quo naturalis ejus mollities tollitur, & asperitas inducitur, non incommoda tantùm, sed & propter subsequentes atque conjunctas simul sordes munditiei adversa.

Subjectum ejus sive *Pars affecta* Cutis est, cum super inhærente Cuticulâ, pelliculâ illâ tenui ac densâ, externis injuriis oppositâ, parvulis ubique foraminibus, sive porulis, in quos vascula sudoris excretoria, valvulis in extremitate donata, hiant, præditâ. *Cutis* verò ipsa involucrum est membranaceum, crassum, potissimâ sui parte è filamentis nerveis, atque vasculis humorum, affabre inter se complicatis contexta, quibus glandulæ numerosæ, harumque excretorii tubuli, tanquam sudoris aut vaporum viæ densissimè interponuntur. Vt adeo Cutis è duplici quasi substantiâ confletur, exteriore nervoso-membraneâ, interiore glanduloso-velut carneâ. Qui autem cum adcuratissimo *Malpighio* nudam per microscopium cutim diligenter contemplatur, ei primò lustrandum occurret corpus sic dictum reticulare, crebris foraminibus suis non solùm tubulos sudoriferos, sed & plurimas papillulas pyramidales nerveas in cuticulam usque protensas comprehendens. Infra corpus istud reticulare glandulæ hærent numerosæ, in quibus materia halituosa ex arteriolis secernitur, & inde per vascula excretoria ad Cuticulâ protruditur, ubi dein nunc sub formâ sudoris colligitur & expellitur, nunc sub formâ vaporis subtilis in Auram externam transpirat. Rugosa est Cutis, superficiei inæqualis, sulcis ubique donata, sed in statu naturali tamen mollis atque plicatilis, totum corpus integens, quibusdam in partibus

bus crassa, densa, in aliis verò tenuis atque tenera.

In naturali proin statu Cutis tersa, mollis, lævis, polita, & æquabilis existit, quando nimirum pori ipsius omnes humore miti, blando, gelatinoso ac velut oleoso adimpleti sunt. Hæc autem mollities vel lævitas nativa variis à causis tolli, & contraria qualitas, durities atque asperitas induci solet. Quod si statim à nativitate Infans vino vel aquâ nimis calente, & propemodum fervente lavatur, ac à cutaneis sordibus liberatur, tum à nimio liquoris fervore cutis superficies ita exasperatur, ut postea per totam penè vitam aspera ac duriuscula maneat. Sed & Asperitas præterea Adultis jam hominibus accedit à *causis* tam *internis*, quàm *externis*. Internè heic culpatur humor vitiosus, salsus, in cutaneis poris copiosè collectus, aut à frigore externi aëris fibras epidermidis constringente coërcitus, talis enim superficiem magis rugosam & asperam reddit, ac interdum Scabiem producit, in Leprosis maximè sordidam. Sed & exasperatur eadem, quando pori cutanei ab unctuoso humore planè exhauriuntur, unde sulci rugæque grandiores evadunt.

Externè asperitatem Cuti inducunt calentes valde humores affusi, vel frigidæ nimis res admotæ: ita aër frigido-rigidus, aqua gelida eo contribuunt. Qui hinc frigidâ nimis, aut nivosâ aquâ, aliisve gelidis liquoribus suas quotidie manus abluunt; vel qui earum sordes aquâ lixiviali, saponatâ, aut calcariâ detergere solent, nitidas quidem eas, sed insimul duras, asperasve reddunt. Idem præstat Aër vel nimis æstuans, vel frigidus in excessu; Victus itidem crassus, salsus; labor durus quotidianus, unde Opifices, Rustici, Ancillæque manus semper asperas obtinent.

Ad tollendam ejusmodi Asperitatem, ac lævitatem vel lubricam mollitiem & teneritudinem conciliandam emollientia, atque unctuositate quadam minimè salinâ pollentia prosunt, si post elotas sordes Cuti inunguntur. Sordes extergunt nonnulli Aquâ calidâ saponatâ, sed melius est *Vino* & *Aquâ* calidè invicem mistis ac *Furfure*, vel *Micâ panis*, vel *Farinâ seminis Lini* additâ id præstare. Extersa verò Cutis fricari potest sequenti v. gr. *Magmate*, vel *pastâ*: *Amygdalas dulces recenter excorticatas contunde probè, dein misce cum micâ panis recenter è clibano extracti, & cum Vini albi & Aquæ Rosarum quantitate sufficiente in Pastam redige, quâ postea manus quotidie fricantur.* Vtuntur alii tantùm *Magmate* illo, vel *Placentâ Amygdalarum dulcium* post expressum *Oleum* in prelo remanente, quo manus quotidie fricant; si *Aquam Rosarum* permiscebis, odorem simul fragrantem conciliabis. Commendant alii *Olea expressa seminis Raparum*, *Nucleorum Persicorum*, aut *Amygdalarum dulicum*: *Oleum* item *Violarum purpur. flor. Keiri. Lil. albor.* &c. cum *Axungiâ Caponum*, *caprinâ*, *cervinâ* &c. Curatio.

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. excort.* ℔iij.
Contusis probè affunde
Spiritus Vini
Aquæ Rosar. ana. ℥j.

Malaxa invicem & frige in Vase terreo vel æneo parum super ignem lenem; & quando incalescere incipient atque fumum emittere, tum sacculo lineo crasso immitte, hunc prelo subjice, & Oleum inde clarum atque nitidum exprime, adhuc statim calenti Aquæ pluviali mox immitte, atque in eâ tamdiu circumages, & conquassabis, donec in Unguentum album fuerit mutatum, quod dein pro inunctione asservabis.

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. excort.* ℔iij.
Mastich. elect.
Gumm. Tragac.
Storac. Calamit. ana. ℥j.
Albumen duorum ovorum.

Contunde omnia probè ac misce invicem, stent per 5. vel 6. dies, quotidie iterum conquassando totam pastam; tandem exprime Oleum, ac eo Faciei vel aliarum partium asperam Cutim quotidie inunge.

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. excort.* ℔ß.
Semin. 4. frigid. major. ana. ℥iij.
Pinear. dulc. ℥ij.

Invicem probè per aliquot horas contusis adde Vitellum duorum ovorum.

Misce exactè, ut fiat Massa, quam ollæ terreæ immitte, inspergendo parum Sacchari, ut diutius incorrupta asservari queat. Quotidie mane fricantur inde manus, & linteo molli leniter iterum absterguntur.

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. excort.* ℔j.
Pinear. ℥iiij.
Pulver. radic. Ireos Flor.
Spermat. Cet. rec. ana. ℥j.

Contunde invicem probè in formam Pastæ, ad misce dein Olei è 4. Seminib. frigid. expreß. ℥ij.
Vitelli Ovor. num. ij.
Aqu. Rosar. ℥vj.

Coque in lebete ad ebullitionem lenem, continuè spatulâ agitando, donec pasta lebeti non amplius adhæreat. Hâc Massâ dein quotidie mane ac vesperi manus fricantur.

Faciei Asperitas à Solis radiis producta sequenti *Unguento* corrigitur:

℞. *Axung. Capon.* ℥iiij.
Malaxa per triduum in Aquâ fontanâ, quotidie bis vel ter novam affundendo: agita diligenter manibus, usque dum maximè alba evaserit, postea immitte in Ollam vitreatam, adde
Pinguedin. vitulin. ℥ij.
Ceræ alb. ℥j.
Aqu. Lil. alb. ℥iiij.

Agita invicem probè spatulâ, quando super ignem lenem per quadrantem horæ coquuntur; hinc per linteum filtra, & depluere permitte in patinam subjectam, cui Rosarum Aqua prius indita fuit: sine refrigerari, dein exime cochlearis ope Unguentum, & in mortario contunde, donec album evaserit, quod dein Ollæ mundæ inditum in loco sicco usui asservatur. Inungitur autem vesperi, & sequenti mane linteo molli blandè abstergitur.

CVTIS ATTRITIO, Vid. *Intertrigo.*

CYNANCHE, Vid. *Angina.*

CYNI-

CYNICVS SPASMVS, Vid. *Spasmus cynicus*, & *Convulsio.*

DEFATIGATIO POST LABORES, Vid. *Lassitudo.*

DEFLVXIO, Vid. *Catarrhus.*

DEJECTIO CRVENTA, Vid. *Dysenteria* & *Fluxus hepaticus.*

DEJECTIO AQVOSA vel BILIOSA, Vid. *Diarrhœa.*

DEJECTIO NIMIA, Vid. *Diarrhœa.*

DEJECTIONIS DEFECTVS, Vid. *Alvi constipatio.*

DELIRIVM, Vid. *Imaginatio perversa.*

DENTIVM CARIES & NIGREDO, est Symptoma qualitatis mutatæ, simul & morbus solutæ unitatis, in quo Dentium substantiæ continuitas à sale acido corrosivo dissolvitur, exeditur, simulque color albus naturalis in nigrum sordidumque mutatur.

Afficitur autem Dentium substantia primum in circuitu, ubi gingivæ proximè adhæret, interdum & in superficie Dentium molarium; ubi materia tenax sive ex cibis sive ex salivâ ipsâ residere & agglutinari commodè potest. Quandoque etiam in radicibus eorum erosio contingit nunc à sero acri, nunc à vermiculis.

Causa efficiens est sal acido-acre plus minus occultum, quod vel cum saliva, scorbutico caractere infectâ, vel cum cibis multum saccharatis, mellitis, caseosis, salsis, aliisque ad latera dentium sub masticationis negotio demissum adhærescit. Nonnunquam cura mercurialis qualiscunque ad dentes appellens, non tantùm Vacillationem eorum inducere, sed & sensim Cariem simul excitare, ipsamque utplurimum nigredinem producere valet. Ita & nimis calida, aut nimis frigida, dulcia, acida, austera, vitriolica sæpiùs usurpata non secus ac Fuci ex Hydrargyro ad dentium nigredinem simul & Cariem contribuunt.

In *Curatione* præservationis gratiâ in usum trahuntur varii *pulveres dentifricii*, ex *maxillis Lucii piscis ustis*, *C. C. usto*, *ossibus Sepiæ piscis*, *Crustâ panis tostâ*, *Coralliis rubris*, *Radic. Ireos florentin. Radic. Aristolochiæ*, *Cinamom. Garyophyllis aromat. Lapide Pumicis*, & similibus parati; v. gr. *Curatio.*

℞. *Oss. Sepiæ.* ℔ß.
Rad. Ireos flor.
Corall. rubr. ana. ℥ij.
Sang. Drac. ver.
Santal. rubr. ana ℥iiß.
Cinamom. opt. ℥ß.
Alum. ust. ʒiiß.
Ambr. grys. gr. vj. *ad* x.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Alii etiam ejusmodi pulveres *Melli rosaceo* permiscent, hocque post singulos pastus dentes suos vel fricant vel illinunt, sine ablutione succedaneâ, dum salivâ solâ meliore cum successu eluunt. Si quis tamen Carie jam dentium ipsâ laborat, tum vel remedia Cariem ulteriorem præcaventia in usum trahenda, vel Dens evellendus aut exurendus. Caries dentium ulterior præcavetur, si *Pilulæ* frequenter immittantur ex *Opio*, *Garyophyll. arom. Pipere*, *Radic. Pyrethr.*

Imperat. Aristoloch. Euphorbio, cum *Ol. mest. Rorismarin.* & *Garyophyll.* Itali dndunt *Radicem Chelidoniæ majoris recentem*, quo fieri credunt, ut dens paulatim emoriatur, ac frustillatim excidat. Sunt qui etiam stylis ferreis ardentibus sibi foramina dentium cariosorum probè exuri patiuntur, quo fit, ut non solùm Caries ulterius non serpat, sed & nervuli dentium emoriantur, ut postea nullus amplius per totam vitam dolor eos prehendere valeat. Alii in hunc finem frustula plumbi sive auri nonnihil calentia foraminibus dentium infigi, atque malleolo tantillum intrudi patiuntur, quò firmius inhæreant, ac superficies Dentis claudatur, sicque omnis aëri externo aliisve particulis ingressus præcludatur. Alii iterum continuè frustula *Ceræ* foraminibus Dentium ingerunt, inque hunc finem consultò *Ceram Oleo destillato Garyophyllorum*, vel *Buxi*, vel *Piperis* &c. acuunt.

Dentis evulsio. Si quis verò Dentem sibi evelli cupiat, illud non nisi à perito Chirurgo fieri patiatur, ne cum ipso dente simul magna portio maxillæ auferatur, indeque Vlcus, Fistula, Cariesque maxillæ accersatur. Chirurgus ipse caveat primò, ne sanum pro ægro dentem arripiat; ne maxillam nimis dimoveat, sicque ipsum simul Dentis alveolum maximè diffringat, unde sæpiùs difformis facies redditur. Vt autem Dentes sine magnâ violentiâ evellantur, *Gummi hederæ* imponendum, vel *Radix Cucumeris agrestis* in *Aceto* macerata per triduum est applicanda; vel etiam *Semen Hyoscyami*, aut *Radix* ejusdem assata Radici Dentis calidè admovenda, ita tamen ne saliva his imbuta deglutiatur, aut vicini dentes inde simul tangantur. Extractio ipsa fit Instrumentis in hanc rem affabrè structis, prout sunt *Forceps dentium communis*, vel sic dicta *corvina*, vel *Forceps dentium Pelicano rostro similis*, quibus dentes prehendi, & extrahi possunt; *Vectes dentium bifidi*, quibus dentes prehendi nescii excutiuntur; *Vectes trifidi*, quibus dentes primores unâ radice gaudentes extruduntur; *Dentiscalpium*, quo gingiva à dentibus liberatur, &c.

Exempto dente, si hæmorrhagia nimia sequatur, atque *Oxycrato* vel *Aceto solo*, vel *Vino rubro* sisti nequeat, gossypii frustulum, in quo *Oleum cypreum* reconditum sit, alveolo dentis evulsi indatur; atque sic postea aliquoties iterum Os vel *Aceto* vel *Vino rubro*, cui incoctæ prius sint *Radices Angelic.* aut *Aristoloch. Salvia* item vel *Garyophyll. aromat.* aut *Myrrha*, eluatur, & ita Hæmorrhagia sistetur. Permittendum tamen est, ut sanguis post exemptum dentem modicè profluat, sicque vicem aliquam Venæsectionis admodum salutaris præstet. Remedia ergo tum demum adhibeantur, quando sanguis nimium, atque justo diutius cum virium Ægri detrimento emanare solet.

Si *Dentes* admodum *nigri* sint, tum illi *Melle rosaceo* primùm ficentur, hinc scalpro acuto nigra cutis deradatur, sicque studiosè omnes inde sordes abstergantur. Si quis tamen incommoda hujus rationis tolerare nolit,

nolit, ei parabitur *Mixtura* ex *Melle rosaceo*, *Syrupo Violarum*, & *guttulis* variis *Spiritus* cujusdam acidi, quâ miscelâ dentes ope penicilli aliquoties illini atque detergi possunt; sic enim Spiritus acidus nigras omnes sordes feliciter eluet, ac dentes albissimos reddet sed insimul Stuporem inducet, cui tamen suo more per affricationem v. gr. *folior. Malv. Althææ, Violar. Verbasci* &c. medebitur. Vel quamprimū albos fecisti dentes, iterum statim abluito *Aquâ Angelicæ, Imperatoriæ, Althææ, Malvæ, Cinnamomi*, cum *Mucilagine Seminis Psyllii*, ut ita omnes *acidi Spiritûs* particulæ probè auferantur, antequam dentes flavedinem quandam sordidam inducant, iis familiarem, qui tali remedio sæpiùs uti solent. Postmodum dentes sic albi redditi ab ulteriore nigredine præservantur, si à quolibet pastu statim mundantur, & quidem vel *Pane tosto pulverisato*, vel qualicunque *Pulvere dentifricio*, ex supra dictis composito. Vt autem tanto melius omnes detergantur sordes, nonnulli *spongiâ*, alii *Radice Malvæ, Aceto rosaceo* intinctâ, & iterum siccatâ, alii denique *Scopulis setaceis* defricare solent. Interim simul cavendum, ne cibos potumque vel nimis calidè, vel nimis frigidè ingeramus, aut ciborum dulcium, atque Casei manducationi plùs nimis indulgeamus, quoniam ab his dentes sensim nigerrimi redduntur.

Carici dentium non rarò succedit *Abscessus, Ulcus*, imò *Fistula*, quæ profectò non nisi Dente carioso extracto, atque radicitus extirpato curatur. Ne autem ejusmodi Dentis evulsio tumorem pariat, gingivæ inungi solent *Oleo Amygd. dulc. rec. expr.* vel *Pinguedine Ranar. viridium.*

DENTIVM SORDES atque TOPHI, negligentibus hominibus sunt familiares, qui scilicet nullam suorum dentium curam habent, eos nunquam sive à pastu, sive aliàs detergunt; sed intactos semper relinquunt, ut mirum non sit, quòd his tandem Caries cum nigredine ac fœtore accedat. *Dentium Sordes ac Tophi.*

Originem ducunt à particulis viscidis salino-tartareis sive terrestribus, quas partim Cibi masticati, partim saliva nonnihil subinde glutinosa subministrat, ob irregularem figuram suam facilè dentium superficiei adhærescentibus, ac deinceps auctis, & in tophaceam duritiem paulatim mutatis. Vocant aliâs *Lithodonton* vel *Lapidem dentalem.* *Causa.*

Auferuntur *Sordes* solæ, quemadmodum sub præcedenti jam titulo indigitatum est. *Tophi* autem non nisi subtilibus scalpris abraduntur, & hoc quidem interdum peritam circumspecti Operatoris manū requirit, ne vel Gingiva nimis lædatur, vel Dentes frangantur. Ablatis autem Tophis, ac mundatis probè dentibus *Dentifricii pulveres* quotidie in usum trahendi veniunt, ut ita sordes novæ ac Tophi ulteriores præcaveantur. Pulveres ejusmodi magno numero descripti apud diversos Auctores reperiuntur, sequentes verò nobis apprimè satisfecerunt hactenus:

℞. *Corall. alb. ppt.*
Lapid. Pumic. calcinati, atque in Aquâ Rosar. extinct.
Orizæ finiss. ana. ℥ij.
Radic. Ireos Florent. ℥j.
Santal. rubr. ℥ß.
Sanguin. Dracon. ver. ʒiij.
Alumin. rup. ʒij.
Mosch. & Ambr. grys. Spirit. Ros. sol. ana. gr. vj.
Ol. stillat. cinam. gutt. iij.
M. f. Pulvis subt. d. ad Scatul.

Vel ℞. *Ossis Sepiæ. ppt.*
Dent. Canin. ppt. ana. ℥iß.
Radic. Ireos florent.
Corallor. rubr. ppt. ana. ℥j.
Cinamom. opt. ʒiiß.
Alumin. usti ʒj.
Succi Japon. ℈ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul.

Vel ℞. *Crust. Panis tost.*
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ℥j.
Radic. Bardan.
Scorzoner. ana. ℥ß.
♁ *n. diaphoret.* ʒij.
Salis commun. ʒj.
Ol. stillat. Garyophyll. gutt. iiij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Vel ℞. *Crust. Panis tost.* ℥ij.
Radic. Ireos flor. ℥j.
Salis polychrest. ʒj.
Cinam. elect. ℈ij.
Mosch. & Ambr. ana. gr. iiij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Vel ℞. *Lact. Lunæ.*
Lapid. Pumic. calcin. ana. ℥j.
Unicorn. fossil. ℥ß.
Santal. citrin. ʒij.
Salis Gemm. ℈ij.
Ol. stillat. Cinam. gutt. ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Cùm ante triginta annos *Tiguri* Helvetiorum studiis operam navarem atque Fœminas, Virginesque plurimas etiam aliàs formosissimas, sordidis nigrisve dentibus præditas deprehenderem, sequentem aliquibus Pulverem commendavi, quo non sine fructu notabili usæ fuerunt, atque dentes mundos & albos inde reportârunt.

℞. *Summitat. ac Foliolor. Salviæ nobil.*
Flor. Rosar. rubr. ana. ℥ß.
Radic. Ireos florent. ℥j.
Corall. rubr. ppt.
Oß. Sepiæ ppt. ana. ℥iiß.
Cinam. acut. ʒiij.
Santal. rubr. ℥ß.
⊖*is commun.* ʒiß.
Mosch. & Ambr. opt. ana. gr. vj
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul.

Denique sequens etiam bonus est Pulvis, pluribus familiaris:

℞. *Ossis Sepiæ ppt.*
Cochlearum cum testis calcinatar. ana. ℥ij.
Santal. rubr. ℥iß.
Matr. Perlar. ppt. ℥ß.
Cubebar.
Alumin. ust. ana. ʒiß.
Rasur. Lign. Rhod. ʒiij.
Ambr. grys. & Mosch. orient. ver. ana. gr. vj.
M. f. Pulv. subtil. detur ad scatul.

Quod si autem ex ejusmodi Pulveribus cum *Mucilagine Semin. Cydonior.* vel *Gummi Tragac. Aqu. Rosar. & Salviæ extr.* bacillos facias, hosque leni calore paulatim exicces, ac deinceps pos[...]

post pastum quotidie ad fricandos Dentes usurpes, non solùm eos à sordibus & carie tutos servabis, sed etiam Gingivas à corruptione ac putredine immunes præstabis.

DENTIVM PROMINENTIA est vitium, quo dens unus vel alter extra seriei ordinem præternaturaliter prominet, vel etiam grandior cæteris redditur, ita ut subinde extra labia, sicut in Apris, feratur. *Excrescentiam dentis* etiam appellare posses, quoniam reverâ nihil aliud est, quàm præternaturalis ejusdem elongatio, à tali structurâ proveniens, ut copiosius justo nutrimentum per poros osseos admittatur atque concrescat. Vitium & venustati sive decori faciei adversum, & manducationi vel masticationi naturali ciborum incommodum.

Huc referendum est aliud Dentium vitium, quando videlicet numero excedente peccant, observantur enim subinde dentes duplices, quorum unus retro alterum positus extat. Rarius integra dentium sive alterutriu, sive utriusque Maxillæ series duplex obtingit; molesta certè, quomodocunque appareat.

Vitia hæc ferè à nativæ maxillarum structuræ præternaturali statu originem trahunt, ubi per qualemcunque naturæ lusum alveoli Dentium multiplicantur; sicque affluente jugiter osseo nutrimento Dentes justo plures gignuntur.

Mederi non licet aliter ejusmodi vitiis nisi superflui ablatione. Igitur evellendi sunt illi Dentes supervacanei, & deinceps id agendum, quod post exemtionem fieri solet, ad Hæmorrhagiam nimiam sistendam, & gingivam firmandam.

DENTIVM VERMIVCLI sunt animalcula viventia ex ovulis Insectorum in foramina dentium cariosorũ depositis, atq; vivificatis progenita, hincq; radices eorũ nerveas non sine notabili sæpè cruciatu pungentia ac mordicantia. Ovula ejusmodi cum cibis assumta, sub masticationis actione eo plerunque detruduntur, nisi forsan cum sanguine circulante eo deveniant, aut propellantur. *Dentium Vermiculi.*

Vermiculi tales vel suis in nidis ab immisso qualicunque *oleo*, inprimis *destillato*, v. gr. *Buxi*, *Quajaci*, *Iuniperi*, *Garyophyllor. Rorismarin.* eenecantur; vel per admissum intra Os fumum, v. gr. ex accenso super prunas *Pulvere fol. Solani*, *Meliss. Matricar. Absynth. Tanaceti*, *Abrotoni. Baccar. Laur. Seminum Dauci*, *Cynæ*, *Flor. Papav. rhœad.* &c. vivi evocantur. Ex ejusmodi pulvere cum *Terebinthinâ* etiam *Pilulæ* formari, & prunis injici possunt, pro fumo excitando. *Curatio*

DENTIVM STVPOR, est Sensus depravatus, quo in dentibus percipitur incommoda cujusdam adstrictionis molestia, citra naturæ consuetudinem. *Dentium Stupor.*

Etsi autem Dentes heic affici dicantur, non tamen omnis illorum substantia, sed tantùm expansiones nervosæ & membranosæ in radicibus dentium *Subjectum.*

dentium, vel in ipsis gingivis adstrictorio quodam motu affliguntur.

Causæ. Et quidem Stuporem talem inducunt omnia acido-austera, dentibus admota; sic Vomitus acidæ pituitæ; sic saliva acida; sic ⊖lum, & quæ exinde parantur: sic spiritus omnes acidi; sic Fructus horæi nonnihil acerbi & immaturi; præprimis, qui succo austero-adstrictorio pollent, velut Sorba, Pruna sylvestria &c. talem promptè affectum producunt.

Prognosis. Quod si Stupor frequens occurrit ab humore salivali austeriore, ceu caussâ internâ, periculum est, ne tandem dentes cariosi reddantur, imò quoque corruptâ inde gingivâ vacillent.

Curatio. In *Curatione* ea solùm prosunt, quæ succum austerum dentibus oblinitum absorbere aut detergere valent. In hunc finem illi sæpè fricentur *Herbis Portulacæ, Sempervivi majoris, Malvæ, Parietariæ, Violar. Verbasc. Quercûs, Alth. Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Portulac. fact. Nucibus avellanis, Amygd. amaris excorticat. & contus. Radic. Pulvere Glycirrhizæ, Malv. Alth. Symphyti. Melle* tandem *rosaceo*, cum *Roob dianuçum* & *Pulvere Ocul.* ♋. *ppt. Unicorn. fossil.* permisto. Si Massa sanguinis, austerior reddita, sit in culpâ, *Acidulæ* debito cum regimine diætæ, vel etiam *Lac caprillum* aut *asininum* bibatur.

Dentium dolor. DENTIVM DOLOR, ODONTALGIA, est tristis sensatio in unius vel plurium dentium radicibus, atque fibrillis nerveis à caussâ quâdam rodente & crispante producta. *Odontagram* subinde vocant.

Afficiuntur autem in hoc malo præcipuè Dentium fibrillæ nerveæ; sed & subinde etiam membranæ gingivarum à catarrho salso ita lancinantur ac roduntur, ut dolor hinc in universam lateris maxillam sese repandat.

Causa proxima Odontalgiæ est rosio fibrillarum in dentium cavitatibus & radicibus existentium; vel etiam membranarum Gingivas cingentium nervosarum. Rodunt autem nunc Vermiculi, dentium cariosam cavitatem occupantes vivi; nunc seroso-salso-acres particulæ ad istas partes delatæ, & inibi propter obstructionem qualemcunque stagnantes, tubulosque hâc sui stagnatione expandentes, ac dilacerantes. Si Dens usque ad cavitatem internam cariosus, perforatus, & niger existat, tum qualescunque externæ injuriæ dolorem producere valent; ita enim aër frigidus ac humidus, cibi multùm saliti, acidi & acres; potus vel nimis frigidus, vel nimis calidus ansam huic malo præbere observantur. Si quis Scorbuticus affluat in suo corpore humoribus salsis, crudis & acribus, hincque aëri frigido, humidove diu multumque sese exponat, ut pedes & caput admodum refrigerentur, ei etiam ob hanc rem Odontalgia in alterutro maxillarum latere contingit, dum tale serum crudum & acido-acre ibidem in tubulis obhæret, stagnat, suisque spiculis rodit. Vocant hoc tum communiter *Defluxionem* s. *Catarrhum Capitis*. Malum

Malum hoc per se cognitum ab Ægro datur; sed aliquando tamen mitiùs, aliquando graviùs eundem habet; & nunc in uno vel altero Dente carioso existit, nunc in totâ lateris maxillâ hæret; ac non rarò simul aliquantillam Febrim, Anorexiam, Cephalalgiam, Otalgiam, præprimis autem Vigilias perpetuas inducit. Etsi proin ab Odontalgiâ per se nullum periculum immineat, per accidens tamen si contumacior fuerit, prava ac vehementia symptomata post se trahit. Diuturnior ac frequentior est Odontalgia in Hominibus scorbuticis, hypochondriacis, Lue venereâ affectis. Reperti etiam sunt, qui præ nimio dolore prorsus convulsi fuerunt.

In *Curatione* itaque ad Causam attendendum; quæ si *Vermiculus* unus aut alter existat, fortè in cavo dentis hærens, tum vel *Oleo stillat. Absynth. Piperis, Lign. Guajac. Succin. Buxi,* aut *Garyophyllor.* vel *Spiritu Salis armoniac. urinoso*, *Spiritu* itidem *odontalgic.* aut *cephalico* qualicunque cum *Camphora* mixto; vel *Succo amaro Anethi, Absynth. Abrotoni, Centaur. min. Tanaceti*, cum pulvere *Aloës*; vel *Essentiâ* aut *Decocto* earundem plantarum dentibus calidè admoto enecetur, expellaturve; vel *ignito ferro* exuratur, atque hinc foramini Dentis *Cerâ*, *Plumbum*, *Aurumve* præservationis causâ indatur, atque firmiter infigatur. Evocatur etiam Vermiculi *fumo Tabaci* nonnihil haustо, inprimis si *Centaurium minus, Absynthium, Abrotonum, Solanum, Card. benedictus, Matrican, Folia Hyoscyami, Flores Chamom. Sambuci, Mastiche, Myrrha* permisceantur.

Quod si verò *serum salso-acidove-acre*, sive scorbuticum in culpa sit, Dentem cariosum inprimis affligens, tum vel Dens prorsus evellendus, quemadmodum in *Dentium Carie* explicavimus, vel exurendus, & *Cerâ*, vel aliquâ aliâ materiâ, prout supra dictum, repletus continuè servandus. In hoc tamen casu ordine quoque Remedia præscribi debent, universalia præmittendo, dein specialiora exhibendo. Ante omnia nobis perplacent *Pilulæ purgantes*, compositæ ex *Mass. pilul. è succ. Craton. Extract. cathol.* vel *panchymag. Croll.* cum *Scamm. sulph. Mercur. dulc.* vel *Cinnab.* ♁nii & *Ol. stillat. Amarac. Rorismar.* &c. Imò instante malo post aliquot dies idem purgans repeti potest. v. gr.

Odontalgia à sero salso scorbutico.

in paroxysmo.

℞. *Extract. panchym. Cr.* ℈j.
Pilul. marocostin.
cathol. ana. ℈ß.
Trochisc. alhand. gr. vj.
Ol. stillat. Garyoph. q. s.
M. f. Pilulæ num. 30. Inaur. d. ad scatul. Dosis numer. 2. 3. aut 4. mane vel ante cœnam, aliquoties repetendo.

Vel si vomendum simul sit, quod sæpe multum conducit:

℞. *Gumm. Gutt.*
Crem. ♁*ri ana. gr. 8. vel 9.*
⊖*is Artemis. gr. 6.*
Cinnab. ♁ *n. opt. gr. 4.*
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi matutinâ.

Vel *Clysma* unum alterumve purgans ac detergens injiciatur. Post purgans prosunt quoque *Pilulæ catarrhales compositæ* ex *Extracto Betonic. Lign. Guajac.* vel *Sassaphras, Gumm. Guajac. Rorismarin. Bezoard. mineral. Ebor. ppt. Succin. alb. ppt. Cinnab. nativ.* vel ♁*n. Ol. stillatit. mac. Nucist. Amarac. Salv.* &c. De quibus m. ac v. ℈j. exhiberi debet, cum *Aquâ Betonic. Salv. Verben. Apii selin. Flor. paralys.* &c. vel cum *Infuso fol. Theé Betonic. Chamædr. Majoran. Meliss. Ocym.* & *Chamomill.* quod alias in Catarrhis cephalicis efficacissimum remedium est. Si Dolor his non obstantibus persistat vehemens, *Pilulis* supra dictis catarrhalibus permiscebitur quoque aliquod *anodynum*, v. gr. *Massa Pilul. è Styrace*, vel *Theriaca cœlestis*.

℞. *Extract. Betonic.*
Rorismar.
Gumm. Guajac. ana. ℈ß.
Theriac. cœlest. gr. xv.
Bezoard. miner.
Cinnab. ♁*n. corr. ana.* ℈j.
Ol. stillat. Amarac. vel Succ. q. s.
M. f. Pilulæ numer. 40. *Inaur. d. ad Scat. sumantur decem pro dos. noctu horâ somni.*

Vel ℞. *Extract. Lign. Guajac.*
Sassaphr. ana. ℈ß.
Maß. Pilul. è Styrac. ℈j.
Cynogloß. gr. vj.
Ol. stillat. Lavend. q. s.
M. f. Pilul. n. 30. *Inaur. d. ad scat. Dosis est* 10. *noctu horâ somni.*

Absorbentes etiam *pulveres anodyni* loco Pilularum sæpius usurpati prosunt, præprimis si sudor ab illis iteratus proliciatur:

℞. *Dent. aprin. ppt.*
Corall. rubr. ppt. ana. ʒij.
Diaph. ♃ *vial. vel* ☽ *ar.*
Bezoard. min.
Cinnab. ♁*n. correct. ana.* ℈ij.
Laud. opiat. gr. vj.
Ol. stillat. Rorismar. vel Thym. gutt. 8.
M. f. Pulv. subt. divid. in 12. *dos. æqu. ad. ch. Mane ac vesperi sumatur dosis cum Jusculo vel Infus. fol. Theé, Beton. aut Meliß.*

Ad destruendam verò causam antecedentem sicque ulteriores paroxysmos Odontalgiæ arcendos, tota Massa sanguinea est purificanda, atque à superfluis particulis salino-acribus liberanda; Id præstare valent ante omnia *Succi Plantarum antiscorbuticarum* v. gr. *Nasturtii aquat. Cardamines, Beccabung. Cherefolii, Petroselini Macedonic. Plantag. aquat. Trifol. fibr.* &c. *recenter expreßi, filtrati,* & ad uncias duas mane ac vesperi per aliquot hebdomadas hausti. Vel Succorum loco *Jufcula* assumi possunt, Herbis diaphoreticis ac antiscorbuticis, v. gr. *Scabios. Fumar. Beccabung. Cherefol. Borrag. Pimpinell. Numular. Alchymill. Saniculæ, Plantag.* &c. alterata. Simile quid præstant *Essentiæ Trifol. fibrin. Succin. Beton. Lignor. Strobylor. Pini, Meliß. Anthos, Thymi, Saturejæ, Numular. Spiritus Cochlear. Tinctur.* ♁*n. Corallor. Martis aperitiv. Elix. propriet. Clauder.* ad 20. 25. aut 30. guttas m. ac vesper. cum vehiculo

hiculo commodo. Æſtivo tempore Sanguinem optimè corrigit potus *Lactis aſinini*, vel *Thermarum* quarundam, veluti ſunt *Fabarienſes* Helvetiæ, *Plumbarienſes* Lotharingiæ, *Carolinæ* Bohemiæ &c. Subinde opus eſt, ut vel *Setaceum in Nuchâ*, vel *Fonticulus in Brachio* excitetur. Vere & Autumno Vina medicata purgantia conducunt, quemadmodum ſequens vel ſimile præſcribi poterit, & cum moderamine diætæ in uſum vocari:

℞. *Radic. Carlin.*
Pimpinell.
Polypod. ana. ℥ß.
Cortic. Cappar. ʒiij.
Lign. Saſſaphr. ʒvj.
Herbar. Hepat. nob.
Beton.
Fumar.
Scolopendr. ana. Mj.
Card. bened. Mß.
Fol. Senn. opt. mund. ʒx.
Agar. trochiſc.
Rhabarb. elect. ana. ℥ß.
Cortic. Winter.
Semin. Anis. ana. ʒiß.
⊖*is Tamaric.* ʒj.
Inciſis, contuſis atque in Sacculo ligatis affunde
Vini albi veteris.
Aquæ fervent. font. ana. ℔iiij.
Singulis hinc diebus mane exhauriatur Cyathus unciarum quatuor.

Si quis reſpuat uſum Vini medicati, *ei* ſequentes *Pilulæ uſuales* ordinabuntur; v. gr.

℞. *Maſſæ Pilular. Marocoſt.* ʒij.
Emanuel. ʒj.
Magiſter. Jalapp. ʒß.
Ol. ſtillat. Roriſmar. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. 180. *Inaur. d. ad Scatul. conſperſæ Pulv. Cinamom. De quibus* 8. 10. *ad* 12. *quater vel quinquies, alternis* nimirum *diebus, mane cum Juſculo exhibeantur.*

Inter *topica* Remedia proſunt, quæ cauſam proximam deſtruere, humorem circa Dentes ſtagnantem acrem diſcutere, fibrasque irritatas anodynâ ſuâ vi demulcere poſſunt. In hunc finem æſtimamus valdè prodeſſe *Collutiones Oris* frequentes cum *decoctis calentibus* inſtitutæ, ubi vel in Aquâ vel in Lacte coqui ſolent v. gr. *Radices Althææ, Alii, Caryophyllatæ, Malv. Carlin. Ulmar. Herbæ Parietar. Salv. Alth. Beton. Meliſſ. Scabioſ. Flores Chamomill. Sambuc. Melilot. Malv. hortenſis arboreæ, Verbaſc. Calendul. Croc. Ligna Guajac. Saſſaphr. Semina Aniſi, Fœnic.* Præſtans etiam *Sotirella parva* ſic dicta, ſive *Maſſa pilularis* è *Pipere, Caryophyll. arom. Radic. Pyrethri, Zingib. Croco* & *Laudano opiato* cum *Oleo deſtillato Caryophyll. Buxi, Chamom.* aliove *aromatico* confecta, & dentis præcipuè carioſi foramini ſæpè intruſa. Placet nonnullis ſuctione *Fumi Foliorum Tabaci, Solani, Meliſſæ, Betonicæ, Seminum Aniſi, Fœnic.* aliarumve herbarum ſibi mederi. *Maſſa Pilularum antipeſtilentialium Ruffi* ad grana 6. plurave *Aceto Vini* diſſoluta, & hinc calidè denti afflicto cum goſſypio impoſita levamen affert promtum, inprimis ſi *Opii tinctura* ſimul permiſta fuerit. Sunt qui *Pulverem Radic. Zingiberis, Pyrethri,*

Remedia topica.

Pentaphylli, *Piperis albi*, *Spiritui Vini* mistum naribus affecti lateris calidè aliquoties attrahunt, & momento citius quandoque à *dolore* liberantur. Neque *errhina* alia heic contemnenda sunt. Nonnulli quinque *Canthari des pulverisatos* cum tribus contusi *Allii apicibus* & *Theriacâ* in formam *Cataplasmatis* reducunt, hocque linteolo exceptum admovent flexuræ Cubiti lateris affecti non sine succedente levamine. *Vesicatoria* acria in pertinaciore Odontalgiâ Nuchæ aut pone Aures, leniora verò etiam Temporibus applicari debent. Vbi sanguis adest sufficiens, *Venæsectio* quoque in pede afflicti lateris, vel sub Linguâ instituta, aut *Scarificatio cum Cucurbitulis* dorso applicatis prodest. *Sanguisugas* alii Fronti aut Temporibus, ubi venæ patentes sunt, admovent. Neque contemnendæ sunt *frictiones* Capitis ac Dorsi cum linteis calidis institutæ. *Radix Lapathi acuti* in taleolas concisa ac denti afflicto imposita mirè auxiliatur, non secus ac decoctum *foliorum Lappæ* utriusque. Quidam porrò anthelicem Auris *Cauterio actuali* tangunt atque exurunt. *Allium* cum *Nitro* ad olecranum applicatum juvamen citum attulisse referunt alii. Sic & *Amuleti* loco manipulus *Herbæ Aparines* concisæ, linteoque exceptus inter Scapulas suspendi solet cum fructu.

Curatio Odontalgiæ ab humore pituitoso. Quando autem ab *humore pituitoso-viscido, leniter acri*, quem Veteres in censu causarum frigidarum posuerunt, membranas circa dentes nimium distendente producitur Odontalgia, tum in ipso quidem Paroxysmo statim *Clysma emolliens* atque *detergens* cum fructu injicitur; dein verò corpus purgari adhuc debet, v. gr. sequenti uno alterove:

℞. *Mass. pilul. marocost.*
è Succin. Crat. ana. ℈ß.
Resin. Scammon. gr. 2. 3. aut 4.
Cinnabar. ♁ *n. correct. gran. 8.*
Ol. stillat. Garyophyll. q. s.
M. f. Pilul. num. 12. Inaurat. d. ad ch. pro dosi matutinâ, superingerendo Jusculum carnis non salitum singulis horis usque ad meridiem.

Vel ℞. *Spirit. Anth.* ℈iiß.
Anis. ℈j.
Resin. Jalapp. gr. 8. vel 9.
Solutis leni igne adde.
Syrup. de Beton. ʒiß.
Aqu. Cinam. cum Vin. dest. ℥ß.
M. F. Potiuncula d. ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Vel *Vinum medicatum* per epicrasin *purgans* ordinari potest, blandè educens & incidens simul viscidas cruditates humorum: v. gr.

℞. *Radic. Apii.*
Calam. arom.
Scorzoner.
Vincetox. ana. ʒiij.
Herbar. Beton. Miß.
Meliss.
Summit. Centaur. min. ana. Mj.
Flor. Stœch. Arab. pij.
Fol. Senn. opt. mund. ℥j.
Rhab. elect.
Radic. Helleb. nigr. ana. ʒiij.
⊖*is Card. bened.*
Cinam. elect.
Spic. Indic. ana. ʒj.

Semin.

Semin. Anis. ʒij.

Incisis, contus. & in nodulo ligatis affunde Vini albi Veter. ℔iiij.

Aquæ fontan. calentis ℔iij.

Singulis diebus mane jejuno stomacho quatuor plus minus unciæ hauriantur.

Purgato corpore *attenuantia, resolventia* & humorem stagnantem *discutientia* conducunt, atque hunc in finem præscribi possunt *Infusa* herbarum cephalicarum cum *Foliis Theé* mixtarum, mane ac vesp. per aliquot hebdomadas calidè sorbillata: v. gr.

℞. *Radic. Ireos Florent.*
Sarsæparill. ana. ʒiij.
Chinæ.
Calam. arom. ana. ʒij.
Folior. Theé optim.
Betonic. ana. ℥iij.
Chamædr. ℥ij.
Meliss. ℥j.
Summit. Thym. ℥ß.
Flor. Borrag.
Tunic. ana. ʒij.
Croc. optim. ʒj.
Cinam. elect. ʒiß.

Incisa tenuiter misce, d. ad Scatul. Hinc mane ac vesperi drachmæ duæ hujus miscelæ infunduntur in Aquâ fervente, quæ dein calidè sorbillanda, succo Liquiritiæ potius quàm Saccharo edulcorata.

Simul tamen in hoc Infuso propinari semper poterunt guttulæ 25. 30. pluresve, *Salis* alicujus *volatilis oleosi*, vel *Spiritûs Cochleariæ, Melissæ, Anthos, Elixiris cujusdam cephalico-stomachico-balsamici, Tincturæ Succini, Essentiæ Betonicæ, Thymi, Serpilli, Rorismarini, Zedoar, Galangæ*, & similis. Vel sequens Pulvis in usum trahatur:

℞. *Radic. Angelic. vel Imperat.*
Calam. aromat.
Cyperi rotund.
Zedoar. vel Galang. ana. ℈j.
Ebor. ust. ppt.
Corall. rubr. ppt.
♁ *n. diaph. ana.* ʒij.
Semin. Anis. Fœnic. ana. ℈ij.
Salis Vol. C. C. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f. Pulvis subt. d. ad Scatul. Dosis m. ac v. ʒß. *ad* ℈ij. *cum vehiculo appropriato, subinde sudorem abhinc expectando.*

Extus in hoc Dolore, per pituitam stagnantem excitato, maximopere prosunt *Gargarismata attenuantia, resolventia*, & *discutientia*, qualia parari possunt ex *Herbis Calaminth. Hyssopi, Rutæ, Verben. Solani, Majoran. Meliss. Ocymi, Origani, Salviæ, Serpilli, Thymi, Floribus Sambuc. Croci, Chamomill. Melilot. Radicib. Pyrethr. Hyoscyam. Angelic. Imperat. Meu. Cepar. Allii, Cyperi, Pentaphylli, Filicis, Sarsaparill. Seminibus Urtic. Dauc. Anis. Carvi, Ligno Quajac. Sassaphr. Juniper. Baccis Lauri, Juniper. Cinamom. Zingiber. Caryophyll. aromat.* & similibus in mediâ parte *Vini* & *Aquæ* decoctis; cujus postea *decocti calentis* vel *calefacti* portio quædam sæpius in ore aliquamdiu teneatur, tandemque iterum exspuatur. Alii loco Decocti *Spiritum Vini*, vel *Anthos*, vel *Anhaltinum camphoratum* frequenter Ori ingerunt, & in eo tantisper retinent. Maximè verò heic prosunt *fomentationes siccæ*, quales sunt *Sac-*

culi interpassati, *Menthâ*, *Melissâ*, *Ocymo*, *Thymo*, *Origano*, *Calaminthâ*, *Floribus Sambuci*, *Chamomillæ*, *Croci*, *Seminibus carminativis*, *Baccis Juniperi*, *Lauri*, *Avenâ*, &c. repleti, atq; calidè semper applicati. Sed & conducunt Lintea fumo *Pulveris* alicujus fumalis, v. gr. *Herbarum cephalicarum*, *Aromatum* ac *Seminum carminativorum*, calefacta; nos sequentem deprehendimus esse efficacissimum:

℞. *Radic. Angelic.*
Cyperi oblong. ana. ʒij.
Galang. ʒj.
Rasur. Lign. Juniperin. ʒvj.
Santal. citr. ʒij.
Mastich. elect. ℥j.
Olibani ʒij.
Storac. calamit. ℥ß.
Folior. Meliss. Thym.
Puleg. ana. ʒiß.
Solani. ʒj.
Flor. Sambuc. ʒiij.

Incis. & contusa redigantur in Pulverem grossum, qui dein prunis injectus fumum discutientem exhibet, Linteis excipiendum & applicandum.

Vesicatoria quoque conducunt, retro Aures applicata: vel *Emplastrum* è *Mastiche*, *Olibano*, *Styrace*, *Semine sinapi*, *Tacamahacâ*, cum aliquot granis *Cantharidum*, & *Resinâ* paretur, ac semithaleri magnitudine Temporibus applicetur. *Venæsectio* aut *Cucurbitulæ cum scarificatione* in iis locum habent, quorum vasa sanguine sunt repleta. Dolentibus verò Dentibus *aromatica* & *anodyna* cum fructu applicari solent: ita Gossypium solutione *Camphoræ* in *Aquâ Regin. Hungar.* vel *Oleo* quodam *destillato*, v. gr. *Caryoph. aromat. Piperis*, *Buxi*, *Lign. Guajac. Thymi*, *Rorismar. Lavendul. Essentiâ Opii*, vel *Succo Allii* sub cineribus cocti imbutum, ac denti impositum mirè sistit dolorem. *Rulandus* heic extollit suum *Oleum heraclinum*, *Michaëlis* suum *Balsamum odontalgicum*; *Wedelius Tincturam* suam *anodynam*, *Clauderus* suam *Tincturam* ♀ris ⊖li ad 40. guttas cum Aquâ quadam appropriatâ permixtam, atque in *Gargarismate* usurpatam. Sic & *Radices Hyoscyami*, vel earum *ramenta* dolenti Denti adhibita cruciatus ejus promtè interdum sedant. Vertex Capitis quotidie bis vel ter linteis calentibus, aut fumo superiore imbutis, probè fricari, ac dein *Oleum destill. Succin. Baccar. Juniper. Lavendul. Rorismarin. Thymi*, *Chamomill. Angelic.* inungi, desuperque adhuc *Cucupha* è speciebus ordinariis parata imponi cum successu poterit.

Extra paroxysmum corpus subinde *Pilulis* usualibus supra descriptis purgandum est. *Sudor* quandoque haustu *Aquæ destillat. fl. Sambuc. Cherefol. Fumar. Card. bened. Beton.* cum *Roob. Juniper.* vel *Sambuc.* addito *scrupulo uno Spiritûs theriacalis camphorati*, &c. eliciendus.

Quod si à *Lue venereâ* producatur dolor frequens, tum Lues debitè est curanda ac profliganda, ac interea topica superius allegata in usum vocanda. Si verò *Hydrargyri* usus in culpâ fuerit, tum corpus ante omnia *Infuso fol. Sennæ* ac *Rhabarb.* vel *Pilulis marocostinis*, vel *Extract. catholic.*

tholic. purgabitur; deinceps autem quotidie sudor exhibito haustu *Aquarum destillatarum* elicietur; simul sumto *pulvere diaphoretico* qualicunque, ex absorbentibus merè parato.

Quando *Gingivæ Inflammatio* Odontalgiæ causam ferè agit, tum *Clysma emolliens* & *detergens* ante omnia injiciatur: dein etiam vel raninæ sub Linguâ, vel vena Brachii aperiatur. Os verò sæpius colluatur vel *Spiritu Anthos, Cerasor. nigr.* aut *Serpilli*; vel *Decocto Herbar: Brunell. Scabios. Salv. Meliss. Agrimon. Anserin. Succisæ, Florum Chamomill. Sambuc. Ligustr. Croci, Malv. arboreæ*, &c. in *Aquâ* & *Vino* facto.

Si ad *Suppurationem* tendit Inflammatio, & ita *Epulidem* constituit, tum maturans Gargarisma ex *Lacte calente* cum incoctione *Fol. Alth. Malv. Violar. Parietar. Flor. Melilot. Sambuc. Verbasc. Croc. Malv. hortens. arbor. Calendul. Ficuum pinguium*, in usum trahetur. Gargarisationis actu absoluto *Ficus* dissecta tuberculo Gingivæ imponenda venit: maturatus autem, ruptusque per se Abscessus extergendus est *Melle rosaceo* cum *Succo Apii, Aquâ Plantag. Nasturtii, Essentiâ Myrrhæ, Aloës*, pulvere tandem *Rubricæ fabrilis*. Extersione Vlceris cum aliquali expressione sæpius factâ consolidatio promovenda est, vel solo *Melle rosaceo* cum pulvere *Myrrhæ, Mastichis*, aut *Rubricæ* dictæ pluries applicato.

Vbi tota Gena cum dentium Dolore intumuit, ac valdè calet, tum intus quidem exhibitis aliquoties *diaphoreticis* sudor blandus movebitur, extus verò *Sacculus interpassatus triticeâ Farinâ* probè siccatâ, nec non *Cretâ albâ, Bolo communi, pulvere Liquiritiæ* repletus, atque tepidè Genæ toti applicatus prodest. *Clysma* simul emolliens & detergens, etiam, si opus videbitur, repetitâ vice infundetur, & *Venæsectio* pro re natâ in Brachio instituetur.

Si Dentium *Caries* occasionem Dolori præbeat, tum huic malo ita medendum est, quemadmodum sub Titulo *Dentium Cariei* supra indigivimus. Vbi evulsio certè Dentis peritâ Artificis manu instituta omnium certissimum Odontalgiæ remedium haberi debet. Si quis verò hanc formidet carnificinam, ei spontanea Dentis cariosi elapsio procurari debet; atque hunc in finem commendant multi *pulverem Radicis Hellebori nigri, Turbith, Angelic. Imperator. Aronis, Armoraciæ, Seminis Hyoscyami, Myrrhæ, Salis armoniac. Garyophyllor. arom. Piperis*, aut similium cum *Farinâ, Cerâ, viridium Ranar. pinguedine*, ac *Melle in globulos coactum*, aut in *Unguenti* formam redactum, & Cariei sæpius cum gossypio immissum. Alii *succum* è *Foliis Tithymali, Ficûs, Chelidoniæ majoris, Nicotianæ, Solani, Aronis, Armoraciæ, Piperitidis* &c. recenter exprimunt, eumque *Farinæ* subactum indunt sæpè, donec Dens vel frustillatim sponte exciderit, vel vacillans redditus sine dolore aut periculo eximi queat. *Dolor à Carie.*

In *Diætâ* notandum, ea omnia esse formidanda, quæ vel Massam sangui-

sanguinis nimis salsam & acrem, vel nimis pituitosam reddere valent: quæ itidem Dentibus cariem adferre possunt, prouti sunt *Casei*, *Mel*, *Saccharum*; nimis calentes, vel nimis gelidi *Cibi* ac *Potus*. Si jam cariosus est Dens, Aër frigido-humidus, acer, & rigidus; Cibi nimis saliti, & modò dicta paroxysmum excitantia sunt fugienda. Æstivo tempore potus Thermarum unà cum leni balneatione prodest.

Dentium vacillatio

DENTIVM VACILLATIO est Morbus solutæ continuitatis, quo dentes, qui naturaliter in suis alveolis immobiles ac firmi hærere deberent, ruptis vel laxatis habenis, mobiles & vacillantes evadunt.

Causa.

Oritur malum, quotiescunque fibrillæ sive in radicibus Dentium existentes, sive Gingivarum, quâ dentibus applicantur, ut eos firmiter in suis alveolis teneant, vel à seroso humore nimium humectatæ & emollitæ laxiores redduntur; vel etiam à salivâ aliove allabente humore acri salso-corrosivo exulceratæ aut erosæ rumpuntur; unde Gingivarum carne molliore, flaccidiore, ulcerosâ, tumidiore, & sanguinolentâ redditâ Dentes mobiles valdè redduntur. Hinc *remotius* ad Affectum contribuunt Intemperies humorum & Salivæ scorbutica, aut venerea; ut & dyscrasia corrosiva Lymphæ salivalis per inunctiones mercuriales, aliamve Mercurialium remediorum adhibitionem inducta, unde fibrillæ substantiæ Gingivarum sensim penetrantur, toni sui firmitudinem amittunt, atque emollitæ, aut corrosæ dentes in suis loculis tenere amplius nequeunt. E causis autem *procatarcticis* contribuunt Aër crassus, humidus, Cibi saliti, acidi, Potus Cerevisiæ acescentis, vel multum ♀reæ, nec nôn Vinorum ♀eorum; concubitus cum hominibus Lue ♀eâ laborantibus; applicatio mercurialium fasciarum in Scabie; opiatorum denique usus frequens in Odontalgiâ.

Etsi verò morbus hic per se ex Ægrorum querelis cognoscatur, viderique & tactu deprehendi possit, notandum tamen probè Medico Practico, utrum Æger simul Scorbuto, vel Lue ♀reâ laboret? Vtrum remediis mercurialibus sive extus, sive intus fuerit usus? Interim concurrit simul cum ipso Affectu oris fœtor, dentium nigredo & squalor, Gingivarum corruptio, facilisque sanguinolentia. Quandoque & dentes ipsi malè habiti prorsus excidunt. Quæ proin à Dentium dolore, vel à Salivatione mercuriali producta est Vacillatio, per se ferè curatur, modò Salivatio, vel Odontalgia cesset, & nulla Gingivæ putredo vel nigredo adfuerit. A scorbuticâ autem humorum & salivæ diathesi excitata sæpius est diuturna, & post se facilè trahit Gingivarum absumtionem, Dentiumque casum.

In *Curatione* radices hujus Mali sunt extirpandæ, ac eapropter Gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ, ulcerosæ, adstringentibus, absorbentibus, mundificantibus, consolidantibus persanandæ. Quod si proin Lues adsit

adsit ♀ea, tum non nisi hoc morbo curato & alter tolletur. Si verò scorbutica adsit inquinatio, & illa suo more per internas sanguinis elutriationes tractabitur, uti sub titulo de *Scorbuto* fusè notavimus. Si neutrum adsit, præscribetur duntaxat *Vinum medicatum purgans* ex *Radic. Chinæ, Filic. Pimpinell. Caryophyll. Ligno Sassaphr. Juniperin. Herbis Sanicul. Alchymill. Scolopendr. Fumar. Borrag. Scabios. Hepatic. nobil. Cuscut. Beccab. Trifol. fibrin. Petroselin. Florib. Calendul. Salv. Betonic. Ros. rubr. Seminib. Anis. Fœnic. Carv. Fol. Sen. s. s. Rhabarb. opt. Radic. Helleb. nigr. Agar. trochisc. Cortic. Winter. Sale Absynth. Onon. Centaur. min.* &c. Vel *Pilulæ purgantes* ex *Extract. panchymag. Croll. catholico, Massâ pilul. è Succin. Crat.* sine tamen *Mercurio dulci* aliquoties præscribentur. Et ubi aliqua simul adest plethora, Venæsectionem quoque suademus. Postea verò m. ac v. exhauriatur cyathus *decocto Ligni Sassaphr. Juniper.* ac *Rad. Sarsæ parill.* repletus, sicque per plures dies urgente necessitate continuabitur; quin verno tempore potus *Lactis caprilli*, aut æstivo *potus Acidularum*, vel *Lactis asinini* concedatur debito cum regimine diætæ.

In omni casu topica remedia usurpari possunt; & quidem primò omnium detergeri gingivæ dentesque debent probè decocto *Cochleariæ, Trifol. fibrin. Sanicul. Nasturt. aquat. Apii hortens. Geran. robert. Salviæ, Rorismarini, Rutæ, Betonic. Pyrol. Flor. Ros. rubr. Ligustr. Malv. hort.* in *Vino rubro*, adjecto quoque *Sale prunellæ*, vel *Nitro* ♁*iat.* ⊖*e Absynth. Alumine.* Imò etiam quandoque *spiritus Vini camphoratus, Mel rosaceum, Roob dianuc.* permisceri poterunt. Vsurpabitur autem sæpiùs tepidè, os probè colluendo, linteisque mollibus Gingivas cum aliquantillâ pressione abluendo. Commendatur quoque *Gargarisma de Radice Tormentill.* Mynf. nec non *Decoctum* ad *Gingivas roborandas* Poterii. Postea remedia blandè exiccantia, & adstringentia, simul & sanantia in usum vocabuntur; qualia sunt vel *Tinctura Myrrh. Aloës, Laccæ florentinæ* Mynf. aut *Catechu*, vel *Essentia Trifol. fibrin. Corticum Tamaricis*, vel *Spiritus Cochleariæ, Rorismar.* vel *Decoctum Lignorum forte*, quibus invicem mistis sæpiùs gingivæ foveri possunt. Si aliquid de ⊖*lo albo* permisceas, tanto feliciùs adstringet, sed simul Stupor dentium excitabitur, brevi tamen iterum cessans; & nigredo sequetur, suis remediis facilè præcavenda. Alii liquores eosdem *Melli rosaceo* cum tantillo *Aluminis usti* permiscent, sicque frequenter cum fructu inungunt. Addi potest & *Pulvis lapidis Hæmatites*, nec non *Ocul.* ♋. *ppt.* vel *Cretæ alb.* ♁*n. diaphor. Lapidis medicamentosi Croll. Tinctura Laccæ* sequenti modo parata valde proficua est: *Tinctura Laccæ florent.*

℞. *Aqu. Plantag.*
Fl. Ligustr.
Salv.
Phlegm. Vitrioli ana. ℥ij.
Misce atque in hâc Aquâ dissolve
Aluminis usti q. s.

 Solu-

Solutionem postea digere cum Laccæ florentinæ pulvere, donec Tinctura valdè rubicunda evaserit.

Hinc variæ miscelæ fieri possunt, ad Gingivas extergendas, roborandas ac firmandas: v. gr.

℞. *Aqu. Plantag.*
Rorismarin.
Brunell. ana. ℥j.
Lapid. medicamentos. Cr. ʒij.
Tinctur. Lacc. fl.
Essent. Myrrh. ana. ʒj.
Mell. rosac. ℥ß.

M. d. ad Vitr. Humectetur linteum vel spongiola, hacque Gingivæ & Dentes pluries quotidie fricentur, ad scorbuticam diathesin corrigendam. Vel

℞. *Aqu. Salv.*
Centaur. min.
Semperviv. maj. ana. ℥j.
Mell. ros. ʒvj.
Roob. dianuc. ʒij.
-ûs Cochlear. ʒj.
⊖is ℈ß.

Misc. d. ad Vitr. Usurpetur ut præcedens.

Vel *Decoctum Salviæ* cum *Melle rosaceo* ac *Spiritu Salis* aut *Vitrioli* mixtum adhiberi potest cum fructu ad Ulcera, Putredinemque Oris & Gingivarum mundificanda atque persananda. Vel sequens in usum trahatur *Linimentum*, ad emendandam Vacillationem dentium scorbuticam egregium.

℞. *Radic. Ireos flor.* ʒiß.
Tormentill. ʒj.
Fol. Salv. ℈ij.
Flor. Aquileg.
Myrrh. elect. ana. ʒj.
Aluminis rup. ℈ij.

M. f. Pulvis subtil. cum Melle rosaceo ad Linimenti formam redigendus, quo dein Gingivæ bis vel ter quotidie illinendæ sunt.

Vel ℞. *Pulver. radic. Bistort.*
Aristol. rot. v. ana. ʒj.
fol. Beton.
flor. Malv. hort.
Balaust. ana. ℈iiß.
Rubricæ fabril. ʒiß.
Myrrh. elect. ʒj.
Alum. ust. ℈ij.
Ol. dest. Garyoph. arom. gutt. 6.
Mell. rosac. q. s.

Misc. f. Liniment. d. ad Fictile.

Vel ℞. *Decoct. aut Succi Semperv.* ℥ij.
Aqu. Calc. viv. ℥j.
Tinctur. Lacc. fl. ʒij.
Myrrh. ʒiß.
Aqu. Salv.
Cochlear. ana. ℥j.
Mell. rosac. ʒvj.

M. d. ad Vitr. Laventur inde Dentes.

In graviore Gingivarum putredine & inde natâ Dentium vacillatione prodest egregiè *Linimentum Hartmanni* cum additione *Essent. Myrrhæ*, ac *Spirit. Cochlear.* Imò nonnunquam ad usum *Unguenti Ægyptiaci* cum *Melle rosaceo* permisti, pro erodendâ, fortiusque extergendâ putredine Gingivarum deveniendum est.

DENTITIO DIFFICILIS, est symptoma Infantibus peculiare, quo dentes cum labore, difficultate atque dolore post septimum ætatis mensem excrescere, tandemque erumpere incipiunt.

Non-

Nonnullis quidem Infantibus facilius eruptio dentium contingit, sed illis solùm, quos natura gingivis mollioribus & laxioribus donavit, quarum fibrillæ faciliùs erumpentibus Dentibus cedunt. Quando autem Fibræ Gingivarum firmioris ac durioris texturæ sunt, tunc difficiliùs perrumpuntur, & sic dolorificam Dentitionem producunt, fibris nimirum in extensione valdopere irritatis.

Diagnosis. Post septimum mensem utplurimum hæc Tenellos molestia prehendit, aliis citius, aliis etiam tardius eadem contingit. Qui fortè primis ægrotârunt mensibus, iis utplurimum tardius comparent dentes. Si verò durius hoc negotium obtingit, tum varia simul symptomata Misellos excruciant; præter dolores enim, tumorem atque inflammationem gingivarum sequentes, etiam subinde febricitant, alvi fluxu pituitoso ac mucilaginoso divexantur, sitiunt, parum appetunt, inquietè dormiunt, in somno expavescunt, non raro convelluntur, epilepticosq; delabuntur in motus; clamant frequentissimè, interdum Aphthis simul affliguntur: inque hoc statu per plures aliquando hebdomadas manent, ut etiam reperti sint, qui ad extremam ferè maciem redigebantur, aut epilepticis motibus prorsus interimebantur.

Quod si proin molesta hæc negligatur Dentitio, haud difficulter in Febrim malignam, Diarrhœam funestam, Epilepsiam lethalem, aut etiam Hecticam Misellos conjicere potest.

Quamobrem in *Curatione* partim Nutrix capiat remedia quædam antifebrilia, sub formâ *pulverum* ex ♁ *n. diaph. C. C. phil. ppt. Ungul. Alc. ppt. Ebor. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Dent. Apr. ppt. Cryst all. alb. ppt.* & similib. aut sub formâ mixturæ, ex *Aquis destillatis Card. bened. flor. Samb. Scab. Fumar.* cum prædictis pulveribus & *Syrup. Papav. rhead. comp.* Sed insimul ab irâ, æstu, excandescentiâ; à frigido aëre; à cibis acidis, maximè salitis, fortiter aromatisatis abstineat Nutrix. *Curatio.*

Infanti autem dentienti pulvis quoque ex *Ebor. ppt. Ungul. Alc. ppt. Bezoard. min. Corall. rubr.* vel *alb. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Semin. Pœon.* atque *Saccharo* comp. subinde detur. Imò *Lapis bezoardicus orientalis* vel *occident. verus* ad aliquot grana simul concedatur. Si convulsivi motus adsint, mixtura cochleatim propinetur, ex *Aqu. Borrag. fl. Til.* vel *Consol. regal. Flor. omn.* cum *tantill. Syrup. flor. Tunic.* pulveribusque modo dictis concinnata.

Extus quoque antispasmodica suo loco comendata in usum vocentur. Dein cura omnis adhibeatur ut gingivæ emolliantur, quod obtinetur vel *baculo Liquirit.* contuso & ad lambendum exhibito; vel *Oleo Amygd. dulc. rec. expr.* vel *Butyr.* aut *Adipe gallinaceo* gingivis frequenter inuncto. Sunt, qui *Cerebellum Leporis*, aut *Cerebella Gallinarum*, vel *Pullorum* cum *Melle* terunt, iisque Gingivas fricant. Conducit in eundem finem melius *Cremor Hordei*, vel *Succus* è *Cancris vivis* & contusis expres-

ſus cum *Aqu. Sempervivi* ac *flor. Cyani.* Alii etiam gingivas ſcalpello aperiunt, quod tamen cautè eſt faciendum, ne Vlcus inde ſordidum enaſcatur. Mulierculæ noſtrates appendunt *Dentem lupinum argento exceptum*, vel *Radicem Ireos florentinæ*, ut Infantes ſæpiùs ipſas mordeant, ſicque mordendo eruptionem dentium promoveant. Si nulla Infantem teneat Febris, tum pro anodyno concedi & exhiberi ſolet *Vinum album minùs acidum*, quotidie ad duo vel tria cochlearia per aliquot dies. *Aphthis* præſentibus occurritur, ſicuti ſuo loco exponimus.

Si *Diarrhoea* nimium torqueat, Nutrix bibat *Emulſionē Amygdalarum dulc.* ipſique Infanti pulvis *Corallorum rubr. ppt.* & *Unicornu foſſilis* cum *Saccharo* concedatur.

Diabetes DIABETES eſt frequentiſſima copioſæ Vrinæ excretio, ſine dolore, vel ardore, cum maximâ ſiti, virium proſtratione, atque corporis diminutione Hominem ad mortem plerumque comitans.

Pars affecta. Affectus oppidò rarus, cujusque pauca à Medicis & Practicis etiam celeberrimis obſervari ſolent exempla: ubi principaliter quidem Renes & Veſica, ſpecialiùs autem Fibrillæ glandularum renalium, atque Sphincteris Veſicæ ſimul quandoque affliguntur.

Cauſa. Producitur hic Affectus ferè à Fibrillarum renalium paralyſi, ubi nimirum ſpiritus animales quamcunque ob cauſam antecedentem, ſive obſtructionem, ſive compreſſionem, ſive ruptionem aut eroſionem nervorum renalium, in dictas fibrillas non influunt, ſicque tonum & firmitudinem ipſis juſtam non amplius conciliant, ut hinc per poros ampliores ſerum ſanguinis copioſius tranſcolari & tranſmitti neceſſe habeat. Tubuli tamen renales iis tantùm in extremitatib⁹, quibus ſecreta jam urina in pelvim elabitur, flacciditate pollent nimiâ, imò fortè paralyticâ; ſed in alterâ extremitate, quâ tubuli hiant in glandulas, aut inde oriuntur, nullam flacciditatem habent, quia flacciditas hiſce in locis contingens potiùs Iſchuriam excitaret. Deinceps verò tali in Sanguine, Hominis hoc vitio laborantis, fuſio interdum eſt concipienda, quâ ſerum longè fluidius redditum copioſè admodum per patentes Renum poros diffluit, ac dum interea ſiticuloſus Æger continuò largiter bibit, nova jugiter materia Vrinæ ſubminiſtratur.

Facilè interim Morbus hic cognoſcitur, dum Æger frequentiſſimè ad mingendum ſtimulatur, neque fruſtra, ſed copioſam etiam urinam ſemper reddit, cùm in Veſicam nova jugiter iterum demittitur. Retinere tamen ad tantillum tempus Æger urinam poteſt; ubi verò, quod etiam contingere ſolet, ſimul Sphincter Veſicæ reſolvitur, tum Vrina continuè invito vixque ſentiente Homine profluit; quod vitium *Incontinentiæ Urinæ* nomine venit Interea Æger viribus orbatur quotidie magis, inextinguibili ſiti torquetur, inquietus & ἄγρυπνος redditur, febricitat lentè,

paula-

paulatimque emaciatus & exſanguis redditus extinguitur.

In *Curatione* ab omnibus diureticis eſt cavendum, ac ea potius in uſum trahenda, quæ debilitatum renalium fibrarũ tonum corroborare, Spirituumq; animalium ad illas influxũ reſuſcitare valent. Vnde nec Venæſectio, nec purgantia, neq; etiam Vomit⁹ proſunt; ſed potius blanda diaphoretica, & nervina ſunt præſcribenda: ubi internè quidem cōmendamus uſum nunc *Tragematis* ex *Aromatibus*, item *Herb. Major. Roriſm. Flor. Beton. Roſ. rubr. Corall. rubr. ppt. Unicorn. foſſil. Ebor. ppt.* ⊖*e volat. C. C. purior. Radic. Tormentill. Biſtort. Terrâ ſigill. Croco Martis adſtring.* &c. cum *Saccharo* concinnati: nunc uſum *Tinctur. antiphthis. Garmann. Eſſent. Succin. Gramin. Parnaſſ. Trifol. fibrin. Myrrh. Plantag.* Nunc etiam *Mixturas* ex ſimilibus *Pulveribus* ac *Tincturis* cum *Aqu. Burſ. paſtor. Polygon. Fœnicul. Flor. Lil. convall. Flor. Til. Beton.* atque *Confect. Alk.* vel *Hyacinth.* compl. compoſitas ordinamus. Non contemnenda quoque *Tinctura Ambr. gryſ.* atque *Succi Japonici*, aliis permixta. *Externè* in principio ſtatim *Balnea* commendamus *Aquæ dulc.* cum incoctione *Herbarum cephalic.* atque *uterinar.* Sed inſimul *Cucurbitulas* magnas Lumbis applicandas cum *Scarificatione* ſuademus. Hinc & inunctiones cum *Oleo myrtino*, *maſtichino*, *Abſynth. laurino*, *juniperin. Succin. Camph.* ut & *Frictiones ſpinæ dorſi*, ejusque lotiones cum *Spirit. Vini camphorat. Spiritu Anth. Juniper. Lumbric. terr.* &c. cōmendamus.

DIARRHOEA, Vid. *Alvi Fluxus.*

DIFFICILIS RESPIRATIO, Vid. *Aſthma.*

DISLOCATIO MEMBRORVM, Vid. *Luxatio.*

DOLOR in genere eſt triſtis ſenſatio Animæ ob læſionem fibrarum alicujus partis nervearum, à motu irregulari & violento factam, oriunda. *Dolor in genere.*

Dolorum ſpecies ſunt *gravativus*, *pulſatorius*, *tenſivus*, *pungitivus*, *lancinans*, *urens*, *mordax*, *oſtocopos*, aliæque, à diverſis fibrillarum nervearum concuſſionibus, vellicationibus, commotionibus, lancinationibus violentis originem ducentes. *Ejus ſpecies.*

Quanquam autem Dolor, ceu triſtis ſenſatio, propriè non hæreat in ipſis partibus corporis, ſed in ſolâ mente animave, quæ eapropter dolere, vel dolorem ſentire dicitur; nihilominus tamen occaſio tali dolori enaſcitur à partibus præternaturali modo affectis, quibus hinc impropriè dolor attribuitur. Nimirum Doloris ſenſus non producitur, ſi fibræ nerveæ in naturali manent tono; quoniam anima non tã conſuetos & naturales, eosque tremulos fortè nervulorum motus, quàm inſuetas valdè eorum agitationes violentas apprehendit, deque illis judicat; quippe hæ ſolùm commotiones violentæ aptæ ſunt dolentes in animâ cogitationes vel ideas ſuſcitandi. Vt ita omne id, quod violentam talem fibrillarum agitationem excitare valet, pro causâ doloris habendum veniat, ſive dein in corpore lateat ſub formâ humorum acrium; *Subjectum.* *Cauſa.*

sive extus corpori accedat, ejusque partes nervosas quomodocunque lædat. Modus autem, quo sensatio illa tristis perficitur, talis est: supponendum ante omnia, meditullium Cerebri sedem esse rationalis Animæ, ubi vel ad motus spirituum animalium diversissimos, vel ad tremulam fibrillarum agitationem violentam studiosè attendat, eosque dijudicet. Quando igitur naturaliter sese partes illæ habent, non est, cur in Mente idea quædam Doloris enascatur. Sciendum præterea, inde à Cerebri meditullio & basi nervos per universum corpus esse productos, atque dispersos, & quidem certo quodam tensionis gradu. Sciendum denique, nervulos omnes cavos esse, perque illos Spiritus animales ultro citroque discurrere, moverique, ac simul ab undulante vel tremulo eorundem motu fibrillas certo quodam modo pulsari, & agitari. Quæ agitatio, quamdiu lenis est, molliterque contingit, nullam equidem in animâ cogitationem molestam parit; quamprimum autem fibrillæ istæ violentiùs justo, vel in extremitate duntaxat, commoventur, tum in momento Anima non sine quadam perturbatione talem sive mutationem sive læsionem persentiscit, eò quòd unâ nervi extremitate graviter tactâ, per continuitatem ejus ad cerebrum usque protensam, simul & altera extremitas eodem modo percellatur, planè sicut in chordis Instrumentorum musicorum contingere videmus, utpote quarum unâ extremitate pulsatâ simul & altera opposita tremet.

Modus productionis.

Quod si proin Mens persentiscere dolorem debeat, omnino requiritur, ut commune Sensorium, sive Cerebri meditullium in bono sit statu; requiritur item, ut fibrillæ nervosæ in parte quadam læsæ haud interruptam aut intercisam continuitatem habeant ad Cerebrum usque; requiritur, ut iidem tubuli nervei undique sint aperti, nullibi obstructi vel compressi, atque ut spiritibus animalibus liberrimus per illos decursus pateat: requiritur porrò, ut Spiritus sufficiente quantitate adsint, nec ullo modo sopiti: requiritur, ut iidem Spiritus placidum observent cursûs sui motum, utque temperati sint, nec igneâ suâ rapiditate & tumultuario motu hinc inde rapiantur aganturque, sicut in Epilepticis, Maniacis, Phreneticis &c. requiritur denique, ut Mens ipsa non intensius sit circa aliquod objectum occupata, & ita abstracta, ut ad motus spirituum ac fibrillarum Sensorii communis non attendat, quemadmodum id Melancholicis, profundè meditantibus, atque in Ecstasi versantibus contingere solet.

Ex quibus patet, Indolentiam, Torporem atque Stuporem, ceu Affectiones gradu inter se tantummodo differentes, non esse nisi privationem sensationis à motu fibrillarum nervosarum valdè imminuto productâ.

In... ti... po... po...

Indolentia talis, sive sensûs suspensio, aut doloris discussio hinc fit per *anodyna* vel *narcotica Remedia*, quæ scilicet vel causam doloris auferunt, vel spiritibus fixationem, & quasi congelationem inducunt, ut inde

de Somnus, vel ad minimum Stupor aut Torpor accedat.

Dolor *gravativus* producitur ab obstructione, quando hæc simplex est in tubulis humoralibus, à viscosâ tantùm terrestrique materiâ oriunda, atque ob molem sui ponderis vicinas plus minus fibrillas nerveas gravat, sicque hospitantibus ibi spiritibus obici est, quò minus placidum suum progressivumque cursum liberè continuare queant; unde illorum motus circularis in intestinum conversus, in Cerebri usque meditullio certum quendam eumq; præternaturalē motum producit, Animæq; sic occasionē præbet ad ideam de gravi quodam pondere corpus afficiente formandam.

Quod si obstructio sit in Canaliculis arteriosis, vel saltem hi ita angustati existant, aut humores adeo crassi, ut difficulter transire queant, tum aucto ibidem motu Sanguinis intestino, arteriæ magis dilatantur, distenduntur, atque fibrillas nerveas comprimendo pulsant, & sic Dolorem *pulsatorium* excitant.

Dum verò serosi humores flatibus permixti, vel flatus ipsi tam nidorosi quàm acidi membranas distendunt, aliasque partes nerveas vicinas comprimunt, tunc oritur Dolor *tensivus*.

Si particulæ Lymphæ aut Sanguinis extravasati sint aculeatæ, salinæ, ac poros fibrillarum feriant, Dolor nuncupatur *pungitivus*.

Si verò tales salinarum particularum aculei altius adigantur in poros, ac ita fibrillas violentius distendant ab invicem, tum dolor oritur *lancinans*. *lancinans.*

Si plures fibrillas simul & semel, sed levius ipsâ punctione spicula talia feriant, oritur dolor *mordax*, qualis propemodum ab Vrticâ, vel fumo in oculos sparso persentitur. *mordax.*

Si Anima caloris frigorisve urentis ideam sibi formet ob conforme acidum acre, Dolor enascetur *urens*. *urens.*

Intenduntur, exacerbantur Dolores, quando vel obstructiones augentur, vel Salium acrimonia intensior fit, vel eorum acrium quantitas in affecto loco augetur; vel denique ab instrumentis pungentibus, lacerantibus, aliterque afficientibus partes membranosæ gravius quomdocunq; offenduntur ac læduntur.

Si quæras, utrum Partes corporis solidæ doleant, ac sentiant? Resp. Sentiunt, vel dolent *receptivè* non *perceptivè*; sicuti de Brutis quoque dicitur, quod illa non sentiant, non doleant &c. propriè, id est, non *perceptivè*, sed tantùm *receptivè*. Etenim in quolibet Sensu tria notamus, *receptionem*, *perceptionem* ac *judicium*, è quibus *receptionem* solam, tanquam motum fibrillarum nervearum, ab objectis externis factum, corporeis organis, Brutisque attribuimus; *perceptionem* verò, ac *judicium* soli Animæ ratiocinanti, sive Menti adscribimus.

Cùm autem *Dolor* vulgo habeatur pro *urgente* in morbis *symptomate*, ac facilè pejora post se trahere mala, velut Convulsiones deleterias possit, meritò fuerunt ab omni antiquitate quæ- *Remedia anodyna, narcotica.*

quæsita ad illum vel leniendum vel tollendum planè Remedia, quæ proin ab effectu quem præstant, modò *paregorica* vel *anodyna*, modò *narcotica* vel *hypnotica* fuerunt appellata.

Talia verò *Medicamina*, partim *interno* partim *externo* usu familiaria, dicuntur, quæ vel particulis aquoso-mucilaginosis aut oleosis laxando ac emolliendo; vel salino-sulphureo-volatilibus humores stagnantes viscidos plus minus acres incidendo, resolvendo ac discutiendo; vel resinosis, gummosis, aut mercurialibus attenuando, penetrando ac dissolvendo; vel denique particulis salino-sulphureis volatilibus blandis ac vaporosis Spiritus animales figendo, sopiendo, nervosque irritatos demulcendo dolorem lenire ac mitigare, vel simul somnum aut stuporem quendam inducere valent.

Externa, in formâ Balneorum, Fotuum, Embrocationũ, Epithematum.

Itaque *externè* quidem Dolores lenire, vel prorsus sedare possumus 1. Balneis, Semicupiis, Fotib⁹, Epithematibus, Embrocationibus, & similibus, factis cum *Aquâ*, *Vino*, aut *Lacte*, post incoctas Radices *Althææ*, *Malv. Symphyt. Petasitid. Angelic. Imperator. Lappæ*, Herbas ac Folia *Vitis viniferæ*, *Alliariæ*, *Calthæ palustr. Hyoscyam. Solan. Verbasci, Scrophular. Linariæ, Alth. Malv. Nicotian. Lappæ utriusque, Sphondylii, Violar. Parietar. Meliss. Anethi, Abroton. Sideritid. Verben. Salv.* Flores *Chamom. Sambuc. Melilot. Verbasc. Croc. Papav. rhead. Linariæ, Gallii lutei, Malv. hortens. Oculos Populi;* Semina *Cannabis, Lini, Hyosc. Papaverum, Cumini, Fœnicul. Carvi, Anis. Anethi, Capita Papaverum, Furfur. Calices Rosarum.* 2. Emulsionibus, Epithematibus, Lotionibus, ad quæ partim superiora usurpantur, partim ulteriùs assumuntur Semina 4. *frigid. major. Papaverum, Nuclei Persicorum, Pinearum, Amygd. amarar. Aquæ* vel *Succi Anethi, Althææ, Malvæ, Parietar. Solani, Rosar. Tabaci, Spermat. Ranar. Fœnicul. flor. Sambuc. Cham.* Spiritus *Vini simplex* aut *camphoratus, Cornu Cervi volat. Lumbric. terrestr. Formicarum, Sambuc. Carminativ. Lilior. conv. Anth.* 3. Cataplasmatibus, ad quæ præter superiores plantas ulterius trahuntur *Vitella Ovor. Theriaca Andr. Mithridatium Damocr. Philonium Roman. Requies Nicolai, Electuar. Orvietan. Mel, Farina* qualiscunque, *Mica Panis, Butyrum, Lac.* 4. Vnguentis, Oleis & Linimentis, quemadmodum usu multiplici in medendo commendata sunt *Unguenta alabastrinum, enulatum, irinum, anodynum, de Hyoscyamo, dialth. popul. Axungiæ omnes, Balsamum hypnot. Medullæ Ossium, Zibethum, Olea infusa expressa*, aut *cocta Anethi, Absynth. Chamomill. Hyperic. Ovor. Rosar. Violar. Lumbricor. terr. Spicæ, laurinum Alth. Laterum, Verbasc. Lini, Melilot. hortens. Lilior. alb. Amygd. dulc.* & *amarar. Nucleor. Persic. Semin. Papav. alb.* & *Hyoscyam. Scorpionum simpl.* aut *composit. Gallii lutei, Linariæ, Malv.* 5. Emplastris, v. gr. *de Baccis Lauri, de Cicutâ, de Hyoscyamo, Meliloto, de Tacamahac. Mastich. incognitum, diaphoretic. Mynsicht. de Ranis Vigon. cum Mercur.*

6. Sac-

6. Sacculis repletis nunc *Avenâ*, nunc *Cineribus*, *Radicibus* & *Herbis* atque *Seminibus* ſupra commendatis, hinc ſiccè & calidiſſimè frequenter applicatis. 7. Fomentationibus aliis ſiccis, v. gr. *Frictionibus*, *Linteorum* valde calentium applicatione, præprimis ſi *fumo* imbuta ſint *Maſtichis*, *Storacis calam. Succin. Thuris*, *Semin. Carvi*, *Cumin. Folior. Solan. Menth. Origan. Flor. Sambuc. Chamomill. Melilot. Beton. Cheiri*, *Roſar. rubr. Verbaſc. Rasur. Lign. juniperin. Santal. citr.* &c. 8. Pulverum adſperſionibus, v. gr. in Eryſipelate, ubi conducit Pulvis ex *Cretâ albâ*, *Ceruſſ. Radic. Liquirit. Bolo Arm. Terrâ ſigill. Farinâ domeſtic. lateritio Lapide*, *Camphorâ compoſitus*.

Internè pro ſedandis Doloribus inſerviunt ſub formâ *Potionis* aut *Emulſionis* Aquæ deſtillatæ *Lactucæ*, *Acetos. Portulac. Malv. Nymph. Solani*, *Papav. rhead. Rub. id. Naſturt. aquat.* ſingulæ ad ℥iiij. vel plures pro doſi, *Deſtillatum equinum* ad eandem doſin, Semina. 4. *frigid. major. Lactucæ*, *Pœon. Papav. alb.* In formâ *Juleporum* aut *Mixturarum* cum *Aquis* ſupra dictis miſceri ſolet *Syrupus Papaveris albi* aut *anodynus* ad ʒvj. pro doſi in Adultis, *Syrup. Papav. rhead. de Succo Nicotian. de Nymph. Violar. purp. de Portulacæ Succo*, *de Jujubis*, *ad* ℥j. *Diacodium Montani ad* ℥ß. In formâ *Pulverum* habemus *Cinnabarim nativam* vel ♄*nii opt.* ad gran. 15. *Sulphur Vitrioli anodynum* ad gran. 3. vel 4. *Trochiſcos narcoticos* Plateri à ℈j. ad ʒß. *Magiſterium anodyn.* Wedel. à gran. 4. ad gr. 8. *Pulverem anodynum* Scretæ ad grana 6. vel 8. *Semina Papaveris alb.* ad gr. 15. vel ℈j. & *Hyoſcyami* ad gran. 6. vel 8. *Laudanum opiatum* ad gran. j. vel ij. In formâ *Pilularum* proſunt, præter modò dictum *Laudanum*, *Theriaca cœleſtis* ad gran. 5. vel 6. *Extractum Croci* ad ℈ß. Maſſa *Pilularum de Styrace* ad grana 7. 8. vel 10. & *de Cynogloſſ.* ad gran. iij. In *Mixturis* aut per ſe *Eſſentia opii liquida* ad gutt. 10. vel 12. In formâ *Bolorum* aut *Electuariorum* conducunt *Theriaca Andromachi*, *Mithridat.* Damocratis, *Electuar. Diaſcord.* Fracaſtor. vel *Orvietanum* ad ʒj. Denique in Juſculis aut per ſe *Oleum Olivarum* recens non ſalitum ad ℥ij. vel ℥iij. vel *Oleum Amygd. dulc. rec. expr.* ad ℥ij. dari conſuevit.

Pilularum. *Guttularum.* *Bolorum Electuariorum.*

Eſſentia florum Violarum, *Papaveris erratici*, *Tunicæ* ac *Citri melliformis*, cum *Aquæ fontanæ* aut *Aquæ deſtillatæ Lactucæ*, *Malvæ*, *Acetoſæ*, *Portulacæ*, ſimilisve alius *calentis* affuſione & ſubſequente abſtractione, in Balneo vaporis ad mellis conſiſtentiam, parata, hincque *Saccharo* liberaliter edulcorata, hypnoticum quoque præſtans eſt, atque ad unam duaſve drachmas in conveniente quodam liquore facilè ſoluta propinabilis.

DOLOR ARTICVLORVM ſive ARTHRITICVS, Vid. *Arthritis.*

DOLOR CAPITIS, Vid. *Cephalalgia.*

DOLOR COLICVS, Vid. *Colica.*

DOLOR DENTIVM, Vid. Dentium Dolor.

Dolor, Ischiadicus.

DOLOR ISCHIADICVS sive COXENDICIS, est tristis animæ sensatio à compressione, lancinatione, rosione, aut distensione violentâ fibrarum nervosarum juncturæ Ossium Ischii vel Coxendicis atque Femoris, originem ducens; quas causas humor crassus, viscidus, salsus, acidus collectione & stagnatione factâ excitat, ac per plures sæpè menses, hyberno inprimis tempore citra intermissionem durat, motusque seu flexionis Femoris impotentiam post se trahit. Cùm autem hujus Affectûs genesis & cura ferè cum *Arthritide* coincidat, Lectorem ad istum Titulum transmissum volumus, ubi singula necessaria de hoc Malo, & curam specialem pag. 89. inveniet.

Dolor Rheumaticus.

DOLOR RHEVMATICVS est Sensatio tristis in qualicunque corporis parte à Catarrho seroso-vel flatuoso membranas distendente aut pungente oriundus, quandoque simul fibrillas nerveas ac musculosas spasmodicè contrahens.

Subjectum.

Dolor hic frequenter affligit musculos humeri, dorsi, femoris, aliarumve partium: cumque frigori aëris externi sæpiùs originem debeat, ipsaque affecta pars plus frigeat, quàm caleat, vocari à nostratibus consuevit ein Kaltes Gesicht. Si verò dolor prehendat articulos manuum aut pedum, tum potius *Arthritis* nuncupanda venit.

Causa.

Causa proxima est vel humor aliquis seroso-pituitosus, vel etiam flatus membranis musculorum inhærens, easque plus justo expandens aut etiam pungens atque dilacerans. Huic verò sive flatûs collectioni, sive humoris cujusdam stagnationi ansam præbet frequenter nunc sudoris aut largioris transpirationis subita retropulsio; nunc aëris externi frigus in partem diutius justo admissum; nunc denique Musculi hujus vel illius partis à violento quodam motu distorsio.

Cognoscitur hic Affectus ex eo, quando non hæret in aliquo Articulo, quando dolor in lecto è plumis adornato semper augetur; quando sudore corporis profecto ipsa pars dolens frigidiuscula ac sicca semper manet, & nequaquam sudat; quando denique eadem pars semper nonnihil frigidior reliquis partibus deprehenditur.

In *Prognosi* tenendum, quòd plus semper molestiæ creet, quàm periculi habeat Affectus hic; si verò malè tractetur, tum etiam Inflammationem atque huic succedentem Abscessum post se trahere potest, in Fistulam, vel Vlcus sinuosum difficulter sanabile abeuntem.

In *Curatione* omnis eo cura est dirigenda, ut flatus, vel humor stagnans discutiatur: quem in finem primò dabitur *purgans* aliquod *Mercurio dulci* permistum: vel *Clysma* unum alterumve *carminativum* inspergetur. Deinceps *internè* sudoriferum unum alterumve ex $\frac{1}{6}$ *n. diaph. Bezoard. min. Ebor. ppt. C. C. phil. ppt. Dent. aprin. ppt. Spirit. volat. C. C. Spirit. Sal. arm. anisato* vel *fœnicul.* Cin-

Cinnab. nativ. vel ♄ *nii*, *Camphorâ*, *Croco*, *Laud. opiat.* vel *Essent. Opii*; *Diascord. Fracastor. Mithridat. Damocr. Theriac. Andr.* &c. detur. *Externè* pars subinde *calido* fricetur *Linteo*, hinc *sacculo* ex *Herbis carminativ.* v. g. *Radic. Galang. Zedoar. Angelic. Imperator. Herb. Menth. Meliss. Puleg. Ocymi*, *Majoran. Salv. Origan. Calaminth. Seminib. Carvi*, *Cumin. Fœnicul. Aven. Baccis Juniperi*, *Lauri*, &c. composito, calefacto & *Spiritu Vini camphorato* consperso tegatur. Quandoque *Empl Oxycroc. de Bacc. Jun.* vel *Norimbergense*, *Incognitum*, *diaphoret. Mynsichti*, vel *Vesicatorium*, vel *Roob Juniperi solum* cum fructu imponitur. Inprimis tentandum, ut quandoque pars sudet, appositis quam proximè Æger ferre potest, *Lateribus*, aliisve *Lapidibus fervefactis*, & *Vino rubro* nonnihil extinctis. Porrò *Venæsectio* in Brachio aut Pede lateris affecti est instituenda; vel *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicandæ. Nonnunquam frictiones partis dolentis, cum calentibus sæpè linteis factas, haud absque levamine excipere solent ejusdem vel *lotiones*, cum *Spiritu Anthos*, aliove *cephalico* composito, & *camphorato* calente institutæ; vel *perunctiones*, *Oleis Anethi*, *Lauri*, *Amygdal. amar. Althææ*, *Philosophorum*, *Chamomill. Melilot. Verbasc. Nucum jugl. Hyperici*, *Semin. Hyoscyam.* aut *Papav. alb. express. Oleis destillatis Carvi*, *Camphor. Chamomill. Angelic. Fœnic. Galban. Baccar.* & *Ligni Juniper. Menth. Hyssop. Lavendul. Rutæ*, *Sabin. Salv. Spic. Galbaneto* Paracels. *Petroleo*, *Axungiis Castorei*, *Canis*, *Anserum*, *Murium alpinor. vulpinâ factæ*.

DOLORES PARTVRIENTIVM & PVERPERARVM, vid. *Partus difficilis*, & *Puerperarum Symptomata*.

DOLOR LVMBORVM, sive LVMBAGO, est tristis sensatio in Lumborum regione plus minus intensè affligens, à causâ membranas nerveas vel tendente, vel rodente ac dilacerante oriunda. *Dolor Lumborum.*

Afficiuntur hic tunicæ atque membranæ Lumbos externè inprimis circum cingentes, sed & tendines ac membranæ inter Vertebras hærentes. *Subjectū*

Dolor ipse magis *tensivus*, & *gravativus*, quàm verò *pungitivus* est; nonnunquam velut ὀϛοκόπος, cum vel sine ardore.

Excitatur autem nunc à *sanguine crasso*, *æstuante*, in Venâ cavâ descendente rarefacto, & hinc admodum distendente, vel membranas vicinas premente, aut dolorificè expandente; vel suo æstu fibras nerveas rodente, irritante, sicque ad tensionem dolorificam excitante, quemadmodum hoc in Febribus observari solet: nunc à *sero viscido*, *salso-tartareo* articulos Vertebrarum occupante, inibi subsistente, lancinante, rodente, qualis *dolor* sic excitatus *Arthriticus* penè est, & speciali nomine à quibusdam *Lumbago* vocari solet. Simile contingit, si vel in Tubulis Renum pituita viscida, salsa, acriuscula *Causæ.*

cula obhæret, inque suo transfluxu impedita, canaliculos admodum distendit, dilacerat, aut rodit, unde vicinarum simul membranarum fibræ per consensum affliguntur atque præternaturaliter tensæ, vel etiam nimiùm compressæ dolorem Lumborum efficiunt atq; producunt. Tandem & expansio vasorum uterinorum à sanguine viscidiore ac ebulliente facta, eundem planè effectum præstare potest; quatenus internis Lumborum membranis sic vel pressis vel tensis, simul externæ eodem modo affici necesse habent, vario tubulorum nervosorum apparatu iisdem continuatæ. Neque heic *externarum* caussarum est obliviscendum, quando diutinæ corporis inclinationes, longus in Morbis decubitus, diversi etiam lapsus ab alto, similem dolorem suscitare valent. Vt taceam nunc morbos plures, in quibus ejusmodi cruciatus satis familiaris esse solet, quemadmodum sunt Calculus, Nephritis, Mensium suppressio vel imminutio, difficilisque fluxus, Febres ardentes, Fluor albus, Plethora, Vertebrarum distorsio, &c.

Diagnosis. Vtrum autem hic dolor proles sit hujus vel illius morbi, ex præsentibus talium Adfectuum signis cognosci debet. Si à Plethorâ solâ existit, nullius alius morbi vestigia aderunt. Si à salso, viscido, crasso, tartareo phlegmate, vertebras lumborũ occupante, tunc Ægri difficulter & non nisi maximo cum dolore vertebras illas flectere poterunt; dolor erit ὀστοκόπος, durabilis, vel sæpè recurrens, Arthriticis familiaris. Aliâs malo huic Fœminæ magis quàm Mares obnoxii observantur.

Quoad *Prognosin*, Affectus per se nullum portendit periculum, sed diutius tamen durans, lassitudinem post se trahit, quotidie majorem. Si sanguis crassus atque viscidus est, tum sæpiùs hominem affligit, donec humores nativam fluiditatem ac volatilitatem fuerint adepti.

In *Curatione* ad Morbos præsentes attendendum, iisque suâ ratione medendum; utpote quibus sublatis, simul hic Dolor cessabit. Si Plethoræ originem debeat, tum illicò *Vena secabitur*, & sufficiens sanguinis quantitas extrahetur; hinc *Victus tenuis* concedetur, ac subinde sudor qualicunque modo prolicietur, qui tandem per frictiones abstergetur. *Balnea Aquæ dulcis* cum incoctione *Herbarum emollientium* ac *cephalicarum* vel *uterinarum*; nec non *Balnea Aquarum mineralium*, sive naturâ sive arte calidarum, per aliquot dies commendabuntur.

Externè dein in omni ejusmodi dolore inunctiones lumborum institui possunt cum *Unguent. dialth. resumptivo*, *Oleis semin. Hyoscym. & Papav. alb. expreß. Melilot. Chamomill. Verbasc. Spicæ, Petræ, Lauri, Pini, Baccar. Juniper. Vulpin. Scorpion. Camph.* &c. Harum tamen inunctionum loco subinde melius conducit *Empl. Roob Junip. Norimbergense*, vel *Oxycroceum*, *oleo Scorpionum malaxatum* & Lumbis impositum. Mulierculæ in hunc finem solam *Terebinthinam papyro cæ-*

ruleo

ruleo inungunt, & Lumbis alligant; inibique ſinunt, donec ſponte decidat.

DRACVNCVLI, ſive COMEDONES vel CRINONES, Germanicè *die Miteſſer*, ſunt (juxta *Ettmüll.*) Vermiculi vivi, coloris cineritii, cornubus ſ. potiùs antennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis, caudâ oblongâ in fine villosâ, aſpectu horridâ gaudentes, in totius dorſi cute ex materiâ ſeminali, propter impeditam tranſpirationem collectâ, progeniti, & continuâ punctione maximum pruritum, inquietudinem, febriculam lentam, tabemque excitantes.

Contingit Pueris ſordido victu nutritis, maleque habitis, unde verminoſa ſemina facilè maſſam ſanguineam inquinare, feroque ejus acrimoniam depaſcentem imprimere poſſunt.

Etſi autem ejuſmodi Infantes & Pueri in hoc caſu per totum corpus æqualiter diminui videantur, major tamen Tabes in dorſo notatur, cum pruritu nunc majore, nunc minore; accedit ſimul ex humorum craſſitie & acrimoniâ lymphæ Febris, eaque continua, lenta, in quâ tamen ægelli non deſinunt ſatis benè appetere, nec malè bibere. Si Febris hæc lenta profundas firmaſque radices egit, malum evenit immedicabile: ſi autem nulla Febricula adhuc torqueat, nec obſtructiones meſenterii ſint induratæ, tum remedia ſuperſunt, malum feliciter tollentia.

Et quidem in principio *Curationis* dentur *Trochiſci Hermetici*, qui egregiè admodum cruditates primarum viarum lentas ac tenaces reſolvunt, atque nunc per ſuperiora, nunc per inferiora ſimul expellunt; v. gr. pro Puero trium annorum: Curatio

℞. *Trochiſc. hermet. num.* 4.
Dentur pro doſi mane devorandi.
Vel ℞. *Mercur. dulc. opt.*
Scammon. 🜍rat. aa. gr. iij.
Rad. Mechoacann. gr. ij.
Sacchar. roſat. gr. 6.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi matutin.

Imò hujus medicamenti doſis etiam reiterari poſt aliquot dies poteſt. Deinceps *internè* dabitur vel *Tinctura ♁nii m. ac v. à gutt.* vj. *ad* x. Vel *Pulvis antatrophus* ex *Radic. Aron. Ireos flor. Semin. Plantag. Aquileg. ♁n. diaph. Corallin. ppt. Diaph. ♂ial. Ebor. ppt. ⊖e Abſynth. atque Sacch.* v. gr.

℞. *Spod. ex Ebor. ppt.* ℈ij.
Specif. ſtom. Poter.
Radic. Ireos flor. ana. ʒß.
Mechoacann.
Corallin. ppt.
Fol. Trichoman.
Sem. Plantag. ana. ℈j.
Aniſ. ℈ß.
Sacch. alb. ʒiij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ℈j. *ad gr.* 25. *m. ac veſperi.*

Externè autem varia à diverſis commendantur remedia, ad Vermiculos dorſi eliciendos, ſicque Tabem curandam; quorum optimum eſt Pueros *Balneo Aquæ dulcis* immittere, cui parum *Mellis* ſit inditum, ut

ut ejus dulcedine allecti è poris prodeant, sicque capitellis suis promineant nigricantibus, quæ dein vel unguibus vel cultro, vel novaculâ extrahi aut deradi possunt. Mulierculæ dorsum solùm *Melle* inungunt, aliquandiu sinunt, hinc foràs prolecta Vermiculorum capitella rasorio cultro rescindunt. Sed remedia hæc pluries repeti debent, ut ab omni malo liberentur Ægri. *Strobelbergerus Balneis* insidere vult Pueros per semihoram, ex *Lixivio cinerum Ligni quercini* factis, hinc Ægris in Lecto sudantibus, spinaque dorsi totâ *Melle* perunctâ, tandemque sudore peracto, dorsum cultro rasorio deradendum esse monet; idque ter per septimanam repetendum censet. Ita & eodem effectu *Zedoariæ radix* in *lixivio querno* decoqui potest, ut hoc dein Infans ante & post rasuram in sudatorio diligenter abluatur. *Dolæus* post repetita *Balnea* non nisi cum forti *decocto Hydrargyri* dorsum probè ablui curat, unde Comedones citra omne periculum necantur, atque sic Tabem curari censet.

Dysenteria. DYSENTERIA voce è Græc. δὺς & ἔντερον, *intestinum*, compositâ, est intestinorum inprimis tenuium, hinc & crassorum Inflammatio, atque exulceratio, cum dejectione frequenti cruentâ, purulentâ, acerrimo ventris dolore ac torminibus, nec non tenesmo molestissimo, nunc cum febri continuâ malignâ, nunc sine eâdem Hominem affligens.

Plerunque æstate nimis fervidâ, atque Augusti præprimis ac Septembris mensibus Affectus sævire solet, promiscuè in omnis ætatis ac sexûs homines, frequenter in militum exercitûs, ac eos maximè, qui vel horæorum fructuum, in primis prunorum, malorum armeniacorum, & persicorum, melonum, uvarum, cucumerum, acetariorum & similium largâ devoratione, vel potu liquoris gelidi, putridi, musti etiam largioribus haustibus, cruditates acido-corrosivas in primis viis, imò & ipso sanguine cumulârunt; vel qui aliâs sanguinem acriorem habuerunt. Etenim non nisi serum salsacido-acre & corrosivum proximè tum mucum intestinalem dissolvens & abradens, tum ipsas fibrillas tunicæ nerveæ intestinalis maximè pungens, dilacerans, corrugans, crispans, atque vascula capillaria erodens, proxima dolorum, & excretionum dysentericarum causa existit, imò inflammationis & exulcerationis ipsius. Quin sicubi eadem salia ferocia Massam humoralem turbaverint, maligna simul Febris juncta erit. Accidit etiam, ut non tantùm sanguineæ reddantur mucosæque excretiones, sed subinde integri plexus glandulosi prorsus abrasi simul cum excrementis projiciantur. Dum autem sphincter Ani ab ipsis acidis acribus salibus transeuntibus, ac suâ partim glutinositate adhærentibus, semper pungitur & torquetur, simul quoque *Tenesmus* admodum dolorificus singulis horæ quadrantibus ferè affligit, usque adeo,

adeo, ut in laxioribus constitutionibus eapropter ipsa è suâ sede Alvus elabatur.

Neque omni *contagio* immunem pronunciamus morbum, quin effluvia ex Ægris emanantia sicubi deprehendant Hominem ad eundem aliquâ ratione prædispositum, protinus & in illis simile malum excitabunt.

Si verò Morbus quoad sua tempora consideretur, tum notamus, in principio vel primo gradu mucosa solùm & pinguia, aliquali sero, rarius simul cruore perfusa excerni; in progressu verò morbi etiã biliosas particulas, mucosis tunicæ Intestinorum quartæ ramentis permixtas, ac simul cruentas, striisque sanguineis persperſas rejici; tandem in ultimo gradu ipsos plexus glandulosos instar caruncularum cum ramentis Intestinorum substantiæ, atque copiosiore interdum sanguine prodire.

In *Diagnosi* statim hoc est tenendum, *Dysenteriam* aliam esse *benignam*, quæ nullam habet comitem Febrim malignam; aliam *malignam*, quæ cum malignâ Febri affligit, & contagiosa sæpius est. Dein sciendum, Dysenteriam à *Fluxu hepatico* differre, quod in hoc per alvum sine tenesmo copiosus humor seroso-sanguineus instar loturæ carnium, in Dysenteriâ verò pauca mucoso-cruenta dejiciantur. Differt etiam ab *Hæmorrhoidum fluxu*, in quo plus minus frequenter sanguis sincerus purusque, interdum sine tenesmo excernitur.

Signa Dysenteriæ malignæ.

Dysenteria *maligna* ferè incipit cum horrore quodam per horam plus minus durante, quem excipit mox calor totius corporis, cum appetitu prostrato, ciborum etiam fastidio, ac nauseâ; subsequuntur dein sitis simul plus minus intensa, ventris tormina, circa Vmbilicum maximè, (signo tenuia Intestina affici) dejectio frequens & copiosa, in principio quidem aquoso vel seroso-biliosa, sine notabili tenesmo; post unum verò aut alterum diem, quo tormina sensim vehementius hominem excrucient, mucosa, pauca, putamen ovi minoris vix replens, striis sanguineis plus minùs tincta, aliquando etiam purulenta, flava, viridescens, imò diversicolor, non sine laborioso, ac maximè dolorifico egerendi conatu, singulis ferè quadrantibus horarum recurrens. Pulsus evadit celer, frequens ac debilis, Vrinæ redduntur parcæ, valdè tinctæ, crudæ, claræ; vigiliæ perpetuæ, & anxietates frequentes hominem torquent; lassitudo vel in principio Morbi jam ingens adest: subinde, si vasa hæmorrhoidalia, aliave grandiora erosa aperiuntur, cruor purus excernitur. In progressu Morbi, dum abrasus jam est omnis mucus, etiam plexus glandulosi atque portiones substantiæ Intestinorum erosæ dejiciuntur. Quæ in principio circa Vmbilicum erant tormina, interdum cessant in Morbi decursu, atque versus pubem & inguina descendunt, inibique cum tenesmo creberrimo Ægrum vexant; ita quidem ut Abdomen sæpius quasi spas-

ſpaſmodicè introrſum contrahatur. Febris continuat inter hæc, & malignè quidem, ingraveſcunt enim quotidie, ſi præſcripta remedia nihil operentur, anxietates præcordiorum, inquietudines, Lingua evadit arida, quæcunque aſſumuntur, per alvum ſtatim cum multiplicato teneſmo profluunt, & vel in tranſitu quoq; acrimoniam corroſivā mutuantur; tandem poſt decem, undecim, plures aut pauciores dies, frigus extremos primùm artus, dein & reliquum corpus totum ferè, excepto abdomine, cum ſudore etiam frigido prehendit, pulſus maximè debilis evadit, ſubinde tum cibos appetere & comedere incipiunt Ægri, cum interim viſcera eorum, præprimis Inteſtina, uruntur ac ſiderantur. Sic verò inſtar glaciei frigidi exiſtentes, bidui triduive ſpatio, ſphacelati intereunt. Affectus caſtra Militum frequenter exercet, ſed & populoſas Civitates, imò Pagos etiam indiſcriminatim peragrat. Quod mirandum, intra paucos dies Morbus hic ſubſtantiam corporis humani ita conſumit, ut Æger hinc citò faciem Hippocraticam adipiſcatur, præcipuè ſi ad mortem ejus terminetur Morbus.

Signa Dyſenteria benigna.

In Dyſenteriâ *benignâ* nulla adeſt Febris, ſaltem maligna; hinc non incipit illa cum horrore & æſtu febrili, ſed ſtatim cum Ventris cruciatibus, & aliquali Diarrhœa, quàm excipit mox Teneſmus, cujus ſtimulo ſingulis ferè horarum quadrantibus aliquid muci acris nunc albi, nunc cinericii, flavi, virideſcentis, & ſanguineis ſtriis tincti excernitur. Tenuia Inteſtina ſi laborent, Æger proclivis eſt ad vomendum, & dolor circa Vmbilicum ſatis acerbus exiſtit, ac ſi cultris perpetim diſcinderentur, vel dilacerarentur fibræ nervoſæ. Si verò in craſſis Inteſtinis mali origo & fomes hæreat, tum dolores colici nonnihil leniores ſunt, neque circa Vmbilicum, ſed ſecundùm Coli ac Inteſtini recti ductum magis percipiuntur; Æger que ad vomendum minus inclinat. Appetitus in principio Morbi adhuc adeſt, in progreſſu autem illius paulatim deperditur; ſitis vel nulla vel modica adeſt. Vigilias interea patitur Æger, aut certè propter frequentiſſimum egerendi deſiderium diu dormire neſcit. Anxietatibus tamen nullis torquetur; neque glaciei inſtar frigeſcunt membra, niſi fortè morbus præter ſpem lethalis evaſerit, & Inteſtina ſphacelo inquinata fuerint. Excreta alvina in principio copioſa ſunt, mucoſo-aquoſa, acria; deinceps verò minuuntur, atque cruore plus minus tincta evadunt; vel etiam purulenta quandoque apparent. In progreſſu Morbi propter ſomni defectum, & cruciatus Inteſtinorum frequentiſſimos Febricula continua accenditur, quæ ſi Inflammatio atque Gangræna Inteſtinorum ſuperveniat, tandem in malignam & lethalem convertitur. Subinde evenit, ut non niſi mucoſa alba cum ardentibus alvi cruciatibus crebrò rejiciantur, ſine intermixtis etiam ſanguinolentis ſtriis, tumque *Dyſenteria alba* vocatur, quæ non niſi gradu

differt

differt à *Dysenteriâ cruentâ*, in quâ mucus sanguine tinctus, aut sanguis etiam purus cum tenesmo plus minus acerbo excernitur. Intensior est dolor, quando tenuia Intestina, quàm quando crassa affliguntur.

Quoad *Prognosin*, si Febris simul adest maligna, tum periculosissima existit Dysenteria, ac plerique etiam inde moriuntur. Sed & inter alios, qui nullam Febrim malignam comitem simul habent, sæpiùs enecantur aliqui, quorum intestina à salibus nimis inflammantur, quiq; ad assumenda remedia debita admodum difficiles sunt, unde promtè etiam intestina siderantur, sicque machinæ destructionem totalem inducunt. Ac etiamsi benignus sit, haud statim tamen sanabilis affectus, quin plures usque dies pertinaciter sæpiùs durat, nonnullosque ad extremam ferè maciem deducit. Si extrema frigere incipiant, & continuè frigeant, loquelâ utcunque præsente, & appetitu aliqualiter constante, signum est certissimum internæ siderationis, atque futuræ mortis. Intra 12. vel 14. dies tamen sisti debet, si proba medendi methodus apud Ægrum morigerum adhiberi possit.

In *Curatione* causa morbifica quantocius eliminanda est, nimirum humor acris corrosivus expellendus, hinc & reliquiæ ipsius absorbendæ, invertendæ, aliove modo corrigendæ. Tandem excoriationes Intestinorum persanandæ, tonusque Ventriculi debilitatus pristino vigori restituendus, quo sic Lenteria subsequi solens vel præcaveatur, vel citò etiam curetur. Interim probè attendendum, an Febris simul adsit maligna, nec ne.

Absente enim Febri malignâ ante omnia dabitur in principio statim Morbi *Rhabarbarum* in substantiâ, cum aliquot granis *Mercurii dulcis* & *Cremoris* ♀ri: vel hujus loco *Infusum Rhabarbari cum Radic. Caryophyllat. Bistort. Fœnicul.* & *Sale Card. Bened.* aut *Crem.* ♀ri exhibebitur. Vel etiam *Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro*, cum bonâ quantitate *Aqu. Plantag. Burs. pastor.* & tantillo *Salis polychresti*, vel *Ol.* ♀ri *per deliq.* propinabitur. Ejusmodi purgans, inprimis *Rhabarb.* in substantiâ, repetitâ vice quoque dari potest. v. gr.

℞. *Rhabarb. elect.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Scam. ♁*ti. gr.* j.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutin. Repetatur bis vel ter mane.

Vel ℞. *Radic. Caryophyllat.*
Scorzoner.
Carlin. an. ℨj.
Herb. Agrimon.
Plantag. ana. Mß.
Myrobalanor. Cheb. ℥ß.
Rhabarb. elect. ℨiij.
Semin. Fœnic. ℨj.
Crem. ♀ri ℈ij.
Incis. contusis, atque in nodulo ligatis affunde
Aqu. Ulmar. vel
Plantag. q. s.
Stent per noctem in loc. cal. sequ. mane bulliant parum, dein
Colaturæ ℥iij. *adde*

Syrup. Capill. ♀r. ℥ß.

D. advitr. Hauriatur mane unâ vice.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rh.* ℥iij.
Aqu. Plantag. ℥iß.
Mercur. dulc. ℈j.

M. d. ad Vitr. Sumatur mane unâ vice, & sequenti die, imò tertiâ adhuc vice, licet fractâ dosi repetatur.

Vel per sex dies quotidie mane ʒj. *Panacææ solut. alkalinæ* cum *Emulsione Amygdalar. tenuiore* propinetur. Vel denique *Radix Ipecacuanhæ* in pulvere primâ die ad ʒß. secundâ ac tertiâ die ad ℈j. capiatur, & ita lenes vomitiones cum levamine subsequente excitabuntur. Hac certè methodo sæpius eam cum successu Ao 1708. ingrassante apud nos Dysenteriâ usurpavimus. Alii quotidie mane per plures dies dant *Rhabarb.* ℈j. & *Rad. Ipecacuan.* ℈ß. cum dimidio *Laudani* grano. Interim Remedia antidysenterica diligenter simul usurpentur, quemadmodum v. g. sunt:

℞. *Conserv. Ros. Rubr.*
Plantag. ana ʒvj.
Condit. Nuc. mosch.
Cydon.
Rad. Symph. ana ʒiß.
Lapid. Hæmat. ppt. ʒj.
Sanguin. Drac. ver. ℈j.
Unicorn. fossil. ℈ij.
Syrup. fl. Tunic. q. s.

M. F. Electuar. d. ad Oll. & singulis trihoriis capiatur magnitudo nucistæ.

℞. *Elect. diascord. Fracast.*
Theriac. Andromach. ana ʒß.
Terræ sigillat. ℈j.

Cum Sacch. fiat Bolus, sumatur unâ vice, & quotidie semel repetatur per triduum vel quatriduum.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.* ℥ij.
Flor. Acac. ℥ß.
Syrup. de Succ. Cydon. ℥j.
Essent. Hyperic. ʒß.
Extract. fol. Quercus.
Sanguin. Drac. ver. ana. ℈j.
Essent. Opii liquid. gutt. 8.
Sacch. alb. ʒiß.

Misc. ad Vitr. & detur m. ac vesp. duabus dosibus.

Si Corpus non amplius arte purgatur, quod cum supra dictis bis vel ter non sine levamine, ac spe citioris, curationis fieri nostrâ, aliorumque felici experientiâ consuevit, tum alterantia anodynis mista omnium optima invenimus: v. gr.

℞. *Unicorn. fossil.* ʒß.
Terræ sigill.
C. C. phil. ppt. ana ℈j.
Smaragd. ppt. ℈ß.
Sanguin. Drac. ver. ℈j.
Laud. opiat. gr. ij.
Sacchar. alb. gr. xv.

M. F. pulv. subtil. in 5. *dos. æqu. ad ch. sumantur m. ac v. cum Emuls. Amygd. dulc.*

Vel ℞. *Ichtyocoll.* ʒiij.
d. ad Ch.

Soluta in jusculo aliquot dosibus exhauriatur. Vel ejus loco *Sperma Ceti recentiss. ad* ʒj. aliquoties in *Jusculo hordeaceo* solutum propinetur.

Vel ℞. *Conserv. Ros. rubr.* ʒj.
Sanguin. Drac. ver.
Specier. diatrag. frig. ana ℈ß.
Essent. Opii liquid. gutt. VII.

Cum

Cum Sacch. fiat Bol. unâ vice semel vel bis quotidie capiendus.

Vel ℞. *Aqu. Burs. pastor.* ℥ij.
Flor. Acac.
Plantag. ana ℥ß.
Syrup. de Symph.
Succ. Plantag. ana ℥j.
Extract. fol. Quercus ℈j.
Essent. Hyperic.
Sanguin. Dracon. ver. ana ℈ij.
Tinct. Opii Langel. gr. ij.
M. ad Vitr. Detur duabus dosibus m. ac v.

℞. *Aqu. Plantag.* ℥iiß.
Flor. Acac.
Borrag. ana ℥iß.
Confect. Hyacinth. ʒj.
Essent. Hyperic.
Bistort.
Fol. Quercus ana ʒß.
Corall. rubr. ppt. ℈ij.
Unic. fossil.
Lapid. Hæmat. ppt. ana ℈j.
Sacch. ros. tabul. ʒiij.
M. ad V. & detur frequenter per cochlearia.

Specifica interim antidysenterica mille circumferuntur, ita ut dum quis hoc morbo laborat, omnis visitatum accedens Amicus vel Amica, novum proponat & commendet remedium, ad suum ita benignum, misericordemque animum testandum; sed plerumque nihil hâc ratione boni apud Ægrum producunt ejusmodi Medicastri, ordinarium quippe Medicum in rectâ suâ medendi methodo non leviter impedientes, quodque lamentatibilius est, Medici etiam expertissimi famam sugillantes, sicubi curatio non ex voto successerit; sinistrum videlicet morbi eventum, atque Ægtotantis mortem, ejus imperitiæ vel negligentiæ imputare haud erubescentes, quando clam interea multa alia, eaque vel noxia, vel non necessaria & superflua remedia Ægroto suggesserunt. Autumno & Septembri mensibus Ao. 1708. dysenterica Lues per Urbem nostram maximè fuit grassata, cumque maligna esset, plures quoque è medio sustulit omnis ætatis, sexûs, & conditionis Homines; vices tum meæ erant Nosodochii Ægrotos visitandi, ubi sanè intra prædictos illos menses prope centum Dysentericos tractandos habui, qui omnes nostrâ medendi ratione pristinam sanitatem adepti fuerunt, duobus solùm exceptis, quos post mortem, dum aperuissemus cadavera, phthisicos deprehendimus. Nimirum in Nosodochio hoc Ægri omnes medicè vivere coacti fuerunt, nihilque obtinuerunt, sive ciborum, sive medicaminum, nisi quod à Medico concessum atque ordinatum erat. Extra Nosodochium verò Medicorum præcepta & ordinata, quando non primâ statim die speratum præstitere levamen, contemnebantur, alia desiderabantur, & urgebantur à Medicis, nec minus simul alia ab accedentibus qualibuscunque vetulis, agyrtis subministrabantur, unde factum, ut ita plures ob multitudinem medentium, & inordinatam curationem impetratâ viscerum gangrænâ succumberent, ac vitam cum morbe commutare necesse haberent.

Intes *ſpecifica* autem Remedia, eaque purgantia palmam adhuc obtinent *Radix Ipecacuanhæ* & *Rhabarbarum verum optimum*, quarum radicum illa quidem primo ſtatim inſultûs die ad dimidiam in pulvere drachmam Adulto homini datur, ſicque per ſuperiora & inferiora Æger purgabitur. Verum ſuperbibi debent *Juſcula* frequentia, vel *Infuſum foliorum Thée* & *Plantarum traumaticarum*. Secundâ exhibui viginti grana ejusdem *Radicis*, totidemque tertiâ adhuc die, cum eodem regimine diætæ, & ita ſimul ad præſcriptionem abſorbentium atque anodynorum remediorum acceſſi, hacque ratione meos Ægrotantes priſtinæ ſanitati feliciter reſtitui, ſaltem eos, qui medicaſtris dicam ſtatim ſcripſerunt, nullaque alia remedia in uſum traxerunt. Si primis diebus ad Ægrum vocatus non fui, hincque judicare debui, jam inflammationes in Inteſtinis radicatas eſſe, protinus ab uſu *Ipecacuanhæ*, aliorumque purgantium fortiorum abſtinui, uniceque Remedia diaphoretica, alexipharmaca, abſorbentia, camphorata &c. in uſum vocavi. Quibus autem vel in principio morbi ſuſpecta fuit *Ipecacuanha*, eorum aliquibus etiam *Radicem Aſari* eadem doſi, eademque ratione, ſed cum abſorbenti pulvere permixtam non ſine fauſto ſucceſſu dedi. Aliis verò *Rhabarbarum* in ſubſtantiâ ad ʒj. pro doſi exhibui, & quidem ter vel quater, mane ſemper cum tenui *Amygdalarum dulcium Emulſione*, ſub veſperam dein *Clyſmata eluentia, mucilaginoſa*, *traumatica* inſpergendo, & *mixturam diaphoreticam*, *abſorbentibus pulveribus* ſociatam, cochleatim propinando.

Præmiſſis autem ſic *purgantibus* ad *ſpecificorum* non purgantium uſum accedere conſuevimus, atque inter hæc ſemper anodyna & abſorbentia reliquis prætulimus. Interea à Medicis aliis commendari ſolent, ſub formâ quidem Pulveris *Flores Granatorum non ſylveſtrium*, ut & *Flores Tunicæ*, *Roſar. rubr.* ad ℈j. pro doſi, bis quotidie repetendâ. *Myrobalani* ad grana 25. *Dactyli* ad ℈ß. *Myrtilli* ad ℈j. vel ℈iß. *Maſtiche* ad ℈j. *Pellicula rubra Nucum avellanarum* à ℈j. ad ʒj. *Capulæ Glandium* ad ℈j. *Baccæ Viburni immaturæ* ad ʒß. *Thuris maſculi pulvis ad* ℈j. *Sanguis Draconis verus* ad gran. 15. *Succus* vel *Terra Catechu* ad ℈ß. *Folia Saniculæ*, *Vincæ pervincæ*, *Ophioglosſi*, *Vitis viniferæ*, *Plantagin.* ad gr. 15. vel ℈j. Pulvis *radicum Tormentill. Biſtortæ*, *Doromici*, *Chelidomiæ major. Seminum Lycopodii*, *Oxylapathi*, *Granorum Tiliæ*, ſingular. ad ℈j. plus minus cum *Emulſione Amygdal. dulc.*

Sub formâ *liquidâ* laudatur *Decoctum ſemunciæ Maſtich.* cum *Cortice Aurant.* in *Aquæ menſur.* ? factum, ac potum. It. *Vinum*, in quo *Radices Tormentill. Biſtortæ*, *Caryophyllatæ*, *Nuces Cupreſſi*, *Caſtaneæ*, *Sorba*, *Strobili Pini*, *Herbæ Saniculæ*, *Alchym. Burſæ Paſtoris*, *Piloſellæ*, *Malvæ*, *Parietariæ*, *Virgæ aur. Aparines*, *Flores Lamii purpurei*, & ſimilia fuerunt decocta.

decocta. Alii solum *Lac vaccinum*, additâ *Conservâ Rosar. rubr.* vel *fl. Tunic.* ac *Plantagin. folior.* pro cibo & potu continuè deglutiendum offerunt. *Destillati equini* unciæ quatuor mane ac vesp. propinatæ conducunt. *Cera flava* quoque ad ℨj. cum *Lacte* devoranda sæpe exhibetur.

Comendantur etiam inter infinita ferè alia *Succus Hederæ terr. Jufcula avenacea*, & ex *Oryzâ* atque *Hordeo* facta, *Panis* ex *farinâ* cum *albumine ovi* subactâ, addito *Pulvere Cupularum Gland.* vel *Cortic. Granat.* coctus, contritus, & exhibitus; *Ova* ad duritiem cocta & comesta; *Semina Plantaginis*, *Oxylapath. Urticæ, Nasturt. Rosar. Amygdalæ dulces excort. Glandium Nucleorum assorum pulvis*; *Tunica interior Castanearum lanuginosa*, *Thus*, *Myrrha*, *Mastiche*, *Lapis Hæmat. Crocus Martis adstringens*, *Priapus Cervi*, *Coagulum Leporum*, *Hoedorum*, *Equorum in pulvere.* Qui plura desiderat, apud Felicem Platerum in *Praxi Medicâ* inveniet consarcinata propemodum innumera.

Pro potu ordinario interim concedatur *Emulsio amygdalina*, cum *Aquâ chalybeatâ* facta. Inter Cibos præferimus *Cremorem Hordei*, *Jufcula consumata*, *Gelatinas ossium*, etiam *Lac vaccinum* cum *Conservâ Rosarum* m. ac v. ad ℥viij potum, in quo pro lubitu prius *Chalybs ignitus* extingui potest.

Sunt qui *Aquam panatam* solam, pro ordinario potu exhibent, cum vel sine incoctione *Radicis Tormentill. Bistort. Caryophyllatæ. Herb. Sanicul. Pyrol. Alchymill. Vinc. pervinc. Geran. Robertian.* &c. Imò nonnulli *Panem* è Clibano recens extractum statim destillant, *liquoremque* inde exstillantem, tanquam *specificum* in hoc morbo per cochlearia frequenter exhibent.

Clysmata in principio statim conveniunt largius infusa, & ex detergentibus, inflammationem discutientibus, aut ulcuscula mundificantibus, mucilaginosis concinnata, v. g.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Consolid. maj. ana. ℨß.
Herb. Malv. Agrimon Althææ, Nymphææ. Numular. ana. Mj.
Fol. Betæ recent. vel
Atriplic. vel
Nasturt. aquatic, Miß.
Flor. Chamom. Mß.
Verbasc. Mj.
Linariæ Pij.
Semin. Lini ℥ß.
Anis. ℨj.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Lactis caprill. vel Aqu. fontan. Colatur. express. ℥xij. *adde*
Terebinth. vitell. Ov. solut. ℨij.
Sev. hircin. ℥ß.
Olei rosac. ℨvj.
Ceræ ℨj.
M. F. Clyster tepidè injiciendus ac subinde repetendus.

Nonnunquam *Lac* solum subinde infusum dolorem lenit, & absterget, inprimis si fuerit *serosius*, & *calculis ferrove* ignitis alteratum; si itidem ad

ad ejus libram unum vel alterum *Ovi vitellum*, aut *Mucilaginis Seminis Psyllii* vel *Cydoniorum unciam*, aut *sevi recentis hircini*, *cervini*, *hœdini* vel *caprini* semunciam, unciamve integram, cum *Sacchari candid. albi* semunciâ, aut *Mellis rosacei* ℥j. & *Succi Plantagin.* ℥ij. permiscueris. Alii cum bono successu sæpius injiciunt *Jus Vervecis*, *Pullorum*, *Pedum vitulinorum*, cum *Cremore Hordei*, *vitellis Ovorum* aut *Mucilaginibus*. Alii iterum *opiata* Clysmatibus permiscent, sed cautè id agendum. Si detersa satis creduntur Intestinorum Ulcuscula, ad Clysmata pergunt consolidantia & leniter adstringentia, ex *Decocto Radic. Tormentill. Consol. maj. Thaps. barb. Fol. Sanic. Plantag. Virg. aur. Myrt. Flor. Ros. rubr. Tunic. Balaust. Semin. Hyperic.* paranda, hincque *Succo Millefolii*, *Polygoni*, *Geran. Robert. Burs. pastor. Hieracii*, *Plantag. Albumine Ovor.* & *Balsamo* qualicunque *vulnerario* miscenda.

Post ablatam *Dysenteriam*, ad tonum Ventriculi debilitatum restituendum.

℞. *Tragem. stom. simpl.* ℥j.
Radic. Aron. ppt. ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cran. human. ppt. ana. ℈j.
Diaph. ♃*v.* ℈ij.
Flor. Ros. rubr. ℈j.
Nuc. mosch. ℈ß
Cinnam. acut. ℈j.
Sacch. plat. ℥iiß.

M. F. pulv. subt. d. ad scatul. Dos. ʒj. *m. ac v.*

Abdomen totum inungi quoque potest frequenter seqq. *Oleo*:

℞. *Ol. Mastich. myrtin.*
Cydon.
Chamomill. ana. ʒß.
destill. Chamomill. ℈ß.
Carv. ℈j.
Nuc. mosch. expr. ʒij.
M. detur ad Vitr.

Ad *Tenesmum* mitigandum usurpentur ea, quæ suo loco commendata sunt; ubi tamen optimum est, *sacculum* è *Floribus Chamomill. Scordio*, *Geran. Robertian.* &c. conficere, & *Lacti* incoctum sæpiùs calidè alvo applicare: atque interim Alvi sphincterem inungere seqq.

℞. *Fol. recent. Heder. arbor.*
Vinc. pervinc. vel
Beccabung. ana. Mj.

Incis. coque parum in Butyro recenti non salito, vel etiam Sevo hircino. Hinc colatum Oleum in frigore condensatum sæpè illinatur. Possunt etiam *suppositoria* formari, anoque intrudi, ex *Butyro recenti*, *Sevo hœdino*, *cervino*, cum *Tutiâ ppt. Bol. arm. Pulv. rad. Liquirit. Magist.* ♄ *ni*, *Laudano opiat. Mucilag. Gumm. Tragac.* &c.

In *Dysenteriâ cum Febri malignâ conjunctâ* in principio statim *Clysma* unum vel alterum injici potest seqq. modo paratum.

℞. *Rad. Alth. Caryophyllat. ana.* ʒiij.
Herb. Scord. Brunell.
Sanicul. ana. Mj.
Flor. Malv. hortens.
Ligust. ana. Mß.
Semin. Lin. ℥ß.
Incis. & contus. coque in s. q.

Aqu.

Aqu. fontan. vel Lactis, Colaturæ ℥viiij. *adde*
Crem. Hordei ℥iß.
Terebinth. vitell. ovor. sol. ʒij.
Ceræ ℈ij.

M. F. Clysma tepidè injiciendum. Intus autem, quoniam hoc malum est Febreos Symptoma, à *purgantibus* qualibuscunque est abstinendum. Si autem in principio statim Diarrhoea cum torminibus appareat, ipsaque *Dysenteria* metuenda sit, tum Rhabarbarinum purgans, uti supra, præscribi poterit.

Deinceps verò *alexipharmaca absorbentibus*, leniterque *anodynis* permixta diligenter in usum trahantur, sub formâ *Pulverum*, *Emulsionum*, *Opiatarum* & *Mixturarum*.

℞. *Ebor. ppt.*
Sanguin. Drac. ver.
Bezoard. min. ana. ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
M. F. Pulv. subtil. in 4. dos. div. ad Ch. vel

℞. ♁*n. diaph.*
C. C. usti.
Unicorn. fossil.
Lapid. Hæmat. ppt. ana. ʒß.
Semin. Papav. alb. ℈j.
Sacch. cand. rubr. ʒß.
M. F. Pulv. subtil. in 6. dos. æqu. ad Ch. vel

℞. *Pulv. Lich. petr.*
Ebor. ppt.
Pulver. Viperar. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ʒj.
Laud. opiat. gr. iij.
M. F. pulv. subt. d. adscat. Dosis singul. 5. horis ʒß. vel

℞. *Pulv. radic. Consolid. maj.* ℈ij.
Rhabarb. ver. ʒß.
♁*n. Diaph.* ʒj.
Diaph. Jial. ʒß.
Unicorn. fossil. ℈ij.
Sacch. alb. ʒj.
M. F. pulv. subt. d. ad scatul. Dos. ut supra.

℞. *Tinctur. antiphthis. Garm.* ʒiß.
d. adv.
Dos. m. ac v. gutt. xv. *cum Decoct. ordinar.*

℞. *Conserv. Bellid. min.*
Ros. rubr.
Borrag. ana. ℥ß.
Diascord. Fracast. ʒij.
Confect. Alk. compl. ℈ij.
♁*nii diaph.*
Matr. perl. ppt.
Ebor. ppt.
Dent. Hippopot. ppt. ana. ℈j.
Essent. Opii liquid. ʒß.
Syrup. de Beton. q. s.
F. Mixtura ad formam Opiatæ, de quâ singulis trihoriis capiatur magnitudo nucistæ.

℞. *Aqu. Plantag. Borrag.*
Scabios. Brunel. ana. ℥j.
Syrup. de Eupator. ʒvj.
Cydon. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ʒj.
Unicorn. fossil.
Corall. rubr. ppt.
Bezoard. min. ana. ℈j.
Sacch. ros. tab. ʒiß.
Misc. ad Vitr. Detur per cochlearia.

Externè heic quoque usurpentur, quæ superius indigitata sunt. Pro *potu ordinario* cedat *Decoctum C. C. raspat.*

raspat. vel *Radic. Tormentill.* inde concinnatæ *Emulsiones amygdalinæ.* *Juscula carnea* inprimis *gelatinosa*, item *Avenacea* non formidanda, uti nec *hordeacei Cremores.* Sed Lac minus conveniens.

Dysuria. DYSVRIA, è δὺς & οὖρος compositâ voce, latinè *mingendi Difficultas*, est Symptoma imminutæ excretionis, quo Urina cum vel sine difficultate, labore, & dolore non guttatim, sed majore, licèt non debitâ ac naturali quantitate excernitur.

Differt hinc ab *Ischuriâ* gradu, quòd in hâc nulla prorsus, in *Dysuriâ* verò laticis urinosi imminuta fiat excretio: & à *Stranguriâ*, in quâ continuum adest mingendi desiderium, ac Urina cum ardente dolore guttatim sæpissimè excernitur.

Pars affecta. *Pars affecta* vel Renes sunt, vel Vesica, ejusque utplurimum Sphincter, quandoque tamen & ipsa Urethra simul in culpâ existit.

Causa. Contingit autem hoc malum, quando vel Urina nimis viscida, crassa & lenta est, quàm ut commodè exprimi possit, ut hinc, dum musculi abdominis excretionem promovere nituntur, dolor in regione pubis enascatur lancinans, atque insigniter ipsum quoque Vesicæ musculum sphincterem gravans: vel Urina nimis salsa & acris plus minus crassa fibras Vesicæ rodit, & ad excretionem jugiter stimulat, quæ tamen ob ipsam crassitiem difficilis evadit: vel Urina austera, pontica, tenax, sabulosa est, ut minus comodè exprimi possit: vel quando ipse musculus sphincter inflammatus, aut nonnihil constrictus & arctatus est, ut suo officio minùs probè satisfacere queat: vel quando idem musculus tantillum erosus, excoriatus, aut exulceratus est: vel quando in ipsâ Urethrâ tuberculum, ulcus, aut excoriatio contigit: vel quando calculus in Vesicâ hæret nunc magnus, nunc asper, quique subinde ostio Vesicæ obvolutus illud claudit: vel denique quando Urina sufficiente quantitate in Renibus non secernitur, idque propter obstructionem aut compressionem tubulorum, vel seri sanguinei crassitiem.

Si acris & crassa Urina est, cum labore simul & ardore excernitur; si crassa, lenta, minusque acris, cum difficultate, sed sine dolore tamen, aut eodem non nisi gravante emingitur, id quod Pueris non rarò evenit, quando Urinam crassam valde, turbidam, albam atque crudam excernere necesse habent. Si austera est, sabulosa, minore quantitate, propter Renum simul obstructionem, sed & aliquali cum difficultate, quandoque & frigidusculè expellitur. Si calculus in vesica hæret magnus, frequenter urina, & parcè excernitur, eaque valdè crassa, pituitosa, ut in sedimentum mediâ ferè parte subsideat. Si inflammatio, excoriatio, aut etiam exulceratio adsit in sphinctere, vel urethra, tunc cum ardore & magno labore, quandoque cum tantillis guttis sanguinis, ac puris emittitur, adeoque simul Stranguria aderit.

aderit. Si ſatis benè profluat Urina, ſine ardore aut labore, ſed parcâ tamen quantitate, ſignum eſt Renum obſtructorum aut compreſſorum; aut etiam craſſitiei ſeri ſanguinei.

Quòd concernit *Prognoſin*, Urinæ difficultas curabilis ſatis eſt, ſi non à Calculo Veſicæ majore exoriatur, idque inprimis in Senibus, lithotomiam formidantibus. Aliquandò tamen etiam, ubi ſerum ſanguinis copioſum ac viſcidum adeſt, diuque neglectum, ſenſim vel Hydropem, vel Apoplexiam poſt ſe trahit.

In *Curatione*, ſi Calculus in culpâ eſt, non niſi eo ablato malum curabitur. Si verò Urina craſſa, alba, turbida, tenax ac viſcida, quæ Pueris ſubinde contingit, tum *Clyſma emolliens* atque *detergens* primùm injicietur, aliquoties etiam repetendum; v.g.

℞. *Decoct. Herb. emollient. ut & Petroſelin.*
Portulac. ℔j. *in adultis, vel* ℥v. *aut* vj. *in Junior.*
Adde *Terebinth. vitell. Ovor. ſolut.* ʒiß.
Ol. violac. vel Lil. alb. ʒvj.
M. F. Clyſma injiciendum tepidè.

Poſt Clyſma ſequens *Pulvis* aliquoties m. ac veſp. cum *Aqu. Petroſelini Macedon.* & *Portulac.* exhibeatur, vel etiam cum *Lacte bubulo*:

℞. *Gumm. Arabic.* vel
Ammoniac. ℈iß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ß.
Sacch. alb. gr. xv.
M. F. pulvis ſubt. d. ad ch.

Junioribus paulo minor doſis concedetur. Interim ſequens Mixtura ſimul cochleatim propinabitur.

℞. *Aqu. Fragor.*
Portulac.
Fœnicul. ana. ℥j.
Cinnamom. ʒiiß.
Spirit. Salis dulc. ʒij.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒß.
Sacch. roſ. tabul. ʒij.
M. ad Vitr.

Vel etiam *Emulſio* parabitur in unam vel plures doſes: v. g.

℞. *Nucl. Perſicor.*
Semin. Melon. ana. ʒiß.
Nap. ʒj.
Violar. ℥ß.
Aqu. Portulac. ℥ij.
Anſerin.
Carlin. ana. ℥iß.
Cinnam. bugl. ʒiij.
F. l. a. Emulſio cui adde
Julep. roſac. ʒiiß.
D. ad Vitr. in duas doſes Adultis, & tres vel quatuor Pueris dandas.

Proſunt & ſequentia euporiſta.

℞. *Aqu. Raphan.*
Naſturt. aquat.
Heder. terreſtr.
Ononid.
Petroſelin.
Portulac. ana. ℥iß.
Syrup. Viol. purpur. ℥ij.
M. ad vitr. & ſumatur per hauſtulos.

Vel *Raphanus ruſticanus*, aut etiam *hortenſis* cum *Liquiritiâ* in *Vino* & *Aquâ* coquitur, & colatura Ægro propinatur. Sic & *Succus Raphani communis*, vel etiam *Ceparum ſub cineribus coctarum*, vel *Alliariæ* expreſſus, *Saccharoque* edulcoratus, ſub

dosi cochlearis unius quandoque exhiberi potest. Nonnunquam *Lavendula*, ut & *Chamomillæ flores*, cum vel sine *floribus Genistæ*, aut *Radice Carlinæ* in *Vino* probè decoquuntur, atque hinc *decoctum* sæpius exhibetur. Ita & *Infusum fol. Thée* non contemnendum existit, vel etiam *Decoctum Coffée*, addendo *Spiritum Cochleariæ*, aut *Tincturam* ♃*nii*, vel *Corallor.*

Externè Balnea conficiantur ex incoctione *Chamomill. Lavendul. Ononid. Nasturt. Petroselin. Hyperic. Malv. Artemis. Origani, Absynth. Aneth.* &c. iisque Æger interdum insideat. Insigne euporiston autem hoc in casu est *Cataplasma* regioni pubis calidè impositum, è *Baccis juniperi*, *Petroselin. Radice Allii*, & *Floribus Chamomillæ*, invicem contusis, ac *Vino rubro* incoctis paratum. Eundem in finem alii *Oleum Scorpionum*, *Chamomill. Verbasci*, aut *Hyoscyam.* illinunt, vel *Herb. Malv. Parietar. Cherefol. Petrosel.* &c. virides *Butyro* incoquunt, hocque dein inungunt.

Si *Urina* est *salsa* & *acris*, tum præmisso *Clysmate Emulsiones* conducunt, paratæ ex *Seminibus frigidis* cum *semine Cannab. Lini*, *Papav. alb.* & *Aquis diureticis refrigerantibus*; quibus addere licet *Ocul.* ♋. *ppt. Unicornu fossil. Corall. alb.* vel *rubr. ppt.* ♃*n. diaph. Gumm. Arabic. Diaph.* ♂*ial.* Conducit simul usus *Oleor. Terebinth.* & *Succin.* pluribus guttulis sæpius exhibitorum. *Externè* pubis illinenda est regio *Oleo Scorpionum Matth. Verbasc. Hyperic. Chamomill. Linariæ, Violar. Rosar.* Tandem, quæ Stranguriæ feliciter medentur, & heic locum habent.

Si alia Vesicæ, aut Urethræ vitia in culpâ sint, tum hisce medendum, quemadmodum suis locis indigitavimus.

EBRIETAS, EBRIOSITAS, TEMULENTIA, est Vitium non tantùm morale, sed & naturale, quo Homo facilè citòque à levibus Vini haustibus inebriatur, indeque incommodatur, imò simul in varia symptomata delabitur, velut sunt mentis Deliria, Vertigo, Cephalalgia, Artuum dolor ac Tremor, & alia.

Quòd autem quis præ alio citius inebrietur ratio est, vel quia delicatiore stomacho est præditus, mucumque nec adeo crassum neque lentum in primis viis obtinet, quo quidem aliâs fibrillæ nervosæ ab injuriis externis probè arceri solent, unde hæ à pauco etiam Vino hausto irritantur, & ad narcosin invitantur: vel quia Homo Vinum statim largius ingurgitat, antequam stomachum sufficiente quantitate ciborum replevit. Adde his consuetudinem bibendi protervam, quâ Homo sibi tantam adquisivit sitim, & bibendorum vinorum desiderium, ut nullâ nôn occasione ea avidè ingurgitet; sicque tandem quotidianis crapulis vel Hydropem, vel Apoplexiam, Epilepsiam, Tremorem Artuum, aliaque mala accersat.

Igitur Remedia ad Ebrietatem præcavendam vel etiam tollendam tanto magis necessaria videntur, quanto

quanto facilius Ebriosi in dictos modò Affectus morbosos incidunt. Qui comessationibus frequenter interesse debent, ad præservandam Ebrietatem ante pastum *Amygdalas* plures *amaras*, vel *Nucleos Persicorum*, vel *Comas* aliquot *Absynthii*, aut *Rutæ* cum fructu comedere, vel etiam unciam unam alteramque *Olei Olivar.* deglutire possunt; cumque dein ad Epulas accedunt, benè faciunt, si statim in convivii principio probè comedant, antequam bibunt: imò & postmodum inter bibendum subinde comedere non desinant. Quod si etiam quis in medio convivii actu, dum probè comedit, simul haustum *Roris solis* vel similis *liquoris spirituosi saccharati* non adeo fortis sumat, tanto diutius se à crapulâ ac temulentiâ præservare poterit.

Ad crapulæ autem discussionem prosunt vel *Decoctam granorum Coffée*, aut *Infusum folior. Thée* largiter haustum: vel dosis larga prædicti *Roris Solis*, aut *Rataffiæ*, vel *Spiritûs Apii selini saccharati.* Qui Ventriculum debiliorem habent, per eadem spirituosa optimè statim à Crapulæ incommodis liberantut, præsertim si simul instituto vomitu stomachum depleant. Qui autem Ventriculi tono firmiore gaudent, his vel *Cerevisia tenuis*, vel *Julepus* ex *Syrupo Ribium, Rub. id. Cydon. Citr.* &c. factus, atque *Spiritu Sulphuris* aut *Nitri* acidulatus admodum prodest. Inprimis etiam postridie talis potus, non secus ac inedia Hominem planè restituit. Aliâs *Folia Brassicæ* contusa, *Aquâ Rosarum* conspersa, & vertici capitis temulenti imposita crapulam quoque discutere creduntur. Si venam Ebrio seces, & aliquid sanguinis emittas, ab imminente eum Catarrho apoplectico præservabis, & Temulentiam statim abiges. Novimus aliquando Ancillam frequenter sese inebriantem, quæ Crapulam suam promtè discutere solebat, caput in fornacem aut clibanum calentem per aliquantillam temporis moram immittendo.

ECCHYMOMA, Latinè *Sugillatio*, est Symptoma qualitatis mutatæ, sive coloris cutis naturalis in cœruleum, rubicundum, viridescentem, aut etiam flavum mutatio, oriunda utplurimum ab externâ qualicunque contusione, sanguinem in extremis tubulis ad stagnationem comprimente & adigente, si non prorsus extravasante. *Ecchymoma, s. Sugillatio.*

Oritur igitur non nisi, quando pars affecta aliquam contusionem recipit, in quâ circulatio sanguinis in vasculis capillaribus, propter compressionem & angustationem ab ictu factam impeditur, sicque sanguis in pluribus vasculis extremis cutaneis stagnans primò quidem rubicundo-cœruleum, dein nonnihil viridescentem, aut etiam nigricantem, tandem cum prorsus discuti incipit, flavescentem prodit colorem. Sine tumore Ecchymosis contingit, quando in capillaribus solùm vasculis obstructio hæret imperfecta. Sed ubi nonnihil majora simul valdè premuntur vascula, *Causa.*

vaſcula, hincque humores quidem affluant, & non transfluant, fit Tumor, nunc major, nunc minor, pro contuſionis diverſitate; quem Germani communiter vocant ein Beule. Infantes autem ob frequentes lapſus huic malo admodum obnoxii exiſtunt. Si denique contuſio adeo fortis ſit, ut vaſcula quædam ſanguinea rumpantur, ex iisque ruptis ſanguis effluat, tunc inde Tumor fit inflammatorius, qui cum non promtè diſcutitur, in Abſceſſum & Ulcus abit.

Curatio. Malum facilè cognoſcibile, neque ſi benè tractetur, ullo modo periculoſum, in cujus proin *Curatione* diſcuſſio ſtatim tentanda ac promovenda eſt humoris ſtagnantis, ne morâ putreſcat, ac extravaſatus Abſceſſum, Ulcusque progignat. Igitur antequam intumeſcat pars, ſtatim vel *frigida Aqua* cum linteo imponatur, vel *lapide* aut *ferro frigido* pars tangatur. Hinc impedito tumore, nihilominus vel *Vino calido*, in quo *Flores Chamomill.* aut *Salvia*, *Majorana*, *Rosmarinus*, *Flores Sambuci*, aut *Fœni* deferbuerunt; vel etiam *Spiritu Vini camphorato*, aut *Lil. convall.* aliove *Spiritu* ardente *ſulphureo* pars contuſa foveatur, usque dùm circulatio erit reſtituta. Vel ſimpliciter *Spiritus Vini* qualiscunque ſive *ſimplex*, ſive *compoſitus*, *aromaticusque* redditus, *Butyro* permixtus non ſalito, diligenter inungatur. Atque talibus fomentis Sugillatio diſcuti poteſt, ſive cum ſive ſine tumore fuerit. Sunt qui cum fructu *Ceratum* ex *Oleo Roſar.* vel *Lil. alborum* cum *Cerâ flav. ſimplic.* factum applicant. Plura vide ſupra in *Contuſione cum Ecchymoſi.*

ECTROPIUM ab ἐκτρέπω, *abduco*, *averto*, derivato nomine, eſt Palpebræ inferioris inverſio vel retractio extrorſum facta, ita ut velut deorſum pendeat, neque oculum obtegere queat.

Producitur à diverſis cauſis, quales v. gr. ſunt caruncula ſive excreſcentia carnis in interiore palpebræ ſuperficie enata: vel corporis cujusdam glanduloſi extumeſcentia, inferiorem Palpebræ partem ita excutiens, ut forâs rubicundo inverſa colore emineat. Subinde & Vulnus Oculi malè curatum, hincque producta cicatrix; ſutura item vel uſtio imperita; relaxatio in Epiphorâ diuturnâ, aut Paralyſis; Elephantiaſis ſive Lepra; convulſiva Contractio, Lippitudo, atque continuus Lacrymarum acrium fluxus in ſenectute ad hunc Affectum contribuunt.

Malum, ſi recentem adgnoſcit cauſam, emendabile adhuc exiſtit; ſi verò inveteratum, vix curari poterit. Etenim ſi ab Elephantiaſi aut Epiphorâ originem ducat, tum hiſce Affectibus eſt medendum, ac interea topica quoque mox dicenda uſurpabuntur. Si à Convulſione ſive contractione ſpasmodicâ, aut à defluxione acri provenerit, non ſine ratione commendamus *Aquam Roſar. Flor. Til. Fœnic. Chelidon. major.* cum *Mucil. ſemin. Cydon Aqu. Plant. fact.* in quâ adhuc ferrum ignitum extingui poteſt.

test. Ejusmodi Aquarum miscelâ calente linteolis exceptâ sæpius Palpebra calidè foveri potest: Quin adhuc *Essentiam Croci*, vel *Spiritum Anhaltinum* permiscere licet. Vel

℞. *Butyri Aqu. Plantag.* vel *Levistici pluries loti* ℥iij.
Lapid. calaminar. Aqu. Ros. loti ʒiß.
Aloës Aqu. Ros. lot. ʒj.
Tut. ppt. ℈ij.
Camph. ℈j.
M. F. Unguentum sæpius inungendum.

Insimul tamen *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicentur; vel etiam *Vesicatorium* nuchæ imponatur. & capilli capitis deradantur. Subinde *Clysma* injiciatur ex decocto *emollientium* & *cephalicorum*, vel etiam *Purgans* aliquod, inprimis *Pilulæ* præscribantur, ex *Extract. panchymagog. Croll. Extract. Pilul. coch.* &c. cum *Mercurio dulci*, aut *Cinnab. nat.* vel ☿*nii optimâ.*

Ectropium à Paralysi palpebræ, vel à cicatrice, vulneri, ulceri aut combustioni succedente, oriundum prorsus est incurabile. Quando autem provenit à relaxatione interioris superficiei palpebræ, spem curationis facere possumus ex usu *remediorum siccantium*, *leniter adstringentum*, & *tonum fibrarum corroborantium*, aliquamdiu continuato.

Quod si *caruncula fungosa* & recens hoc malum produxerit, siccari illa & paulatim consumi potest *discutientibus Collyriis*, sive siccis, sive humidis, qualia in Ophthalmiâ proponuntur, ubi *Mercurius præcipitatus* cum *Pulvere folior. Sabinæ*, & *Succo Geranii robert. Cichorii verrucar. Chelidon. major.* principem locum tenebit. Quando autem Caruncula illa dura jam est atque inveterata, tolli pro posse ac nôsse debebit extremitatibus acutæ Forficis, modò ne cancrosam diathesin sapiat, ipsaque Palpebræ substantia offendatur. Si supersit quædam radix Carunculæ, consumenda venit illa quadam *Aquâ causticâ*, aliquoties per momentum applicatâ, cavendo ne quid in oculi bulbum depluat; postea Ulcusculum siccatur *Balsamo ophthalmico*, qui *Tutiam ppt. Lapidem calaminarem ppt.* & tantillum *Myrrhæ* recipit. Si verò talem Carunculæ extirpationem sequatur Hæmorrhagia aliqua, tum hæc sisti poterit applicatione *Pulveris* sequ.

℞. *Bol. Arm. ppt.* ʒij.
Terr. sigillat.
Lapid. Hæmat. ppt. ana. ʒß.
Gumm. Arabic. ℈j.
Vitrioli Roman. calcinat. ℈ß.
M. F. Pulv. subt. ad ch.

Sed & *cauterium actuale*, sive ignis cum circumspectione applicatus omnem illicò Hæmorrhagiam sistere valet.

ECTEMATA, Ἐκτήματα, sunt maculæ, utplurimum rubicundæ, per totum promiscuè corpus efflorescentes, atque sensim in pustulas, saniem plus minùs serosam, albicantem continentes mutatæ; adeoque à *Variolis* non discrepant, sicuti Paræus *de Variolis* adnotavit.

Elephantiasis Græcorum, s. Lepra Arabum

ELEPHANTIASIS *Græcorum* vel LEPRA *Arabum*, est Scabies vel totius corporis, vel alicujus certæ partis, maligna, sicca, & furfuracea, vel squamosa, cum aliquali tumore cancroso, & pluribus symptomatibus gravioribus juncta, à Massæ sanguineæ salinâ, fixâ, malignâ & acri dyscrasiâ, succum nutitium ad νέκρωσιν disponente, & corrumpente, originem ducens.

Pars itaq; *affecta* primariò quidem est sanguis circulans; secundariò autẽ nunc tota corporis cutis, nunc unum duntaxat alterumque membrum.

Causa.

Causa verò est summa Massæ humoralis intemperies sive corruptio maligna, consistens in prædominio salium acido-fixornm, acrium, & corrodentium, sulphureis fixis nonnihil irretitorum, unde succi omnes, nutritius inprimis, inquinati varia in corporis superficie symptomata & exanthemata producunt. Colligitur illa intemperies sanguinis partim à contagio, quando cum Leprosis quis familiariter vixit; partim à victu sordido, & esu ciborum, salibus fixis, sulphure pingui, atque terrestioribus particulis nimis abundantium. Dispositi verò ad hunc Affectum magis sunt, qui naturâ sunt splenetici, melancholici, hypochondriaci, vel etiam cholerici, quique ab ineunte crasso, duro, salsoque victu nutriti sunt.

Diagnosis.

Diagnostica diri hujus Affectûs signa sunt, nasus lividus, genæ rubentes, unguium fissuræ, vox clangosa, stupor surarum & totius ferè corporis, ut vix puncturam acus sentiant; cutis sicca, aspera, ferè instar Elephantorum pellis, unde etiam appellatio deducta fuit; Tubercula glandosa, duraque in fronte, facie, genis, cubitis, femoribus, manibus aut pedibus, facilè sub cute mobilia, indolentia, ex livore ad rubedinem tendentia, horridumque aspectum præbentia: Tubercula itidem oris, quæ hiante hoc, linguâque depressâ, in palato & faucibus circa linguæ radicem, nunc flavescentia, nunc sublivida cernuntur: Ulcera & Fissuræ, in pedum digitorum interstitiis, vel etiam plantis, præsertim crassâ duraque illarum parte; vel in manibus juxta cubiti articulum, præcipuè in arctiore illius sede, aliisve artuum locis apparentia; quæ Ulcuscula utplurimũ veram cutim penetrant, lata sunt, & rarenter ulterius serpunt, labiis prætumidis constant, atque læsa facilè cruentant: Ulcera etiam narium, sæpè earum septum, fungos, & ossa seu cartilaginem depascentia, naso tandem turpiter delabente, palatum, columellamque depascenria: tumidæ duræque aurium pinnæ, auriculæ crassescentes, lividæ, plus justo acutæ; alæ narium dilatatæ, siccæ; labia tumida, dura, aspera; manus inflatæ; palpebræ oculorum rubentes, ac tumidæ: pellicula in oculis juxta canthum majorem nata, sensim accrescens: capillorum capitis defluvium: tandem furfuracea & sicca Scabies, universum penè corpus pervadens, atque inprimis articulos artuum cum asperitate occupans.

In *Prognosi* tenendum, quod morbus

bus hic, si recens fuerit, curationem adhuc quandam admittat: inveteratus autem omnem medelam respuat, hominemque ad mortem usque lentam comitetur; diu enim Leprosi vivere possunt, cum cibi potusque adpetitu valdè gaudeant, & utcunque licèt depravatè corpora eorum nutriantur.

In *Curatione* unicè eo adnitendum, ut tota Massa humoralis probè elui, & ab intemperie illâ cancrosâ ad dulcem temperaturam atque balsamicam crasin reduci possit. Quod quidem in malo recenti obtinebitur partim *Diætâ* exactissimâ, partim potu *Aquarum mineralium*, aliorumque *Liquorum convenientium* diuturno. In *Diætâ* igitur suademus *Lac* & *Lacticinia* omnia, modò Vacca lac exhibens nutriatur *Plantis* satis convenientibus, quemadmodum sunt *Gramen* vulgare ab omnibus *Ranunculis*, similibusque corrosivis plantis secretum: *Trifolium* omne; *Plantago* qualiscunque; *Tragopogon*; *Taraxacon*; *Chelidonia major* & *minor*; *Anserina*; *Betonica*; *Hedera terrestris*; *Bellides omnes*; *Nasturtium aquaticum*; *Hieracia omnia*, &c. Quin & ipsæ hæ Plantæ plures cibis quotidianis incoctæ Ægris maximè proficuæ forent. Suademus dein inter *cibos Carnes* omnes juniores, *Vitulorum*, *Hædorum*, *Vervecum*, *Pullorum gallinaceorum*, *Caponum*, *Gallinarum*, *Perdicum*, *Alaudarum*, *Columbarum*, *Rusticularum*, *Coturnicum*. *Radic. Petresolin. Sisar. Scorzoner. Carlinæ*, *Raphan. rustican. Apium selinum*, *Borragin. Nasturt. hortens.* & *aquatic. Scolymos*, *Brassicam non salitam*, *Rapas recentes non salitas*, *Allia*, *Cepas* &c. Inter *pisces* prosunt *Salmones*, *Truttæ*, *Lucii*, *Carpiones*, & alii etiam minores pisces fluviatiles. Abstineat verò Æger ab omnibus cibis duris, crassis, salsis, sordidis, quemadmodum sunt *Carnes Ferarum* aliæque *duriores*, inprimis *Porcorum*, &c. sive recentes sive fumo induratæ, nec non *cibi* omnes *sale conditi*, *caseus*, & quæ sunt similia: Præterea *Vinum* commendamus, pro potu moderato, minimè tartareum austerum, aut crassum; sed bonum, album, vel rubellum, tenue, & facilè penetrans. A *tristitiâ*, *mœrore*, atque *irâ* sibi temperet: *Balnea* inprimis non rarò ingrediatur, paulo ante ingressum hauriendo cyathum *Aquâ Fumariæ*, *Card. bened. Scabios. Succisæ*, aut *Cherefolii* replètum, cum *Roob Sambuci* vel *Juniperi*.

Curatio instituitur quemadmodum in sequenti Affectu, quoniam utrobique totius Massæ humoralis correctio, elutriatio, atque edulcoratio venit instituenda. *Curatio.*

ELEPHANTIASIS ARABVM, s. LEPRA *Græcorum* est obstructio scabiosa totius contextûs per cutem glandulosi, pertinax & maligna, cum defœdatione universi corporis, crustis & tuberculis duris, maculis lividis, ulceribus, intolerabili pruritu, aliisque molestiis hominem divexans. *Elephantiasis Arabum.*

Afficiuntur heic inprimis Glandulæ miliares cutis, pluresque aliæ *Pars affecta.*

per

per corpus diſſeminatæ, idque à cauſâ morbificâ, valdè acri, & viſcidâ obſtruente Quando enim Maſſa ſanguinea admodum inquinata eſt, & obruta ſalibus fixis, acido-auſteris, acribus, ac inſimul terreſtribus, viſcidis, & ♀reis, unde ſuccus partium ſolidarum nutricius, vel etiam halituoſum ſerum, quod aliâs transpirare ſolet, viſcidum atque lentum redditur, tum facilè talis humor, circulationis lege ad glandulas porosque cutaneos propulſus, incipit obhæreſcere, ſtagnare, ac tubulos primùm pauciores, mox plures obſtruere, ita ut hinc avolantibus particulis aquoſis tenuioribus, reliquæ adhuc viſcidiores redditæ, & magis accumulatæ, non ſolùm tubercula ſparſim per cutem excitent, ſed etiam acrimoniâ ſuâ circum circa rodendo pungendove pruritum intolerabilem, atque Ulcuſcula ſcabioſa producant. Quòd ſi dein particulæ quædam ♀reæ acido-auſteris iſtis ſalibus intermiſceantur, tum exinde ſimul ſquamulæ cutaneæ, aut furfures, cum aſperitate totius cutis inducuntur, & tandem in extremis etiam tubulis guttulæ ſanguinis à transfluxu prohibitæ & coagulatæ maculis lividis originem præbent.

Diagnoſis. Ex quibus ſequitur, *Lepram* hanc *Græcorum* non niſi gradu tantillum inferiore ab *Elephantiaſi Græcorum* differre. *Signa* enim dictæ Lepræ ſunt pruritus intolerabilis & maximus; unde Ægri vehementiſſimè ſcalpendo, fibrillasque cutaneas dilacerando, omnis generis Ulcuſcula & Inflammatiunculas arceſſunt, ſicque corpus totum exaſperant. Apparent dein etiam nunc ſquamulæ albicantes, nunc furfures, nunc etiam maculæ rubicundæ, lividæ, pruriginoſæ, per cutem corporis diſſeminatæ. Quibus junguntur laſſitudo, metus, triſtitia, inſomnia pavida. Subinde in Venerem ſunt maximè proclives tales Ægri, ut priapismo ac ſatyriaſi non rarò vexentur. Reſpiratio pluries eſt offenſa ac tarda, exſpiratio gravis & fœtida, pulſus parvus, tardus, inæqualis; ſitis ſæpius intenſa; alvus ſegnis; urinæ craſſæ turbatæ, quandoque jumentorum urinæ ſimiles; color totius corporis ferè lividus. Quibus ſi plura in progreſſu morbi accedant ſymptomata, haud obſcurum erunt indicium ſuccedentis veræ Elephantiaſis Græcorum, ſ. Lepræ Arabum. Tandem notandum, quosdam arbitrari, hunc morbum in alterutro tantùm vel utroque pede, valdè tumido, ulceroſo, leviter cancroſo, coloreque livido, ac dolore pruriginoſo, &c. conſiſtere. Elephantiaſis porrò vel *hæreditaria* eſt, vel *aſcititia*, quarum illa vel à Parentibus obtinetur, vel per contagium adquiritur: hæc verò non niſi malâ diætâ comparatur. Exempla deniq; habentur eorum, qui per coitum, per oſcula, per lintea, veſtes, pocula &c. Leproſi ſunt redditi.

Quod *Prognoſin* attinet, Morbus incipiens haud difficulter eſt curabilis; ſed ubi jam altas egit radices, vix quidem vel tantillum emendare poteris: quin facilè in perfectam Græcorum

corum Elephantiasin transit, eamque ut eventus docet, prorsus insanabilem.

In *Curatione* ea methodus est observanda, quâ quidem & circulantium humorum impuritas corrigi, & vitia simul partium solidarum dispelli poterunt. Si quid igitur curæ superest, in Diætæ optimæ præscriptione inprimis consistit, in quâ quidem *Aërem* commendamus purum, tenuem, lucidum, Euro perflabilem, multo Æthere refertum, quemadmodum in supremis Ædium contignationibus reperitur, nullo etiam fœtore, aliaque venenatâ qualitate infectum, nec admodum frigidum. *Alimenta* omnia sint boni succi, & facilis digestionis, quæ laudabilem per omnia chylum exhibeant; velut sunt *carnes* animalium juniorum, avicularum, vervecinæ, cancri &c. *Jusculis* incoquantur *Herbæ aromaticæ*, saleque volatili multo præditæ: vitentur omnia acida, salsa, cruda, fumo indurata. *Potus* sit vel *Cerevisia* tenuis, probè defœcata, vel *Decoctum Lignorum* cum *Cinnamom.* vel *Decoctum Liquirit. Ras. C. C. Hord. Fumar. Agrimon.* ac *Cinnamom.* Post pastum quemlibet exhauriat Æger dosin vel *Roris Solis*, vel *Rataffiæ*, vel similis *Liquoris spirituosi*, præprimis qui cum *Petroselino Macedonico* paratus est. Vel *Spiritus Ceras. nigr.* cum *Aqu. Apii Macedon.* & *Cinnamom.* in quibus *Sacchari* q. s. est soluta, permiscetur, & potandus cochleatim offertur. *Motus* corporis sit blandus, *Vigiliæ* temperato *somno* alternentur: *Alvus* respondeat quotidie, sponte vel arte. *Venus*, *Ira*, & *Animi* reliqua vehementiora pathemata fugiantur.

Ex *Fonte pharmaceutico* ea conducunt remedia, quæ visciditatem humorum potenter incidunt, attenuant, atque resolvunt, ac ita particulas remotissimis tubulis impactas, velutque incuneatas è suâ sede dimovent; hinc etiam simul acrimoniam temperant vel obtundunt, salia copiosissima valdè diluunt, secumque vel per tubulos cutaneos, vel per renales auferunt. Itaque in principio curationis *Vinum* aliquod *medicatum*, per 6. vel 8. dies hauriendum exhibeatur, quod compositum sit è *Radicibus Caryophyllatæ*, *Filicis*, *Pimpinellæ*, *Carlinæ*, *Aristolochiæ*, *Chelidoniæ majoris*, *Chinæ*, *Sarsæparill. Petasitid. Apii selini*, *Ligni Sassaphr. Guajac. Corticib. Cappar. Herb. Fumar. Plantag. Heder. terrestr. Agrimon. Hepat. nobil. Scolopendr. Cuscut. Chamædr. Thée*, *Betonic. Chelidon. maj. Apii selin. Nasturt. Ulmar. Bell. min. cum flor. Trifol. fibrin. Capill.* ♀*ris Semin. Aquileg. Dauc. Fœnicul. Radic. Hellebor. nigr. Rhabarb. elect. Fol. Senæ opt. mund. Limatur. Chalybis.* ⊖*e Absynth. Cortic. Winteran.* &c. Affundendo medias portiones *Aquæ* & *Vini albi veteris boni*. Post *Vinum medicatum* toto autumnali atque hyberno tempore Athleticis quotidie haustus prodest *Aquarum destillatarum Fumariæ*, *Ulmariæ*, *Chelidoniæ majoris*, *Nasturtii aquatic. Plantaginis* cujuscunque, *Card. bened. Carlinæ*, *Agrimoniæ*, *An-*

ſerinæ, *Scolopendriæ*, *Hepatic. nobilis*, & ſimilium. Æſtivo autem toto tempore quolibet mane integra exhauriatur menſura ſive *Acidularum* quarumvis, ſive *Thermarum Fafarienſium*, *Plumbarienſ. Carolinarum Schintzenacenſium* &c. recens inventarum Helvet. Cum hiſce tamen largis liquoribus ſimul conducit aſſumere *Tincturam* ♂*t. aperitivam*, vel ♁*nii* optimam, nec non *Eſſentias Cinnamom. Garyophyllor. Zedoar. Abſynth. Chamædr. Bellid. min. Trifol. fibrin. Cochlear. Spirit. Sal armon. aniſ.* aut *fœnicul. Sal volatil. oleoſ. Sylv. Sal volat. Ebor. Viperar. C. C. Succin. Fuligin.* Quibus ſubinde jungenda ſunt ſicciora abſorbentia, & edulcorantia, velut ſunt *Opiatæ*, *Pulveres*, atque *Pilulæ*, compoſitæ è *Pulvere viperino*, *Diaphoret.* ♂*ial.* ♃*vial. Unicorn. foſſil.* ♁*n. diaph. Bezoard. min. Ebor. ppt. C. C. phil. ppt. Lumbric. terr. ppt. Milleped. ppt. Rad. Aron. Herb. Trifol. fibrin.* atque *Naſturt. Conſerv. Fumar. Plantag. Roſar. rubr. Bellid. min. Beton. Extract. Abſynth. Beton. Lign. Saſſaphr. Guajac. Dolæus* pulverem ☿*ioantimonialem* ceu *ſpecificum arcanum* in hoc morbo jactitat; alii *Balſamum* ♀*ris* ♁*iatum* ſine ♂*te*, *Oleum* item ☿*ii diaphoret. Tincturam* ♀*ris*, aliaque inter *Panacæas* referunt. Si quis itidem per diuturnum tempus non niſi *Aquam* vel *Decoctum Lignorum*, in quo ſimul *Mercurius vivus* optimè bullierit, bibat; & ſimul externè cum eodem *decocto calido* ſeſe per totum corpus, inprimis autem in ulceroſis locis, optimè lavet, ac eluat, is tandem, non neglectis reliquis etiam remediis, à fœdo Morbo liberationem ſperare poteſt.

Qui denique heic curam ſalivatoriam inſtituere volet, quemadmodum in Lue Venereâ, is fortè ſucceſſum haud infelicem habebit.

EMPROSTHOTONOS, eſt ſpecies Convulſionis univerſalis, quâ dorſum hominis in altum valide attollitur, caput verò anteriora verſus reclinatur. Vide *Convulſio.*

EMPYEMA ex ἐν & πύον, *pus*, compoſitâ voce, eſt collectio puris in cavitate alterutrâ Thoracis, proveniens ex Abſceſſu aliquo pectoris interno rupto.

Cauſa hujus morbi plerunque eſt Abſceſſus ſive Pleuræ, ſive Pulmonis, ſive Glandulæ alicujus Pectoris ruptus, ſuumque pus in cavitatem Thoracis effundens. Abſceſſui verò originem præbet antecedens quædam dictarum partium, à viſcoſo acri ſero aut ſanguine enata Inflammatio, quæ Pleuritidem, Peripneumoniam, aut Pleuroperipneumoniam conſtituere aliâs ſolet. Oportet autem talem Inflammationem atque Abſceſſum eo in loco Pulmonis aut Pleuræ gigni, unde pus factum è rupto tumore in pectoris cavum immediatè defluere queat. Aliquando etiam Vulnus & Contuſio pectoris ad Sanguinis & inde facti puris collectionem contribuit.

Quod ſi igitur præcedat talis quædam Inflammatio in Pectore, quæ,

quæ, superstite licèt Ægro, curari non potuit; si pondus circa Diaphragma cum respirationis difficultate; si fluctuatio in mutato decubitu; Tussis frequens & utplurimum sicca persentiantur; simulque Febris hectica adsit, per vices exacerbata; tum Empyema adesse conjiciendum. Quando hæret in dextrâ Pectoris cavitate, pondus atque calor ibidem sentietur, simulque dextrum latus thoracis longè tumidius opposito ferè emaciato deprehendetur, & Æger interea nunquam lateri sano citra periculum suffocationis incumbere poterit. Somnus dein in Empyemate omni adest inquietus; sitis, tussis, anxietates præcordiorum frequentes, dyspnœa, per vices insigniter torquent; macies quotidie major redditur. Abdomen etiam & pedes ædematosè intumescent, si in sinistrâ pectoris cavitate Empyema hæserit, quoniam à puris mole ductus thoracicus tum valde premitur, hincque Lympha in tubulis partium inferiorum cumulatur & stagnat. *Hippocrates* tandem jussit linteum madidum utrique lateri pectoris applicare, ubi enim citiùs siccatur illud, ibi pus latere perhibuit.

Si *Prognosin* spectes, sitis, anorexia perpetua, agrypnia, alvus liquida, sputum fœtidum, macies corporis cum Febri hecticâ quotidie major, abdominis atque pedum intumescentia, purisque nulla per quamcunque datam portam evacuatio, mortem prænunciant lentam; quoniam pus intus conclusum suâ acrimoniâ partes quascunq; cingentes erodit, & in putrilaginem ulcerosam vertit, sicque simul Phthisin excitat. Si pus ipsum vel Pulmones perrumpat, ac ita cum tussi copiosius exscreetur; vel si etiam musculos intercostales erodat, & cuniculos agendo subter musculos pectoris externos sese projiciat, tumoremque inibi producat, ac denique per eundem tumorem, qui maximè dolorificus & æstuans esse solet, novaculâ incisum apertumque effluat, tum Æger non rarò mortem evadit, ulcere sic pectoris probè non solum eloto, sed & tandem post plures etiam menses perfectè ad cicatricem perducto; qualia exempla nobis aliquot in Praxi nostrâ medicâ occurrerunt. Vidimus etiam, quibus materia purulenta è pectore, nescio quâ datâ portâ, ad Renes fuit delata, & cum urinis excreta, Ægro hinc perfectè reconvalescente.

In *Curatione* eo magnopere est adnitendum, ut puri in pectoris cavitate collecto quæcunque commoda porta aperiatur, quod quidem primo tentabitur per *Clysmata emollientia*, ex *decocto Hordei* & *Melle rosaceo* parata, quemadmodum habet *Forestus*; hinc pectus inungendum *Oleo Chamæl. Lilior. alb. Axung. Catuli*, *Felis*; vel *Fotu emolliente* ex decoctione Herbarum in *Lacte* facta: postmodum exhibendo *Cassiam solutivam*. Ubi autem Urina crassa evadet, tùm etiam *diuretica*, inprimis *Tincturam antiphthisicam Garmanni* optime paratam ad gutt. 15. m. ac v. cum *Aqu. Heder. terr.* vel *Veronic.* exhibere licet. Aliâs Curatio.

tentanda est evacuatio per ruptionem Pulmonis, & expectorationem, dando quotidie semel aut bis duas vel tres uncias *Succi* ex *Hederâ terrestri Veron. Urtic. urent. Apio selin. Nasturt. aquat. Cochlear. Raph. rustic. Trifol. fibrin. Plantag. aquatic. Geran. Robertian.* recenter expressi ac filtrati. Vel exhibendo pulveres ex *Diaph. ♃vial. Flor. ♀ris, Pulvere Veronicæ, Hederæ terrestr. Ireos florent. Lichenis petræi, Lycopodii* &c. Quibus addimus *Decocta pectoralia*, atque *Unguenta*, vel *Linimenta thoracica*, qualia quidem in Pleuritide, Tussi & Asthmate aliàs commendari & præscribi solent.

Paracen- Hisce verò omnibus in cassam adhibitis, *Paracenthesis* seu Thoracis *perforatio* inter sextam & septimam costam, à supremâ numerationem inchoando, ad latus venit instituenda, ita quidem ut neque nimis versus dorsum, ubi musculi sunt crassiores; nec nimis antrorsum versus pectus, ubi Diaphragma periculosè lædi posset, operatio fiat. Itaque ad hos scopulos evitandos sume filum, & metire à mucronatâ pectoris cartilagine usque ad apices vertebrarum spinæ dorsi; dein filum in tres partes divide, & quo loco duæ tertiæ partes (à Sterno incipiendo) pertingunt, illum verum Paracentheseos locum statuas. Instrumenta quibus hæc operatio perficitur, sunt Scalpellus linteo obvolutus, quo vel simul & semel cutim, musculos, & succingentem costas membranam pertundimus; vel priùs imponimus ruptorium sive corrosivum, ad cutim exurendam, & sanguinis fluxnm impediendum.

Paracenthesi autem factâ, humorem & pus in cavitate Thoracis contentum per immassam cannulam argenteam alatam sensim effluere permittimus. Si verò pus nullum effluat, quod contingit, quando illud peculiari velut sacco, inter Pleuram & Pulmonem facto, inclusum tenetur; tum partim injectionibus Decocti traumatici per Siphonem factis, partim si ita non succedit, profundiore scalpelli, vel acûs adactione saccus erit rumpendus.

Effluente autem sensim purulentâ materiâ intus continuè *Decocta traumatico-pectoralia* m. ac vesp. calidiusculè propinanda erunt, ex *Radicibus Caryophyllat. Chin. Liquirit. Sarsæparill. Rubiæ Tinctor. Herbis Veronic. Sanicul. Alchymill. Artemis. Vinc. pervinc. Geranii Robert. Bellid. minor. Hed. terrestr. Chamæpith. Scabios. Plantag. Pyrol. Millefol. Ligno Sassaphr.* Floribus *Bellid. min. Tussilag. Papav. rhead. Borragin.* Seminibus *Hyperic. Fœnicul.* v. gr.

℞. *Radic. Tussilag.*
Aristol. rot. ver.
Caryophyll. ana. ℥iij.
Herb. Millefol.
Pyrol. ana. Mj.
Artemis.
Sanic. ana. Mj.
Flor. Bell. min.
Tussil. ana. Pij.
Incis. & contus. coqu. in
Aqu. font. Miß.

Vin.

Vin. alb. Mß.

De colaturâ mane ac vesperi Cyathus unciarum quatuor exhauriatur.

Juxta hoc *Decoctum* simul diligenter *Pulvis folior. Lichenis petræi*, vel *Sempervivi*, *Telephii*, ac *Pilosellæ* cum *Diaph.* ♃*vial. C. C. phil. ppt.* & *Sacch. cand. rubr.* in usum per plures menses trahitur. Ipsum verò pectoris foramen ferè ad semestris spacium apertum est relinquendum, immissâ semper cannulâ argenteâ; donec nullum amplius vestigium purulenti humoris in pectore latitantis adsit, qui pulmonem corrumpere, Phthisicamque tabem inducere valeret. Ad hoc vero præcavendum Injectiones quoque in ipsum Pectoris cavum institui per cannulam debent, cum *decocto Herbarum traumaticarum in Aquâ facto*, admixta semper *Tinctura Myrrhæ*, *Aloës*, & *Mastich.* Quin & *Tinctura traumatica amara* intus quotidie exhibenda est, concedendusque usus *Conserv. fl. Ros. rubr. Tunic.* ac *Bell. minor.* cum *Florib.* ♀*r. Diaph. Jovial. Pulv. Lich. petr. & simil.*

Tandem ubi Symptomata accedunt varia, iisdem suo modo occurrendum. Si pure effluente Abdominis tumor aut tensio remanet, non adeo benè de eventu judicandum; si verò tensio illius minuitur, melius omnino de futura salute sperandum. Contingit etiam interdum, ut post hanc operationem pedes intumescant, ipsumque Abdomen tumore velut oedematoso nonnihil expandatur, quod phænomenon tamen non omnem statim spem adimat: quin si appetitus post apertum pectus rediens manet, si respiratio facilior, somnusque bonus evadat, tandem & ipsa illa intumescentia vel per se, diligenter continuato traumaticorum usu, cessabit, vel Laconicis sæpe institutis discutietur. Interim dum operationem Medicus proponit, nihilominus anceps illud esse remedium prædicet, à quo nonnulli quidem reviviscere possint, alii verò minimè experiantur speratum operationis successum: qui enim v. gr. acriore sanguinis temperie, aut cacochymiâ prorsus aliqua instructi sunt, illi per operationem hanc quidem nonnihil diutius vivunt, sed tamen mortem nihilominus lentam effugere vix poterunt.

ENCANTHIS vel EXCANTHIS, ex ἐν vel κανθὸς, *oculi angulus* composito vocabulo, est Carunculæ lachrymalis intumescentia nunc indolens, laxa, & mollis, nunc dura, inæqualis & cum dolore punctorio conjuncta, Cancrumque minitans. *Encanthis.*

Producitur utplurimum à sero nutritio copiosius ad partem affectam transcolato, & acri quodam charactere infecto. Vel etiam Lymphâ quædam viscida intra tubulos & vesiculas membranaceas Carunculæ illius deposita, cumulataque, partem in tumorem distendit; laxum illum atque indolentem, si humor stagnans nullo acido corrosivo præditus sit: pungentem verò, dolorificum, *Causa.*

ficum, durum, atque nonnihil lividum, si humori plures particulæ acido-fixæ, corrosivæque sint permixtæ. Nonnunquam ex *Pterygio* malè curato vel ex Ulcere Carunculæ *Encanthis* quoque enascitur.

Diagnosis & Prognosis Quoad *Diagnosin* & *Prognosin*, Malum hoc facilius cognoscitur quàm curatur, propter nobilissimæ partis, Oculi nimirum viciniam. Si tuberculum dolet, livet, & aliquando etiam album atque durum est, latentem pronunciabis Cancrum, sive *Encanthidem malignam*, vix tangendam, ne exulcerata citò miserandi Ægri faciem cum horrendis cruciatibus depascatur. Felicius hinc ferro extirpari posse credes, quam alio modo curari. Quæ autem fungosa est, rubicunda, indolens, atque nullis venulis lividis interstincta, *Encanthis benigna* audit, remediaque haud difficulter admittit; aut subinde per se separatur ac decidit.

Curatio. In *Curatione* Encanthidis *benignæ*, ubi nullus subest metus Cancri, primò corpus *purgante* aliquo, *Mercurio dulci* commixto, elues; vel *Vino* etiam *medicato* evacuabis: deinceps interne quidem *Essentiam Betonicæ*, *Chamæpith. Hyperici*, *Numulariæ*, & *Fœniculi*, aut *Spirit. Sal armon. fœniculatnm*, *anisatum*, vel *succinatum* ad guttas 20. man. ac vesp. cum *Infuso fol. Beton.* & *Chamædr.* quotidie dabis. Externè verò *Dolæus* commendat primò *fotum* ex *Radic. Valerian. Chelidon. Herbis Rutæ*, *Chelidon. maj. Puleg. Verben. Flor. Sambuc. Lavend. Betonic. Seminibus Fœnic. Sileris*, *Caryophyllis*, *Aloë*, in Vino generoso coctis, addito pauxillo *Camphoræ*. Hoc verò nil operante, sæpius tangere solet *caustico* suo *indolenti*, cui non male substituitur *Aqua calcis vivæ* in vase cupreo facta, atque tantillo *Mercurii sublimati* acuata; vel saltem *solutione* ejusdem *sublimati* affusa flavens reddita; quo liquore penicillus sæpe imbutus Carunculæ applicatur, præmunito semper prius Oculo. Si nec ita tumor ille minuitur, tum forcipe portio Carunculæ extumescens auferatur, ac postmodum statim *Collyrium traumaticum* in usum trahatur, ex *Aqua flor. Cyan. Chelidon. maj. Plantag. Euphras.* cum *Sacch. Cand. Tutiâ*, *Lapid. calamin. ppt. Aloë*, *Myrrh.* &c. Vel *Unguentum Ophthalmicum Mynsichti* usurpatur. Sunt qui Encanthidi, solum *Pulverem Sacch. cand. alb.* cum *Sarcocoll. Tut. ppt. Lapid. calaminar. Matr. Perl. ppt. Aloë* &c. permixtum subinde afflant, sicque sensim tumorem absumunt; addunt alii quoque tantillum *Alumin. usti*, vel *Vitrioli usti*, vel etiam *Mercur. præcipitati rubri*, aut *albi*. Sed quadrante horæ post applicatum pulverem Ophthalmicâ quadam Aquâ partem iterum tepide abluere oportet.

Si excrescentia magna jam evasit, ac *benigna* adhuc extiterit, filo transfixa rescinditur, cavendo, ne simul Caruncula tangatur; postea *Saccharum cand. alb.* cum *Tut. ppt.* & *Myrrha* vel *Aloë* applicatur.

Excrescentia dura, inæqualis, dolens, adeoque *maligna* extirpationem desiderat

deſiderat totalem, plerunque verò ſine funeſto eventu tangi nequit, ſed *Collyriis* tantùm *ſiccantibus* & *anodynis* foveri cupit.

ENTEROCELE, vid. *Hernia inteſtinalis*.

EPHELIS, ἐφηλίς, ex ἐπὶ & ἥλιος, *Sol*, compoſitâ voce, eſt aſpredo & nigrities quædam in facie, utplurimum à Solis ardore producta, & cum maculis etiam fuſci coloris juncta.

Pars affecta præcipuè eſt Faciei cutis, quæ aëri externo ſemper expoſita, varias quoque ejus injurias patitur.

Oritur autem iſta nigrities, vel color ſaltem fuſcus, ſubinde maculas magnas efficiens, à coagulatione ſucci certi, nonnihil in ſe viſcidioris, ſed & ab externo Solis ardore, quo ſubtiliores particulæ jugiter extractæ exhalant, magis ſiccati. Succus autem iſte participat de ſero ſulphureo-ac reſinoſo, particulis ſalino-fixis obtuſis commixto. Hinc Menſium quoque vel Hæmorrhoidum obſtructiones talibus non infrequenter maculis ortum præbent, ubi ſanguis ſpiſſior, ſive craſſior eſt, atque acido-fixis particulis inquinatus. Forſan & acidæ ejusmodi particulæ ipſis jam poris cutaneis inhærent, ſudoris retropulſi reliquiæ, quæ ſuccos circulationis lege allabentes coagulare atque præcipitare aptæ ſunt. Sol autem, cui facies quotidie exponitur, ſuis radiis fortioribus multum ad has contribuit maculas, quando citiſſimè volatiliores moleculas per cutis poros elicit, dum interea cœteræ retromanere, ſponte incraſſari, coagularique neceſſe habent; quod vel inde patet, quoniam ardore Solis ceſſante, maculæ quoque illæ ſenſim evaneſcunt, atque diſparent, niſi fortius radicatæ fuerint.

Facilè dignoſcuntur hæ maculæ à *Lentiginibus*, hæ enim minores longè ſunt, adeoque & copioſiores, totum ſœpè corpus defœdantes, ſine ulla aſperitate: *Ephelides* autem ſunt maculæ multo grandiores, in Facie conſpicuæ, fuſcæ, & ſubinde cum tantilla aſperitate cutis junctæ; circa os & labia apparentes, rarius in aliis quoque corporis partibus apparentes, Prægnantibus, menſiumque aut hæmorrhoidum obſtructione laborantibus, quam verò aliis familiariores; poſt partum verò, aut fluxum dictum redeuntem, iterum diſparentes. *Diagnoſis.*

In *Prognoſi* hinc tenendum, quòd maculæ tales non durabiles, ſed vel ſponte, vel arte non adeo difficulter diſſipabiles ſint. *Prognoſis*

Præcaventur *Ephelides*, ſi facies aut etiam manus illinantur vel *Felle bubulâ* noctu aut mane, dum Solis radiis ſeſe quis exponit, vel *Ovi albumine conquaſſat.* cum *Aqu. Roſ.* aut *Fœnicul. Chelidon. major. Cochlear. Radic. Sigill. Salomon.* vel facies tegatur *Larvâ cum panno cerato*; vel *Emulſio* in hunc quoque uſum paretur ex 4. *Semin. frigid.* cum *Aqu. Sigill. Salom. Flo. Fabar.* & calidè cum linteis noctu *Cauſa.*

noctu applicetur. Curantur verò abstersione cum *Foliis Cerasi recent.* Vel *Aqu. Ros. Chelidon. Apii selini, Sigill. Salom.* cum *Oleo Tart. per deliqu.* & *Mercurio dulc.* Sunt, qui *Gummi Cerasorum Aceto* solutum, cum pauxillo *Farinæ avenaceæ* calidè sæpius affricant. Laudatur & *Pulmentum* è *Baccis Lauri* pulverisatis cum *Aqu. Fungorum* paratum, ac in *Balneo* impositum. Item *Aqu. Bryoniæ* cum *Succo Limonum*, *Felle Gallinarum*; nec non *Lac Virginis* cum *Essentiâ Myrrhæ*, *Storacis*, *Benzoin*, atque *Radic. Sigill. Salomon.* vel *Irid. Florent.* paratum. *Oleum* ♀*ri per deliquium* non est contemnendum, cum *Essentiâ Myrrhæ*, vel *Melle*, & *Pulvere Baccarum Lauri* permixtum. *Unguenta cosmetica* quoque, velut in Lentiginibus, usurpari possunt. Sed & *internè* medicamenta in usum vocanda, quæ crassiorem sanguinem attenuare, ac volatiliorem reddere possunt: in quem finem commendamus frequentes haustus *Aquar. destill. Chelidon. Apii Macedon. Nasturtior. Cochlear. Borragin. Fumar. Scabiof.* cum *Essent. Bugloss. Bellid. min. Trifol. fibrin. Betonic.* &c. Si menses in non gravidis deficiant, debito modo provocabis.

Ephialtes, Incubus. EPHIALTES, ex ἐπὶ, *super*, & ἅλλομαι, *salio*, compositâ voce, Latinè INCUBUS, est falsa imaginatio ponderis thoraci incumbentis, vel hominis suffocationem ac necem inferre conantis, noctu atque in somno adolescentibus præprimis obtingens, cum respiratione difficili terrore, & suffocationis metu.

Pars affecta primariò est Diaphragma cum musculis Thoracis in suo officio nonnihil præpeditis, hinc & ipsum Cerebri meditullium, vel Cerebellum potius cum meatibus, nervisque phrenicis sive recurrentibus in quo spititus animales ac fibræ medullares non ritè agitatæ occasionem perversæ imaginationi præbent.

Causa proxima hujus Affectus non est nisi Spirituum animalium influxus per nervos phrenicos & recurrentes denegatus; quod in morbo sæpius recurrente, Ægris etiam non jacentibus supinis, producitur, inprimis à spasmodicâ aliqua contractione musculorum vel pectoris, vel diaphragmatis, vel, ut D*olæus* opinatur, ipsius Abdominis, quos antagonistas vocat musculorum diaphragmatis. *Antecedens* vero causa est acidum quoddam austerum, è primis viis, digestioneque ventriculi mala procedens, & forte in horum illorumve musculorum membranaceas vesiculas, fibrasque nervosas ita decumbens, ut sua irritatione spasmodicam constrictionem instituat; non secus atque in suris pedum simile quid subinde hominibus contingere solet. Dum autem musculi ita sunt constricti, Thorax commodè dilatari, expandi, ac subsidere nequit, hincque respirationis actio necessariò offenditur; cumque hoc inprimis obtingat Juvenibus dormientibus, ac supinè decumbentibus, facilè simul

in ſomno ſibi imaginari poſſunt, aliquod Thoraci ſuo pondus, vel alium hominem inſidere ſuffocationem ſibi illaturum. Etenim Adulti, ſicubi tali prehendantur Affectu, vix quidem iſtâ perverſâ imaginatione ſimul afficiuntur. Supinè cùm decumbunt, profundeque dormiant ægri, tum à ventriculo cibis difficilioris concoctionis diſtento, vaporibusve aut flatibus expanſo, nec non à partium in thorace ſitarum mole Arteria partim aorta, partim venæ cavæ truncus valdè premitur, ſicque ſanguinis circulus nonnihil impeditur: partim etiam nervi phrenici comprimuntur, ut ſpiritus probè transfluere nequeant: partim denique ipſum diaphragma in ſuo motu offenditur: quapropter ſi corporis ſitus mutatur, Incubus ſtatim ceſſat, evaditque ſic cauſa Incubi rarò affligentis. Sed & aliæ quoque cauſæ Incubi eſſe poſſunt, quando vel chyli auſterioris, crudiorisque particulæ figentes maſſæ ſanguineæ transmittuntur, & hinc ſpiritibus quoque animalibus communicantur, ita ut hi dein in cerebro, dum corpus totum ſupinè jacet, per nervos ſuos ad cor, & pectus depluere ſufficienter haud poſſint, unde thoracis motus quoque, non ſecus atque cordis pulſus offendi debent; imò ipſum quoq; cerebrum, aut ſpiritus in illius poris decurrentes motu quodam perverſo affici: etenim qui frequenter hoc malo laborant, obnoxii etiam ſunt vel Apoplexiæ, vel Epilepſiæ, vel Convulſionibus.

Si quis etiam ab errore diætæ, à malo paſtu, vel ſaginatione nimiâ, quod Pueris ſæpius contingit, malum ceu à cauſis procatarcticis deducere velit, non refragabimur; quoniam inde craſſo crudoque chylo, non ſecus ac flatibus abdomen diſtendentibus anſa ſufficiens enaſcitur, quo dum ſanguis ac ſpiritus inficiuntur, horrenda quandoque atque terrifica excitantur inſomnia, lemurum, v. gr. facierum cadaveroſarum, vultuum monſtroſorum, pugnarum, litium, incendiorum, cædium, tandem & hominum thoraci incumbentium atque ſuffocationem minitantium. Si ſupini tum jacent Ægri, tanto citius obtinget, graviusque evadet malum, quia in hoc decubitu nervi pneumonici, inprimis ſi abdomen plenum eſt, non rarò ita comprimuntur, ut animales ſpiritus ad diaphragma & thoracem commodè defluere haud poſſint. Atque hinc eſt illa anxietas præcordiorum, hinc illa, quâ premuntur, anguſtia pectoris, hinc illa loquendi, reſpirandique difficultas, quâ Ægri in hoc morbo ultra dimidiam ſæpè horam vexantur.

Quòd *Diagnoſin* concernit, Incubus Pueris quàm Adultis familiarior exiſtit. Infantibus primæ ætatis, acido ſpasmodico turgentibus, frequenter ita accidit, ut in ſomno nunc rarius, nunc crebrius ſubitaneam cum ſibilo reſpirandi difficultatem incurrant, unde expergefacti quandoque citius, quandoque tardius priſtinam reſpirationis facilitatem recuperant. *Diagnoſis.*

In hoc etiam ſymptomate tamdiu Miſellis, conſtricto velut gutture, ſubinde Spiritus deficit, ut faciei colorem lividum prorſus acquirant, ſingulisq; momentis ſuffocari non ſine quibusdam motibus convulſivis credantur. Atque hic certè paroxysmus aſthmaticus non niſi à ſpasmis nervorum pneumonicorũ, à rodente primarum viarum acido utplurimum oriundis, provenire, &, niſi medela afferatur, Epilepſiam tandem poſt ſe trahere ſolet. Adultiores verò hoc in Affectu velut molem quandam præcordiis incumbentem ſentiunt, ſub imaginatione alicujus ponderis, vel etiam alius ſibi inſidentis atque pectus ad ſuffocationem usque prementis hominis; unde etiam gravitas, atque immobilitas totius corporis obvenit, propter motum cordis, muſculorumque thoracis, & bronchiorum pulmonis valdè præpeditum, indeque incipientem ſanguinis in pectore ſtagnationem, anguſtias, & anxietates miras ſimul efficientem. Præterea Ægri in paroxysmo voce ſtentoreâ vel clangoſâ, interruptâ, multumque impeditâ auxilium petunt. Junguntur his torpidus in ſomno ſenſus, ſuffocationisque imaginatio, & veluti imminens Catalepſis, dum adſtantes quidem anxii intuentur, ſed nec loqui, nec ſua membra ſponte movere poſſunt. Quin & ipſa non raro phantaſia corrumpitur, dum ſibi fingunt, Dæmones, Sagas, Magos, aliarumque chymerarum terrentia ſimulacra ſibi vel necem, vel alia mala minitari. Ad ſe verò redeuntes, jamque poſt aliquantillum tempus reſpirationem liberiorem conſequuti, nihilominus de reſtitante adhuc Tremore & Cordis palpitatione, vel etiam de Vertigine, Cephalalgiâ, Capitis gravitate, & laſſitudine conqueruntur. In Scorbuticis quoque paroxyſmi tempore maculæ lividæ, ex nigro violaceæ, vel puniceæ hinc inde in Facie, reliquove corpore prodeunt. Tandem ſupinè decumbentibus citius malum contingit, quàm aliter jacentibus.

Quantum ad *Prognoſin*, Incubus Pueris & Adultis raro lethalis quidem eſt, ſed malus tamen omnis exiſtit, ſi frequentius redeat, ipſique adeo Paroxysmi diutius durent; quoniam facilè ſic in Apoplexiam, vel Epilepſiam, Convulſiones, imò & Melancholiam, Maniam, aut ſubitaneam mortem tranſit per modum Catarrhi ſuffocativi. Infantes autem lactantes hoc malo ſæpiùs prehenſi, niſi præcaveris, certiſſimè in Epilepſiam incidunt, lethalem plerunque illis, quorum textura nervoſa admodum delicata & tenera exiſtit.

In *Curatione* Infantibus hoc malo prehenſis extra paroxyſmi tempus conveniunt crebra *Clyſmata* ex *decocto Radic. Scorzoner. Carlin. Petaſitid. Valerian. Lil. alb. Herb. Rut. Malv. Alth. Aneth. Salv. Heder. terreſtr. Semperviv. Flor. Chamom. Lil. convall. Til. Papav. rhead. ſeminum Naſturt. Aniſ. Fœnicul. Carv. Bacc. Juniper.* &c. parata, *Melleq;* inſuper *roſaceo*, atque *Oleo chamæmelino* permixta, v. gr.

℞. *Rad.*

℞. *Radic. Lil. alb.*
Valer. ana ℥ß.
Herb. Alth.
Malv.
Rut. ana. Mj.
Flor. Chamom.
Pœon. ana. Mß.
Semin. Carv. ʒij.
Bacc. Junip. ʒj.
Incis. & cont. coqu. in q. s. Aqu. font.
Colatur. ℥vj.
adde Mell. rutac. ʒvj.
Olei Scorpion. ʒiij.
Violar. ʒj.
Salis comm. ℈j.
M. F. Clyster tepidè injiciendus Puero sexenni.

Quin & *lene Vomitorium* ex guttulis aliquot *Syrup. emetic. Ang. Sal.* vel *Oxysacch. emetic.* cum *Aqu. Flor. Til.* aut *Flor. omnium* exhibitum quandoque spasmodicam simul effundit morbi caussam. V. gr. pro Puero trienni

℞. *Aqu. Pœon.*
Flor. Til.
Syrup. de Semperviv. ana. ʒij.
emet. Ang. Sal. ℈j.
vel ʒß.
Misc. d. ad Vitr. Exhibeatur mane pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥j.
Aqu. Flor. Consol. reg. ℥ß.
Mercur. dulc. gr. vj.
M. d. ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Tutius enim exhibebis aliquot grana *Mercur. dulc. opt.* cum *Syrup. Ros. sol. s. Syrup. Flor. Persic.* vel *de Cichor. cum Rhabarb.* Quin & *Rhabarbarum* in substantiâ ad gr. v. vel vj. cum 2. vel 3. granis *Mercurii dulc.* & *Sacchuro*, Infanti semestri concedere potes, imò aliquoties repetere, addendo quoque *Corallorum*, vel *Oculorum* ♋. *ppt.* pulverem acidi spasmodici absorbentem. Post expurgationem primarum viarum antispasmodica sunt exhibenda, sub formâ nunc *Pulverum*, nunc *Mixturarum*, quemadmodum in Convulsionibus fusius demonstravimus. *Paroxysmi* tempore autem naribus *Infantum* statim applicabis *Spiritum* qualemcunque v. gr. *cephalicum*; cochleatimque exhibebis *Mixturam* ex *Aquâ Pœon. Flor. Til. Cinam. Flor. omn. Hirundin. Syrup. de Semperviv. Liquor. C. C. succ. Essent. Castor. Ungul. Alc. ppt. Pulver. Cephal. Mich.* & similibus paratam.

Adultioribus autem hoc Affectu prehensis similiter dabuntur *in paroxysmo* quidem *antispasmodica*, spiritus sopitos excitantia, nimirum *Mixturæ* ex *Aqu. Nasturt. aquat. Flor. Til. Flor. Consol. regal.* vel *Florum omnium*, cum *Confect. Alk. compl. Tinctur. Castor. cum Spir. Sal. armon. parat.* vel *Spirit. C. C.* aliove *volatili*, *Essentiâ Succin.* nec non *Pulveribus alcalinis*, acidum destruentibus, v. g. *C. C. ust.* ♄*n. diaph. Ocul.* ♋. *Cinnabar. nat.* vel ♄*n.* v. gr. *Adultorum in Paroxysmo.*

℞. *Aqu. Card. bened.* ℥j.
Meliss.
Pœon.
Flor. omn. ana. ʒvj.
Syrup. de Semperviv.
Pœon. ana. ʒiij.
Conf. Alkerm. ʒj.

Ungul. Alc. ppt.
Diaph. ♃vial.
Cinnab. ♁n. corr. ana. ℈j.
Tinct. Cast. cum Spir. Sal. arm. par. ℨß.

M. d. ad Vitr. Exhibeatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Flor. Til.* ℥j.
Calendul.
Matricar. ana. ℨvj.
Syrup. Capill. ♀r. ℥ß.
Essent. Succin. ℈j.
Castor. ℈ß.
Liqu. C. C. succ. ℈j.
Bezoard. min. ℨß.

M. d. ad Vitr. Sumatur per cochlearia frequenter.

Quandoque sola *Aqua Menthæ, Meliss. Matricar. Cinnamom.* vel *Ros solis*, similisque *Liquor spirituosus*, si ad manus est, exhibitus promptè Ægros reficit. Extus etiam naribus *spirituosa* admoveantur, Ægro admodum grata, velut *Aqu. Regin. Hungar.* similesque *Liquores antapoplectici*, quorum etiam pars calefacta, linteisque excepta regioni Cordis frequenter applicetur. Si malum pertinax sit, etiam euporistum *Clysma* ex *Urinâ* solâ, vel *Jusculo*, cum *Oleo* & *Sale* statim injiciatur. Interea Æger quoque erigatur, & quantum fieri potest ipsemet sese moveat, aut ab alio commoveatur. Si Æger sæpius ejusmodi paroxysmis affligatur, tum ad manus habere debet vel *Sal volatile* quoddam *oleosum*, aut *Liquorem C. C. succinatum*; nec non *Aquam Cinnamom. Borrag. Flor. Til.* & *Acaciarum*. Vel etiam *Elæosaccharum* aliquod cum *Oleo destill. Rorismarini, Salviæ, Lavendul. Cinnamom. Amarac.* ac *Saccharo* paratum de quo statim lambere aliquid potest, aut cum *Mixturis* illis permiscere. *Sperma Ceti* quoque *recens* statim *in Jusculo solutum* ac propinatum promptè Ægros juvat.

Extra Paroxysmum autem ad futuros mali accessus præcavendos, ipsumque adeo morbum penitus eradicandum ante omnia necesse est primas eluere vias, acidumque spasmodicum inibi hospitans prorsus eliminare; quod quidem *Vomitorio* tentabitur in illis, qui & ad vomendum faciles sunt, & saburram tenacem cruditatum in ventriculo tenent. In aliis autem præscribentur *Pilulæ purgantes* ex *Massâ Pilular. cathol. Panchymagog. Aloephanginar. è Succin. Cratonis* &c. cum *Mercurio dulci*, vel *Cinnab. nativ.* aut ♁*n.* & *Oleo stillatit. Rorismar. Succin. Amarac.* &c. Purgato autem corpore in usum trahatur *Sal volat. oleos. Sylv.* vel *Spirit. C. C. volatil.* cum *Tinctur. Castor. Essent. succin. Betonic. Tinctur.* ♁*n.* &c. in vehiculo *Aquar. destillatar.* convenientium. Post cœnam quoque aliquandiu *Aqua vitæ Matthioli*, aut *Ros Solis, Aqua Cinnamom.* vel *Decoctum Coffée* concedatur. Sed & *Pulvis stomachicus Timæi à Guldenklée*, ad curandum præcavendumque hunc Affectum quàm optimus est.

℞. *Semin. Coriandr. ppt.* ℨvj.
Pæon. ℨiß.
Cinnamom. elect.

Macis,

Macis, Caryophyll. ana. ℈j.
Corall. rubr. ppt. ʒj.
Ol. ſtillat. Carv. gutt. x.
Nuciſt. gutt. viij.
Rotul. Man. Chriſt. plat. ℥iiß.
M. F. Tragema ſtomachicum, de quo ſubinde, vel ante, vel poſt paſtum ſumi poterit ʒj. *ad* ʒij.

Si quis porrò *Oleis carminativis* & *aromaticis* Abdomen ſæpè inungere, vel etiam frictionibus, ſcarificationibus ſimilibusque uti velit, ei facilè talia permitti poſſunt, ſi non præciſè juvantia, ſaltem minimè nocentia.

Diæta verò inprimis heic eſt commendanda, victusque ratio ita inſtituenda, quò nec ventriculus multum obruatur, & in Chylificationis negotio impediatur, nec flatibus, acidisque cruditatibus anſa præbeatur. Decubitus ad latera magis in ſomno fiat, quàm ſupinè. Ab Irâ, Triſtitiâ, atque Terrore Æger inprimis præſervetur. Pro potu ordinario Infantibus concedatur *Decoctum radic. Scorzon. Liquir. Pœon. Gramin.* cum *C. C. raſp.* Adulti verò bibent Vinum bonum modicè.

EPILEPSIA, Ἐπιληψία, ab ἐπὶ ac λαμβάνω, *capio, invado, prehendo*, aliâs latinè *Morbus caducus, comitialis, herculeus, ſacer, lunaris, ſonticus*, eſt ſubitanea motûs voluntarii ſ. animalis, plerunque cum ſenſuum ablatione conjuncta, depravatio, quâ membra nunc pleraque totius corporis, nunc hæc aut illa tantùm præternaturali contractivo ac violento motu ultrò citroque agitantur, & ſubinde etiam ſtridore dentium, ſpumâ oris, ejulatione, aliisque ſymptomatibus corpus hominis affecti torquetur.

Pars affecta proin eſt Cerebrum, cum nervis & muſculis membrorum & Artuum corporis. Cùm autem nunc plures, nunc pauciores ejus muſculi convellantur, variaque ſymptomata in hoc Morbo miſeros excrucient, hinc diverſæ ſpecies Epilepſiæ exoriuntur. *Pars affecta.*

Etenim 1. Epilepſia vel eſt *idiopathica*, quando ejus focus eſt in cerebro ipſo, ubi homines ſubitò utplurimum ſine præcedaneis qualibuscunque indiciis concidunt, dum videl. paroxysmus inſtat. Vel eſt *ſympathica*, quando focus morbi in aliis extra Cerebrum partibus hæret, unde per nervorum continuationem ipſum tandem Cerebrum in conſenſum trahitur; atque heic Æger ante paroxysmum moleſtiam quandam in hâc aut illâ corporis parte perſentit. Ita enim focus nunc eſt in Hypochondriis, nunc in Utero, nunc in Omento, Hepate, Liene, Ventriculo, nunc etiam in parte quadam externâ, digito v. g. Pedis, aut Manûs, unde tempore erupturi paroxysmi aura quaſi frigida emergens ſecundùm nervorum tractum ſenſibiliter in Cerebrum aſſurgit, quô cum pervenit, Epilepſia cum ſenſuum ablatione ſtatim in membra artusque erumpit. *Differentia. Idiopathica. Sympathica.*

2. Epilepſia vel eſt *univerſalis*, in quâ totum corpus, ejusque membra reciprocis motibus convulſivis, *Univerſalis.*

ultrò citroque agitantur, simulque sensus omnis aboletur. Vel est *particularis*, in quâ hoc aut illud tantùm membrum affligitur, Cerebro sæpius parum vel nihil affecto, sensuque & ratione manentibus integris: ita interdum pes unus vel uterque simul, interdum crura unius tantùm lateris; interdum musculi hi aut illi peculiariter commoventur.

particularis.

3. Epilepsia ratione ætatis nunc est *Puerorum* & *Infantum* quæ sanabilior, nunc *Adultorum*, quæ pertinacior.

Puerorum & Adultorum.

4. Symptomatum quoque ratione Epilepsia alia est *fortior*, *vehementior*, alia *mitior*, *benignior*; cum vel sine ejulatu, aut sensuum ablatione.

fortior. mitior.

Causa proxima est Spirituum animalium inordinatus atque vehemens in nervos horum illorumque musculorum corporis impulsus, quo nunc hi nunc illi fortiter contracti spasmodicam illam membrorum calcitrationem, contractionem, motus depravatos, aliasque actiones præternaturales committunt. Phlogosin appellant nonnulli, sive effervescentitiam quandam spirituum cum impetu in nervos irruentium, aut in iisdem tumultuantium.

Causa

Causa *antecedens* varia admodum existit, vixque perscrutabilis; plerunque verò est fermentum aliquod, sive liquor spasmodicus viscidus in qualicunque demum corporis parte hærens, elasticas acres volatiles moleculas in sese abscondens, qui subinde nactâ occasione exagitatus, sicque spiculis suis undiquaque propulsis nervosas fibrillas pungit, vellicat, ac ita simul hospitantes in illis spiritus animales admodum mobiles ad impetuosum motum suscitat, unde spasmodica nervorum, tendinum, musculorum, atque ab his flecti solitorum membrorum crispatoria, spasmodica sive convulsivia agitatio subsequitur. Ad fermentum autem illud spasmodicum contribuunt cruditates primarum viarum acido-austeræ, vitriolicæ, viscidæ, sed spirituosæ tamen, & levi occasione effervescibiles, præprimis apud Infantes, quibus hinc tormina contingunt sæpius epileptica. Dentitio proin difficilis, aliique dolores iisdem talem Affectum conciliare possunt. Accusant heic bilem retorridam, succum pancreaticum austero-corrosivum, mucum intestinorum haud absimilis naturæ, morbos item varios, prout sunt Febres malignæ, obstructiones, Lumbrici, Cerebri concussiones, Apoplexiæ, Vertigo, Colica.

E *procatarcticis* causis huc contribuunt frequens Crapula, Ira, quotidiana & vehemens, apud hystericas præprimis fœminas; Ven⁹ nimia, Tristitia profunda ac diuturna; Terror inopinatus, inprimis ex visu hominis epileptici in paroxysmo existentis inopinato; terrificatio frequens Infantum: usus ciborum acido-austerorum, Hæmorrhoides ac Menses retenti, plurimaque alia.

Quòd *Diagnosin* spectat, affligunt paroxysmi epileptici Hominem incertis periodis, ita ut præsentiant aliqui imminentem vel advenientem paroxysmum, alii verò nihil præsentien-

ſentientes ſubitò corruant, morbo prehenſi. Univerſalis Epilepſia ſenſum motumque ſtatim voluntarium abripit; jacent vel còrruunt homines plerunq; ſubitò, oculos claudunt ſubinde, aperiunt iterum ac intorquent, ut nil niſi album cernas: ſubinde præcedit aliquantillus horror membra pervadens, cum frequenti oſcitatione, anguſtantur præcordia, ſtringuntur glandulæ palati, atque gulæ, plus muci ſalivæque effluit, ut vix Ægri ſciant deglutire, minùs exſpuere. Os firmiſſimè clauditur, dentes fortiter committuntur, ut maxillam diducere neſcias; quandoque Lingua ſpasmodicè exeritur, ut metuendum, ne à dentibus mordeatur, vel auferatur ejus portio. ſpuma non raró ex ore prodit; corpus dextrorſum, ſiniſtrorſum commovetur; artus tam ſuperiores, quàm inferiores fortiter concutiuntur; interim tenſi admodum, in articulis flecti nequeunt. Sunt & qui inſtar catulorum latrantium ejulant. Atque hi impetus ſpasmodici per quadrantem vel ſemiquadrantem horæ, nonunquam etiam diutius longè protrahuntur, novisque ſæpè inſultibus repetuntur. Finito paroxysmo, in ſomnum tantillum incidunt Ægri propter diſſipationem, vel ligationem ſpirituum; unde expergefacti de laſſitudine quandoque & dolore conqueruntur. Vidimus etiam qui in mille figuras corpus intorquebant, nec omni ſenſu privati erant, quique maniacorum inſtar adſtantes ictibus ex abrupto petebant, latibula quærebant, in altum ſe ſubitò projiciebant, inque hoc miſerando ſtatu per unum vel alterum diem manebant, donec bile, à cujus effuſione, excandescentiâ & acrimoniâ convulſiones epilepticæ proveniebant, probè expurgatâ penitus ad ſe redirent. Apud Infantes ſatis frequens eſt hic Morbus, in quibus nunc artus magis, nunc muſculi Capitis, Linguæ, Pectoris, aut Pulmonum plus criſpantur.

Epilepſia *particularis* unum tantùm vel alterum membrum, brachium, pedem, caput &c. affligit. Vidimus Puellam decem annos natam, cui per periodos incertas omnes ſiniſtri lateris partes convulſivis motibus quadrantis horæ plus minus ſpatio agitabantur, non excepto oculo ſiniſtro muſculisque faciei ejusdem lateris. Vidimus etiam Virum triginta ætatis annos egreſſum, ſcorbuticâ ſanguinis intemperie præditum, cui ferè quotidie brachium, duntaxat dextrum, rarius pes dexter hâc ratione convellebatur. Atque ejusmodi particularis Epilepſia ſenſum & rationem hominis non tollit, quin potius ſpasmodicè tales motus atque intorſiones membri unius vel alterius, eidem dolorem inſignem conciliant, de quo proin ſuis valdè conqueruntur Medicis.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, Infantum Epilepſia, niſi vehemens admodum fuerit, ac ſine intermiſſione duret, aut nervos pneumonicos affixerit, ſanabilis adhuc eſt: Adultorum verò, quique annum ætatis vigeſimum egreſſi

ſunt,

ſunt, vix ac ne vix quidem ſanabis, præſertim ſi Æger ſit cholericus, aut hypochondriacus, aut perſona hyſterica. Interim nunc citius, nunc tardius poſt aliquos dies, menſes aut hebdomadas recurrunt paroxysmi; iique nunc fortius hominem inprimis cholericum, nunc remiſſius affligunt. Tandem Morbus in Apoplexiam, vel Catarrhum ſuffocativum, vel etiam Hydropem Thoracis mutatur, niſi Febris quædam maligna interveniens hominem è medio tollát. Interim per plurimos annos, etiam ad Senectutem u que Affectus durare, ac in aliquibus membra diſtorta, in aliis fatuitatem & ratiocinationis, loquelæ etiam læſionem producere valet. Puellarum nondum menſtruatarum Epilepſia non raro per ſe ceſſat, quando menſes probè fluere incipiunt & pergunt.

Curatio. In *Curatione* graviſſimi hujus Affectûs inquirendum ante omnia eſt, utrum ille fuerit hæreditarius, vel adventitius? hicque iterum vel ab Animi paſſionibus, vel à malâ victûs ratione, vel à Lumbricis originem ducat?

In paroxysmo. In Paroxysmo epileptico Adultorum, quacunque de cauſâ orto, *Spiritus volatiles C. C. Viperar. Lumbric. terreſtr. Urinæ, Salis armon. Liquor. C. C. ſuccin.* aliique naribus applicandi: qui & iidem *Liquores ſpirituoſi Aquis cephalicis Majoranæ, Meliſſ. Salv. Origan. Calaminth. Ocym.* &c. diluti temporibus atque vertici admoventur: vel alia etiam remedia externa Spiritûs animales à turbulento motu revocantia, qualia quidem ſuprà in curatione Apoplexiæ fuſius deſcripſimus, in uſum trahenda. Imò & *Clyſteres* quoque *acres*, ex *decocto Plantarum cephalicarum*, *Rutæ* inprimis, *Rorismarini*, ac *Viſci quercini* vel *tiliacei*, *Florumque Chamomill. Pœon. Calendul.* cum *Oleo roſac. Melle*, ac *Sale rutaceo* inſpergantur. Tandem & *Balſama anodyno-epileptica*, v. g. *rutaceum*, *Succini*, *Rorismarini*, *Majoranæ*, *Chamomill.* cum *Oleo Caſtorei* & *Hyoſcyam.* vel ipſo quoque *Opio* nuchæ ac temporibus inungi poſſunt.

Finito Paroxysmo ſtatim *Mixturæ antepileptica* per cochlearia ſumantur: v. g.

℞. *Aqu. Hirundin.*
Flor. Calcatripp.
Til. ana. ℥j.
Syrup. Pœon. ʒvj.
Liqu. C. C. ſuccin. ℈ij.
Terr. ſigillat.
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. nativ. vel ♂ *n. ana.* ℈j.
M. ad Vitr. Vel

℞. *Aqu. Semperviv.*
Flor. Lil. convall.
Pœon. ana. ℥j.
Flor. omn.
Syrup. Rub. id. ana. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ʒß.
Liqu. C. C. ſuccin. ℈j.
Dent. Apr. ppt.
Ebor. ppt.
Bezoard. min. ana. gr. 12.
Cinnab. nat. ℈ß.
Sacch. roſ. tabul. ʒij.
Eſſent. Opii liquid. gutt. ix.
M. ad Vitr.

Infan-

Infantibus ſemeſtribus hoc morbo afflictis propinare poteris ſeqq.

℞. *Aqu. Plantag.*
Flor. Til. ana. ℥iß.
omnium.
Syrup. Pœon. ana. ℥ß.
anod. ʒj.
Confect. Alk. inc. ʒß.
Liqu. C. C. ſuccin. vel
Tinct. Caſtor. cum Spirit. Sal. arm. par. ℈j.
Ungul. Alc. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cinnab. ♄ *n. opt. ana.* ℈ß.
Sacch. roſ. tab. ʒiß.

M. ad Vitr. detur per cochlearia frequenter. Abſorbentes hinc *pulveres* quoque per aliquot dies m. ac v. exhibeantur ex *Bolo armenate*, *Terrâ ſigillat. Ocul.* ♋. *ppt.* ♄ *n. diaph. Unic. foſſil. Corall. rubr. ppt. Ungul. Alc. ppt.* ſimilibusque. Vertici capitis, ac naribus inungi poſſunt *Balſama Rutæ*, *Succini*, *Caſtor. Naribus* quoque vel *Ruta recens*, vel *Liquores* ſupra dicti *ſpirituoſi* admoveantur. Præſervationis autem ergo *Pueris* quidem *Trochiſci hermetici* juſtâ doſi præſcribantur ſubinde; nimirum tres Infanti bimulo, quatuor trimulo. *Adultis* verò conveniunt *Pilulæ purgantes* cum *Mercurio dulci*, quandoque exhibitæ. Tandem poſt aliquot dies per longum ſat tempus *Pulveres epileptici* ſuadeantur, m ac v. in vehiculo debito ſumendi. Ubi Infantibus quidem *Pulvis Marchion.* vel ſimilis alius cum *Succino*, *Oculis* ♋. *ppt. Corall. alb. ppt. Semin. Pœon. Viſco querno* & *Sacch. cand. albo* in *Pulmentis* datur. Omnibus verò tam Adultis, quàm Pueris ſequentes conducunt.

℞. *Rad. Pœon. mar.*
Semin. Pœon.
Diaph. ♃ *vial. ana.* ℥ß.
Cran. human. ppt.
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. nativ. vel antimon. ana. ʒij.
Corallor. rubr. ppt.
Succin. alb. ppt.
Sanguin. Dracon. ver. ana. ʒiß.
Eſſent. Opii Langel. ℈ß.
Ol. Nuciſt. expreſſ. gr. xij.
Sacch. optim. ℥iß.

M. F. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul. Doſis ʒß. *ad* ℈ij.

Vel ℞. *Radic. Valerian.*
Doronic.
Pentaphyll.
Viſci corylin. vel querc. aa. ℥ß.
Bol. armen. ppt.
♄ *nii diaph. vel ejusdem crudi.*
Ebor. ppt.
Hepat. Ranar. ppt. vel
Secundin. humanæ ppt. aa. ʒij.
Caſtorei ppt. ʒj.
Laudan. opiat. gr. xij.
Sacch. optim. ℥ij.

M. F. Pulv. ſubtil. d. ad Scatul. Doſis ut ſupra.

Noctu cubitum ituri capiant de hoc condito magnitudinem Nuciſtæ.

℞. *Conſerv. Meliſſ.*
Betonic. ana. ʒvj.
Semperviv. ℥ß.
Radic. Satyrion. cond. ʒiß.
Diaph. ♃ *vial.* ʒij.
Cinnab. ♀ *n. opt.* ʒj.

 C. C.

C. C. phil. ppt.
Magister. Lun. ana. ℈ij.
Confect. Alc. compl. ʒj.
Syrup. Papav. errat. q. s.
F. Mixtura molliuscula d. ad Ol.

In Cholericis & Hypochondriacis prodest usus *Acidularum*, item *Ens ♀ris*, vel *Tinctura ♀ris Lunatica Helvetii*; item *Tinctura ♂tis* cum *Succo Citri* vel *Acetosellæ* parata juxta descriptionem in nostro Theatro Botanico exhibitam. In omnibus conveniunt *Tinctura ♁nii*, cum *Essent. Croc. Succin. Castor. Trifol. fibrin.* &c. Subinde in pituitosis subjectis prodesse magis videbis *Spiritum Sanguinis humani*, vel *Secundinæ humanæ*, nec non *Tincturam Castorei* cum *Spiritu Cochleariæ*, *Trifolii fibrini*, vel *Salis armoniaci urinos.* paratam, ad gutt. 12. vel 15. man. ac v. Quibus adde *Lumbricos terrestr. ppt. Ægagropilam ppt.* specificaque alia superius laudata.

Aliquando Morbi fomes hæret in certâ aliquâ parte corporis extremâ, cui tum *Moxa* vel aliud etiam *Cauterium actuale* ad extirpandas Affectûs radices applicari poterit.

Si à malâ diætâ, à pituitâ tenaci & acri palati, vel cruditatibus ventriculi nidorosis, biliosis, acidis, viscidis &c. morbus originem ducat, tum Æger subinde leni haustu remedio vomat; deinceps roborato iterum per *Tragema stomachicum* Ventriculo. Sequens etiam *Vinum medicatum* purgans usurpetur.

℞. *Radic. Pœon. Valerian. Bryon.*
Aristol. rot. ver. ana. ℥ß.
Visc. quern.
Rasur. Lign. Sassaphr. ana. ʒiß.
Herb. Fumar.
Chamædr.
Flor. Centaur. min.
Paralys. ana. Mj.
Semin. Aquileg.
Fœnicul. ana. ʒij.
Fol. Senæ mund.
Epith. ana. ℥j.
Agar. trochisc. ℥ß.
Cortic. Winteran.
Zingiber.
Salis Rutæ, ana. ʒj.
Croci ℈j.
Incisa & contusa d. ad sacculum ex Sindone rubr. Affund. Vini alb. veteris, & Aqu. fontan. ana. ℔iiiß. *Singulis dein matutinis hauriatur Cyathus unciarum quatuor.*

Prosunt subinde *Juscula Herbis nasturcinis*, item *Sempervivo*, *Valerianâ*, *Pimpinellâ*, *Majoran. Ocymo*, *Floribus Pœon.* & similibus alterata.

Venæsectiones, *Scarificationes*, *Frictiones* in Plethoricis subjectis quandoque institutæ non parum quoque conducunt.

Amuletorum præservativorum loco de collo suspendi solent *Lapis Chelidonius* corio cervino insutus; vel *Chrysolitus*, *Jaspis*, *Smaragdus*, *Corallia*, *Testiculi Vulpis maris fœtentes*, *Castoreumque in Fœminis hystericis*; *Ungula Alcis*; *Succinum in globulos coactum*; *Lapis Ætites*; *Radices Pyrethri*, *Valerianæ*, *Caryophyllatæ*, *Viscus quern. tiliaceus*, aut *corylinus*; *Corium Asini* pro mare, *Asinæ* autem pro fœminâ circa umbilicum ligandũ;

Pro

Pro secreto nonnulli habent seqq. *Emplastrum.*

℞. *Visci quern. vel alius* ℥ij.
Succin. alb.
Thuris.
Mastich.
Ladan. ana. ℥iß.
Semin. Pœon. ℥ß.
Hyoscyam. ℈ij.
Galbani.
Opopanac. ana. ℈j.
Ambr. grys. ⎤ *spirit. Rosar. so-*
Moschi orient. ⎦ *lutor. aa. gr.* iij.
Olei Nucis mosch. expr. parum.

Misce probè, consperge tantillo pulvere Cubebarum, & postea, si probè calefactum vel solutum sit, extendatur super alutam, & semper gestetur in Nuchâ, singulis triduis renovando.

Si denique corpus *Vermibus* scateat, sæpissimè *anthelmintica* usurpentur, quemadmodum sub titulo de *Lumbricis* demonstratur.

In *Diætâ* nocent Aër crassus, nebulosus; Cibi duri, dyspepti, austeri, acidi, crudi; Potûs acido sulphurei; Crapula frequens, Ira, Terror, Mœstitia; Venus immodica. Balnea biliosis contrariantur, sed pituitosis conducunt. Venæsectiones in Plethoricis administrandæ, in aliis nihil juvant. Fonticulus unus & alter incidatur, vel aliter suscitetur in Brachio aut Pede.

Denique addendum, quòd in duobus subjectis observaverimus Epilepsiam ablatam, nec amplius postea reversam, per Salivationem cum Mercurio probè institutam, atque debito cum regimine diætæ absolutam.

EPINYCTIDES, f. PVSTVLÆ NOCTVRNÆ, die Nachtblattern/ sunt tubercula vesiculosa, nunc subalbida, nunc livida aut nigricantia, cum insigni ardore ac dolore gregatim noctu inprimis in cute efflorescentia, fabam amplitudine vix excedentia, è quibus postea vel sanies cruenta, vel serum acre limpidius, quandoque etiam nullus ferè ichor effluit. *Epinyctides.*

Locus affectus sunt Glandulæ miliares cutis, à subitò in illis stagnante & tantillum cumulato humore salso-seroso intumefactæ; vel potiùs Glandularum earundem tubuli excretorii in extremitatibus suis, quibus cuticulæ adnascuntur, constricti, ac ab intus latente humore in Pustulas expansi. *Pars affecta.*

Modus enim generationis talium Pustularũ melius explicari vix potest, quàm dicendo, quòd è glandulis cutis miliaribus in excretorios tubulos humor extillet salso-acris, plus minus corrosivꝰ aut vitriolicus, qui valvulas in extremitate tubulorum sitas subitò penè constringat; illis verò sic constrictis, hincque transpiratione, aut transsudatione impeditâ, necessariò propter continuatam interea ulteriorem in Glandulis dictis secretionem humor inibi stagnare, tubulos expandere, atque sic in cuticulâ Pustulas excitare debet. Pustulæ verò hæ *gregariæ* sunt hinc inde in Cute, dum plures simul tubuli excretorii sibi invicem propinqui in suis extremitatibꝰ constrictis intumescunt. *Albidæ* evadunt, quando salinæ humoris stagnantis particulæ non adeo cor- *Causa.*

rosivæ & vitriolicæ existunt, unde & tales simul Pustulæ mitiorem pariunt dolorem. *Lividæ* autem vel *nigræ* fiunt, ardentemque dolorem producunt, quando stagnantes illæ particulæ, magis acres & corrosivæ, simul cum pinguibus vel oleosis plus minus copiosè permixtæ, exulcerationem quandam leviculam excitant, & ex erosis tubulis sanguineis particulas quoque cruoris alliciunt. Noctu verò magis quàm interdiu pustulæ erumpunt, quoniam eo tempore glandulæ subcutaneæ minus ab ambiente aëre nonnihil frigido constrictæ, humoris in massâ sanguineâ delitescentis moleculas copiosius transmittunt. Antecedens causa talis Affectûs non est nisi quantitas ejusmodi salium acrium, heterogeneorum, in sanguine paulatim ob diætam minus convenientem collectorum, quæ hinc à reliquis sanguineæ massæ moleculis excussæ, quâ commodè apertâ portâ erumpunt, ac ubi exhalare nequeunt, in tubulorum extremitatibus, ipsaque adeo cuticulâ obhærescunt, inque Pustulas, aliave similia Exanthemata mutantur. Dum pro diversitate figuræ, magnitudinis atque mixturæ talium corpusculorum salinorum, nunc hæc nunc alia in cute tubercula enasci ac efflorescere certissimum est.

Diagnosis. Quoad *Diagnosin*, facilè hæc cognoscuntur Tubercula, dum in formâ Vesicularum suâ sponte, noctu utplurimum efflorescunt, & nunc Pustulas repræsentant, quales ab Aquâ fervente excitari solent, nunç verò lividæ, nigricantesque cum majori inflammatione atque dolore evadunt. Fabæ autem magnitudinem gregatim excitatæ hinc inde Vesiculæ exæquant.

In *Prognosi* dicendum, quòd Affectus hic curatu haud difficilis sit, neglectus verò in Scabiem subinde contumacem, aliave Ulcera, eaque interdum serpentia abeat ac mutetur.

In *Curatione* ante omnia purgabitur corpus *Remedio catarthico*, *Mercurium* dulcem simul capiente. Deinceps lenes sudores *absorbentibus* ac *diaphoreticis pulveribus* excitati conveniunt: quem in finem commendantur ♁ *n. diaph. Terr. sigillat. Unicorn. fossil. Ocul.* ♋. *ppt. Ebur. ppt. C. C. phil. ppt.* quorum ʒß. cum *Aquâ Plantag. Cherefol. Nasturt.* & *Card. bened.* commodè aliquoties propinabitur. Hisce etiam pro lubitu nunc *Spiritus theriac. camphoratus*, nunc *Electuar. Diascord.* nunc *Roob Sambuc.* vel *Juniper.* nunc *Theriaca Androm.* ipsa jungi poterunt. *Dolæus* simul commendat *Essent. Fumar. Bellid. min.* cum *Spiritu Vitrioli Martis.* His adde *Decoctum Lign. Sassaphr. Chin. Guajac. Santalin. Scabios. Agrimon. Fumar. Anserin.*

Externè Pustulis inungi potest vel solum *Unguent. album camphoratum*, vel *Oleum Juniperi.* Admiscere consuevi etiam ipsos subinde *Flores Salis armoniac.* aut *Oleum Tartari per deliqu.* Imponi aliâs potest *Emplastrum diapalm.* vel *Album coctum* cum *Camphorâ.* Alii lavant cum *Decocto Lignorum* & *Spirit. Vini camphorat.* vel

Elixiri

Elixiri Propriet. sin. acid. Aquâ calcis vivæ, ac *Decocto Herbarum traumaticarum*. *Oleum* ♀ri *fœtidum* insignem quoque vim habet, cum *Oleo Nucum* permistum, in curandâ hâc affectione.

In *Diætâ* sibi cavendum à potu liquorum spirituosiorum copioso, à victu pleniore, inprimis nimium salitorum, à Laconicis, quæ subinde Affectui ansam præbent.

EPIPHORA seu LIPPITVDO est continua eaque involuntaria Lymphæ modò insipidæ, modò acris & salso-acidæ, per tubulos glandularum lachrymalium, aliosque exstillatio, cum rubore, frequenti pruritu & ardore Oculorum conjuncta, atque originem ducens à tubulorum variorum per humores salsos, & acres factâ erosione, ac dilaceratione.

Afficiuntur heic Palpebræ, & quandoque simul ipsi oculorum bulbi in consensum trahuntur, ac inflammationem quandam patiuntur.

Producitur autem morbus in illis maximè hominibus, qui partim frequenti Ophthalmiâ laborant, partim à malâ diætâ, ac sordido salsoque victu diathesin scorbuticam, salsamque adipiscuntur, unde postmodum lacrymalis Lympha nimis salsa reddita, teneras ophthalmicorum tubulorum fibrillas erodit, exulcerat, sicque fluxum involuntarium atque perpetuum Lachrymarum producit. Fluxus hic pruritum frequentem excitat, si serum depluens acriusculum existit: Inflammationem progignit, si nimis acre & spissum evasit, atque tubulos sanguineos constringendo sanguinis stagnationem instituat. Aliâs verò minus incommodi aut doloris parit, sicubi insipidum magis dulce serum extiterit. Rubent simul oculi, quando salsus humor præterluens continuè ferè extimam cuticulam erodit, & excoriat; unde non potest non textura vasculosa & fibrosa cutis, plena sanguinearum guttularum, rubicundo colore apparere.

Diagnosis. Facilè cognoscitur hic Affectus ex iis, quæ in ipsâ definitione exstant. Sæpè Ægilopem, aut Fistulam lacrymalem, etiam probè curatam, subsequitur: subinde & Rhyadi vel Encanthidi sociatur. Lacrymæ profluunt nunc ardentes & acres, sicque non rarò Inflammationem sive Ophthalmiam post se trahunt. Sæpiùs quoque citra dolorem & inflammationem fluxus iste continuat. Malum alias Senibus familiare, qui vel scorbutici, vel scabiosi plurimum in Aëre hyberno frigidoque versari fuerunt, ac victûs rationem salsam quotidie observare necesse habuerunt. Leprosis etiam sæpius obtingit. Extremitates palpebrarum plerunque valdè rubent, nonnunquam simul invertuntur.

Prognosis. Quoad *Prognosin*, Lippitudinem statim in principio sanare quidem licet, postea verò, cùm radices jam egit, ac inveterata est, difficillimè sanabis, dum extrema tubulorum oscula hoc tempore, quo ipsorum fibrillæ circulares prorsus discissæ & erosæ

erosæ existunt, sanari & cicatrice obduci amplius nequeunt.

Curatio. *Curatio* inchoanda est per ea, quæ serum sanguinis imminuere valent, prout sunt *purgantia Mercurio dulci* sociata. Continuanda dein per alia, quæ acrimoniam seri probè emendant, quemadmodum inter alia sunt *Decocta Lignorum* cum *Semine Fœniculi* in *Aquâ* factâ, nec non *Pulveres absorbentes* ex *Antimonio diaph. Ocul.* ♋. *ppt. C. C. usto, Matr. Perl. ppt. Unicorn. fossil. Succin. alb. ppt. Bezoard. miner. Bol. armen.* &c. parati.

Externè Cucurbitulæ cum scarificatione scapulis & brachiis applicentur: quibus succedent *vesicatoria* nuchæ applic. *Fonticuli* brachiis appositi, vel *Setaceum* in cervice excitatū. Capilli capitis abradantur. *Internè* quoque adhuc *Tragema ophthalmicum* partim ex superioribus *absorbentibus pulveribus*, partim ex *Seminibus carminativ. Nuce moschat. Mac. Santal. rubr.* &c. cum *Sacch. cand. alb.* concinnetur, & diligenter usurpetur. Ipsis oculis *Collyria* possunt calidè applicari, ex *Aqu. Brunell. Flor. Ligust. Levistic. Plantag. Burs. pastor.* &c. facta, quibus etiam permisceantur *Trochisc. alb. Rhasis s. Opio, Corallia rubr.* vel *alb. ppt. Mater Perlar. ppt. Magist. Zinci, Tut. ppt.* Quòd si verò pulverem *Nucum Cupress. Aloës, Thuris, Mastichis, Myrrhæ, Sarcocollæ nutritæ, Sanguinis Draconis, Seminis Sumach.* & similia. Aquis destillatis misceas, tum & hoc licebit Collyrium oculo clauso applicare, sed cavendo, ne quid in bulbum Oculi decidat.

EPULIS, ex ἐπὶ & οὖλον, *Gingiva* compositâ voce, est caruncula mollis, rubicunda, in Gingivis ab admisso copiosiore succo nutritio enata, plerunque indolens, & ex radice dentis alicujus, præcipuè molaris, interdum ad avellanæ nucis magnitudinem excrescens, tenuique pediculo dependens. Quando autem carnea Gingivarum substantia majore sui spatio ac circumferentiâ augetur, ut dentes inde molares magnâ ex parte obtegantur, tum *Dentium superincarnationem* vocavit *Platerus*, alii verò *Gingivarum excrescentiam* nuncupârunt.

Distinguitur hinc à *Parulide*, quòd hæc sit tuberculum inflammatorium, ardente & pulsatorio dolore molestum, *Epulis* autem inflammatoriâ intumescentiâ ac ardore careat. Singulorum verò talium morborum subjectum Gingiva est, pars illa solida, rubicunda, carnea, maxillas extremas, & ex parte Dentes, quibus affigitur, obtegens.

Producitur hinc *Excrescentia* quidem à laxitate nimiâ & præternaturali fibrarum & tubulorum Gingivas componentium, unde succus sanguineo-serosus majori quantitate admissus, Gingivarum texturam emollit, spongiosam reddit, facileque, levi etiam digitorum attactu, cruentat. Laxitatem ipsis Gingivis nimiam conciliare solet intemperies sanguinis seroso-salso-scorbutica, venerea ac leprosa, undecunque demum contracta. *Epulis* verò è tenui utplurimum corrosæ in Parulide

lide Gingivæ radice, ab affluentibus, admiſſisque paulatim & coagulatis copioſioribus ſucci nutritii particulis, enaſcitur. Unde Parulidis ferè ſolet eſſe pediſſequa, usque adeo ut *Dolæus* & quidam alii *Epulidem* à *Parulide* haud diſtinguant, ſed unum eundemque Affectum eſſe ſibi perperam imaginentur.

Cognoſcitur facilè excreſcentia carnoſa ex eo, quando caro majorem Gingivarum partem occupat luxurians, ac dentes plerunque molares obtegens; quando itidem ipſa digitis leviter preſſa facilè ſanguinem fundit, ac ſimul tamen indolens exiſtit. Præcedit dein aut comitatur hoc malum cacochymia ſalſo-ſcorbutica, venerea, aut leproſa. *Epulis* verò eſt caruncula tantùm, è tenui radice pendens, rubicunda, mollis, indolens, in viciniâ Dentis alicujus præcipuè molaris enaſcens.

In *Prognoſi* ſciendum, Excreſcentiam poſt ſe Dentium vacillationem atque caſum, niſi ſtudioſè præcaveamus, trahere poſſe; *Epulidem* verò haud difficulter extirpari vel auferri ſolere, ſed ſæpè tamen recurrere, usque dum radix ejus penitus destructa fuerit.

In *Curatione* Excreſcentiæ vitioſæ ac præternatur. Sanguinis intemperies corrigenda venit *internis* maximè remediis, Scorbutum, veneream Luem, aut Lepram deſtruentibus, ſicuti ſuis indigitavimus locis. *Externè* verò Gingivæ extergendæ primùm, deinceps verò conſolidandæ vel firmandæ ſunt *Decocto Radicum Ariſtoloch. long. Angelic. Caryophyllat. Cichor. Calam. arom. Gentian. major. Herbar. Rutæ, Alliariæ, Verbenæ, Salviæ, Myrti, Cardui bened. Succiſæ, Brunell. Plantag. Virgæ aureæ, Scordii, Meliſſ. Cochlear. Trifol. fibrin. Abſynth. Abroton. Centaur. minor. Pimpinell. Ulmar. Eupator. Geran. robert. Florum Balauſt. Malvæ hortens. Liguſtri, Seminum Cochlear. Naſturt. Myrrh. Maſtich.* Quæ in *Vino rubro* coqui, atque poſt colaturam cum *Melle* adhuc *roſaceo*, *Eſſentiâ Myrrh. & Aloës*, *Pulvereque Rubricæ fabrilis* permiſceri poſſunt. Sunt qui *Spiritum Cochlear. Sal prunellæ*, vel *Alumen* decocto permiſcent, atque Gingivas hinc bis vel ter quotidie calidè affricant, ſanguinem vel ſerum copioſius exprimunt, ac denique *Melle roſaceo* vel *rutaceo*, cui immiſta ſunt *Pulvis Rubricæ fabrilis, Myrrhæ, Maſtichis, Tinctura Laccæ flor. Spiritus Cochlear. Eſſent. Catechu*, diligenter inungunt; ſicque continuant, donec Gingivæ ſuæ integritati ſint reſtitutæ.

Epulis ſi tenuem habuerit radicem, filo ſericeo cerâ obducto, conſtringitur, & hinc vel ſponte decidere permittitur, vel forfice reſcinditur, ac radix poſtea vel *Spiritu Vitrioli* aut *Sulphuris*, vel *Butyro Antimon.* ſemel aut bis tangitur, osque ſtatim *Aquâ tepidâ Plantaginis, Burſæ paſtoris, Scabioſ. Card. Mar. Flor. Liguſtr. Brunell.* aut *Succiſ.* eluitur. Tandem verò *Decocto Gallar. Nucum cupreſſ. Flor. Balauſt. Folior. Myrt.* ac *Salviæ*,

Salviæ, cum *Vino* facto pars sæpius eluitur. Intus interea corpus Vino medicato alterante & purgante evacuabitur, atque Cucurbitulæ cum scarificatione dorso applicabuntur, & sic regeneratio Epulidis præcavebitur.

Erysipelas. ERYSIPELAS, IGNIS SACER aut PERSICVS est insignis rubor cutis, cum maximo ardore, & aliquali tensivo tumore, subinde etiam pustulis ac maculis latis atque dispersis, partem aliquam occupans, & ephemeræ Febri plerunque succedens. Nomen obtinuit παρὰ τὸ ἐρύεσθαι τὸ αἷμα ἐπὶ τὸ πέλας, *ab attrahendo sanguine in vicinum*, unde etiam *Vicinitraha* & *Vicinirubia* à quibusdam vocatur.

Pars affecta. *Afficitur* in hoc morbo nunc hujus, nunc alterius pedis vel brachii cutis: imò & facies quandoque eodem malo affligitur.

Causa. *Causa* verò *proxima* mali est seri admodum acris, & salso-acidi sulphurei subitanea velut in tubulis cutaneis stagnatio, quandocunque heterogeneæ tales particulæ, post excitatam priùs in massâ sanguineâ turbam, sub circulationis actu tandem in extremitatibus vasculorum cutaneorum (ubi nimirum pori minus patuli existunt, quàm ut transire queant) obhærent, & obhærescendo propter subsequentes plures alias moleculas cumulantur, quæ deinceps in pluribus simul tubulis stagnantes distensionem, simulque vasculorum sanguineorum pressionem instituunt, à quâ postea levis tu mor ac rubor inflammatorius exor tur. Cùm verò ipsæ stagnantes par ticulæ in velocissimo motu intestino globulos humorum ad se invicem continuè allidente atque affricante existunt, tum in parte affectâ simu ardor instar ignis urentis producitu Si Pustulæ apparent, signum e lymphaticas in extremitatibus tu bulorum cutis excretoriorum parti culas subsistere, ac epidermidem i Vesicularum formam elevare. Sali verò illa obstructiones tubulorum pa rientia determinatæ cujusdam figu ræ atque texturæ existere debent aliâs non hunc sed alium fortè mor bum producent. Adscribunt hodi communiter illis salibus figuram ob longam, acutam, dicuntque esse na turæ acidæ; sed talia tamen esse vi dentur acida, quæ cum particuli pluribus salino-alcalibus, non secu atque aquosis & sulphureis sociata tale concretum reddunt, quod ratione aculeorum vel spiculorum in sui particulis longiorum minus aptum existit, ut per omnes cutis tubulos transeat.

Tumor affectæ partis non tantu evadit, quàm in Inflammatione, quoniam in Erysipelate tubuli solùm minores affliguntur, ac materia stagnans non adeo copiosè adfertur, dum plurimæ circulantis sanguinis particulæ facilem in cursu suo transitum per laterales tubulos inveniunt, retro manentibus tantùm particulis salsis, & admodum irregulari figurâ præditis, quarum spicula proin subinde

nde in fibrillas tubulorum laterales ita fortiter adiguntur, ut easdem discindendo vel rumpendo exulcerationem producant. Deinceps verò ad hunc Affectum contribuunt difficilis menstruorum aut hæmorrhoidum fluxus; subitanea corporis æstuantis in frigidum aërem expositio; æther peregrinus derepente sive per poros cutaneos, sive per poros pneumonicos sanguinis massam subiens, ejus crasin naturalem turbans, ac Febrim plus minus ephemeram producens; victus crassus, ciborum inprimis salso-crudorum; contusio, vulnera, calor ignis, terror, ira, &c. à quibus singulis causis Lympha peculiari modo figurata, in tubulis cutaneis detineri, ac velut incarcerari potest.

Erysipelas plerunque incipit cum horripilatione febrili, oriundâ à particulis acido-alcalinis rigidis, fibras panniculi carnosi irritantibus. Jungitur sæpè statim, vel sequitur cephalalgia, febrilis ardor, sitis, anorexia; brevi dein vel brachium, vel pes alteruter per totum ferè sui tractum inter articulos splendente rubore suffunditur, citra magnum tumorem, sed cum tensivo, plus minus ardente, pungente ac pruriente dolore; hinc ab Inflammatione distinguitur, in quâ & tumor major, & rubedo saturatior, & dolor magis pulsatorius existit. Quando locus erysipelatosus simul plurimis pustulis aquosis conspergitur, Erysipelas *pustulosum* vocatur. Reperitur etiam Erysipelas *volaticum*, quod citò priorem deserit locum, & subitò aliâ in parte noviter exurgit. Sed tum sæpè non adeo magnum & amplum est, thalerique imperialis magnitudinem haud multum superat.

Prognosis. Quoad *Prognosin*, Erysipelas per se & communiter lethale non est; perversâ tamen repellentium impositione tale reddi, atque Gangrænam, Sphacelumque post se trahere potest. Interdum rebelle, ac pertinax evadit, quando turbatio sanguinis major, ejusque textura acrior existit. Sunt, qui ob peculiarem massæ humoralis dispositionem frequenter etiam huic Affectui obnoxii redduntur, adeoque recidivas & plures & faciles patiuntur. Aliquando in Ulcus, ac Fistulam quoque mutatur. Difficilius curatur, si ossium denudationi; periculosius, si Vulneribus supervenit, si suppuratur, si in Capite, Hepate, Utero, aliisque partibus internis oboritur. Quoad modum eventûs, dicimus, ad salutem plerunque fieri, idque per insensilem transpirationem; ubi tamen superveniente aliquali pruritu, cuticula exesa in squamas fatiscit, succrescente, cum naturali colore, novâ Epidermide. Non rarò etiam transpiratione mordicus præpeditâ materia per metastasin ad interiora pellitur, funestasque in partibus internis Inflammationes parit.

Curatio. In *Curatione* indicatio potissima est, ut constrictio & infarctus tubulorum cutaneorum per diaphoresin laxetur ac discutiatur, sanguinisque acrimonia subtilis simul invertatur, vel edulcoretur. In principio igitur

ſtatim *Venæ ſectio* adminiſtretur, deinceps vel *Clyſmate emolliente*, vel exhibitione *Syrupi Roſar. ſolut. ſimplic.* Inteſtina eluantur leniter, ac porrò ſemper uſui *remediorum diaphoreticorum* inſiſtatur, *fixorum* magis quàm *volatilium*; quibus *aciduli* quoque *Julepi* non rarò intercalentur; quem in finem commendamius *Terram Lemniam* vel *ſigillatam*, *C. C. uſt. ppt. Unicornu foſſil.* ♁*n. diaphoret. Bezoard. mineral. Roob Sambuc.* vel *Juniper. Diaſcord. Fracaſt. Theriac. Andromach. Mithridat. Damocr. Cinnab. nativ.* vel ♁*n. optim.* Pro vehiculo uſurpentur *Aquæ deſtill. Scabioſ. Plantag. Succiſ. Ulmar. Card. bened. Fumar. Syrup. Rub. id. è Succ. Limon. Citr. Ribium*, &c. Si tamen diaphoreſis difficilior evadat, etiam *volatilia alcalia* intermiſcere neceſſe eſt, qualia ſunt v. g. *Spirit. Salis armon. urinoſ. C. C. purific. Spiritus Flor.* aut *baccar. Sambuc. camphoratus* ad plures guttas. *Mixtura* quoque *ſimplex* ad ℈ij. vel ʒj. pro doſi cum vehiculo ſemel vel bis exhibita diaphoreſin feliciſſimè promovet, materiæq; morbificæ regreſſum in corpus fortiter impedit. Si formulas deſideres, en varias: v. gr.

℞. *Aqu. Flor. Sambuc.*
Card. bened. ana. ℥iß.
Diaſcord. Frac. vel
Mithrid. Damocr. ℈ij.
♁*n. diaph.* ℈j.
Miſc. d. ad Vitr. Sumatur pro doſi aliquoties repetendâ.

Vel ℞. *Aqu. Succiſ.*
Calendul. ana. ℥ij.
Syrup. Acetoſell. ʒvj.
Roob Sambuc. ʒj.
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt. ana. ℈j.
M. d. ad Vitr. Sumatur duabus doſibus man. ac veſp. & repetatur pro re natâ.

Vel ℞. *Aqu. Scabioſ.* ℥ij.
Endiv.
Lactuc. ana. ℥j.
Syrup. Rub. id.
Viol. purp. ana. ℥ß.
Spir. Theriac. camphor.
Ebor. uſt. ppt.
Dent. apr. ppt. ana. ℈j.
M. d. ad Vitr. Propinetur duabus doſibus, & repetatur etiam urgente neceſſitate.

Vel ℞. *Aqu. Ulmar.* ʒvj.
Cichor.
Fumar.
Syrup. de Nymph. ana. ℥ß.
Mixtur. ſimpl. ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈j.
Cinnab. ♁*n. opt. gr.* vj.
Miſc. d. ad Vitrum pro doſi.

Vel ℞. *C. C. phil. ppt.*
Ebor. phil. calcinat.
♁*n. diaph.*
Cinnab. ♁*n. corr.*
Nitr. ♁*iat. ana.* ℈ß.
Camphor. gr. iiij.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 2. part. æqu. m. ac veſp. cum Aquâ Scabioſ. aliave capiendas.

Vel ℞. *Bezoard. min.*
Pulv. Pannon. rubr. ana. ℈ij.
Cryſtall. alb. ppt. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. doſ. æqu. ad ch. m. ac veſp. ſumendas.

Externè

Externè in membris hoc morbo affectis prodest frequens *litus* aut *fomentatio* cum *Spiritu Vini camphorato*, *Aquæ Fl. Sambuc.* aut *Solani*, *Card. bened. Ulmar.* &c. permixto, ac *Sacch.* insuper *Saturni* nonnihil acuato, v. g.

℞. *Aqu. Sperm. Ran.* ℥iij.
Solan.
Fl. Sambuc. ana. ℥ij.
Spir. Vin. camph. ℥iß.
Magist. Saturni ʒvj.
Acet. sambucin. ℥j.
M. d. ad Vitr. Subinde calefiat, linteaque tenera immersa, & expressa admoveantur.

Vel imponatur *Ceratum simplex* ex *Cerâ flavâ* & *Oleo rosaceo* æquali portione invicem solutis, hinc *Camphoræ* quantitate tantillâ permixtâ, factum ac linteo raro obductum. Nonnulli etiam sumunt *Croci* ʒij. *Camphor.* ʒj. ac *dimidiæ mensuræ Aqu. flor. Sambuci* infundunt, hinc per triduum in loco tepido digerunt, tandem lintea huic liquori immergunt, eaque postea in aëre sicco arefacta denuo eidem liquori intingunt, opusque hoc ter vel quater reiterant; tandem verò *siccatum Linteum* Erysipelati imponunt. Interdum præstat *Cortex Sambuci medianus recens contusus* ac *succulentus*, sæpius parti affectæ tepidè applicatus. Vel etiam *Farina siccata*, cum *pulvere Cretæ albæ*, *Terræ sigillatæ*, *Boli armenatis* permista, si præprimis simul *Camphorâ Spiritu Vini solutâ*, vel cum *Nucleis Persicorum*, *semineve Cucumerum* contusâ, exaltata fuit, linteo vel papyro cœruleæ inspergitur, sicque membro affecto circumplicatur. Aliquando etiam *liquida*, *alcalino-spirituosa* prosunt, velut habemus *Aqu. Calc. vivæ Aquâ phagedænicâ* acuatam; *Spiritum Vini camphoratum*, *Rorem mineralem*, aliaque plura. Omnia verò hæc usurpantur feliciter, si Erysipelas non fuerit *pustulosum* vel *ulcerosum*, in hoc enim casu remediis hactenus recensitis magis siccantia & absorbentia sociare convenit. Vel etiam *Linimentum saturninum* quàm excellentissimum in usum vocabitur, compositum ex *Aceto saturnino*, vel cum *Cremore Lactis*, vel cum *Balsamo* quodam *vulnerario* in *Linimentum* coacto.

℞. *Aceti saturnini*,
Balsam. vulner. ana. ℥ij.
M. d. ad Pyxid.

Si excoriata sit pars, huic Linimento admisceri poterit *Unguentum album camphoratum*, vel etiam hoc solum in usum trahetur.

In *Diætâ*, quæ sunt nimis salita & acria, vitentur; *cibi* sint succi laudabilis; *Vino* interdicatur, cujus loco bibatur *decoctum Lign. Sassaphr.* vel *Radic. Chin. Ras. C. C. Rad. Gramin. Herb. Agrimon.* Nonnunquam & *Emulsiones anodynæ* ac *demulcentes* propinentur. Aër frigidus summè noxius. Lintea quibus incumbit Æger suffamigiis inficiantur. Nec idem mutabit aërem, donec perfectè à malo fuerit liberatus. *Iram*, ac *Tristitiam* fugiat. Alvus naturâ vel arte sit libera.

Esseræ.

ESSERÆ, voce Arabicâ, sunt exanthemata sive tubercula parva diversæ magnitudinis, duriuscula, cineritii rubellive coloris, pruritu insigni molesta, interdiu magis quàm noctu in cute diversarum partium, brachiorũ inprimis, natium ac femorum efflorescentia, hinc citò evanescentia, sed brevi iterum apparentia; quandoque totum subitò corpus occupantia, sicca plerunque, aut rarò certè tantillum humoris salsi eructantia; quæ proin si fortius premas aut digito frices, subsident atque penitus disparent.

Causa.

Productum hinc sunt phlegmatis cujusdam salsi, quod ob irregularem corpusculorum suorum figuram, penuriamque aquosarum diluentium particularum, occasione quavis commodiore datâ in extremitatibus tubulorum cutaneorum subitò obhæret, ac epidermidem in tubercula attollit. Sicca sunt atque duriuscula hæc exanthemata, quoniam aquosæ particulæ, tanquam flexibiliores, per tubulos facilè penetrant, aurasque in liberas evadunt, crassiores autem, & magis tartareæ ac fœculentæ in ostiis tubulorum remanent, aut sicubi ostiola illa jam evaserunt, nihilominus subter cuticulam, densioribus poris instructam, subsistunt eamque hinc inde gregatim elevant. Salia ejusmodi heterogenea in circulantibus corporis humoribus congregantur è primis viis, unde chylus simili charactere infectus, ceu Ciborum salsorum assumtorum productum, per thoracicum canalem advehitur.

Citò evanescunt ac redeunt ista Tubercula, quoniam materia producens volatilitate adhuc quadam & flexibilitate gaudet, ac ita laxatis quomodocunque vasculorum fibris promtè transmittitur, dum interea constrictis denuo poris noviter iterum efflorescunt. Pruritum excitant, quoniam acuminatæ sunt materiæ stagnantis particulæ, & circumstantes quascunque fibrillas nerveas blandè irritant, pungunt ac vellicant. In Febreos ephemeræ aut Synochi æstu interdum criticè tales è sanguine ad cutem præcipitantur moleculæ.

Facilè hunc Affectum ex dictis in definitione cognoscere datur: sed periculo illum vacare simul extra controversiam est; saltem per se nihil monstri alit. Pro variâ interim stagnantis humoris salsedine, acrimoniâ, & crassitie Tubercula brevius aut diutius durant, simulque gravius aut mitius pungunt. Affligunt etiam tam Adultos, quàm Pueros.

In *Curatione*, cùm nulla plerunque Febris adsit, purgans statim adulto Homini sequens dabitur:

℞. *Radic. Jalapp. gr.* 25.
Crem. ♀*ri.*
Cinn. ♁*n. optim. corr. aa. gr.* 5.
Diagryd. gr. 1. *vel* 2.
M. F. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutinâ, si opus, repetendâ.

Vel ℞. *Spirit. Anth.* ℈ij.
Ceras. nigr. ℥ß.
Resinæ Scammon. vel Jalapp. gr. 8. *vel* 9.
Solutis leni igne adde
Julepi rosacei vel

Syrup.

Syrup. de Nymph. ℥iiß.
Detur ad Vitr pro dosi matutinâ.

Purgato corpore Æger *Balneo Aquæ dulcis* ex incoctione *Malvæ, Violariæ, Parietar. Lactuc. Flor. Sambuc. Chamomill. Melilot.* aliquoties per sesquihoræ spatium tepidè insideat. Postmodum sudor moveatur & excitetur etiam repetitâ vice, idque per exhibitionem sudoriferi unius vel alterius; v. gr.

℞. *Aqu. Fl. Sambuc.*
Card. Mar. ana. ℥iß.
Roob Sambuc. ℈ij.
♁*n. diaph.* ℈j.
Misc. d. ad Vitr. pro dosi.

Vel ℞. *Aqu. Agrimon.* ℥iß.
Fumar.
Cichor. ana. ℨvj.
Roob Juniper. vel
Mithrid. Damocr. ℨß.
Ebor. phil. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana. gr.* 15.
M. detur ad Vitr. pro dosi mane aut vesperi sumendâ.

Vel ℞. *C. C. philos. calcin.*
Corall. rubr. ppt. ana. ℈ij.
♁*n. diaph.*
Diaphoret. ♃*vial. ana.* ℨß.
Nitri ♀*iat.*
Cinnab. nativ. opt. ana. ℈j.
M. f. Pulv. subt. divid. in 6. *dos. æqu. ad ch. mane ac vesperi cum Aquâ Card. bened. & Plantag. capiendas.*

Extus *Farina* qualiscunque probè siccata, cum *Bolo*, *Cretâ*, & *Pulvere Liquiritiæ* permista aliquandiu applicatur. *Venæsectio* quoque in Plethoricis administratur, aut *Cucurbitulæ* cum *scarif.* dorso applicantur. A salsis Cibis abstinetur.

EXCRESCENTIA CARNEA, vid. *Carnea excrescentia.*

F.

FACIEI CICATRICES, sunt tubercula duriuscula, ex Ulceribus aut Vulneribus negligenter tractatis, & malè consolidatis nata, Faciemque defœdantia, dum superficiem ipsius, quæ plana & unita esse deberet, inæqualem ac veluti divisam reddunt. *Faciei cicatrices.* *Faciem* heic in specie affectam adducimus, ceu partem illam capitis anteriorem, in Infantibus, Pueris, Fœminisque, si supercilia excipias, nudam, in Adultis autem Viris ex parte inferiore circa mentum, labia, & genas pilosam, fronte, temporibus, oculis, naso, genis, ore s. labiis, mento & auribus circumscriptam; quæ velut speculum aut imago aliâs esse solet non solùm sexûs, ætatis, aut prosapiæ, sed & morum quoque, passionum mentis, valetudinis prosperæ & adversæ, vitæ ac mortis. In facie enim præstantes Physiognomi manifesta deprehendunt indicia humanitatis, urbanitatis, morositatis, superbiæ ac humilitatis, tristitiæ ac hilaritatis, iracundiæ, severitatis, superbiæ, humilitatis, verecundiæ &c. In facie Medici certa sanitatis vel ægritudinis, imò subinde salutis ac mortis τεκμήρια inveniunt; unde *Hippocrates* jam suo tempore Medicos fuit hortatus ad Ægrotorum faciem

faciem non obiter tantùm contemplandam, ſed penitius etiam conſiderandam.

Cauſa. Cùm autem Cicatrix qualiscunque è coaleſcentiâ labiorum Vulneris vel Ulceris alicujus formetur, conſequens eſt, deformem illam gigni debere, ſicubi ſpatium majus relinquiquitur Parti affectæ, hæcque laxius deligetur; propter hanc enim laxitudinem plus humoris nutritii admittitur, ex eoque callus eminentior producitur; qui certè, ſi jam durior & inveteratus evaſit, ſanari neutiquam poterit, ſicuti nec ille, qui è Vulnere grandiore natus fuit, quâ portio magna faciei oblæſa erat.

Curatio. In *Curatione* proin eo adnitendum, ut calloſa cutis durities emolliatur, emollitaque dein cuti reliquæ in colore & ſuperficiei planitie ſimilis evadat. Obtineri hoc poteſt non ſolùm illis medicamentis, quæ ſuprà ſub titulo Cicatricum in genere attulimus, ſed & pluribus aliis, quemadmodum v. gr. ſunt ſequentia:

℞. *Aquæ deſtill. Radic. Sigill. Salom.*
Bryon.
Cucum. aſin.
Flor. Fabar.
Lamii purpur.
ana. ℥ij.
Succi Limon. vel Citr. rec expr. ℥j.
Mucilag. Gumm. Tragac. Aquâ Naſturt. extr. ʒij.

M. d. ad Vitr. Quotidie man. ac veſp. cum linteolis calidè applicetur, & firmiter ligetur.

Vel ℞. *Aqu. deſt. Rad. Ireos noſtr.*
Serpentar.
Cyclamin.
Aron.
Lapathi acut.
ana. ℥iß.
Borac. Venet.
Mercur. dulc. opt. ana. ʒj.
Succi è Rutâ & Fœniculo rec. expreſſ. ac filtrat. ℥ij.

M. d. ad Vitr. Uſurpetur ut ſuprà.

Vel *Succus* ex hactenus dictis, nec non *Radic. Lilior. alb. Bryon. Foliis Sabin. Ariſtol. rot. Geran. rob. Solan. Nicotian.* recenter exprimatur, filtretur, & calidè ſæpius Cicatrici applicetur, cum vel ſine *Melle*. Alii *Oleum* è *Nucleis Amygd. amarar. Perſ. Vitellis ovorum, Semine Napi* &c. exprimunt, hunc *Camphoræ Oleo, Pinguedini humanæ, urſinæ, vulpinæ, Boraci Venet. Mercurio dulci, Myrrhæ* & *Aloë* permiſcent, atque ita applicant.

FACIEI EPHELIDES, vid. *Ephelides.*

FACIEI FOVEÆ *poſt Variolas*, ſunt veſtigia quædam Ulcusculorum varioloſorum, quorum acre pus cutis ſuperficiem plus juſto eroſit, ac ita foveolas excitavit; quanquam & talia exigua foramina producantur, quando Variolæ pruritu valdè moleſtæ, nimis citò ab Infantibus & Pueris ſcalpendo avelluntur, ita quidem ut non rarò cutis extrema ſimul auferatur, ſanguisque hinc è ruptis vasculis ſanguiferis profluat.

Foveas ejusmodi, ſi profundæ admo-

admodum ſint, fruſtra quis curare & emendare tentabit, quoniam inſanabiles ſunt prorſus. Præſervare autem ab illis Pueros poterimus, ſi Variolas maturas, albas & tumidas, cùm defervescere incipiunt, aperiamus, materiamque purulentam emittamus, ſed ſine Epidermidis detractione: ſi dein etiam impedimus, quò minus Ægri ſcalpant puſtuloſam & prurientem cutim: ſi denique remediis, quantum poſſibile, topicis demulcentibus atque temperantibus Variolarum acrimoniam mitigare ſtudebimus, quod fieri ſolet *Lactis muliebris* inſperſione in faciem Ægrotantis crebrâ; *Cremore* item *Lactis vaccini* cum *Croco*, *Oleo Lil. albor. Roſar. Violar. Butyro recenti non ſalito*, *ſpongiæ* tandem *Aquâ calenti madidæ* applicatione, præprimis, quando *Herbas Althææ*, *Malvæ*, *Violar. Parietar. Radices Alth. Lil. albor. Semin. Lini, Cannab. Flores Melilot. Verbaſc. Sambuc.* prius incoxeris.

FACIEI LENTIGINES, vid. *Lentigo.*

FACIEI MACVLÆ ad ſymptomata qualitatis in cute mutatæ referuntur, quando videlicet color illius naturalis aufertur, ac vel rubicundus, vel flaveſcens, vel nigricans ſparſim in Facie excitatur.

Præter Lentigines enim obſervantur interdum maculæ nunc majores, nunc minores, diverſi coloris, in Faciei cute plus minus citò effloreſcere. Utplurimum Variolæ maculas poſt ſe rubentes, rarius fuſcas relinquunt, à mutatâ cutis ſparſim croſæ texturâ oriundas, dum radii luminoſi ex illâ noſtros ad oculos reflexi, macularum rubicundarum ideam ſive imaginem excitant. *poſt variolas.* *Rubent* hæ maculæ, quoniam ſuperficies cutis, ipſaque cuticula poſt eroſionem à Variolis factam ita tenuis evaſit, ut hinc ſanguis per extremos tubulos circulans transpareat. *Flaventes* dein etiam, & latæ quidem interdum occurrunt in Fœminis cholericis, quarum ſanguis circulans plures moleculas reſinoſo-amaricantes ad Faciei cutim præcipitavit, aut poſt copioſos ſudores, præprimis in partu difficili excitatos, inibi reliquit. Hæ maculæ fœdæ ſunt, quandoque aſperæ, ac ſub ſordium imagine ſæpius comparent. Aliquando *flavus* quoque *Icterus* tales poſt ſe maculas in Facie relinquit, ſicut *niger Icterus lividas* interdum format, ob nutritii ſucci acido-tartareas particulas ſparſim ad faciei cutim depoſitas & coagulatas. Ex *ſcorbuticâ* dein etiam atque *venereâ* circulantium humorum cacochymiâ non rarò vel *rubicundæ*, vel *lividæ*, aut *fuſci coloris maculæ* in Facie, ſicut per totum corpus hinc inde oriuntur. Tandem & inſolatio, ſive radii ſolares, quibus ſeſe Homo, verno inprimis tempore, quo cutis faciei nondum mollis ſatis ex rigiditate aëris hyberni evaſit, multum exponit, nigricantes maculas in facie producere conſueverunt.

Curatio. Per ſe ad oculos patent ejusmodi maculæ, ita interdum in cute pertinaces,

naces, ut, si corrosionem excipias, aliâ vix arte discutere queas. Omnium autem maximè dissipabiles sunt, imò temporis aliquo spatio per se disparent, quæ post Variolas remanserunt. Si verò citiùs eas discutere velis, obtinere scopum poteris, Faciem hominis sæpius calidè lavando cum *Jusculo vitulinæ carnis non salito*, inprimis si *Aquæ destill. Flor. Nymph. Fabar. Papav. alb. Verbasc. Linariæ, Levistici, Radicum Lapathi, Urticæ, Scrophular. Polygonati*, cum *Farinâ Lupinorum, Fabarum*, aut *radic. Althææ* permiscueris. Optimè conduxisse sæpius ipsemet notavi *Vaporem è Decocto Pisorum, Lupinorum, Cicerum, Hordei, Furfuris, Granor. Coffée tostorum, Radic. Scorzoner. Alth. Malv.* ascendentem, & ad Faciem sæpè admissum. Possunt tamen etiam Lintea ejusmodi Decoctis calentibus immergi, & expressa dein applicari sæpius. *Decocto* addere licebit *Succum Limonum, Citri, Aurantior.* nec non *Camphoram, Boracem.* Si *Unguenta* vel *Balsama* magis desiderentur, tum sequentia prosunt:

℞. *Ungu. alb. camphor.* ℥j.
Olei ex Seminib. Cucurbit. aut Cucum. recenter frigidè expressi ℥ß.
Ceræ flav. aut alb. ʒij.
Magist. ♄ *n. diaph.* ʒj.
Misc. d. ad ollam, ac singulis noctibus facies inungatur; mane Aquâ Rosarum iterum abluendo.

Vel ℞. *Unguent. Citrei.*
Pomat. ana. ℥ß.
Olei Lil. alb.
Rosar. ana. ʒij.
Mucilag. Gumm. Tragac. Aqu. Ros. vel Flor. Fabar. extract. ʒj.
Magist. Marcasit. ʒiß.
M. d. ad Pyxid. Usurpetur ut prius.

Maculæ *flavæ, lividæ, fuscæ*, quæque ex insolatione proveniunt, sensim internis quidem *diaphoreticis*, ac succum chylosum irreprehensibilem exhibentibus cibis potibusque, usu quin & *Acidularum* vel *Thermarum* quarundam disparent; *externis* verò detergentibus atque discutientibus abiguntur, qualia sunt inprimis *Succi*, aut *Decocta Radicum Asphodeti, Aronis, Aristoloch. Cepar. Scyll. Lilior. albor. Bryon. Cucum. asinin. Cyclamin. Allior. Hellebori utriusque, Esulæ, Dracontii, Saponar. Polygonat. Irid. nostr. Herbar.* aut *Folior. Verbasc. Senecionis, Boni Henrici, Porri, Alliariæ, Tragop. Agrimon. Absynth. Abroton. Bet. Chamæpit. Scord. Ficûs, Hierac. Brassicæ, Sabin. Parietar. Mercurial. Saponar.* Quin & solâ affricatione talium Herbarum, præprimis quæ mollioris sunt texturæ, paulatim maculæ tales profligantur. His addimus *Fel bubulum, Succum Aurantior. Citr. Limon. Liquorem Vesicular. Ulm. Succum Betulæ, Sanguinem leporinum recentem* & *calentem* adhuc, *Lac asininum*. Laudantur & *Aquæ destillatæ Hieraciorum, Chelidon. maj. Sigill. Salomon. Tarax. Fragor. Rutæ, Lepidii, folior. Raphani* cujuscunque, *Mellis*. Imò *Pulticulæ* fiunt è *Farinâ Fabar. Tritic.* cum *Succis Plantarum*

lantarum ſupra dictarum, *Bile vac-n. leporin.* vel *Aceto* etiam permiſtis, uæ ſingulis hinc noctibus applicanur, & mane iterum cosmeticâ Aquâ liquâ tepidè abluuntur. Si pertinaces uerint maculæ, tum noctu ſemper nungetur vel *Unguentum citreum*, el *Ægyptiacum* corrodendi vi præitum, vel *roſatum camphoratum* um *Oleo Amygd. amar. rec. expr. O-o ſinapin. balanin. ricinin. juniperin. Mercurio præcipit. alb.* Imò *Buty-um*, cui incoctæ ſunt *Herbæ Eſular. olia Ficûs*, *Taraxacon. Tragopogon. helidon. major. Cepar. Alliorum*, frequenter inunctum maculas quoque elet, præprimis ſi *pulverem radic. id. florent. Ariſtoloch. Aronis*, *Mer-rii dulcis*, vel *præcipit. rubri* aut bi permiſcueris. Plura vide ſub tulo de *Lentigine*.

FACIEI NÆVI, vid. *Nævus aternus.*

FACIEI NIGREDO, eſt co-ris faciei nitidi, floridi, pulchri atue rubicundi in lividum vel nigrum utatio. Equidem totius ſubinde rporis cutis præternaturali ejusmoi colore afficitur, id tamen homines, œminæ præprimis, non curant, moò faciem, collum, pectus ac manûs egantes habuerint; utpote quaum partium curam omnium maxiam, vanitatis amantiſſimæ, geunt. Quibusdam etiam color eſmodi nativus atque hæreditarius t. Omnes certè deſiderant eſſe ulchræ, ut placere, ut ſpectari, atque æſtimari magis queant.

Oritur à variis cauſis, quarum proxima eſt certa configuratio particularum ſuperficiei cutis, ob quam pori ampliores redditi plurimos radios luminis abſorbent, adeoque paucos ad ſpectantium oculos remittunt. Antecedentes hinc cauſæ diſpoſitionem illam ſive configurationem in cute producunt, quemadmodum ſunt copioſi ſudores, Solis radiis ſiccati, pulveres varii in aëre circumvolitantes, & poris cutaneis ſudore madidis immiſſi, inibique cum lymphâ ſiccati; atque adeo frequens mora ſub radiis ſolaribus, à quâ contracta *Nigredo* vocari ſolet *Inſolatio*, quæ Ruſticis familiaris eſt. His addimus quotidianam lardi affricationem, & hinc faciei expoſitionem ſub radios Solis. Morbos itidem varios, inprimis Icterum nigrum, cutis colorem defœdantes. Quo igitur potentiores ſunt radii ſolares, quoque altius ad verticem noſtrum Sol aſſurgit in ſuâ mutatione diurnâ, eo etiam magis homines ad Nigredinem cutis diſponit. Hinc enim Incolæ Zonæ torridæ nigriores plerunque ſunt iis, qui extra illas habitant, niſi ab ineunte ſtudium pulchritudinis excoluerint. Imò reperiuntur integræ ibi nationes Nigrorum, quos *Æthiopes* & *Nigritas* appellant, quorumque nigredinis cauſam *M. Malpighius* & *Joh. Nicol. Pechlinus*, *Tract. de Colore & Habitu Æthiopum* feliciter indagârunt, eamque deprehenderunt eſſe *reticularem* eamque *mucoſam* quandam *membranam*, perpetuâ quaſi Cauſa.

fuligine consitam, inter Cuticulam & Cutim ita hærentem, ut fibrillarum suarũ ope magis Cuticulæ quàm Cuti adhæreat, & hinc à Cute ipsâ facilè, à Cuticulâ autem difficillimè separabilis existat. Hæc verò Æthiopum nigredo perfecta est, connata, nec ullâ arte dissipabilis, à quâ proin distinguimus illam impropriè sic dictam nigredinem, quæ consistit in fusco magis, eoque adventitio, quàm perfectè nigro colore. Ad hanc dein præternaturalem Nigredinem subinde etiam crassus, acidus, pituitosus, fumo siccatus qualiscunque Cibus, sulphureo-salso- ac tartareo principio maximè constans, contribuit. Novimus & Fœminas aliquas, quæ cùm Adultæ jam Variolis prehenderentur, ad præcavendas Cutis foveolas faciem perpetim Oleo Nucum & Amygdal. dulcium durantibus ulcusculis inungebant, sed inde cutim fuscam reportabant.

Diagnosis. *Cognoscere* haud difficulter ejusmodi Nigredinem possumus, si modò cum naturali, quo prius Homo gaudebat, colore conferamus. Scire etiam ex anteactis licet, num ab æstu Solis & Aëris, num verò à Victu indecenti aliisve rebus contracta fuerit.

Prognosis. In *Prognosi* variè de eventu Nigredinis est judicandum; quæ congenita est, certè incurabilis habetur, si palliativam, & fucorum plenam excipias curam. Quæ itidem ex operibus quotidianis in æstuante aëre faciendis contrahitur, vel contracta est semel Nigredo, eam quoque vix, nisi tardè post mutatam inprimis vitæ conditionem auferre licebit.

In *Curatione* hinc ad Nigredinis veram originem attendemus: quæ enim provenit ab insolatione in facto quodam itinere æstivo, utplurimum per se disparet, modò domi quis maneat aliquamdiu, cibisque euchylis ac eupeptis vescatur. Si quis verò citius meliorem habere colorem gestiat, ille singulis noctibus sequenti liquore calente faciem manusque suas probè lavabit:

℞. *Aqu. Flor. Fabar.*
Solan.
Spermat. Ranar. ana. ℥iij.
Vini albi veteris probè defæcati ℥ij.
Suci Citr. recent. expr. ℥j.
Misc. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Rosar. alb.*
Sigill. Salomon. ana. ℥iij.
Fellis bubuli ℥j.
Ol. ♀*ri per deliqu.* ℥ß.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Radic. Bryon. mar.*
Scrophular.
Sigill. Salomon. ana. ℥iß.
Herb. Saponar.
Flor. Lil. alb.
Fabar. ana. M. 10.
Citri.
Aurant. ana. Mj.

Aceti Vini opt. q. s. ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum. Stent per aliquot dies infusa, postea destilletur inde *Liquor*, quo calente bis vel pluries quotidie abluta facies Nigredinem brevi deponit.

Ve

Vel *succo* tantùm aut *carne succulentâ Citri* vel *Limonum* per affricationem Cutis nigredo tollitur.

Aliâs itineri, aut obambulationi per aërem æstuantem sese accingens Homo nigredinem Faciei præcavere potest, si vel *Bilem vaccinam* cum *Cremore Hordei*, & *Succo Allii*, vel *Albumen Ovi cum Aquâ Rosarum conquassatum*; vel *Mucilaginem Seminum Psyllii, Cydonior.* aut *Gummi Tragac. Aquâ Rosar. extractam*; vel *Emulsionem Seminum* 4. *frigid. majorum*, nec non *Cannabim* cum *Aquâ Rosar.* paratam, per quadrantem plus minus horæ applicabit. Postea verò domum redux suam Homo faciem *Aquâ* & *Vino*, vel *decocto Furfuris* & *Aquâ Rosarum* invicem mixtis iterum abluet. *Mercurialis* refert in *Tract. de Decoratione*, Genuenses Mulieres domo egressuras, aërique calido sese expposituras, faciem prius *Succo Solani* lavare. Communissimum verò præservativum *Larvæ* existunt, quibus obvelatur facies; solent autem illas sic parare; *Linteum crudum Belgicum, illudque pulchrum pluries Aquæ Spermatis Ranarum filtraturæ depuratæ immergitur, iterumque siccatur*: dein Linteum hoc sequenti Emplastro vel *Cerato* imbuitur.

℞. *Ceræ alb. nitidiss.* ℥vj.
Unguent. Pomat. ℥ij.
Spermat. Cet. rec. ʒij.
Camphor. ʒß.

Misce probè invicem cum tantillo Olei Rosar. vel Lil. albor. & penicilli ope Linteum ex unâ tantùm parte inungitur, dein cùm induratum fuerit, alio linteo fricatur & politur, sicque Larvæ ex Holoserico factæ inditur, quâ utentes Fœminæ non solùm à *Nigredine*, sed etiam à nimiâ *Rubedine* præservantur.

In *Diætâ* præprimis sequentia observare debent, qui vel quæ Cutis nitorem vel conciliare sibi, vel conservare cupiunt. *Diæta præservativa.* Aërem qualemcunque rigidum, vel æstuantem, pulverulentum ac fumosum, præprimis verò Martii mensis auram vitabunt, utpote quæ cutim non secus ac Solis radii æstuantes denigrant, aut fœdis maculis obfuscant. Infantes & pueri si tenerâ ætate nimio frigore hyemis sæpius quasi obrigeant, sequentibus adultæ ætatis annis nunquam albam, teneram, nitidam, & glabram, sed asperam semper, fusconigricantem, duram, & veluti scabiosam cutim adipiscuntur. Ab aromatibus quoq; acribus, à Melle, Leguminibus, Ciceribus, Pisis, Lentibus, Pyris, Pomis, Cerevisiâ novellâ, aliisque rebus facilè fermentescibilibus & acidis sibi temperabunt. In Potu non multũ Vini vel Cerevisiæ fortis bibent, sed dilutum aquâ Vinum, & Cerevisiam probè defœcatam ordinariè haurient, vel aquam fontanam puram, aut Ptisanam è Decocto Hordei, Anis. & Ligni Sassafr. paratam. Somnus & Vigiliæ, Motus & Quies moderati erunt. A Venere nimiâ, ab Irâ, Terrore multo, ac Tristitiâ quotidianâ, vires depascente, sibi valdè cavebunt. Alvus singulis diebus vel sponte vel clysmatibus injectis li-

bera erit. Singulis hebdomadis Aquæ dulcis Balneum ingredientur, sine ullius Herbæ incoctione. Diligenter denique Facies lavabitur Aquâ fontanâ, non calente illâ, rugas inducente, nec frigente admodum, ceu asperitatem causante, quæ postmodum ferè incorrigibilis existit. Lotâ autem facie *Balsama* vel *Unguenta cosmetica* usurpantur, ubi quæ *Calcem vivam*, aut *extinctam*, vel *Saponem* qualemcumque ac similia salso-acria recipiunt, fugienda, nisi sordes illis eluere velimus, quo præstito ad balsamica revertendum est, quibus dum pori infarciuntur, cutis certè glabra, polita ac nitida reddatur necesse est.

Cosmetica palliativa, pro facie tenerâ macilentâ. Quando autem *Nigredo* planè abstergi nequit, tum ad palliativa cormetica deveniendum, iisque semper utendum est. Sed heic distinguendæ sunt probè facies Hominum, quæ enim teneræ sunt, macilentæ, & succo gelatinoso-balsamico ferè carentes, his præscribenda sunt humectantia, succulenta, balsamica, poros cutis nutritiâ velut lymphâ infarcientia, quemadmodum v. gr. *Lac* est *vaccinum*, aut *asininum*, quo nigram novimus Puellam rusticam intra sex hebdomadarum spatium candidum faciei nitorem adquisivisse, & formosam redditam fuisse. Aliâs prosunt *Aquæ è Limacibus*, *Carnibus*, *Lacte*, *Malvâ*, *Portulacâ*, *Althæâ*, & similibus destillatæ. Sed & *Farina Tritici*, vel *Amylum Lacti*, aut tali *Aquæ* permiscetur, & facies dein hâc Mixturâ tepidè abluitur, postque ablutionem sequens *Balsamum* inungitur:

℞. *Unguenti pomat.* ℥j.
Axung. vitulin.
Olei Amygd. dulc. vel Seminum frigidorum frigid. expr. ℥ß.
Magist. Marcasit. ʒij.

Misc. d. ad Ollam, noctu illinitur & sequenti mane *Emulsione Amygdalarum dulcium Aquâ Ros. factâ*, vel sequenti *Aquâ* iterum abluitur:

℞. *Limacum contus. num.* 25.
Carnis vitulin. ℔iß.
Lardi albiss. ℔ß.
Oryzæ contus. ℥8.
Lactis caprill. ℔iij.
Succi è Violar. Alth. aut Malv. recenter express. vel
Roris majalis ℔ij.

Misce invicem in vase mundato, stent per 30. *horas in loco minus calido, postmodum destilla in Balneo Mar. Destillatam aquam solaribus expone radiis per plures dies, postea filtratum Liquorem usui asserva.*

Vel ℞. *Micarum Panis è farinâ tritic. albiss.* ℔ij.

Irrora tantillum Vino Hungaric. Hispanic. Malvat. aut Frontiniac. adde dein

Flor. Rosar. incarnat. q. v.
Semin. Cydonior. ℥ij.
Album. Ovor. num. 6.
Lactis Asinin.
Caprill. ana. ℔iij.

Misce invicem, atque destilla ex Balneo Mar. Destillatum liquorem pro faciei ablutione asserva. Inter destillandum in Alembico suspendi potest Zibethum,

bethum, vel Ambra gryſ. aut Moſchus, ut Aqua fragrans inde producatur, quanquam hyſtericæ Fœminæ odorem hunc ferre nequeant.

Multæ Fœminæ ſequentem *Aquam cosmeticam* in ſecretis habent:

℞. *Porcellum quindecim vix dies natum, ab interaneis liberatum, hinc in fruſtula conciſum, cui in vitreâ cucurbitâ affunde & adde*

Vini Malvatici, ſimilisve alius generoſi ℔6. *vel* 7.

Limacum contuſ. ℔iij.

Pomor. Citr. vel Limon. conciſ. num. 3.

Sacch. cand. alb. ℥vj.

Deſtilla ex Baln. Mar. deſtillato Liquori immitte Folia Auri pro lubitu, expone per Menſis ſpatium radiis ſolaribus, & demum *uſurpa Liquorem, filtrandum ulterius, ſicubi opus eſſe notabis. Sed mane ac veſperi facies abluenda eſt tali Aquâ.*

Unguenta cosmetica quoque plurima circumferuntur; *Tobias Vogelius* ſequentia adducit multo uſu commendata ad conſervandum Cutis nitorem:

℞. *Butyri majalis* ℔j.

Immitte in vas terreum, expone radiis ſolaribus continuè, affunde

Aqu. Hed. terr q. v.

Agita probè invicem, decanta dein Aquam, novamq; affunde, hocq; ſæpius reitera, tandem Aquâ Roſarum fragrante Butyrum lava, quo facto, Aquaq; denuò abſtractâ, Butyro permiſce

Terebinth. Venet. opt. ℥j.

Vitell. Ovor. num. ij.

Miſce & ſpatulâ ligneâ per integrum diem agita, donec Terebinthina probè ſubacta ſit. Si quis Oleum flor. Aurant. aut Jasmini addere velit, tanto fragrantiorem Balſamum adipiſcetur.

Vel ℞. *Lardi albiſſ. & tenerr.* ℔ij.

Scinde vel rade minutim, ut omnes membranulæ ſeparentur, mitte illud in catinum, affunde primùm Aquam fontanam, & lava probè, aufer dein hanc aquam, & Aquam Fragor. affunde, contere invicem probè aliquamdiu, & novam quinquies vel ſexies Aquam talem adfundendo opus idē repete; tandem hanc lotionem atque trituram cum Aquâ Roſar. fragr. inſtitue, & ubi Aqua per decantationem ſeparata fuerit, catinum leni prunarum igni ſuperimpone, & liquari Lardum permitte: interea miſce Olei Amygdal. dulc. recenter ac frigidè expreſſi ℥ij. *cum ſemunciâ Spermatis Ceti recentis, & unciâ integrâ Ceræ albæ, atq; in vaſculo ſtanneo ſuper ignem lenem invicem liquari ſine, liquata hæc miſce cum Lardo ſimiliter liquido reddito, adde ſimul Magiſterii Marcaſit.* ℥j. *agita invicem probè usq; dum refrixerit; aſſerva dein in vaſe terreo, ſuperfundendo Aquam flor. Fabarum, hancq; ſæpè renovando, quo ſic Unguentum ab externis aëris injuriis tutum maneat. Singulis noctibus Unguento hoc Facies, imò & Manus inungi, & poſtridie mane iterum ablui poſſunt Vino & Aquâ Roſarum.*

Facies *obeſa, craſſa*, requirit è contrario tales res, quæ moderatè ſiccare, cutim duram corrigere, tenuemque illam ac teneram reddere valent, quod inter alia præſtant, quæ

aciditate quadam volatili, vel ſiccitate abſtergente ſalinâ gaudent; hinc conveniunt ſequentia:

℞. *Album. Ovor. num.* 12.
Fol. Lilior. alb.
Flor. Roſar. alb. vel Damaſc. ana. Miß.
Radic. Ireos noſtrat. rec. ℥iß.
Sigill. Salomon. ʒj.
Herbar. Meliſſ. Mij.
Terebinth. opt. ℥iß.
Storac. Calam.
Lad. ana. ℥ß.

Inciſis & contuſ. affunde Vini alb. q. ſ. ſtent per aliquot dies, deſtilla dein in B. Mar. Liquori deſtillato affunde
Succi Limon. vel Citr. expr. ℥j. *plus minus.*

Hinc noctu Faciem tepidè lava, & per ſe ſiccari permitte. Si fortius detergere velis, Mercurii ſublimati ʒj. *addere poteris.*

Vel *Radic. Lil. alb.*
Ireos noſtr.
Sigill. Salomon.
Aron. ana. ℥j.
Folior. Leviſtic.
Piperitid.
Cochlear.
Malv.
Flor. Fabar.
Roſar. Damaſc.
Nymph. ana. Mij. *vel plures.*

Inciſis & mixtis affunde parum Vini albi. Stent per 24. horas, poſtea deſtilla, & Aquam deſtillatam uſui aſſerva.

Huc facit quoque *Lac virginale*, quemadmodum eſſe poteſt ſequens:

℞. *Storac. Calamit.*
Benzoen. ana. ℥iß.
Myrrh. elect. ʒiij.
Garyophyll. aromat. ʒij.
Inciſis affunde Spiritûs Vini rectif. vel tartariſat. ℥18.

Stent in digeſtione per octiduum, poſtea filtretur liquor, ac detur ad Vitr. Quod ſi dein Lac Virginis habere velis, tum

℞. *Aqu. Flor. Fabar.*
Roſar. incarnat. ana. ℥j. *vel* ℥ij.
Tincturæ ſuperioris q. ſ. ad conciliandum lactis colorem.

Miſce invicem, atque faciem inde lava, vel illine quotidie.

Vel ℞. *Gumm. Benzoin.*
Styrac. calam. aa. ℥ß.
Cinamom. opt. ʒiß.
Balſam. Peruv. ℈ij.
Camphor. ʒß.
Moſchi orient. ver. gr. iiij.

Inciſis, contuſis, ac in Vitro poſitis affunde Spiritûs Vini dephlegmati ℥vj. *Stent in loco tepido, donec Tinctura fuerit extracta, quam dein guttatim Aquæ Lil. alb. Malv. Roſar. aut ſimili, pro exhibendo Lacte virginali quotidie illinendo, infunde.*

Rulandus Aquam habet egregiè abſterſivam, & hinc cosmeticam quoque haud contemnendam, quam heic apponere lubet:

℞. *Aqu. Plantag.* ℥viij.
Roſarum fragr. ℥iiiß.
Succi Aurantior. ℥iß.
Mercur. præcip. alb. ʒij.

Miſce & coque ad ſolutionem Mercurii, ac ſerva uſui pro lavandâ facie.

Nequ

Neque displicet odoratissima illa Aqua, pro Faciei & Manuum irroratione, ad nitorem conservandum, quam *Claud. Deodatus* in suo *Pantheo* descriptam dedit: v. gr.

℞. *Cinamom. opt.* ℥ij.
Macis.
Garyophyll. arom. ana. ℥j.
Gumm. Benzoin.
Mastich.
Styrac. calam. ana. ℥ß.

Omnibus crasso modo contusis, mixtis, & Cucurbitæ vitreæ inditis affunde

Aqu. Lilior. Convall.
Cortic. Citri.
Majoran.
Rosar. ana. ℥iiij.

Factâ per aliquot dies digestione sec. artem destillentur, impositis prius Alembici rostro in petiâ ligatis

Ambr. gryf. ℈j.
Mosch. orient. opt. ℈ß.
Zibethi ʒß.

Sic habebitur Aqua odoris suavissimi, quâ Facies ac Manus lavari vel ablui possunt.

Vel, quæ ejusdem est Auctoris libr. cit.

℞. *Florum selectiss. Anth.*
Aurant.
Jasmin.
Sambuc. aa. ʒvj.
Cinam. acutiss.
Garyoph. arom. ana. ℥iiij.
Gumm. Benzoin ℥ij.
Moschi fini ʒij.

Omnibus crasso modo contusis & Cucurbitæ vitreæ inditis affunde

Spiritûs Vini rectif. ℔10.
Aqu. Rosar. fragrant. ℔ij.

Vase probè clauso digerantur in Balneo per triduum, postea destillentur ad siccum, & in vase vitreo benè munito ad usum asserva. Quod si hanc Aquam multiplicare velis,

℞. *Aqu. fontan.* ℔ij.

Coque aliquantisper, post ebullitionem ab igne aufer, cola, & ad singulas libras adde prædictæ Aquæ odoratiss. ℥j. *Sine refrigerare, sic evadet Aqua fragrantissima.*

Italorum plurium *Aqua* ad clarificandam, ac dealbandam Faciem sequens est:

℞. *Thur. alb.*
Storac. calam.
Sacch. cand. alb. ana. ℥j.
Borac. Venet. ℥ß.
Camphor. ʒij.

Tritis & mixtis invicem affunde

Aqu. Lil. alb. ℔j.

Destilla per Alembicum, sic Aquam habebis egregiam, quâ semel vel bis de die Facies ablui potest.

Sequenti etiam sæpius cum successu fuimus usi:

℞. *Lactis Vaccæ nigr. mense Majo collect.* ℔7.

Inde Cucurbitæ vitreæ, adde

Pomor. Citr. succulentor. ac minutim incisor. num. 8.
Aurantior. simil. incis. num. 4.
Sacch. cand. alb. ℥ij.
Borac. Venet. ℥ß.
Flor. Rosar. Damascen.
Aurant. ana. Mij.

Destilla in Balneo Mar. vel Arenæ, igne semper æquali & mediocri, tandem cucurbita

cucurbita per diem integrum, sine ulterioris ignis additione, immota maneat; postea colatum Liquorem usui asserva.

Vel ℞. *Panis candid. recent. è Cliban. extract. & concis.* ℔iiß.
Flor. Rosar. alb.
Lil. alb.
Fabar.
Nymph. ana. Miß.
Album. Ovor. num. 6.
Lact. caprill. ℔iß.

Misce & destilla per Alembicum in B. M.

Alii sumunt *Caponem* maximè obesum, & recenter excoriatum, capite, pedibus ac visceribus privatum, scindunt in frusta, hinc Cucurbitæ immittunt; addunt *Caseum è cremore factum, Albumin. Ovor. num.* 6. *Borac. Venet.* ℥j. *Spirit. Vini* ℥xij. *Aquæ Rosar.* ℥vj. Tandem sic destillant in B. M. & Aquam probè detergentem adquirunt.

Aquam sequentem *Cosmeticam* Norimbergensium alii laudant:

℞. *Aqu. Sperm. Ran.*
Lil. alb.
Nymph.
Rosar. ana. ℥iiij.
Flor. Aur.
Succi Citr. ana. ℥j.
Album. Ovor. num. 3.
Mercur. sublim.
Camph. ana. ʒj.
Magist. Marcas. ʒij.
Sacch. Saturn. ʒiß.
Ceruss.
Borac. Ven. ana. ʒij.

Misce probè d. ad Vitr.

Amicus mecum sequentem communicavit, nitorem faciei optimè conservantem:

℞. *Mell. crud.*
Terebinth. opt. ana. ℔j.
Gumm. Benzoin. ℥iiij.
Styrac. liquid. ℥ij.
Album. Ovor. num. 8.
Aqu. Ros. fragr. ℔ij.
Borac. Venet. ʒij.

Misce & destilla; Aquamque usui asserva, pro lavandâ quotidie Facie. Melior adhuc hæc Aqua redditur, si ante ejus usum aliquid fimi columbini per bihorium infundes, hincque filtrabis; habent enim Fimi tales egregiam vim nitroso-salinam abstersivam.

Qui nigram Cuticulam planè ablatam cupiunt, his præscribitur Aqua phagedænica quædam excorians; v. g.

℞. *Mercur. sublim.* ℥j.
Aqu. commun. ℔iij.

Bulliant super ignem, quousq; sentiatur aliqua acrimonia in Linguâ, hinc adde
Magist. Marcasit. ℥iij.
Ceruss. ℥j.

Coque adhuc parum, dein Liquor clarificetur Albumin. Ovor. ac usui servetur:

Vel ℞. *Mercur. subl.* ℥j.

Pone in Vas stanneum profundum, affunde
Aqu. fontan. ℔iij.

Agita per 24. *horas spatulâ ligneâ, usq; dum Liquor evaserit niger; huic dein intingitur Linteum molle, hocq; Cutis nigra tangitur, sed non ita frequenter; semel tantùm bidui spatio*

cavend

cavendo semper, ne quid in Oculos, Aures, Nares aut Os decidat.

℞. *Aqu. Rosar.* ℥iij.
Lil. alb.
Succ. Limon. vel Citr. ana. ℥ij.
Mercur. sublimati corrosiv. ʒiß. *plus minus.*

Misce probè, usq; dum Mercurius sit solutus, hinc noctu Linteum huic Liquori calefacto immersum toti faciei applicetur. Quod si excoriata fuerit inde Cuticula, tum per plures insequentes dies alia applicetur *Aqua consolidans:* v. gr.

℞. *Aqu. Fl. Rof. alb.*
Spermat. Ranar. a. ℥iv.
Mucilag. Semin. Cydon. Aquâ Plantag. extr. ʒij.
Album. Ovor. num. ij.

Misce & cum Linteis tepidè applica.

Sub usu autem ejusmodi Mercurialium studiosè cavendum, ne quid in Oculos, Aures, Nares aut Os depluat. Ad præservandam quoque Dentium Nigredinem & cariem, ex iisdem usurpatis, masticari sæpè iterumque expui possunt *Amygdalæ dulces.*

Lac Tityhmali cum *Succo foliorum Verbasci* pluries applicatum similiter Nigredinem aufert, sed ne quid in oculos demittatur. Similem virtutem blandè corrodentem habet illa *Aqua albicans*, quæ in destillatione Butyri Antimonii omnium primò prodit; postea enim prodiens *Aqua flavescens* nimis jam corrosiva est.

De *Oleo Talci* tanquam optimo cosmetico multa dicuntur, apud Chymistas; sed sophisticum omne est, quod sub formâ Olei cujusdam circumfertur. Etsi enim *Talcum* nonnihil splendens sit, & visui occurrat tanquam balsamicâ substantiâ præditum, Lapis tamen est verus, & quidem sui generis, nullas in sese particulas oleosas aut balsamicas fovens. Quod verò inde paratur remedium cosmeticum, *Liquor* est *per deliquium* factus, & ab *Oleo Tartari per deliquium* sic dicto quoad formam ac virtutem parum differens; v. gr. Recipitur *Talcum Venetum*, quod visu oleosum aut viscidum arguitur, magno illud labore teritur in pulverem subtilissimum, postmodum vel simpliciter, vel quod securius est, cum *Tartaro* aut *Cineribus clavellatis* in Furno figulorum per aliquot dies calcinatur; hinc affunditur aut inspergitur tantilla quantitas Aquæ Rosarum fragrantis, reponitur mox in Cellam, sic *Liquor* ille *Talci per deliquium* obtinetur, quem aliâs etiam *Oleum Talci* vocant. Liquor verò hic egregius est ad purificandam, dealbandamque Cutim, si Facies eo quotidie lavetur.

Pulveres dein etiam *cosmetici* cum *Aquis* similibus in pulticulæ formam redacti noctu sub introitum lecti Faciei, Collo, imò & Manibus, si velis, illinuntur, per se siccari permittuntur, ac postridie mane Aquâ fragrante cosmeticâ teneris linteis exceptâ iterum abluuntur. Pulveres esse possunt sequentes, aut similes: *Pulveres cosmetici Aquis.*

℞. *Radic. Ireos florent.*
Sigill. Salomon. ana. ℥j.
Aron. ℥ß.

Eee *Magist.*

Magist. Marcasit. ℥iß.
Farin. Tritic. vel Fabar.
Amyli ana. ℥j.
Amygd. amar. rec. excortic. ℥ij.
M. f. Pulvis subtil. cui, si fragrantem desideres, admiscere adhuc poteris
Moschi orient. ver. gr. vij.
Zibeth. gran. 5.

Vel ℞. *Sapon. Venet. rasi & siccat.* ℥vj.
Farin. Fabar.
Lupinor.
Nucleor. Persicor.
Radic. Sigill. Salomon. ane. ℥ij.
Raphar. rustican.
Bryon. ana. ℥j.
Mercur. dulc. ℥ß.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Usurpetur ut superior.

Globuli saponiformes cosmetici Quod si ejusmodi Pulveribus permisceas *Essentiam Gummi Benzoin*, vel *Styrac. calam.* cum *Spiritu Rosar.* extractam, nec non *Oleum stillatit. Ligni Rhod.* cum *Ambrâ, Zibetho*, & *Moscho*, tum inde *Globulos saponiformes* formare poteris, quibus *Aquâ Fl. Fabarum*, aliâve nonnihil emollitis Facies, Collum & Manus fricari possunt.

Palliativa Nigredinis cura. *Palliativa Nigredinis* Faciei curatio absolvitur diversis fucis, quibus Cutis nitida & alba, vel pulchro rubore tincta redditur. Veteres *Romani* hoc præstabant *Cerussâ*, unde Martialis *Libr. 7. Epigr.* 24. Cutim *cerussatam*, vel Cicero *Buccas cerussata* sappellavit. *Fucus albus.* Hodie pro *Fuco albo* usurpant communiter *Magisterium Marcasitæ*, vel *Magisterium Cerussæ* ex *Aceto destillato*, cui *Cerussa* incocta fuit, per affusionem *Aquæ fontanæ* præcipitatum. Adduntur pro lubitu ad conciliandum gratum odorem *Flores Benzoin.* Alii *Magisterium Perlarum* hoc fine in usum trahunt. *Lac Virginum* superius descriptum, & quotidie noctu per aliquot menses illitum, laudant communiter. Vel ℞. *Farin. Lupinor. cochlearia duo, Fellis caprill. Succi Limonum ana. cochleare unum, Alumin. crystallin.* ʒß. *Misce omnia in formam Balsami, vel Linimenti, quo Facies noctu illinitur.*

Ad conciliandum ruborem autem *Fuco rubro* utuntur, quem in finem communiter hodiernâ die adhibent *Tornam Solis*, quæ nihil aliud videtur esse, quàm *Linteolum pluries Colori scarlatino intinctum & siccatum*, quo tantillum *Aquâ Rosarum* madefacto, genæ fricantur. Alii *Rasuram Ligni Brasiliani* cum *Alumine* & *Ichtyocolla* in *Aquâ* decoquunt, indeque productâ *Tincturâ* cum linteolis Genas sæpius imbuunt.

Labia verò rubicundo colore sequens inunctus inficit Balsamus.

℞. *Lacc. florent. Spirit. Vini probè lotæ* ʒj.
Olei Nucist. expr. ℥ß.
destillat. Jasmin.
Cinnam.
Rosar. aa. q. s. ad gratum odorem concil.
Misc. detur ad Pyxidem.

Nonnulli *Sanguinem Draconis verum in granis* subtilissimè pulverisant, hinc temperant cum *Mucilagine, Gumm. Tragac.* Aquâ fluviatili extractâ, & inungunt frequenter. Alii *Magi-*

Magisterium ex *Ligno Brasiliano* faciunt, coquendo probè ejus scobes vel rasuram in *Lixivio ex Cineribus clavellatis* & *Sale Tartari* concinnato, hinc *pulverem Magisterii* per affusionem *solutionis Aluminis* in *Aquâ* factæ præcipitando, denique *Magisterium* edulcorando, & cum *Mucilag. Gummi Tragac.* temperando, sicque illinendo. Sunt qui cum *Magisterio Marcasitæ albo* permiscent *Coccinellæ Tincturam*, & sic usurpant.

FACIEI RVBEDO, vid. *Gutta rosacea.*

FACIEI RVGÆ, sunt inæqualitates Cutis Faciei à consumtâ pinguedine, vel musculorum carne siccatâ ortum ducentes. Quanquam autem hæc deformitas soleat esse familiaris Senibus, nihilominus tamen etiam illis contingit interdum, qui vel diuturnâ sese inediâ macerare coacti, vel diuturnis morbis excruciati fuerunt; vel duros etiam, eosque continuos labores suis in vitæ conditionibus exantlare solent; vel qui tristitiâ & curis animi sese emaciârunt; vel denique, qui enormes perpessi vacuationes per nares, alvum aut alias vias. Cùm enim ab ejusmodi causis corpus succorum quantitate privetur, necesse est, ut cutis tandem faciei laxior reddatur, constringatur, atque plicas vel rugas adquirat.

Rugas has Faciei, utcunque minùs molestas, sequior tamen Sexus, mundanæ vanitatis plenissimus tolerare nescit, ac eapropter arte quavis quavis sibi planam magis, non secus atque nitidam cutim adquirere studet. Sed notandum tamen, in senibus tales Plicas curationem nullam admittere, in Junioribus autem subinde tolli vel corrigi posse, modò causæ removeantur, atque sic præservatoriæ indicationi satisfiat. Sed hunc scopum illæ demum Fœminæ attingunt optimè, quæ suam nôrunt cutim optimis cibis curare, atque sic chylum maximè nutrientem & copiosum pro alendâ vel augendâ etiam partium substantia sibi comparare. Neque tamen hoc sufficit, quin simul quies corporis moderata, somnus tranquill⁹, animus curis & mœrore vacuus, vita hilaritatis plena, alvus quotidie respondens, deniq; aëris temperati neq; nimis rigidi, neq; nimis æstuantis, ûsus requiritur. Fugienda proin omnia illa, à quibus supra diximus suam rugas originem trahere; hinc videmus illas Fœminas, quæ duros non subeunt labores, quæ vitam plerunq; sedentariã ac tranquillam agunt, quarum cor nunquam angitur, sed lætum semper est, quæ in radiis solaribus, æstuanteque aëre diu vivere non coguntur, plenâ semper, floridâ ac nitidâ Facie gaudere.

Quæ *externa* circumferuntur ad Rugas tollendas remedia, vix ullum præstare valent desideratum effectum; nisi fortè poros cutis nimis constrictos reserent, fibrasque siccatas emolliant, quo sic nutritius succus ubertim affluere, cutimque expandere queat: quem in finem commendare vellemus crebram *Oleorum*, *Unguentorum*,

aut

aut *Pulmentorum* calentium applicationem, quemadmodum ſunt v. gr. *Axungia humana, canina, hœdina, caponum, cervina, Butyrum recens; Olea Seſaminum, Ovorum, Roſarum, Lil. alb. Verbaſc. Amygdal. dulc. Seminum frigidor. majorum recenter ac frigidè expreſſum. Succi Herbar. Verbaſc. Portulac. Violariæ, Althææ, Malvæ; Nuclei Pinearum, Piſtaciorum. Farinæ radicum Althææ, Bryon. Symphyti, Seminis Lini, Fœnigrægi, Oryzæ; Ervi*, cum *Lacte* & *Aqu. Fl. Fabar.* aut *Roſar.* in *Pultis* formam redactæ, & applicatæ.

FACIEI VARI, vid. *Jonthi.*

FACIEI VERRUCÆ, vid. *Verrucæ.*

FAMES CANINA *ſeu* INSATIABILIS, vid. *Appetentia canina.*

Faſtidium Ciborum generale. FASTIDIUM CIBORUM GENERALE eſt ſymptoma appetitûs planè aboliti, ita ut homines non ſolùm odorem & ſaporem vel guſtationem, ſed etiam ſubinde conſpectum Ciborum omnium horreant, eosque proin ſine ſubſequente nauſeâ ac vomendi deſiderio deglutire nequeant. Vid. *Nauſea.*

Idioſyncraſia. FASTIDIUM CIBORUM SPECIALE, IDIOSYNCRASIA, eſt ſymptoma appetitûs vitiati, quo Homo non omnes in genere Cibos, Potusve, ſed hunc tantùm vel illum in ſpecie faſtidit, & averſatur maximè.

Ita hi quidem Caſeum, Butyrum, Acetum, Cereviſiam, Vinum, Piſces, Allia, Cepas; alii tandem alia horrent, & ſine nauſeâ ac horrore totius corporis ori ingerere nequeunt.

Oritur hic Affectus non niſi à peculiari atque inſolitâ ſtructurâ papillarum ac fibrarum nervearum in Linguæ, Palati aut Gulæ ſuperficiem exertarum, quæ proin ad occurſum ejusmodi rerum, quas horrent, plus minus graviter percelluntur, criſpantur, hincque ſimul fibras ſtomachicas in conſenſum trahendo, nauſeam ac vomendi deſiderium excitant. Structura talis propria ac determinata, ferè ſemper nativa exiſtit, ab imaginatione matris gravidæ non rarò dependens, quandoque tamen etiam adquiritur occaſionaliter; uti fit, ſi quis forte nimiam Cibi, quem perdite amavit, quantitatem & copiam uno in paſtu devoravit; vel ſi quis nauſeabundum purgans aliquod cum Cibo qualicunque aſſumpſit; aut cibum non munde coctum, vel aliter inſulſe paratum deguſtavit, tum enim papillæ nerveæ Linguæ ita accomodantur, ut tales poſtea Cibi faſtidio ſint, aſſumiq; amplius nequeant. Faciunt huc quoque vitioſi humores ad ventriculum delabentes, ac Liquorem illius corrumpentes in Gravidis.

Rarò curabilis eſt talis Idioſyncraſia, præſertim quæ congenita eſt, quoniam naturalem illum papillarum nervearum ſtatum corrigere & immutare vix licet. Quæ autem adventitia eſt, illa verò hactenus emendari iterum potuit. Tota hæc emen-

emendatio consistit in paulatinâ mutatione dictarum fibrarum nervearum, & assuefactione earundem ad tolerandum facilius, ac sine crispatione sui, occursum particularum antea adversarum. Quando enim sæpius tentatur eadem res, tum tandem assuetæ fibræ non amplius ad illarum adventum percelluntur, & sic Nausea tollitur.

Ad Idiosyncrasiam talem pertinet *Abstemietas*, de quâ vide suo loco: nec non *Fastidium Medicamentorum*, de quo *Dissertationem* vide Excellentiss. Dn. D. Joh. Henr. Hottingeri, *Tigurin.* quam heic Basileœ pro consequendo Doctoratûs Gradu conscripsit, & publicè pro more defendit.

FAVCIVM ASPERITAS, vid. *Raucedo.*

FAVCIVM ARDOR, vel INFLAMMATIO est tumor modò levior modò gravior cum rubore, siccitate, & ardente dolore, subinde etiam deglutionis difficultate Fauces affligens. Per *Fauces* autem intelligimus posteriorem cavitatis oris partem, quæ rictum Palati efficit, consistentem è radice Linguæ, Uvulâ, Tonsillis, summitate Gulæ & Laryngis, harumque Musculis, tandem & membranâ pituitariâ interiora palati obvelante. Quæ proin Inflammatio Musculos Laryngis & Pharyngis occupat, de eâ consule Titulum *Anginæ*. De Uvulæ Inflammatione vide *Gargareonis Affectus*; & de Amygdalarum Ardore inspice *Tonsillarũ morbos.*

Heic verò eam tantùm, quæ in radice Linguæ, ac membranâ pituitariâ Faucium occurrit, siccatem, cum rubore atque ardente dolore conjunctam intelligimus, quæque in Febribus Continuis sæpenumero occurrit, ac *Prunellæ* nomine venire consuevit. *Prunella.*

Ortum verò hæc Affectio ducit *Causa* à Lymphæ pituitosæ salso-acris crassitie est stagnatione, indeque productâ simul circulationis sanguinis impeditione in vasculis capillaribus; quale quid sæpe in Febribus continuis, præcipuè malignis, occurrere solet; præprimis quando simul tubuli faucium à potu fortè gelido, vel à deglutitione Liquoris ardentis acris spirituosi, vel ab inspiratione aëris nimis gelidi, æstuante per Febrim aut aliâs corpore, constringuntur, & angustantur.

Diagnosis & Prognosis

Symptoma est partim ex Ægrotantis relatione, partim ex ipsâ Faucium inspectione cognoscibile; periculosum certè in Morbis sive Febribus malignis, utpote facilè in Gangrænam transiens, nisi succurratur citò, atque circulatio humorum ibidem restituatur.

Curatio.

In *Curatione* proin humores viscidi incidendi, crassi attenuandi, acres mitigandi, constrictio tubulorum laxanda, circulatio humorum restituenda. Scopos hos non ita difficulter attingemus, modò decenter & ordine in remediorum præscriptione & usu procedamus. Itaque, nisi alvus probè, etiam in ipsâ Febri fuerit aperta, *Clysma* quoddam *detergens*, *aperiens* & *temperans* injicia-

 tur

tur statim; deinceps *raninæ* sub Linquâ *Venæ incidantur.* Intus verò ad Lympham probè diluendam, fluidioremq; reddendam *medicamenta anticatarrhalia, diaphoretica, blandè volatilia* sunt præscribenda, sudorque hinc expectandus: v. gr.

℞. *♁ n. diaph.*
Dent. apr. ppt.
Cryſtall. alb. ppt. ana. ℈ij.
Nitri perlati vel ♁iat.
Salis volat. C. C. purific. aa. ℈j.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqu. ad ch. mane ac veſperi cum vehiculo convenienti exhibendas. Vehiculum esse potest *Aqu. Brunellæ, Scabioſ. Card. bened. Endiv. Succiſ. Ulmar. Taraxac. Portulac. Lactuc.* Vel *Decoctum radic. Gramin. Acetoſ. Fragar. Herbar. Scabioſ. Brunell. Anſerin. Agrimon. Numular. Paſſular. Hordei integr. Raſuræ C. C.* aut simil.

Vel sequens haustus aliquoties propinari potest.

℞. *Bolor. Fimi Caballi Avenâ nutrit. num. 3. aut 4.*

Affunde Aquæ Graminis, Brunell. Endiv. Scabioſ. Card. bened. Flor. Acac. vel *Ptiſanæ ordinar.* ℥iiij. *Stent per horam aut bihorium, exprime dein Liquorem, eumq; Sacchare nonnihil edulcoratum hauriendum offer, & quidem bis de die.* Loco *Fimi caballini* sumi potest *Stercus ovillum* aut *caprillum.*

Vel ℞. *Aqu. Scabioſ.*
Succis.
Plantag. ana. ℥j.
Mixtur. ſimpl. ℈j. *vel* ʒß.
Roob Sambuc. ℈ij.
Bezoard. min. gr. xv.

M. detur ad Vitrum pro doſi ſæpius repetendâ, cum expectatione ſudoris.

Vel ℞. *Aqu. Brunell.*
Agrimon. ana. ℥iß.
Syrup. Granat. acid.
de Nymph. ana. ℥ß.
Roob Sambuc.
Spir. Nitr. dulc. ana. ʒß.
Ebor. ſine igne ppt.
♁n. diaph. ana. ℈j.

M. d. ad Vitr. Sumatur unâ vel duabus doſibus.

Vel ℞. *Bezoard. min.* ʒj.
C. C. philoſ. calc.
Mandib. Luc. piſc. ppt.
Unicorn. mar. ppt. ana. ℈ij.
Nitr. ♁iat.
Myrrhæ elect. ana. ʒß.
Sacch. roſat. tabul. ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. Doſis m. ac veſp. ʒß. *cum Vehiculo convenienti.*

Externè dein *Gargarismata* discutientia in usum sunt vocanda, ex nitrosis succulentis & mucilaginosis parata; v. gr.

℞. *Aqu. Brunell.*
Spermat. Ranar. ana. ℔ß.
Succi Semperviv. major. vel
Teleph. rec. expreſſ. ℥iij.
Roob Moror.
Dianuc. ana. ℥iß.

M. d. ad Vitr. Uſurpetur calidiusculè gargariſando.

Vel ℞. *Cancror. fluviatil. conciſor. & contuſ. num. 6.*
Herb. Brunell.
Scabioſ.
Flor. Malv. hortenſ.
Liguſt. ana. Mj.

Inciſ.

Incis. coqu. in s. q. Aqu. fontan. Colat. ℔j.
adde *Roob Moror.* ℥iß.
Sambuc. ℥ß.
Salis armoniac. ʒiß.
M. d. ad Vitr. pro Gargarismate.

Vel ℞. *Aqu. Semperv.*
Brunell.
Fl. Ligustr. ana. ℥iiij.
Succi Cancror. fluviat.
Semperviv. ana. ℥iß.
Roob Dianuc. ℥j.
Nitr. ppt. ʒj.
M. d. ad Vitr. pro Gargarismate.

Vel ℞. *Rad. Glycirrhiz.*
Alth.
Carlin. ana. ℥ß.
Herb. Succis.
Salv.
Foliorum tenerior. Rubi Sylv.
Flor. Malv. arb. ana. Mj.
Incis. coque in s. q. Aquæ fontan. Colat. ℔j.
adde *Mellis rosac.* ℥iß.
Roob Moror.
Dianuc. ana. ℥j.
M. detur. ad Vitr. pro Gargarismate.

Vel ℞. *Decoct. Rapar.* ℥x.
Roob dianuc. ℥j.
Sal. armon. ʒj.
Nitr. purif. ʒß.
M. d. ad Vitr. pro Gargarisatione.

Vel ℞. *Aqu. Brunell.* ℥vj.
Plantag. ℥iiij.
Succi Semperviv. ℥ij.
Aceti Vin.
Roob dianuc. ana. ℥j.
Spirit. Vin. camph. ℥ß.
M. d. ad Vitr. pro Gargarismate discutiente.

Post singulas gargarisationes *Eclegma* aliquod venit lingendum, v. gr.

℞. *Roob. dianuc.* ℥ß.
Syrup. Gran. acid.
Violar. purp. ana. ℥j.
Aqu. Brunell. ʒvj.
♁*n. diaph.*
Spec. diatrag. frig. ana. ʒß.
M. d. ad Oll. Cochleare plenum lambatur.

Vel ℞. *Syrupi de Semperviv.* ℥j.
Nymph.
Rub. id. ana. ʒvj.
Aqu. Flor. Ligustr.
Endiv. ana. ℥ß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒß.
Bezoard. miner.
Nitr. ♁*iat. ana. gr.* xv.
M. d. ad Vitr. Lambatur cochleatim.

Vel ℞. *Syrup. Ribium.*
Acetosell.
Roob Dianuc. ana. ʒvj.
Sambuc. ʒij.
Aqu. Succis. ℥j.
♁*n. diaph.* ʒj.
M. d. ad Ollam; sumatur cochleatim.

Collum externè ter vel pluries quotidie inungatur calidè sequenti *Oleo* vel *Linimento* resolvente:

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥j.
Rosar. ℥ß.
Spir. Sal. armon. q. s. ad consistentiam Linimenti.
Misc. d. ad Oll.

Vel

Vel ℞. *Ungt. Populeon.*
de Alth. ana. ℥ß.
Olei Chamom.
Philosoph.
Scorpion. ana. ʒij.
Misce detur ad Oll.
℞. *Olei Amygdal. amarar.*
Chamomill. ana. ʒiij.
M. d. ad Vitr.
Vel ℞. *Olei è flor. Slotan.* ʒvj.
Lumbr. terr. ʒij.
Lilior. alb. ℥ß.
M. d. ad Vitr.

Dein & *Emplastrum de Meliloto, de Mucilagin.* vel *Cataplasma* ex *Nido Hirundinum, Fimo caprill. columbin. Absynthio, Althæâ, Anetho, Marrubio albo, Melissâ, recent. contusis,* cum *Pinguedine porcinâ* aut *Melle* & *Lacte* factum imponitur. *Album græcum* ob *fœtorem* repudiamus. Vel
℞. *Pulv. radic. Alth.*
Malv.
Irid. flor.
Flor. Chamom.
Melilot.
Sambuc.
Semin. Fœni græc.
Lin. ana. ℥ß.
Misce & cum Lacte coquatur ad Pultis consistentiam, addendo
Unguent. de Hyoscyam. ℥ij.
Applicetur crebrò calidè. Sunt & qui cum fructu *Lanam nigram succidam* circa collum ponunt.

Faucium excoriatio. FAVCIVM EXCORIATIO est membranæ sive tunicæ glandulosæ Palati erosio ab humoribus salso-acribus corrosivis originem ducens. Hæc excoriatio aliquando etiam Tonsillas, atque Uvulam prehendit. Subinde cum vel sine ardore, utplurimum verò cum Raucedine Hominem molestat.

Humores salino-acres & corrosivi sunt, qui talem Excoriationem producunt, quique vel cum sanguinis massâ ad tubulos membranæ affectæ delabuntur, v. gr. in Scorbuto, Lue venerâ, inunctionibus mercurialibus &c. vel per os degluttiuntur, quemadmodum sunt Spiritus salino-acres volatiles Salis armoniaci, Urinæ, Nitri, Sulphuris, Vitrioli. Quandoque & Vomitus aut exscreatio valida pituitæ acris in transitu membranam excoriare observata est. Huc etiam contribuere valet Gargarisatio nimis vehemens & crebra.

In conspectum prodit hæc Faucium læsio, modò palatum inspicere & perlustrare velis: molesta est, Raucedinem inferens, atque, si deglutire acida vel salsa oportet, insigni plus minus dolore affligens. Scorbuticis, Leprosis, Lue Gallicâ infectis haud infrequens; apud quos Homines etiam crebrò redit, ac interdum lentè curatur, præprimis si exulceratio vel caro luxurians simul advenerit.

Si *Curationem* feliciter instituere atque expedire cupias: id primò, secundò ac tertiò agendum erit, ut excoriata pars iterum consolidetur, huncque in finem omnia impedimenta è medio tollantur. Consolidationem obtinere licet Cibis ante omnia mucilaginosis, quemadmodum sunt *Jusculа hordeacea, farinacea, avenacea,*

cea, *Oryzacea*, *contusis Cancris*, *Cochleis*, nec non *Herbis Plantaginis*, *Pimpinellæ*, *Scabiosæ*, *Lactucæ*, *Portulacæ*, *Endiv. Cichor.Borraginis* alterata; *Ova* item *sorbilia*, aliaque similia. Dein & *Gargarisma mucilaginosum* in usum trahendum, cavendo tamen, ne vehementiâ quadam Gargarisationis fauces nimis commoveantur ac torqueantur; v. gr.

℞. *Cancror. fluv. contus. num.* 6.
Herb. Plantag.
Alth. ana. Mj.
Lich. petr. Mß.
Flor. Rosar. rubr. Pj.
Semin. Psyll. ʒiij.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. Colatur. ℔j. *adde Roob dianuc.* ℥iß.
Mell. rosac. ℥j.
Misc. d. ad Vitr. ac tepidè usurpetur crebrò.

Vel *solum Decoctum Raparum* cum *Cremore Hordei* mistum gargarisari potest. Vel

℞. *Radic. Alth.*
Symphyt. ana. ʒij.
Herbar. Sanic.
Pyrol.
Flor. Ligustr. ana. Mj.
Cochlear. sine testis concisar. num. 9.
Incis. coqu. in s. q. Aqu. fontan. Colat. ℥x. *adde*
Syrup. Capill. Vener.
de Lich. petr. ana. ℥j.
M. d. ad Vitr. & frequenter gargarizetur.

Post gargarisationem, vel aliâs quoque sequens *Eclegma* lambi potest sæpius:

℞. *Syrup. de Lich. petr.*
Alth. Fern. ana. ʒvj.
Roob Dianuc. ℥ß.
Sambuc. ʒiß.
Aqu. Plantag. ℥iß.
Spec. diatrag. frig. ʒj.
Magist. ♄ *n. diaph.* ʒß.
M. d. ad Vitr. Usurpetur per cochlearia.

Pro potu ordinario concedi potest *Decoctum radic. Gramin. Hordei integr. Rasur. C. C.* & *Passular. minor.* A Cibis acribus, salsis nimium, acidis abstineatur. Motus corporis vehementiores, atq; æstus aëris caveantur maximè. *Vino*, *Spirituumq; ardentium* potui seriò est interdicendum. Alvus naturâ vel arte quotidie libera esse debet. *Venæsectio* in Plethoricis, aut ubi sanguis in aliquali æstu est, non amittenda.

FAVCIVM EXVLCERATIO *Faucium exulceratio.* est unitatis membranæ palati solutio ab humoribus acribus salino-corrosivis facta. Morbus frequens illis, qui scorbuticâ, aut venereâ sanguinis intemperie laborant, apud quos ejusmodi humores acres & corrosivi ad tunicam palati squamosam delabuntur, inibique obhærentes corrosionem instituunt, & sic Ulcusculum modò unum, modò plura excitant, saniosam pituitam acrem fundentia. *Salivatio* cum Mercurio instituta similem quoque affectionem palati, ni præcaveamus, efficit. *Luxurians* subinde *Caro*, utplurimum alba & solida, ex ulcusculis Faucium enascitur, quando succus nutritius alla-

bens copiosior admittitur, & in substantiam solidam spongiosam albam concrescit.

Humores illi acres, qui talem producunt morbum, è primis viis Massæ humorali communicantur; chylus itaque simili charactere imbutus, à Cibis salsis, acidis, acribus, à Potu acescente, à saccharatis, mellitis suppeditatus maximâ in culpâ erit; præprimis si nativa vel adventitia temperies scorbutico-hypochondriaca præcesserit. Concubitus dein cum hominibus Lue venereâ infectis huc contribuit, postquam scilicet sanguis hâc ratione totus fuit infectus, & salibus corrosivis imbutus. Tandem Inflammatio in Abscessum abiens Ulcus etiam post se relinquit, pro variâ humorũ acrimoniâ varium.

Diagnosis. Cognitu facilis hæc Exulceratio, modò palatum inspiciamus. Admittit tamen illa differentias varias respectu tam magnitudinis, quàm vehementiæ, temporis, aliarumque circumstantiarum. Etenim Exulceratio alia *superficiaria* est, alia *profunda*, ac *sinuosa*; alia simplex, alia *multiplex*, pluribus in locis contingens, aut cum carie subjectorum ossium, vel saltem cum luxuriante albâ rubrave carne conjuncta; alia *recens*, alia *inveterata*; alia *benigna*, minimè serpens, alia *maligna*, serpens, & exedens, cancrosa.

Prognosis Interdum brevi facileque sanatur, si benigna nimirum, ac recens fuerit, difficulter autem sanabilis, quæ inveterata est, maligna, cancrosa, fistulosa, serpens; hæc enim lentam plerunque Febrim, ac mortem hecticam post se trahit.

Curatio absolvitur Ulcerosæ partis detersione seu mundificatione, carnis, si quæ adest, corruptæ & excrescentis sive luxuriantis consumtione, ac tandem consolidatione. *Detersio* fit per *Gargarismata* ex abstergentibus concinnata, quemadmodum sunt *Decocta Radicum Gentianæ, Aristolochiæ rotund. ver. Angelic. Vincetoxic. Herbar. Absynth. Abroton. Sanicul. Pyrol. Millefol. Card. bened. Cent. min.* v. gr.

℞. *Radic. Aristoloch. rot. ver.*
Rhabarb. Monach.
Gentian. ana. ℥ß.
Herb. Marrub. alb.
Artemis.
Brunell. ana. Mj.
Summitat. Absynth.
Cent. min. ana. Mß.
Incisa coque parum in
Aquæ commun. vel
Plantag. ℔iiß.
Vin. alb. veter. ℔ß.
Colaturæ adde
Mellis rosac. ℥ij.
Essentiæ è Myrrhâ, Aloë, Croco & Rhabarb. cum Spirit. Vini tartarisatio extract. ℥ß.
Misce detur ad Vitrum, ac inde sæpius Os & Palatum tepidè eluatur.

Vel simpliciter *Rapæ* cum *Salviâ*, *Scabiosâ*, aut *Tanaceto* in *Aquâ* ac *Vino* decoquuntur, Decocto *Mel rosaceum* cum *Roob Sambuc.* permiscetur, & ita frequens gargarisatio instituitur. Finitâ autem tali Faucium elotione *Syrupus Papaveris rhead. Violar.*

Violar. purp. de Nymphæâ, *Sceletyrbicus*, *de Absynthio*, cum *Aquâ Plantag. Taraxacon. Ulmar. Melle rosaceo*, *Roob Dianuc.* & *Sambuc.* junctus cochleatim exhibetur. Vel *Syrupus è Decocto Cochlearum*, *Bellid. minor.* ac *Plantagin.* cum *Saccharo* fit, ac lambendus sæpè traditur.

Si luxurians adfuerit Caro, eaque albicans, *speckicht*, corrosivis illam detergere vel absumere remediis tentabis; partem etiam forfice rescindere studebis. Corrodentia usurpantur primò lenia, v. gr. *Aqua Calcis viv.* cum *Essentiâ Aloës*, *Myrrh. Pyrethr.* quibus tangitur sæpius Caro luxurians calidè, ac palatum dein iterum *Aquâ Pulegii*, *Salviæ* & *Cent. min.* eluitur. Quibus nil efficientibus ad *Unguentum Ægyptiacum* cum *Melle rosaceo* permiscendum atque inungendum, sed brevi rursus exspuendum & eluendum acceditur. Si adhuc efficacius desideretur remedium, *Spiritus Vitrioli*, *Nitri* aut *Sulphuris* vel per se adhibebitur cum penicillo, vel prius *Melli rosaceo* commiscebitur. Imò sunt, qui in casu necessitatis, etiam *Lapidem infernalem*, *Butyrum Antimonii*, *Mercurium præcipitatum*, vel *Aquam phagedænicam* subinde admovent, moxque iterum eluunt remedii corrodentis particulas. Alii planè *actuali cauterio* exurunt ejusmodi excrescentias.

Quando autem ita absumta est omnis caro luxurians vel corrupta, tum ulterius detergens & mundificans in usum trahendum, atque hunc in finem *Lapis medicamentosus* Crollii *Decocto radic. Aristol. Imperator. Ulmar.* atque *Gentianæ* dissolutus frequenter adhibetur; vel locus ulceratus sæpius tangitur *Essentiâ Myrrh. Aloës* &c. ac deinceps *Mel rosaceum* cum *pulvere Rubricæ fabrilis* adhibetur donec consolidatio sit facta.

Quod si Exulceratio sinuosa aut fistulosa fuerit, non alio quàm dicto modo procedendum est in curatione; si verò os cariosum subtus latuerit, corrodentibus remediis Ulcus amplificandum est, usque ad ipsum os, huic dein sæpius linteolum *Oleo destill.* ac *Pulvere Piperis*, *Euphorbii*, *Ireos Florent.* imbutum admovetur, donec exfoliatio cariosæ portionis facta fuerit, osque nudum ac sanum apparuerit. Hoc dein carne obtegetur novâ, sicubi siccè tantùm linteola fuerint applicata, aut non nisi prius conspersa *Pulvere radic. Ireos flor.* extiterint.

Consolidatio demum promovetur solo *Melle rosaceo*, *Roob Dianucum*, cum *Pulvere Boli Armen.* ♁ *nii diaph. Rubricæ fabril.* ter pluriesve per diem admoto. *Consolidatio.*

Intus in tali Affectione aliquoties *Infuso Fol. Senæ cum Rhabarb.* vel *Pilulis purgantibus cum Mercurio dulci*, vel *Syrupo de Cich. cum Rhab.* corpus evacuabitur. *Decoctum traumaticum* vel *Infusum fol. Thée*, *Sanicul. Virg. aur.* &c. postea diu bibetur.

Si *cancrosum* fuerit Ulcus, exedens, serpens, vel planè non tangendum, vel *Decocto folior. Solani*, *Salv. Geran. robert. Flor. Melilot. hortens. Cochlearum nudarum* cum *Mercurio dulci*,

dulci, ac *Magister. Saturni*, sæpius quotidie per longum tempus eluendum erit.

FAUCIUM CARO LUXURIANS, vid. *Faucium Exulceratio.*

FAVI, vid. *Achores.*

Febris in genere. FEBRIS in genere est præternaturalis quædam sanguinis fermentatio, cum lassitudine, siti, appetitu utplurimum abolito, æstu corporis, pulsu celeri & frequenti, aliisque symptomatibus Hominem affligens.

Causa. Oritur plerunque à circulatione sanguinis in capillaribus hinc inde vasculis impeditâ: quod impedimentum nascitur vel vitio seri sanguinei, acorem, crassitiem, & viscitatem quandam adepti; vel vitio pororum cutis & vasculorum capillarium, constrictorum à frigore qualicunque externi aëris, aut ab Aquâ frigidâ, cui sese forsan Homo immergit intempestivè; vel vitio humorum corrosivorum sanguini fluiditatem nimiam, imò dissolutionem malignam sive totalem conciliantium. Ut adeo diversæ causæ ad eundem scopum producendæ Febreos colliment; primò enim *Aër* vel nimis æstuans sanguini fervorem aut dissolutionem, vel nimium frigidus eidem crassitiem, & viscitatem, simulque transpirationem cutis insensibilem præpediendo, accumulationem seri conciliat, sicque Febrim suscitat. *Cibi* sive boni sive mali copiosè nimis, vel intempestivè ingesti, chylum crassum, lentum, ac viscidum exhibent, unde sanguis similis evadit. *Somnus* & *Quies* nimia humores accumulat. *Vigiliæ* & Corporis *exercitationes* magnæ vehementesque sanguini acrimoniam conciliant, ad producendos æstus febriles aptam. Neque *Ira* excessiva, *Terrorq;* panicus è numero causarum eximuntur, quando talium Mentis passionum ope Spiritus animales nimis agitantur, fibræ Cordis & Vasorum sanguivehorum ita percelluntur, aut crispantur, ut hinc facilè motus humorum circulatorius perturbetur, illique hinc inde in suo transfluxu libero præpediantur.

Symptomata febrilia quamplurima sunt, sed facilè tamen dictis è causis explicabilia. *Æstus* enim corporis totius ferventi sanguini debetur, per totum corpus circulanti. *Horror febrilis* Lymphæ acidæ, fibras panniculi carnosi constringenti & crispanti, adscribitur. *Sitis* à Salivæ defectu, ac Linguæ ariditate suos plerunque natales trahit. *Appetitus abolitus* oritur à Lymphæ gastricæ inertiâ, crassitie, vel penuriâ, ob quam irritatio fibrarum Oesophagi contingere nequit. *Lassitudo* adest in corpore toto propter crassitiem humorum, indeque oriundam spirituum insufficientem quantitatem aliâs nervos omnes suâ elasticitate expandentem. *Dolor Capitis* stagnationi sanguinis, vasa membranasque molestè tendenti adscribitur. *Pulsus celer* & *frequens*, *Agrypniæ*, spirituum & sanguinis agitationi vehementi attribui solet.

Urinæ,

Urinæ rubræ ſunt plus juſto, ob ſulphureas particulas cum ſalinis copioſioribus intimius commiſtas. *Anxietas præcordiorum* vel ſaburræ cruditatum ſtomachicarum, vel æſtuantis ſanguinis tardiori per pulmones decurſui ortum debet. *Mentis alienatio* denique ab inordinato ſpirituum, ac fibrarum cerebri medullarium motu provenire unicè videtur. Hæmorrhagiam Narium aliarumve partium vel ab æſtu copioſi ſanguinis, vaſa per nimiam tenſionem rumpente, vel ab acrimoniâ ejusdem tubulos erodente deducimus. Conſtipatio alvi à craſſitie vel penuriâ Lymphæ inteſtinalis; *Fluxus* autem *Ventris* à ſeri ſanguinei nimiâ fluiditate originem trahit. Ut alia prætercam.

Febris cujusque præſentia cognoſcitur ex pulſu celeri ac frequenti, ſiti, urinâ plus juſto tinctâ, laſſitudine totius corporis, appetitu proſtrato, tanquam è ſignis pathognomonicis, quibus dein plurima alia ſymptomata pro complexionum aliarumve circumſtantiarū ratione junguntur. Plerunq; Febris à frigore, vel horrore aut etiam rigore per horam plus minus durante incipit, quem dein ſequitur æſtus toti⁹ corporis, ſitis, anorexia &c.

Febrium *differentiæ* ſunt multivariæ, etenim 1. Aliæ ſunt *benignæ*, quæ cum mitibus, aliæ *malignæ*, quæ cum vehementibus ſymptomatibus homines affligunt, quæque ſæpius *contagioſæ* & *epidemicæ* evadunt. 2. Aliæ ſunt *continuæ*, à principio ad finem ſine intermiſſione durantes, aliæ *intermittentes*, quæ uno vel altero die intermittunt, ac de novo redeunt. Continuæ *benignæ* ſunt *Ephemera*, *Lactea*, *Hectica*, *Lenta*, *Synochus*, & *Cauſus*: *malignæ* ſunt *Morbus Hungaricus*, ſ. *Febris caſtrenſis*, *Febris peſtilens*, *Peſtis*, *Sudor Anglicus*, *Variolæ*, *Morbilli*. Singulæ differentiæ ſeorſim in ſequentibus pertractantur.

Circa *Curationem* is omnium optimè verſabitur Medicus, qui poſt evacuatas primas vias, ſanguinisque extractionem, lentorem humorum optimè incidere, ſanguineo ſero debitam fluiditatem conciliare, ejus acrimoniam edulcorare, diſſolutionem imminentem præcavere, ac denique ſymptomata probè mitigare ſtudebit. *Curatio.*

FEBRIS LACTEA, eſt Febris continua utplurimum Ephemera, aliquot poſt partum diebus, cum levi horrore, æſtu hinc, aliisque ſymptomatibus febrilibus ſubſequentibus, Puerperas, dum Lac in Mammas confertim prorumpere incipit, affligens. *Febris lactea.*

Accidit nimirum aliquot poſt partum diebus cum horrore, quem calor totius, plus minus intenſus, ſitis, mammarum intumeſcentia, lumborum dolor, inquietudo, vigiliæ, laſſitudo, appetitus imminutus, ſubſequuntur. Quandoque ſimul Inflammatio aut Eryſipelas Mammarum jungitur. *Diagnoſis.*

Producitur hæc Febris nunc à Chylo tantillum crudiore, in Maſſam humoralem juſto copioſius influente, & turbationem inſtituente: nunc à retentis Lochiis, & aliqua parte in ſangui- *Cauſa.*

ſanguinem regurgitantibus; nunc à chyloſis particulis, copiosè & velut cum impetu in tubulos mammarios, nondum ſatis pervios irruentibus: nunc tandem ab ipſâ Uteri inflammatione, quæ ſi pertinacior ſit, malignam ſimul atque deleteriam poſt ſe trahit Febrim. In omnibus enim hiſce caſibus inteſtinus particularum Maſſæ ſanguineæ motus invertitur, vel certè augetur dum interea circulatorius ejus motus offendiculum inveniat.

Prognoſis Si *Prognoſin* ſpectes, niſi Uteri obtingat inflammatio, aut alias Maſſa ſanguinea crudioribus admodum particulis turgeat, Febris lactea neque periculoſa eſt, neque diu durans. Si verò Lochia ſupprimantur pertinaciter, febris difficilior redditur, inque ardentem non rarò periculoſam aut malignam mutatur.

Curatio. Quoad *Curationem*, in principio ſtatim ſi Alvus ſegnior aut prorſus ſuppreſſa extiterit, vel *Suppoſitorio*, vel *Clyſmate emolliente* ſollicitabitur, & commodè evacuabitur. *Suppoſitorium* concinnari poteſt vel ex *Globulis moſchatis*, *Oleo Oliv.* intinctis, vel ex *Melle* cocto cum tantillo *Croci*; vel ex *Radic. Petroſelin.* aut *Scorzoneræ*. *Clyſma* verò componetur ex *decocto Radicum* atque *Herbarum emollientium*, cum *Oleo roſaceo*, vel *violaceo*, atque *Melle*; v. gr.

℞. *Decoct. rad. & Herb. emoll.* ℔j.
Mell. roſac. ℥iß.
Ol. Amygd. d. Lil. alb. ana. ℥j.
Salis Gem. ʒß.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Poſtea ſtatim ad *diaphoretica* [...] cedendum; ubi m. ac v. *Lac Lun*[...] *C. C. philoſ. ppt.* ♁*nium diaph. Oc*[...] ♋. *ppt. Ebur ptt. Unicorn. foſſil. Te*[...] *ſigillat.* ac ſimilia *ad* ʒß. cum liqu[...] conveniente exhibeantur; ſimulq[...] *Mixtura diaphoretica* cochleatim ſ[...] pius propinetur, ex *Aquis deſtilla*[...] *Fumar. Flor. Sambuc. Ulmar. Scabi*[...] *Card. bened. Syrup. Fl. Tunic. Rub.* [...] *Corall. Rib. de Beton. Bezoard. min.* [...] *C. phil. ppt.* aliisve pulveribus ant[...] recenſitis ſudoriferis confecta, v. g[...]

℞. ♁*n. diaph.* ʒj.
Cryſt. alb. ppt.
Lact. Lun. ana. ℈ij.
C. C. phil. ppt. ʒij.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 8. *doſ. æq*[...] *ad ch. m. ac v. ſumendas.*

℞. *Aqu. Fl. Samb. Scab. ana.* ℥iß[...]
Syrup. Capill. ♀ *r.* ʒvj.
Bezoard. min. ℈j.
Matr. Pert. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr. Sumatur per coc[...]*learia.*

Si ſudor ſubſequatur, quema[...] modum impediri non debet, tu[...] abſtergendus ille diligenter venit, i[...] duſiumque probè ſiccatum admitte[...] dum. Mammæ ab externo pro[...] muniantur frigore. Ciborum vi[...] non niſi *Juſcula* carnium, eaque opt[...] ma concedantur. Loco *Vini* bibat *d*[...] *coctum Raſur. C. C.* cum *Hordeo*, [...] ſi placet *Hederâ terreſtr.* vel *Aniſo*, [...] *Liquirit.* Ira, Metus, Triſtitia, Motu[...] aut obambulatio nimia extra lectu[...] fugiantur. Si Lochia non fluant, a[...] malè fluant, eo medendum eſt mod[...]

quem

quemadmodum ſuo loco demonſtrabitur.

FEBRIS EPHEMERA ſive DIARIA, πυρετὸς ἐφήμερος, eſt Febris continua benigna per diem tantùm unum durans, nonnunquam verò etiam ad plures dies ſeſe extendens, cum frigore aut horrore incipiens, & in æſtum, tandemq; ipſum ſudorem, aliamve criſin terminans.

Afficiuntur itaque primariò, ſicut in Febribus in genere omnibus, humores corporis circulantes, præternaturaliter fermentantes, ſecundariò autem Partes quoque ſolidæ.

Proximè Febris qualiscunque ephemera producitur à Lymphâ aliquâ auſterâ, plus minus viſcidâ ac tenaci, in vaſis capillaribus, tubulisve lymphaticis Glandularum, ipſisque etiam vaſculis earundem excretoriis hinc inde obhærente, ſtagnante, ac ita circulatorium ſanguinis motum impediente. Lympha autem illa neque copioſa, neque inſigniter acris aut viſcida eſt, quoniam ſic non Ephemeram, ſed intenſiorem continuam Febrim efficeret.

Occaſionem porrò Ephemeræ præbet interdum ſubita pororum cutaneorum conſtipatio à frigore aëris externi, ad æſtuans fortè, vel calidum ſatis corpus admiſſi, unde per regurgitationem, aut retropulſionem molecularum plurium ſtatim humoralis latex in motu progreſſivo præpeditus inteſtinum motum vehementiorem ſive turbationem aut turgeſcentiam quandam plus minus inſignem adipiſcitur, ipſamque adeo Ephemeram producit.

Antecedenter verò ad Lymphæ viſciditatem contribuit Chylus minus probè in Ventriculo digeſtus, aut malè in Inteſtinis elaboratus, ſive dein id contingat liquoris gaſtrici, ſive Diætæ vitio; quandoquidem & Cibi craſſiores atque dyſpepti, & Potus quicunque immodicè vel intempeſtivè ingurgitati, & exercitationes corporis nimiæ, & Paſſiones tandem animi vehementiores, inprimis ſtatim à paſtu obvenientes, Ventriculi coctionem turbando, crudiorem utplurimum Chylum producere poſſunt.

Pro varietate autem cauſarum plus minus fortium *Ephemera* differentias conſequitur, ut alia quidem per 24. tantùm horas duret, alia verò ad duos vel tres dies haud interrupto tenore extendatur, & *Ephemera plurium dierum* vocetur. Si verò ejusmodi Febris ultra aliquot dies mitibus cum ſymptomatibus perdurat, tum *Synoches*, vel *Continentis* ejusque nunc *ſimplicis*, nunc *putridæ* nomen adipiſcitur. *Differentia.*

Quoad *Diagnoſin*, incipit hæc Febris cum horrore nunc leni, nunc fortiore: ſequitur hinc æſtus totius corporis, cum laſſitudine, ſiti; præcedente etiam quandoque vel ſomno graviore, vel frequenti oſcitatione. Pulſus celer & frequens, in Plethoricis ſimul vehemens, æqualis, ordinatus. Interdum quoque junguntur nauſea, oris amaror, vomitus, anorexia, cephalalgia, vertigo, vigiliæ, *Diagnoſis.*

giliæ, alvi segnicies, saliva viscida, & pauca, lingua sicca, inquietudines; urinæ evadunt croceæ sive plus justo tinctæ, crassæ, modò turbatæ, modò claræ.

Prognosis. Quantum ad *Prognosin* attinet, Ephemera sæpius eodem modo, iisdemque cum symptomatibus, ac Febris maligna, Hominem affligere solet; proin minimè fidendum, & prægressa diæta sedulò venit examinanda, è cujus circumstantiis prudens Practicus facilè judicabit, num pejus quid, quam Ephemera, metuendum sit. In genere tamen Ephemera, si talis est & manet, nihil in se discriminis habet, quin Ægro sese maturè in lectum componente multoties intra 24. horas, frequenter & intra secundum, tertiumve diem cessat. Solvitur autem nunc sponte, nunc remediorum debitorum usu; & quidem vel per sudorē, vel per diarrhoeam, vel per Narium Hæmorrhagiam. Aliquando etiam, ubi scorbutica salia, aliæve heterogeneæ particulæ in sanguine luxuriant, in Tumores adenosos, Furunculos, Abscessus, Erysipelata crurum aut brachiorum, Capitis intumescentias, Tubercula, Pustulas, aliave Exanthemata cutanea terminatur. Reperiuntur homines, qui ob peculiarem humoralis Massæ dyscrasiam, vel levissimum ob errorem diætæ in Ephemeras cadunt.

Curatio. Quod si proin Febres contagiosæ grassantur, tum *Curatio* sicut in his instituenda venit. Aliâs verò statim ad primas vias attendendum, ex iisque causa antecedens cautè expellenda est, & quidem per lene *vomitorium*, ubi cruditates in stomacho nauseabundæ deprehendentur; vel per *lenitivum*, si in Intestinorum tractum expansæ vel dispersæ notabuntur. Pro *vomitorio* inservire apud Adultos possunt seqq.

℞. *Oxysacch. emet. Danj. Lud.* ℥iij. *ad* ℥ß.
Aqu. Endiv.
Portulac. ana. ℥ij.
Syrup. de Nymph. ℥j.
M. d. ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri* ℈ß.
Salis Abs. vel Card. ben. gr. vj.
♀*ri emet. gr.* ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi jejuno ventriculo capiendâ.

Pro lenitivo inserviunt *Syrupus de Cich. cum Rhab. ad* ℥iiß. *Syrup. Ros. sol. compos.* ad eandem dosin; *Syrup. Ros. sol. s. Syr. Fl. Pers.* aut *Acac. Infusum Fol. Senæ* cum vel sine *Rhab.* ad ℥iij. Vel

℞. *Radic. Scorzoner.* ℥iß.
Herbar. Succis.
Agrim. ana. Pj.
Fol. Sen. opt. mund. ℥ß.
Rhab. elect. ℈ij.
Tarmarind. pulpæ ℥vj. *aut*
Crem. ♀*ri* ℥j.
Semin. Fœnic. ℈iiij.
Incis. & cont. coque in s. q. Aqu. font. Colatur. ℥iij.
adde Syrup. Ros. s. s. ℥ß.
Detur ad Vitr. pro dosi.

Vel denique *Panacææ solutiv. alcalinæ* doses aliquot, v. gr. tres, pluresve, quotidie mane cum tenui

emulsione

Emulsione semin. 4. frigid. maj. capiendo unam dosin continentem scrupulos quatuor. Quòd si tamen sanguinis inflammatio aut turbatio gravior sit, tutius in principio statim *Clysmata* infundentur, verb. gr. in Adultis

℞. *Radic. Alth. Lil. alb. ana.* ℥ß.
Herb. Malv. Mercurial.
Salv. Parietar. ana. Mj.
Flor. Chamomill. Miß.
Baccar. Juniper. Semin. carv.
Semin. Aquileg. ana. ʒj.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. Colaturæ ℔j. *adde*
Mell. rutac.
Ol. Lil. alb. ana. ℥j.
Salis communis ʒj.
M. F. Clyster statim injiciendus.

Vel ℞. *Juscul. Carn. salit.* ℔j. *adde*
Succ. Bet. recent. express. ℥iß.
Mell. rosac. ℥j.
Ol. Olivar. ℥iß.
M. F. Clyster statim injiciendus.

Alvo sic laxatâ *Venæsectionem* in Plethoricis, iisve, quibus caput valdè dolet, pulsusque vehemens ac plenus existit, non reformidamus, modò ne crisis jam aliqua incipiat in quamcunque partem corporis fieri. Quandoque etiam *Cucurbitulæ cum scarificatione Venæsectioni* substitui possunt.

Deinceps verò unum aut alterum *diaphoreticum* exhibeatur, ex *Antimon. diaph. Corall. rubr. ppt. Dent. apr. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Cryſtall. alb. ppt. Corn. Cerv. phil. ppt. Bezoard. min. Ebor. ppt. Pulver. Pannon. rubr.* & similib. cum *Roob Samb. Aqu. Fumar. Card. bened. Cherefol. Scab. Succisæ*, aliave conveniente concinnandum, v. gr.

℞. *Aqu. Succis. Cichor. ana.* ℥j.
Syrup. Capill. ♀ *r.* ℥ß.
Diasc. Frac. ℈j.
♁*n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt. ana. gr.* 15.
M. d. ad Vitr. Propinetur pro dosi quotidie bis repetendâ.

Vel sequ. sumatur.

℞. *Aqu. Lactuc.*
Endiv.
Portul. ana. ℥j.
Syrup. Rub. id.
Corall. ana. ʒiij.
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt.
Pulv. Pannon. rubr. ana. ℈ß.
M. detur ad Vitr. pro dosi sæpè repetendâ.

Indeque sudor pro Ægri commoditate, vel copiosior saltem transpiratio insensibilis exspectetur; quibus contingentibus Febris omnis solvetur, & promptè dissipabitur. Illâ verò dissipatâ per aliquot nihilominus dies, autumnali præsertim ac hyberno frigido tempore, liberum Ægrotus vitare aërem debet, donec appetitu plenè restituto nihil amplius quoad recidivam Febris metuere possit. Si Ephemera solvitur in Cutis exanthemata, pustulas, erysipelas, capitis tumorem &c. tum *pulveres diaphoretici* per aliquot dies m. ac v. ab Ægro sunt capiendi, simulque *Mixtura* quædam *diaphoretica* sicut in aliis Febribus cochleatim est propinanda,

nanda, donec omne symptoma fuerit discussum. Pro Appetitûs, fortè adhuc deficientis, restitutione *Pulverem* cōmendam⁹ *stomachicum Birckm.* vel *Pulverem fol. Tanacet. Radicis Cichor. Tarax. fol. Card. bened. Absynth.* &c. cum *Sale essential. Citri*, *Limonum*, *Acetosell. Radice Aron. Corticib. Citr.* &c. Vel haustus unus atque alter *Aqu. stillat. Apii selini*, *Scabios. Nasturt. aquat. Card. bened.* bibatur. In *Diætâ Juscula* capiantur *carnium*, item *avenacea*, *hordeacea*, *farinacea*, *herbis* quoque *Lactuc. Acetos. Portulac. Endiv. Agrimon. Scabiosæ* &c. alterata.

Pro *Potu ordinario Ptisana* concedatur. Si Erysipelas, Furunculus, aut quid aliud Febri successerit, ei medebimur, sicut suis locis indigitavimus.

Febris lenta

FEBRIS LENTA est Febris continua cum lassitudine, dysorexiâ, aliisque symptomatibus minus vehementibus paulatim Hominem consumens & emacians, â præternaturali massæ humoralis, serique sanguinei lentore, & acrimoniâ ortum trahens.

& Hectica.

FEBRIS HECTICA verò est Febris continua lenta, itidem Hominem lentè consumens, sed ab internæ alicujus partis exulceratione, infarctu, aut scirrho, vel à Fistulâ, Pædarthrocace, similive etiam externarum partium morbo originem ducens. Diversa autem nomina pro causarum varietate sortitur, quod si enim illa sequitur ulcus Pulmonis, tum *Phthisis*; si ab obstructione tubulorum mesaraicorum, *Atrophia*; si à Lymphæ in Thoracis vel Abdominis cavitatem exundatione oriatur, *Hydrops pectoris*, vel *Ascites*; si ab exulceratione alius visceris, aut Fistulâ proveniat, *Hectica* simpliciter vel *fistulosa*; si porrò vermibus dorsalibus, aliisque succedat, *Comedones*, aut *Tabes* vel *Hectica verminosa*; si denique à seminis perpetuò fluxu ortum ducat, *Tabes dorsalis* vocari consuevit.

Unde concludere licet, gradualem quandam existere inter *hecticam lentamq́;* Febrim differentiam, ùt *hectica* quidem omnis simul includat *lentam*, sed *lenta* tamen etiam sine *hecticâ*, i. e. internâ alicujus partis viscerisque læsione contingere possit. Etenim Pars affecta in *Febri lentâ*, unde corporis nascitur tabes, non est nisi Massa humoralis, viscíditate ac lentore quodam acriusculo pollens, & nullum adhuc internæ corporis parti solidæ læsionem afferens, quanquam deinceps cum temporis tractu, maximè per errores Diætæ, simul viscus unum alterumve infarciri vel exulcerari possit. In *Febri hecticâ* autem non solùm massa sanguinea acris admodum & viscida observatur, sed & modò hæc modò illa pars solida simul læditur. Imò & externarum quarundam partium Fistulæ, Ulcerave cacoëthea sæpius Hecticam talem post se trahunt.

Utraque tamen Febris *immediatè*, atque *proximè* inducitur per particulas acido-plus minus acres, crudas, ac viscidas,

viscidas, sanguinem in continuâ quadam, lenique turbatione ita tenentes, ut non solùm cum difficultate quadam per tubulos transmittatur, sed insimul insufficientes exhibeat moleculas nutritias, aptas poros solidarum partium subeundi, inibique obhærescendi. Suggeruntur autem sanguini illæ particulæ acres antecedenter, in *lentâ* quidem *Febri* ex ipsis primis viis, in quibus per varios in victûs ratione reliquâque Diætâ commissos errores, pituitosi crudique ob perturbatam digestionem humores cumulati fuerunt. Quibus adde & Lumbricorum in ventriculo aut intestinis progenitorum copiam, nutrimentum sedulò absumentem. Sic non rarò Febris quædam plus minus maligna, aut continua imperfectè soluta talem post se trahit *lentam Febrim*, remanente præternaturali sanguinis crassitie nonnihil acri. Sicut etiam aliàs *Hecticam* post se relinquit, si materia morbifica corrosiva in partem quandam internam fuerit præcipitata, inque eâ corrosionem exulcerativam instituerit. *Macies* verò sive *consumptio* evenit, quatenus circulans in tali morbo humoralis massa sui calore excessivo plùs dissolvit, excutitque particulas nutritias, antea poris impactas, easque sic mobiliores redditas, per insensilem copiosè abigit transspirationem. Cùm autem mensium suppressio interdum ab eadem, quâ lenta Febris, causâ inducatur, occasionem dedit falsò credendi, eandem hecticæ vel lentæ simul apparentis Febris causam existere. Febri hecticæ interim materiam suggerunt Ulcera sinuosa ac fistulosa tam internarum quàm extern. partium, spina ventosa, Comedones & Crinones, Seminis aut Urinæ nimia profluvia, infarctus internorum viscerum, imò & ipsæ serosi humoris extravasationes, unde particulæ crassiores, salino-acres & corrosivæ in sanguineum laticem quâ datâ portâ intromissæ, vel inibi relictæ nutritium ejus succum minuunt, corrumpunt, aut etiam corrosivum reddunt, nutritioni partium minimè convenientem.

Quoad *Diagnosin*, Febrim *lentam* indicant appetitus imminutus, virium languor, carnis tarda consumptio, pallidus faciei color, frigora extremorum vel etiam totius corporis facilia, horripilationesque frequentes, pulsus frequens, justo celerior, atque naturali debilior, urinæ splendidæ, magis flavæ, sæpè & crassiores lixiviosæ, saliva nonnihil viscida, aut vappida, plerunque ingrati saporis; præterea nulla læsæ cujusdam partis internæ signa, sed solius lentoris sanguineæ massæ indicia adsunt, qualia quidem existunt, præter jam dicta, etiam alvi segnities, levis interdum cordis palpitatio; arteriarum visibilis in collo aut fronte pulsatio, mensium aut hæmorrhoidum suppressio, quandoque & capitis obscurus, aut magis intensus dolor, somnus perturbatior. *Diagnosis Febris lentæ.*

Febrim hecticam autem produnt pulsus frequens & celer, respiratio offensa, vires quotidie magis deficientes, consumptio totius paulatina, *Hecticæ.*

urinæ lixivioſæ, ſplendentes, ſitis frequens, ſalivæ penuria, appetitus magis quàm in *Lentâ* imminutus, ſomnus irrequietus cum frequenti ſudore colliquante: quibus ſimul junguntur ſymptomata læſionem alicujus partis, utplurimum internæ graviorem ſubſequentia, ſuisque locis exponenda, v. g. in Phthiſi, Scirrho Hepatis vel Glandularum Meſenterii &c.

Prognoſis Si *Prognoſin* ſpectes, uterque Affectus tanto periculoſior, quanto magis eorum cauſa morbifica eſt radicata. Lenta Febris hinc facilè in hecticam mutatur, per eroſam vel obſtructam quandam glanduloſam partem, & ſic tandem lethalis evadit, quæ per ſe neminem è medio ſuſtuliſſet; hectica verò non ſanatur, niſi pars affecta eandem fovens ſuæ integritati fuerit reſtituta: facilius autem eſt, lentum atque viſcidum ſanguinem, qui Febrim producit lentam, ad priſtinum ſuum vigorem volatilitatemq; balſamicam reducere, quàm læſionem viſceris interni corruptivam aut ſcirrhoſam emendare. Si Æger ſummè emaciatus exiſtit, viribusque exolutus, & nocturnis ſudoribus diffluat, tum citato ad mortem gradu progreditur.

Curatio Hecticæ. In *Curatione* Febris *hecticæ* quidem peculiarem heic medendi methodum non requirit, quando pro ſui cauſâ non niſi alium quendam Morbum agnoſcit, cujus ſanandi ratio ſuo proin loco exponitur.

Lentæ. In *lentâ* autem Febri unicè propemodum eo adnitendum eſt, ut ſanguinis maſſa à ſuo lentore ac viſciditate pituitoſâ liberetur, ac ſubtilitati balſamicæ reſtituatur; quod quidem fieri debet partim per ea, quæ liquoris gaſtrici naturalem volatilitatem reparare valent, partim per ipſius humoralis maſſæ attenuationem, blandè volatilibus alcalino-ſalinis remediis perficiendam. Quamobrem ante omnia ventriculum & inteſtina oportebit eluere, *vomitorio* quidem, ſi cruditates ſtomachi nimis viſcidæ id requirant, & vires Ægri permittant; ſed hcic comendamus *leniora*, aut fractâ doſi exhibita, quando tutius arbitramur, repetitos vomitus excitare, quàm unâ vice corpus nimis exagitare; *Syrupus* itaque *emeticus Angel. Sal. Tartarus emeticus* cum *Crem.* 🜿*ri*, *Antimonio diaphor.* aut *Arcano dupl. Mynſicht.* nec non *Aqu. bened. Ruland. Oxyſacch. emet. D. Lud. Radix Aſari pulveriſ.* cum *Mercur. dulc.* & *Sale* quodam *lixiv.* mira præſtare poſſunt. v. g. in Adultis.

℞. *Oxyſacch. emet. vel*
Syrup. emet. A. Sal. ʒiij. *ad* ℥ß.
Aqu. Fœnic. ʒiij.
M. detur ad Vitr. pro doſi matut.

Vel ℞. *Aqu. bened. Rul.* ℥ß. *ad* ʒvj.
Syrup. de Nymph. ʒij.
Tinct. Corall. vel
♁*nii* ℈ß.
M. detur ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Pulv. Ipecacuann.*
vel Radic. Aſar. ʒß.
Crem. 🜿*ri gr.* iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Crem.* 🜿*ri* ℈ß.

🜿*ri*

♀ri Vitriolat. gr. iiij.
Salis Absynth. gr. iij.
Gumm. Gutt. gr. j.
♀ri emet. gr. j.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi.

Si autem locus *vomitorio* nullus est, *blandè catarthicum* per vices exhibetur; ubi Veterum more tutius *Infusum fol. Sen.* ac *Rhab.* vel *Syrup.* quendam *purgantem* justâ dosi unciarum duarum vel plurium dari credimus, quàm quævis *acriora*, è *resinosis* inprimis parata *pharmaca*, v. gr.

℞. *Syrup. Ros. s. s. vel de Cich. cum Rhab.* ℥iiß.
Aqu. Nasturtii aquat. ℥vj.
Fl. Acac. ℥ß.
M. d. ad Vitr. pro dosi matut.

Præmissis verò his statim ad *antihectica* præscribenda Medicus se accingat; quæ quidem varia à variis commendantur; à nobis tamen omnium optima fuerunt deprehensa, quæ blando sale volatili alcalino magis quàm fortiter oleoso, lentorem totius massæ humoralis corrigere, volatilitatem menstrui stomachici resuscitare, sicque digestionem meliorem stabiliendo, chylumque sensim laudabiliorem producendo, sanguineum laticem pristino vigori, florique restituere apta sunt. In hunc censum referimus *Succos plantarum antiscorbuticarum recenter expressos* & *filtratos*, *ad tres uncias* m. ac v. exhibendos, vel *Aquas* earundem plantarum *destillatas*, sex unciarum dosi m. ac v. per plures hebdomadas propinandas: inprimis ex *Cochleariâ*, *Nasturt. hortens.* vel *aquat.* *Beccabungâ*, *Piperitide*, *Chelidonio maj.* & *minor. Ulmar. Trifol. fibrin. Cardamin. Cherefol. Plantag. aquat. Fœnicul.* Inprimis heic prodest Destillatum Hippenterorum cum herbis nasturcinis m. ac vesp. ad ℥ij. vel tres sumtum. Poterunt verò semper post assumptos ejusmodi potus Juscula hauriri, modò horæ intervallum intercedat. Talibus tamen remediis simul intercalare licet stomachica, aliaq; acidum absorbentia aut invertentia, viscidumque incidentia ac resolventia, sub formâ *Pulverum* aut *Pilularum*, è terreis salinis, blandè aromaticis aut sulphureis composita, quemadmodum sunt; *♀rus Vitriolatus*, *Arcanum dupl. Mynf. Salia Helen. Ononid. Cent. min. Absynth. Angel. C. C. phil. ppt. Croc. Mart. aperit. Bezoard. min. Diaph. Martial. ♃ vial. Specif. antihect. Poter. Ebur ppt. C. C. phil. ppt. Salia volatilia* qualiacunque v. g. *C. C. Viperar. Fulig. Milleped.* &c. *Radic. Angelic. Chelidon. maj. Raphan. rustic. Aron. Ireos flor. Zedoar. Pulvis folior. Pilosell. Rutæ murar. Trichomanes, Extract. Trifol. fibrin. Cochlear. Fumar. Absynth.* v. gr.

℞. *♁n. diaph.* ʒij.
Specif. antih. Pot.
Radic. Ireos Flor.
Fol. Trichoman.
Ocul. ♋. ppt. ana. ʒj.
Arcan. dupl. Mynf. ʒß.
Sacch. alb. ℥ß.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ʒß. *vel* ℈ij. *man. ac vesperi.*

Vel ℞. *Ebor. s. igne ppt.*
Specif. stomach. Poter.

C. C. phil. ppt.
Fol. Pilosell. ana. ℥j.
Radic. Zedoar. ℈ß.
Salis volat. Fulig.
Semin. Anis. ana. ℈j.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Extract. Trif. fibr.*
Absynth. ana. ʒß.
Zedoar. ℈ß.
Diaph. ♂ ial.
Cinnab. ♄n. opt. ana. ℈ij.
Essent. Trifol. fibr. q. s.
M. f. l. a. Pilulæ granor. duor. pondere, inaur. d. ad scatul. Dosis 10. *vel* 12. *m. ac v.*

Subinde per aliquot dies *Sal volatile oleosum Sylvii*, vel simile qualecunque aliud simul usurpari potest, dos. 15. 18. 20. guttarum.

In *Diætâ*, si Vinum noceat dilutum, Ptisana ordinaria bibatur. Cibi sumantur succi boni, facilè coquibiles, Nasturtio, Raphano rusticano, aromatibusque blandè aromatisati: saccharata, verò caseosa, acida, austera, mellita admodum nocent. Jussula frequentia optima. Tristitia, Ira &c. fugiantur.

Si Menses vel Hæmorrhoides sint obstructæ, suo modo medebitur. Inprimis heic aliqua Venæsectio institui potest, vel Cucurbitulæ cum scarificatione dorso applicabuntur.

Febris symptomatica. FEBRIS SYMPTOMATICA est ea species Febris, quæ morbum alium ceu causam suam sequitur, ejusque proin Symptoma vocari potest: vel quæ grave aliquod Symptoma pro suo comite habet. Hinc etiam pro Morborum varietate diversa nomina sortitur, & nunc *phlegmonodes*, si Inflammationi succedit: nunc *typhodes*, sive *stupida*, si vel obstructionem Cerebri, vel Erysipelas alicujus Visceris interni sequatur, & stuporem aliqualem comitem habeat: nunc *Lipyria*, si Inflammationem quandam internæ partis insignem subsequatur: nunc aliis etiam nominibus exprimitur, quemadmodum in sequentibus proximè descriptionibus patebit.

FEBRIS PHLEGMONODES s. INFLAMMATORIA, est Febris continua benigna, plus minus intensa, quæ Inflammationi partis cujusdam externæ superaccedit, eaque curatâ simul tollitur. Sed hæc nihilominus quædam interna remedia quoque postulat diaphoretica, qualia in *Febri Ephemerâ* commendata fuerunt.

FEBRIS TYPHODES, est Febris continua maligna, cum stupore, aut mente attonitâ, originem ducens ab Erysipelate cujusdam partis internæ, vel etiam obstructione Glandularum cerebri; eamque prorsus curationem exposcit, quæ in Febri maligna est descripta.

FEBRIS LIPYRIA, est Febris continua maligna ab Inflammatione erysipelaceâ, vel etiam Gangræna cujusdam partis internæ originem ducens, ac ita affligens, ut interna penè

benè omnia perpetuo æſtu quaſi exurantur, externa autem frigeant. Curatio eadem cum Curatione Febris malignæ.

FEBRIS EPIALA eſt ſpecies Febris intermittentis, & quidem quotidianæ, in quâ uno eodemque tempore in eadem parte calor & frigus ſimul excitantur, & aliquandiu percipiuntur, originem ducens ab obſtructione Glandularum ſubcutanearum per pituitam quandam acido-auſteram & viſcidam, in ſudorem difficulter ſolubilem. Ceſſat hinc, quamprimum Febris ipſa curata aut profligata erit. Vide titulum de *Febri quotidianâ*.

FEBRIS SYNCOPALIS, eſt Febris continua maligna, cum Syncope ſive gravi animi deliquio periculoſè affligens, & ab interceptis ad muſculum Cordis ſpiritibus animalibus originem ferè ducens: cujus Curatio proin ad Febrim quoque malignam pertinet.

FEBRIS ASSODES eſt Febris continua maligna, cum inquietudinibus, ardore cutis pruriente, jectigationibus membrorum, anxietate, cardialgiâ, faſtidio rerum omnium, atque tenſione Hypochondriorum conjuncta, & orta à particulis valdè mordacibus, pungentibus, & acribus cum maſſâ humorali jugiter circulantibus, ac in extremitate vaſculorum ſuis ſpiculis vicinas quaſque fibrillas membranaceas aſſiduè rodentibus & lancinantibus. Hinc in curatione requirit valdè diluentia, abſorbentibus ſociata remedia.

FEBRIS ELODES ſive SUDATORIA eſt nunc maligna continua, cum colliquativo ſudore conjuncta, aliâs SUDOR ANGLICUS dicta; nunc Febris hectica, in quâ homo perpetuo ferè, inprimis nocturno ſudore diffluit, & emarceſcit. Prioris curatio ſuo loco exponetur, poſterioris autem medela ſuperius jam eſt indigitata. *Elodes ſeu ſudatoria.*

FEBRIS PESTILENS eſt Febris continua maligna, cum graviſſimis ſymptomatibus, inprimis autem maculis, varii coloris in cute efflореſcentibus, linguæ nigritie, anginâ, delirio, vertigine, convulſionibus, vomitu, diarrhoeâ, narium hæmorrhagiâ, ſubinde etiam bubonibus peſtilentibus hominem graviter affligens. Cujus geneſis atque curatio ſub Febri maligna in genere ſpectanda, utpote cum quâ coincidit. *Febris peſtilens.*

FEBRIS PETECHIALIS eſt Febris continua maligna cum Petechiis, ſive maculis parvis nunc nigris, nunc lividis, aut cœruleis, nunc etiam rubicundis per totam cutis peripheriam diſperſis conjuncta; ac à particulis ſalino-corroſivis viſcidis in extremitate tubulorum cutaneorum obhærentibus orianda. Cujus curationem quoque eandem eſſe credimus cum Febris malignæ exſtirpatione. *Petechialis.*

FEBRIS

Hungarica.

FEBRIS HVNGARICA s. MORBVS HVNGARICVS aut CASTRENSIS est Febris pestilens cum insigni Capitis dolore, imò & Phrenitide, aliisque malignis symptomatibus, milites in Hungariâ utplurimum gravissimè invadens; plerunque à verminosâ sanguinis corruptione originem trahens; & eandem cum Febri maligna curationem admittens.

Hemitrytaeus.

FEBRIS HEMITRITÆVS est Febris continua maligna, alternis quibuscunque diebus plus minus graviter, cum vehementibus symptomatibus Hominem excrucians. Ad Malignas proin spectat, inferius paulo explicatas.

Febris synochus.

FEBRIS SYNOCHVS SIMPLEX, est Febris *continua benigna*, seu præternaturalis Sanguinis effervescentia, plerunque cum frigore, aut horrore incipiens, hincque in Æstum continuum transiens, & siti, lassitudine, appetitu prostrato, aliisque symptomatibus minus periculosis aut vehementibus comitata, ortum ducens ab humoribus crudis, viscidis, acido-acribus Massæ sanguineæ crasin turbantibus.

Ætiologie.

Etenim si vel transpiratio cutanea subito, aut diu multumque impediatur, vel sudor longius profluens confestim reprimatur; vel stomachus aliquandiu malè concoquens crudum sanguini transmittat chylum, vel alio quocunque modo crudiores particulæ humorali Massæ infundantur, sicque eadem ad turgescentiam repleatur, vel assurgat, tum primò crassior ejusmodi sanguis in minimis canaliculis transitum non inveniens retrosilit; postea verò plurimis in locis retrocurrens, ac succedentium aliarum guttularum sanguinearum motui resistens, paulatim turbationem instituit, sive motum intestinum plus min⁹ auget, unde sanguis præternaturaliter effervescens Febrim accendit, *benignam* quidem illam, eo quòd heterogeneæ particulæ sanguinis non admodum acres & corrosivæ sint; *continuam* verò simul, quoniam eædem particulæ continuò in sanguinis latice permanent usque ad declinationem vel finem morbi; cùm è contrario in *intermittentibus* Febribus secretio fiat humoris turgescentis in quolibet paroxysmo, per sudorem sive per insensibilem transpirationem.

Quoad *Diagnosin*, Febris hujus præsentiam designat subitanea vel paulatina invasio cum horrore, per horam plus minus durante, quem sensim calor totius corporis insignis sequitur, atque comites simul habet sitim, lassitudinem, & anorexiam. Hisce verò symptomatibus non usque adeo vehementibus etiam junguntur subinde Nausea, Vomitus, Oris amaror, Cephalalgia, Vigiliæ, nonnullaque alia accidentia, quæ non cessant primo aut secundo die, sic enim *ephemeram* tantùm *Febrim* indigitarent, sed subsistunt per octo, decem pluresve dies, dissimili tamen cum vehementiâ, usque dum morbus sive per sudorem, quod frequentius contingit,

tingit, sive per largum Urinæ vel Alvi fluxum, sive etiam per Hæmorrhagiam narium, sive per paulatinam insensibilem transpirationem solvatur. Distinguitur à *Febri malignâ*, quòd in hâc Symptomata omnia vehementiora, atque insuper longè periculosiora, propter humoris peccantis vim corrosivam & deleteriam, observentur.

Quantum ad *Prognosin*, Febris hæc uti benigna est, ita non malum exitum portendit, si verò in Diætâ errores contingant, tum etiam in malignam ac lethalem mutari potest.

In *Curatione* statim à principio oportet primas eluere vias, quod præsente nauseâ atque gravante dolore stomachi non melius quàm emetico perficitur: v.g. pro Adulto:

℞. *Crem.* ♀*ri* ℈ß.
♁n. diaph.
Salis Cent. min. ana. gr. v.
♀*ri emet. gr.* ij.
M. f. Pulvis subtil. d. ad ch. sumatur statim pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. emet. Angel. Sal.* ʒiiiß.
vel ℥ß.
Aqu. Cichorii ʒiij.
Cinnam. bugl. ʒiß.
M. ad Vitr. sumatur pro dosi.

Vel ℞. *Radic. Asar. pulv.* ʒß.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
M. f. Pulv. subt. pro dosi.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri gr.* vj.
Salis Absynth. gr. iij.
Gumm. Gutt. gr. viij.
Olei dest. Mac. gutt. j.
Sacchar. gr. iv.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi.

Si ob varia impedimenta non licet vomitum instituere, tum *Clysma* unum aut alterum primâ atque 2. die morbi injiciatur, v.gr.

℞. *Radic. Cichor. Lil. alb. ana.* ℥ß.
Herb. Portulac.
Branc. ursin.
Agrimon. ana. Mj.
Flor. Melilot. Mß.
Semin. Carvi ʒij.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. colaturæ ℥xij. *adde*
Olei Olivarum ℥iß.
Electuar. lenit. vel
de Hierâ Logad. ʒvj.
Salis commun. ℈ij.
M. f. Clyster statim injiciendus.

Juxta *Clysma* tale ad incidendas & præcipitandas cruditates stomachi magno cum fructu tres vel quatuor doses Pulveris seqq. ordinabuntur, quæ vicem Vomitorii aut Purgantis præstare innoxiè possunt.

℞. *♁nii diaph.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Salis Absynth.
Card. bened. ana. ʒß.
M. f. Pulv. subt. in 4. dos. æqu. ad chart. dividendus, quarum dosis m. ac v. cum vehiculo Aquæ destill. Scabios. vel Cherefol. aliusve dabitur.

Vel ℞. *C. C. phil. ppt.*
Bezoard. min. ana. ʒß.
Flor. Sal. armon. hæmat.
Salis Centaur. min. aa. gr. xv.
M. f. Pulv. subt. in 3. dos. æqu. divid. ad ch. m. ac vesp. sumend.

Horâ dimidiâ vel integrâ post pulverem propinetur *Jusculum*, neque sudor vel expectetur, vel cum incom-

modo proliciatur, sed naturæ totum operationis negotium permittatur.

Postmodum verò statim, ubi Vires constant, pulsus fortis ac plenus est, *Venæsectio* una, vel etiam secunda est administranda, ac deinceps ad *sudoriferorum* præscriptionem & exhibitionem deveniendum, quorum tamen usu non magnâ statim vi sudor exprimatur, sed paulatim intra aliquot dies exspectetur spontanea ejus eruptio, utpote quæ sic facilius, atque felicius contingit, modò plures sudoriferorum doses, sensim in sanguinem intromissæ, crudiores ejus particulas multum attenuârint, quâ certè attenuatione nondum factâ sudor non nisi magno cum labore, imò irrito plerunque conatu extorquebitur, dum heterogeneæ particulæ febriles nondum ad ejusmodi secretionem sufficienter præparatæ, ac à viscidítate suâ liberatæ sunt. *Diaphoretica* autem seqq. sub formulis ordinari possunt:

℞. *Ebor. ppt.*
C. C. phil. ppt.
♁nii diaph. ana. ℈iiij.
M. f. Pulv. subt. divid. in 8. dos. æqu. ad ch. m. ac v. dandas.

Vel ℞. *♁nii diaph. aut*
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt.
Dent. apr. ppt.
Ocul. ♋. ppt. ana. ʒß.

M. f. Pulv. subt. in 6. dos. æqu. ad ch. dividendus.

Si alvus segnior fuerit Pulveres ita parentur.

℞. *Magist. ♁nii diaph.*
Ocul. ♋. ppt. ana. ℈ij.
Lapid. prunell. ℈j.
M. f. Pulv. subtil. in 4. dos. æqu. divid. ad chart.

Vel ℞. *Pulv. bezoard. Senn.*
Bezoard. min. ana. ℈iiij.
Nitr. ♁iat. ℈ij.
M. f. Pulv. subt. in 8. dos. æqu. divid. ad ch.

Si verò alvus laxior extiterit, pulveres sequentes magis proficui sunt.

℞. *Bol. armen. vel*
Terræ sigillat.
Unicorn. fossil. ana. ℈iiij.
♁n. diaph. ℈ij.
M. f. Pulv. subtil. in 8. dos. æqu. ad ch. divid. atq. m. & v. dand.

Vel ℞. *Corall. rubr. ppt.*
Mandib. Luc pisc. ppt. ana. ʒj.
C. C. usti ppt. ℈ij.
Radic. Tormentill. ℈j.
M. f. Pulv. subtil. in 6. dos. æqu. ad ch. divid.

Hi pulveres cum *Emulsione amygdalinâ* seqq. dabuntur.

℞. *Amygdal. dulc. rec. excort.* ʒiij.
Semin. Cucum.
Card. bened.
Nap.
Aquileg. ana. ʒj.
Aqu. Bursæ pastor.
Agrimon.
Ulmar. ana. ℥ij.
F. l. a. Emulsio, cui adde
Sacch. ros. tab. ʒij.
D. ad Vitr.

Alias intercalari potest *Mixtura cardiaco-diaphoretica* per cochlearia sumenda; v. gr.

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Succiſ. Borrag.*
Card. mar. Flor. Acac.
Syrup. Rub. id. ana. ℥j.
Ebor. ſ. ign. ppt.
Matr. perlar. ppt.
Bezoard. min. ana. ℈j.
Miſc. d. ad Vitr.

Hiſce per unum vel alterum diem diligenter uſurpatis, obſervatoque bono Diætæ regimine, ſi ſudor, vel major tranſpiratio ſuccedat, tum naturæ hic conatus promovendus adhuc eſt continuato diaphoreticorum uſu, quem tamen ita moderari oportet quoad doſes, ut nullus inde ſudor colliquativus ſuccedat, vires nimiopere atterens, aut planè exhauriens.

Quando autem ſolutio Morbi per alias contingit ſecretiones, tum hæ non ſtatim veniunt ſiſtendæ, ſed potius Naturæ vires ita corroborandæ, ut facilè illas ferre, atque hinc ſimul ab omni morbo liberari queat. Quem in finem proſunt nunc *Mixturæ roborantes*, nunc *Electuaria cardiaca*, prout Æger ad hoc aut illud magis remedium ſumendum propenſus eſt.

℞. *Aqu. Borrag. Bugloſſ.*
Fl. Acac. ana. ℥j.
Syrup. acetoſ. Citr. ʒvj.
Julep. roſac. ʒij.
Confect. Alk. ℈ij.
Matr. Perl. ppt.
Unicorn. foſſil. ana. ℈j.
Miſc. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr. ſ. Vitriol.*
Anth. ana. ʒvj.
Nuc. Ind. cond.
Conditur. Cydon. ana. ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Bezoard. min. ana. ʒß.
Confect. Alk. ℈ij.
Syrup. Fl. Tun. q. ſ.
F. Mixtura ad formam Opiatæ, d. ad Oll. ac ſubinde Nuciſtæ magnitudo de eâ lambatur.

Quoad *Diætam*, proſunt heic maximè Juſcula carnium optima, item hordeacea, avenacea, herbis etiam, ſi placet, quibusdam utilibus alterata, quemadmodum *Acetoſa hortenſ. Cherefolium*, *Borrago*, *Lactuca*, *Pimpinella* &c. A *Vino* abſtinendum, eiusque loco *Decoctum Liquirit. Hord. Paſſular.* vel etiam *Cichorii* bibendum. Tandem *aër* temperatus ſeligendus, & ab *animi paſſionibus* ſibi valdè cavendum. Ubi Morbus fuerit ſolutus, ac ciborum appetitus nonnihil rediit, corpus eſt *Syrupo* quodam *laxativo* expurgandum, ſicque Curatio omnis finienda. *Diæta.*

FEBRIS ARDENS ſ. CAVSVS eſt Febris continua benigna fortior, cum vehementi capitis dolore, ardore inſigni totius corporis, vigiliis, atque ſiti inextinguibili, oriunda à ſeri ſanguinei magnâ viſcoſitate, circulationem humorum in vaſorum extremitatibus præpediente, ac eorundem craſin admodum turbante. Quando hæc Febris exacerbationes aliquas quotidie, vel alternis diebus patitur, tum *continua quotidiana* vel *tertiana* audit. *Febris ardens.*

Generatur hæc Febris planè ſicut Synochus ſimplex, veruntamen in eo differententia exiſtit, quod ſerum in *Cauſo* longè viſcoſius exiſtat, ſecretioque *Cauſa.*

tioque Lymphæ in glandulis quamplurimis difficilius contingat; hinc enim, propter majorem humorum in vasis Meningum stagnationem, indeque factam obstructionem membranarum fibras tendentem, & arterias quoque majores prementem, cephalalgia insignis, dolor valdè pulsans, atque oris siccitas magna, cum siti inextinguibili, virium lassitudine molestissimâ, & æstu corporis totius ingenti oboritur. Graves in Diætâ commissi errores, comessationes & compotationes insignes, ira vehemens, exæstuatio corporis nimia in motu excessivo, Aëris deniq; æstus maximus huic morbo ansam crebram præbent.

Diagnosis. *Signa diagnostica*, quibus hæc Febris à Synocho simplici dignoscitur, sunt in ipsâ definitione expressa; si enim præter ordinaria Febreos symptomata, maximus totius corporis æstus, isque nonnihil durans percipitur, si setiam vehemens ac pulsans capitis dolor perseveret, cum maximâ sive clamosâ siti, & anorexiâ atque vigiliis perpetuis, tum protinus hunc Morbum appellare licebit *Febrim ardentem s. Causum*. *Benigna* tamen hæc febris adhuc est, quoniam nec magna statim in principio est virium jactura, nec anxietas pectoris observatur, nec etiam inquietudines, atque jectigationes insignes, vel deliria heic deprehenduntur, quæ aliàs solent esse malignitatis indicia.

Prognosis. In *Prognosi* tamen notandum, quòd hæc Febris in malignam & lethalem mutari facilè possit, si vel in curandi methodo, vel in diætâ errores committantur. Aliâs verò etiam per se periculosa satis esse solet, quia acuta est, sua tempora brevi satis spacio absolvens; unde juxta *Hippocratem*, atque teste etiam experientiâ Causi intra 14. dies aut liberando aut perimendo Ægrum decernuntur. Funestum etiam ferè morbum esse prædicunt ætas senilis, aut puerilis, urina turbida sine sedimento, vel intensè rubicunda ac tenuis sine nubeculâ, pulsus parvus ac debilis, oculi torvi, vigiliæ perpetuæ, hæmorrhagia, diarrhœa, aliæve secretiones sine levamine, imò cum majore virium jacturâ, convulsivi motus atque tremores artuum, titubatio linguæ, quotidiana denique exacerbatio, cum virium deperditione perpetim majori.

In *Curatione* prorsus eâdem ratione est procedendum, quemadmodum in *Synocho simplici*, ut heic duntaxat nobis sit ratio habenda symptomatum maximè urgentium. Itaque juxta usum *remediorum antifebrilium* præcedenti titulo descriptorum, pro *Capitis dolore Epithemata* fronti applicentur, parata ex *Angelicâ erraticâ*, *Verbenâ*, *Melissâ*, *Portulacâ*, *Malvâ*, *Hederâ terrestri*, *Sempervivo*, *Verbenâ*, *Majoranâ*, *Rutâ*, *Baccis Juniperi*, quantum quidem recentes haberi possunt; nec non è *Cochleis*, vel *Cancris vivis*, *Micâ Panis*, ac similibus invicem contusis, ac insuper *Albumine Ovor.* permixtis, simulque *Aceto rosaceo*, *rutaceo*, *sambucino*, *prophylactico*, vel *Spiritu Vini* aut *theriacali camphorato* calente perfusis.

ſis. Sunt tamen, qui meliùs habent ex ſeqq.

℞. *Aqu. Solan. Roſar. alb.*
Spermat. Ranar.
Spirit. Vin. Campb.
Aceti rutac. ana. ℥iß.

M. ad Vitr. ſæpius calefiat, ac lintea eidem immerſa, expreſſaq; calidiuſculè fronti applicentur.

Temporibus verò inungitur ſequ.

℞. *Ungt. de Alab. vel*
Popul. ℥ij.
Ol. Sem. Hyoſc. expr. ʒj.
Camphor. ℈ß.
Laud. opiat. gr. iiij.
M. f. Ungt. detur ad Oll.

Plantis pedum apponuntur quoque *Radices Raphanorum* contuſæ, cum *Rutâ*, *Fermento panis* atq; *Aceto.* Alii etiam cum fructu *Lienem Bovis recenter extractum* in duo dividunt, & admovent. Si his non obſtantibus dolor perſeveret, protinus vertex capitis eſt detondendus, ac poſtea *Pullus gallinaceus*, vel *Columba viva per medium ſecta*, adhuc calens applicanda, inibique per tres quatuorve horas relinquenda, donec fœtidum odorem exſpirare incipiat. Applicant noſtrates etiam carpis manuum *Radices Petaſitidis*, *Imperatoriæ*, *Angelicæ*, *Pœoniæ*, *recentes*, *in taleolas diſſectas*; vel fruſta *Citri ſucculenta* cum *Luto*, *Limo*, *Telis Aranear.* &c. *Venæſectio* non ſemel tantùm, ſed aliquoties etiam adminiſtrari poteſt, urgente Cephalalgia & æſtu ſanguinis. *Cucurbitulæ* quoque *cum ſcarificatione* dorſo, *Hirudines* ano applicantur interdum. *Raminas* denique *venas* cum fructu aperies.

Interea intus ſequentes *Pulverum diaphoreticorum* doſes exhibeantur.

℞. *♁nii diaph.*
Lapid. prunell. vel
Nitr. ♁niat. ana. ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Camphor. gr. vj.

M. f. Pulv. ſubtil. in 2. doſes æqu. divid. ad ch. ſumantur m. ac veſp. cum Aqu. Verben. Portulac. Lactuc. Endiv. Succiſ. & ſimil.

Vel ℞. *Ocul. ♋. ppt.*
Diaph. ♃vial.
Ebor. ppt.
Nitr. ♁niat. ana. ℈j.
Cinnab. nat. opt.
Camphor. ana. gr. xij.
Sacch. alb. ℈j.

M. f. Pulv. ſubt. in 4. doſ. æqu. m. ac v. ſumendas dividendus.

Vel ℞. *Spinar. Viper. ppt.*
Pulv. Pannon. rubr. vel
Bezoard. Senn.
Unicorn. mar. ppt.
♁n. diaph. ana. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. divid. in 8. doſ. æqu. ad chart.

Si *Convulſiones* metuantur, unicuique doſi adhuc tria vel quatuor grana *Cinnab. ♀nii correct.* addenda veniunt. Imò & *Diaphoreticum lunare* ad grana quinque permiſcebitur.

Ad *ſitim* temperandam *Infuſum fol. Thée*, *Betonic. Hed. terr.* atque *Veronicæ* non eſt contemnendum. Prodeſt tamen & *Tinctura Roſarum* ſeqq.

℞. *Rof. rubr. pugillos duos, & Fruftum Mali citrei fucculenti.*

Affunde Aqu. ferventis Miß. *Stent tamdiu, donec Rofæ albæ*, ipfaq; *Aqua* maximè rubicunda evaferit: tandem folve in eâ *Sacch. albiff.* ℥iv. & adde

Spirit. Nitr. q. f. ad grat. aciditatem.

D. ad Vitrum ac

inde fæpius aliquot unciæ bibantur. Aliâs quoque *Julepus* unus & alter feqq. hauriatur.

℞. *Aqu. Lactuc. Verben.*
Syrup. Ribium vel
acet. Citr. ana. ℥j.
Spirit. Sulphuris vel Nitr. q. f.
ad grat. acid.
M. ad Vitr. Detur pro dofi.

Vel *Emulfiones diaphoretico refrigerantes* per Morbi decurfum frequenter dabuntur, utpote à quibus heterogenea maffæ humoralis falia commodiffimè obtunduntur, abforbentur, & ad fecretionem faciliorem præparantur; v. gr.

℞. *Nucl. Perficor.*
Amygd. dulc. rec. exc.
Semin. Melon.
Cucum. ana. ʒiß.
Card. bened.
Napi ana. ʒj.
Aqu. Taraxac.
Succif. ana. ℥vj.
Scabiof. ℥j.
Endiv. ℥ß.
M. f. l. a. Emulfio, cui
adde Syrup. de Nymph. ℥iß.
Magift. ♄ *n. diaph.* ʒj.
M. d. ad Vitr. Exhauriatur fpacio duodecim horarum.

Si alvus conftipata fuerit fæpè, tum *ferum Lactis tamarindinatum* ad aliquot hauftus convenit. In Debilitatibus *Mixturæ cardiacæ* dabuntur, præcedenti ac fequenti fub Titulo commendatæ.

In reliquis curatio inftituenda prorfus ficut in *Synocho fimplici*, vel in *Febri malignâ.*

FEBRIS MALIGNA, aliâs etiam *Lues Hungarica*, *Febris epidemica, petechialis, peftilentialis. Lues caftrenfis*, eft Febris continua, valdè acuta, cum fymptomatibus vehementibus hominem periculofè invadens, & citò fuum curfum five ad falutem, five ad mortem abfolvens; oriunda à plurimis particulis acido-corrofivis, fanguineæ maffæ crafin non folùm turbantibus, fed ipfius lethalem diffolutionem continuè molientibus. *Hungarica* vocatur *Lues*, eo quòd in Hungariâ olim familiariffimè graffaretur, præprimis inter milites; unde etiam *caftrenfis* adpellatur. *Epidemica* quoque dicitur, ἐπιδήμιος πυρετός, quia populariter, communiter graffatur, *Maligna* denique audit propter fymptomata gravia, vehementia feu periculofa conjuncta.

Si generandi modum infpiciamus, dicendum, Homines per aliquod temporis fpacium five ex Aëre malignis qualitatibus contagiofis infecto, five ex Cibis facilè corruptibilibus, atque infuper, prout in Militum caftris contingere folet, per Vermiculorum ovula confpurcatis, quotidie comeftis, five ex fructibus horæis,

ræis, inprimis verò prunis cujuscunque generis, Malis armeniacis & perſicis nondum perfectè maturis, ſive tandem è potu Aquarum ſtagnantium, paludoſarum, ovulis Inſectorum frequenter ſcatentium, plurimas particulas heterogeneas, nunc acidoacres corroſivas, nunc etiam verminoſa ovula in ſuis humoribus colligere, atque cumulare; quæ dein poſtmodum ad turgeſcentiam usque collecta, vel aliâs à ſpirante Æthere peculiariter maligno in motum præternaturalem ſuſcitata, primùm quidem hinc inde ſanguinis particulas aliter commovere, mox turbare, denique in capillaribus vaſculis cohibere, ſicque *Febrim* accendere ſolent, eamque *malignam* non *benignam*; quoniam turbatio hæc primo ſtatim impetu ſecretiones glandularum plerarunque valdè impedit, ſicque vehementiora ſymptomata excitat; imò humoralis maſſæ diſſolutionem lethalem ſimul valdè molitur, eamque non rarò velociter præſtat, ſi videlicet ipſæ particulæ corroſivæ & venenatæ, inſtar veneni rabidorum Animalium, volatilitate quadam totum illicò ſanguinem pervadant, ac ubique vincula naturalis particularum texturæ ſuis ſpiculis diſcindant; unde ſeparatio neceſſaria contingit molecularum ſanguinis, congelaſcentibus hinc grumoſis, illinc verò ſeroſis diffluentibus. Plerunque tamen ſimul à particulis venenatis, acutos admodum angulos habentibus, in tubulorum variorum extremitatibus, glanduliſque adeo ipſis inflammatiunculæ gignuntur, ſphacelum poſt ſe trahentes certiſſimum, niſi ſtagnantes moleculæ circulatorio motui maturius reſtituantur. Evenit etiam non rarò, præcipuè in gregariorum Militum corporibus, ut ovula Inſectorum minima, paulatim in ſanguine ipſorum vivificata, ac Vermiculos reptiles exhibentia, minimos glandularum tubulos non ſolùm facilè obſtruant, ſed etiam interdum planè erodant, atque hinc extravaſationem humorum excitando Abſceſſum producant, eumque nunc majorem nunc minorem, prout verminoſæ ejusmodi materiæ minor vel major collectio facta erit. Abſceſſuum ejusmodi ruptorum materiam ſi per miſcroſcopium inſpicies, atque adcuratè examinabis, deprehendes ſæpius, eſſe congeriem infinitorum Vermiculorum viventium.

Febris hæc in principio non ſtatim ab aliis Febribus dignoſci poteſt, quando & *Synochus ſimplex*, & *Ephemera Febris* eodem plerunque modo Hominem, cum frigore nimirum, ſive etiam horrore, ac ſubſequente totius calore, ſiti, anorexiâ, interdum & pallore faciei, invadere ſolent. Quod ſi verò alii jam homines eadem in Urbe Febri malignâ decumbant, ſuſpicio ſemper haberi debet, ſimili morbo & hunc affligi, quando febrilis inſultus ipſum prehendit. Interim hoc notandum, quòd *malignæ* Febres utplurimum in principio ſtatim vehementiora habeant ſymptomata, quàm aliæ quæcunque Febres; etenim Laſſitudo plerunque mox adeſt *Diagnoſis.*

ſumma,

summa; & anxietas quædam vel angustia præcordiorum, cum inquietudine, cephalalgiâ ac vigiliis urgere incipi, quibus dein secundâ morbi tertiave die, citius tardiusve, deliria mentis junguntur, nunc ridicula illa cum risu multo, aut garrulitate conjuncta, nunc verò iracunda, oculis torvis, & furore sive rabie comitata, in quâ vix teneri in lectis possunt Ægri, quin semper evadere, hinc inde oberrare, adstantes verberibus aut morsibus impetere, aliisve damniis afficere conantur, quandoq; nec sibimet ipsis parcentes, sed diversa mala, mortemque etiam desperantium instar sibi intentantes. In hoc verò statu quasi stupidi sunt Ægri, nullum sentientes dolorem, imò nec sitim: hinc lingua palatumque exiccata sive arida facta pelliculam adquirunt nigricantem, & Anginam lethalem sæpius post se trahunt. Interdum dilucida in deliriis nanciscuntur intervalla, atque rationis omnis compotes, remedia, aliaque facilius admittunt, brevi tamen iterum in deliria recidentes. Reperiuntur etiam hoc morbo laborantes, quibus nulla ferè, aut levicula tantùm obtingunt deliria, quique solâ pectoris angustiâ, ab adstantibus magis, quàm semetipsis perceptibili, usque ad mortem premuntur, à sanguinis coagulatione in tubis majoribus circa Cor oriundâ. Pulsus celer est, frequens, nunc fortis & plenus, nunc debilis ac parvus, Urinæ variæ, semper tamen justo plus tinctæ.

Differentia. Quod si autem hisce & aliis communioribus symptomatibus febrilibus superaccedunt Maculæ per totum corpus efflorescentes, sive dein rubicundæ, sive lividæ, sive purpurea aut nigræ, sive magnæ sive parva fuerint, *Febris* appellabitur *petechialis*, quandoquidem ista exanthemata *Petechiarum* nomine venire solent. Si sudore perpetuo, frigido calidove diffluat Æger, tum Febris hæc vocatur *Sudor Anglicus*.

Quando autem in his aut illis glandulis subcutaneis Tumores elevantur insigniter livescentes aut nigricantes, vocari morbus consuevit *Febris pestilens*; tumores autem illi nuncupantur *Bubones pestilentiales*. Interdum verò loco Bubonum in unâ vel pluribus cutis partibus exurgunt exanthemata nigerrima, sicca, dura, intensissimè ardentia, quæ *Anthraces* nuncupantur, ipsaque *Pestis* sunt, ex quâ Homines citò intra paucos certè dies moriuntur, nisi ipse Anthrax, molles partes prorsus siderans ac mortificans, à profundiore carne sanâ perfectè separetur, ac decidat, sicque simul ipsa Febris pestilentialis statim diminuatur aut cesset.

Usque adeo ut omnes hæ malignæ Febreos species non nisi gradu malignitatis intensiore vel remissiore inter se differant, habito nimirum respectu ad causam morbificam, sive salia plus minus corrosiva, humoralem Massam non solùm inquinantia, sed insuper nunc magis nunc minus turbantia aut dissolventia.

In *Prognosi* circumspectus heic esse debet Medicus quàm maximè; fallit enim

enim hæc Febris sæpiſſimè, ut certum de ejus exitu judicium ferre neſcias; dicam tamen ſincerè, quæ hactenus in Praxi meâ circa hunc morbum obſervaverim. Lethalis plerunque evadit Febris, ſi obeſum prehendit Hominem, ſi vehementi exagitatum irâ, ſi cacochymicum, aut viſceris alicujus labe & teneritudine aliâs laborantem: ſi pulſus in principio ſtatim parvus, debilis, languidus, celer ac frequens extiterit; ſi anguſtia pectoris, vox titubans, dyſpnœa, languor virium maximus, ſumma anorexia, ariditas linguæ, angina, mens ſibi non conſtans, ratiocinationis, memoriæque defectus, vigiliæ perpetuæ, jectigationes membrorum frequentes, deliria Ægrotum vexent. Si in ejus vultu poſt primos morbi dies cadaverosi quid apparet; ſi titivilitia legat, convulſionibus prehendatur; ſi ex præſcriptis remediis alexipharmacis aut diaphoreticis nulla ſecretio contingit, ſive per ſedes, ſive per urinam, ſudorem, hæmorrhagiam, aut abſceſſum; vel ſi ex ejusmodi ſecretionibus nullum Æger levamen, ſed potius majorem excacerbationem percipiat: ſi ſubinde paulo ante mortem appetere incipit, citra conſequentiam melioris ſtatûs. Si ſudore colliquativo diffluat; ſi non ſitiat, cum ſitire debeat; ſi urinæ ſemper turbidæ ſint, crudæ, craſſæ, intenſè rubicundæ, ſine enæoremate: ſi petechiæ non tam rubræ, quàm lividæ, nigricantes, violaceæ, aut flavæ eruperint: vel ſi Bubones, Anthraces, hinc inde appareant, neque vel perfectè ſuppurentur, vel à ſanâ carne probè ſeparentur: ſi deliquia animi crebra accedant: ſi decumbant indecorè, ac citra conſuetudinem; ſi urinæ inſciis profluant in lectum; ſi lethargo tandem prehendantur incorrigibili. Hæc certè ſigna ſunt futuræ mortis præcipua; quod ſi enim contraria magis eveniant, atq; præſcripta, aſſumtaq; remedia effectum quendam laudabilẽ, exſpectatumq; producant, tum melius adhuc de futurâ ſalute ſperandum venit. Terminari ſolet aliquando in Abſceſſus externos, qui facilè ſanantur; ſed ſi in pectoris, pulmonis, aut viſceris alius interni Abſceſſum mutetur, tum difficilius curatur, & plerunq; hecticam Febrim excitat. Degenerat quandoque etiam, ſi nulla fuerit criſis facta, in Febrim lentam ſimplicem.

Curatio. In *Curatione* quarumcunque Febrium malignarum partim ad primas vias, partim ad naturam humoris peccantis, partim denique ad Symptomata eſt attendendum, omnibusq; ita circumſpectè proſpiciendum, ut Morbi vires citò frangantur, ipſeque tandem perfectè expungatur. Hanc igitur medendi methodum obſervabis, ſi felix eſſe cupias in hoc Morbo profligando. Primâ morbi die, vel etiam ſecundâ, ſi nauſea magna adeſt cum cardialgiâ, oris amarore, ſimilibusque ſymptomatibus cruditates primarum viarũ præſentes indicantib⁹, exhibere licet *Vomitorium*, niſi ſit aliquid, quod inſigniter contraindicet; Vomitorium autem ſequenti ſimilive alio modo ſcitè præſcribetur:

 ℞. *Rad.*

℞. *Rad. Ipecacuanh.* ʒß. *vel* ℈ij.
Crem. Tart. vel
Salis eſſent. Acetoſell. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi cum frequentibus juſculis, aut Infuſo fol. Thée ſuperhauriend. Vel
℞. ♁*nii diaph.*
Crem. Tart. ana. ℈ß.
Tart. emet. gr. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad chartam. Sumatur quâvis horâ pro doſi.
Vel ℞. *Pulv. pannon. rubr.* ℈ß.
Salis Cent. min. gr. v.
Mercur. vit. corr. gr. iij.
M. f. Pulv. ſubt. de ad ch.
Vel ℞. *Syrup. emet. Ang. Sal.* ʒiiiß.
Aqu. Scorzoner.
Borrag. ana. ʒij.
M. ad Vitr. d. pro doſi.

Quod ſi operatio hujus Medicaminis intra ſpacium quinque vel ſex horarum videatur abſolutum; tum ſequens *Potio alexipharmaco-diaphoretica* eſt exhibenda, & aliquoties iteranda:

℞. *Aqu. Burſ. paſtor. Succiſ.*
Card. bened ana. ℥j.
Elect. diaſcord. Fracaſt. ʒj.
Terr. ſigillat. ℈j.
M. f. Potio d. ad Vitr. ſumatur pro doſi.

A *Catharticis* ſtudioſè eſt cavendum, quoniam plerumque majores in ſanguine turbas excitant, aut ſi nihil operantur, tempus inutiliter terunt. Ubi verò nullus emeticis eſt locus, non reformidanda ſunt *Clysmata*, eaque ſtatim in principio repetitis ſi opus vicibus infundenda, ſequenti ferè aut ſimili modo parata:

℞. *Radic. Petaſitid.*
Angelic. ana. ʒiiß.
Alth. ℥ß.
Herb. Agrimon. Galeg.
Sanicul. ana. Mj.
Flor. Calendul.
Melilot. ana. Mß.
Semin. Aniſ.
Angelic. ana. ℈ij.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. Colatur. ℥xj. *adde*
Olei rutac.
roſac. ana. ʒvj.
Mellis violac. ℥. *Sal. gemm.* ℈iß.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

His peractis Galli & Itali ad *Venæſectiones* devenire ſolent, easque ſæpius intra triduum vel quatriduum iteratas; Verùm methodum hanc in Germaniâ ſemper lethalem obſervavimus. Si tamen ad ſanguinis miſſionem devenire velimus, protinus id ſemel tantùm, & quidem primâ ſolùm vel ſecundâ Morbi die fiat; nec in omnibus ſubjectis, ſed tantùm in Plethoricis, aut illis, qui aliâs Venæſectionibus ſunt adſueti, quique pulſum habent magnum, vehementem & fortem, ſimulque Capitis dolore inſigni excruciantur.

Interea Medicus occupatus erit unicè in debellando Morbi veneno, turbatione ſanguinis tollendâ, diſſolutione ejus præcavendâ, particulis heterogeneis ſegregandis, ſicq; æquabili humoribus conſiſtentiâ ac motu reddendis. Quod fiet, ſi noctu diuque alexipharmacorum remediorum exhibitione pugnabit, ſimulq; ſymptomatibus valdè urgentibus circumſpectè

ſpectè occurret. Itaque m. veſp. ac noctu Æger continuè capiet pulverem ſequentem aliquem:

℞. *Pulver. pannon. rubr.* ℥ß.
♁*nii diaph.* ʒij.
M. f. Pulv. ſubtil. in 12. doſ. æqu. ad chart. divid.

Vel ℞. *Ebor. ſine ign. ppt.*
C. C. phil ppt.
Terr. ſigillat.
Cryſtall. alb. ppt.
Bezoard. min.
Lapid. prunell. ana. ℈ij.
M. f. Pulv. ſubt. in 8. doſ. æqu. ad chart. divid.

Vel ℞. *Pulveris Viperin.* ʒj.
♁*nii diaph.*
Ocul. ♋*. ppt. ana.* ʒß.
Salis Cichor. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. doſ. æqu. ad ch. divid.

Vel ℞. ♁*n. diaph.*
Unic. marin. ppt. ana. ʒj.
Salis eſſent. Card. bened. ℈j.
M. f. Pulv. ſubtil. in 4. part. æqu. divid.

Vel ℞. *Bol. armen. ppt.*
Pulv. bezoard. Senn. ana. ʒj.
Bezoard. min.
Nitr. ♁*iat. ana.* ʒß.
M. f. Pulv. ſubtil. in 9. doſ. æqu. ad ch. divid.

Sed & ſequens aliqua *Mixtura diaphoretica* cochleatim eſt exhibenda ſingulis ferè ſemihoriis:

℞. *Aqu. Card. bened.* ℥iß.
Taraxacon.
Burſ. paſtor.
Syrup. Ribium ana. ℥j.
Elect. diaſcord. Frac. ʒj.
Pulv. pann. rubr.
Unicorn. foſſil. ana. ʒß.
M. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Papav. rhead.*
Acetoſ.
Fumar. ana. ℥j.
Syrup. Rub. id. ʒvj.
Mithridat. Damocr. ℈iiß.
♁*nii diaph.*
Matr. perl. ppt. ana. ℈j.
Julep. roſac. ʒij.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Scabioſ. flor. Sambuc.*
Ulmar. ana. ℥iß.
Succi Citr. rec. ℥j.
Syrup. Berber. ℥ß.
Terr. ſigillat.
Bezoard. min. ana. ʒß.
Rot. Man. Chriſt. perl. ʒiß.
M. ad Vitr.

Sæpius *Emulſiones diaphoreticæ* ſimul proſunt cum Pulveribus alexipharmacis ſingulis ſex horis ſumendæ: v. gr.

℞. *Amygd. dulc. rec. exc.*
Semin. Melon. ana. ʒj.
Card. bened.
Lactuc. ana. ℈ij.
Aqu. Scab.
Calendul. ana. ℥iß.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. de Nymph. ℥ß.
Detur ad Vitrum pro doſi ſingulis ſex horis repetendâ.

Vel ℞. *Nucl. Perſic.*
Pineor. ana. ℈ij.
Semin. Cucum.
Napi ana. ℈iiij.
Aqu. Cichor.
Galeg.

Aqu. Card. Mar. ana. ℥j.
F. l. a. Emulſ. cui adde
Syrup. Capill. ♀ r. ℥ß.
Detur ad Vitr. ſumatur ut ſupra.

Hiſce remediis utendum eſt per aliquot dies, ac inde vel ſudor, vel ſymptomatum aliqua remiſſio exſpectanda; quale quid ſi contingat, protinus in eorundem medicaminum uſu pergendum; ſin verò nulla morbi ſolutio vel eminus conſpiciatur, ac ſymptomata potius augeantur, inprimis pectoris anguſtia, inquietudo, &c. tum ſequentes pulverum doſes exhibendæ veniunt, Mixturaque alia convenientior præſcribenda: v. gr.

℞. *♁nii diaph.* ℈ij.
Matr. Perl. ppt. ℈j.
Lapid. Bezoard. orient. ver. gr. jx.
M. f. Pulvis ſubt. in 3. doſ. æqu. ad ch. divid.

Vel ℞. *Pulv. Pann. rubr.* ℈iß.
Bezoard. min.
Nitr. ppt. ana. ℈ß.
Camph. gr. iv.
Sacch. roſ. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 2. doſ. æqu. ad ch. iterandas aliquoties donec effectus inde percipiatur.

Vel ℞. *Oſſ. de Cord. Cerv.* ℈j.
Unicorn. mar. ppt.
Pulv. bezoard. Senn.
Cinnab. ♁n. opt.
Nitr. ♁iat. ana. ℈ß.
Camphor. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. in 2. doſ. æqu.

Vel ℞. *Pulv. bezoard. Senn.* ℈ij.
Viper. ppt.
Lapid. prunell. ana. ℈j.
Camph. gr. iv.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 2. doſ. æqu. ad ch.

Vel ℞. *Unic. mar. ppt.* ʒj.
Regul. ♁n. medic. ℈ij.
Myrrh. elect. ʒß.
Arcan. duplic. ℈j.
M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 6. doſ. æqu. ad ch.

Vel ℞. *Bezoard. miner.* ℈ij.
Lapid. bezoard. occid. ver.
Cinnab. nativ. opt. ana. ℈ß.
Salis eſſential. Rub. id. gr. xv.
M. f. Pulv. ſubtil. in 3. doſ. æqu. ad ch. div.

Vel ℞. *Dent. aprin. ppt.*
Pulveris viperin. ana. ʒß.
Salis volat. Succin.
Cinnab. ♁n. opt. ana. gr. xv.
Sacch. roſ. tab. gr. xij.
M. f. Pulv. ſubtil. in 3. doſ. æqu. ad ch. divid.

℞. *Aqu. Borragin.* ℥iß.
Scorzoner.
Petaſitid. ana. ʒvj.
Syrup. acetoſ. Citri ℥ß.
Rub. id. ʒij.
Confect. Alk. compl. ℈iß.
Mixtur. ſimpl. D. Lud. ʒß.
M. ad Vitr. detur frequenter cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Naſturt. aquat.*
Plantag.
Ulmar. ana. ℥j.
Syrup. Corallor. ʒvj.
Spirit. volat. viperar. ʒß.
♁nii diaph.
Ebor. ppt. ana. ℈j.
Cinnab. nat. opt. ℈ß.
M. ad Vitr.

Vel R.

Vel ℞. *Aqu. Bugloff.* ℥ij.
Flor. Acac.
Apii ana. ʒvj.
Syrup. Ceraf. acid. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ʒj.
Spirit. volat. C. C. vel
Ebor. ℈ij.
♄ *nii diaph.*
Pulver. pannon. rubr. ana ʒß.
Rot. Manus Christ. perl. ʒiß.
Misc. ad Vitr.

Quod si *Vigiliæ* atque *Deliria* vel continua, vel frequentia adsint, mira præstabunt *Pulveres camphorati* superiores aut sequentes:

℞. *Dent. aprin. ppt.* ℈ij.
Salis essent. Acetosell. ℈j.
Cinnab. ♄ *n. correct.* ℈ß.
Camph. gr. vj.
Sacchar. perl. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. in 3. *dos. æqu. divid. ad chart. atq; cum Emulsione qua dam superiore vel Ptisanâ dandas.*

Vel ℞. *Nitr.* ♄ *niat.*
Sacch. rosat. tab.
Bezoard. min. ana. ℈j.
Camphor. gr. vj.
M. f. Pulv. subt. in 2. *dos. æqu. div. ad chart.*

Vel ℞. *Pulv. pannon. rubr.* ℈ij.
Lapid. prunell. ʒß.
Cinnab. nat. opt. ℈j.
Camphor. gr. viij.
M. f. Pulv. subt. in 4. *dos. æqu. ad ch. m. ac v. sumend.*

Accedentibus *Convulsionibus*, aut variis saltem convulsivis motibus, tremoribus, atque jectigationibus membrorum iidem pulveres camphorati prosunt. Naribus *Ruta recens contusa*, *Liqu. C. C. succin. Spir. Sal. arm. urinos. Pennæ accensæ*, ac similia admoventur, sed insimul in omnibus hisce symptomatibus sequens vel similis aliqua *Mixtura alexipharmaco-spasmodica* cochleatim propinanda.

℞. *Aqu. Verben. vel Flor. omn.*
Ulmar. ana. ℥j.
Flor. Til.
Burs. pastor. ana ʒvj.
Syrup. Pæon.
anodyn. ana ℥ß.
Ebor. ppt.
Dent. aprin. ppt.
Ægagropil. ppt. ana gr. xv.
Cinnab. nat. opt. ℈ß.
M. d. ad Vitr.

Externè verò partim fronti applicetur *Epithema* ex *Baccis Juniper. Micâ panis*, *Rutâ virid.* invicem contus. & *Aceto calido* consperfis. Vel etiam *Acetum rutaceum*, aut *rosaceum* cum *Album. ovor.* & *Aquâ Ros.* permixtum, calefactumque apponatur frequenter. Vel paretur *Mixtura* ex *Aqu. Heder. terrestr. Rosar. Solani*, *Spermat. Ranar. Majoran. Verben.* cum *Aceto rosaceo* & *Album. ovorum.* Vel seqq. *Emulsio* in hunc usum concinnetur:

R. *Nucl. Persic.* ʒij.
Semin. Cucum.
Cucurbit.
Papav. alb.
Hyoscyam. ana ʒj.
Aqu. Lactuc. ℥ij.
Portulac.
Salviæ.
Solan. ana ℥j.

F. l. a. Emulsio, cui adde
Aceti rosac. ℥j.
Detur ad Vitr. & applicetur calidè.

Temporibus autem subinde seqq. Unguentum illinatur:

℞. *Ungt. de Alabastr.*
Populeon. ana ʒij.
Ol. express. Hyoscyam. ʒj.
dest. Rutæ.
Rorismar. aa. ℈ß.
M. d. ad Pyxidem.

Plantis pedum applicari possunt *Raphanus* vel *domest.* vel *sylv. Cepæ, Allia, Ruta, Imperatoria, Fermentum panis, Lutum, Bacc. Juniper. Acetum, Radix pyrethri.* Carpis manuum apponuntur taleolæ *Pomi citrei* cum *Aqu. Ros. Albumine ovor. Croco, Verbenâ recent. Rutâ rec.* Vel *Acetum rosac.* aut *rutac.* cum *Telis aranear. Croco, Baccis Juniperi* &c.

Nonnunquam accidit, ut *somnolentia continua* Ægrum teneat, sive cum, sive absque delirio: atque hoc in casu internè quidem volatilia non sunt negligenda, sed reliquis diaphoreticis fixis adjungenda; *Camphora* tamen heic non usurpanda.

℞. *Aqu. Fumar. Fl. Sambuc.*
Carlin. Scorzoner. aa. ʒvj.
Syrup. flor. Tunic. ℥j.
Confect. Alk. compl. ℈ij.
Spirit. C. C. vel Viperar. vol. ʒß.
♁*nii diaph.*
C. C. phil. ppt. ana ℈j.
Sacch. ros. tab. ʒj.
M. ad Vitr. detur cochleatim.

℞. *Bezoard. miner.*
Pulveris Viperar. ppt. ana ʒß.
Salis volatil. C. C. purior. ℈ß.
M. f. Pulv. subtil. in 3. dos. æqu. a
ch. div. singulis quadrihoriis detur dos
cum Aqu. dest. Nast.

Externè autem capilli capitis de radantur, atque nunc *Columba* v *Pullus gallinac.* per medium sectus im ponatur, nunc *sacculus* sequens *Vin* incoctus, & expressus tepidè applice tur, nunc etiam *Spiritus Ceras. nigr Lumbr. terr. Lil. convall. Anthos. Tinc Castor. cum Spir. Salis arm. par. Liqu C. C. succin.* &c. cum *Aqu. Majoran.* linteis exceptus sæpius imponatur Sacculus verò sequenti modo pa retur:

℞. *Radic. Angelic. Imper. aa.* ℥ß.
Herb. Betonic. Mij.
Majoran.
Chamædr.
Flor. Paralys.
Lil. convall. ana Mj.
Incis. & contus. insuantur nodul interpassato.

Si dein sudor vel mador totiu corporis per hæc remedia apparere in cipiat, cum incipiente levamine, a symptomatum diminutione; inpri mis ubi sopor cessat paulatim, tun bona sperare licet: somnolentiâ verò continuante protinus ad *Vesicatorio rum* applicationem est deveniendum eaque vel nuchæ & brachiis, vel utri que brachio & cruribus applicentur quæ ubi Vesicas excitant, & seri suf ficientem quantitatem cum mitiga tione symptomatum extrahunt, bo num sæpius est, si verò siccam, du ram, ac lividam cutim reddunt, sine ullo levamine symptomatum, malum signum est credendum.

Aliâs

Aliâs verò sudore apparente, continuandum semper in usu diaphoreticorum, sed ita tamen procedendum, ne sudor inde colliquativus cum Ægri pernicie oboriatur.

Quando *Alvus constipata* est valdè, tum Clysma emolliens, refrigerans atque detergens injicietur, v. gr.

℞. *Radic. Alth.*
Lil. alb.
Gramin.
Acetos. ana ℥iij.
Herb. 5. emollient.
Betæ vel Blit. rec. aa. Mj.
Semin. Lactuc. ℨiij.
Lini ℥ß.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. font. Colatur. ℔j. adde
Elect. lenit. ℥j.
Ol. Olivar. ℥ij.
Salis commun. ℨj.
M. f. Clysma statim injiciendum, idemq; si opus, repetendum.

Intus etiam *Oleum Olivarum* optimum ad tres pluresve uncias, vel certè *Jusculum carnis* propinari potest, in quo manipuli aliquot recentis *Malvæ*, *Mercurialis*, atque *Acetosæ* vel *Acetosellæ* decocti fuerunt. In Potu ordinario dissolvere quoque licet *Lapidem prunellæ*, vel *Succum Citri*, *Limonum*, *Acetosellæ*. Loco *Clysmatum* inservire quandoque solent *Suppositoria* ex *Melle* cum pulvere *Croci* & *Sale communi*, vel ex *Sapone*, *Sevo*, *Lardo*, cum *Croco* & *Saccharo*.

Fluxus Alvi nimius, quæ *Febris* est *cacatoria*, si ægrotantis vires exhaurire incipiat, protinus ille sistendus erit; intus igitur propinare oportet pro potu ordinario *Emulsionem Amygdal. dulc.* cum *Decoct. radic. Scorzoneræ*, *Tormentill. Bistort.* & *C. C. usti* factam, vel cum *Aquâ*, in quâ *Ferrum ignitum*, aut *frustum Panis tosti* fuit demersum. *Pulvis* autem sequens dabitur:

℞. *Bol. Arm. ppt. vel*
Terr. sigillat.
Unicorn. fossil. ana ℨß.
Ebor. ust. ppt.
Myrrh. elect.
Specif. stom. Poter. ana ℈j.
M. f. Pulv. subt. div. in 6. dos. æqu. div. ad ch. Singulis autem tribus horis cum Emulsione dosis exhiberi poterit.

Intercalabitur simul *Mixtura Cardiaco-diaphoretica*; v. gr.

℞. *Aqu. Burs. pastor.*
Ulmar.
Polygon. ana ℥j.
Syrup. de Ros. sicc.
Flor. Tunic. ana ℨiij.
Conf. Hyac. inc. ℨj.
Matr. Perl. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ℈j.
Tinct. antiphthis. ℨß.
M. detur ad Vitr. Exhibeatur cochleatim.

Regioni Stomachi applicari debet *Empl. de crustâ Panis*, cum *Tacamahacâ*, *Mastiche* & *Nuce mosch.* ulterius exaltatum.

Si autem *Dysenteria*, sive *Febris dysenterica*, planè Hominem prehendat, ea medendi methodus observabitur, quæ in *Dysenteriâ malignâ* suo loco est commendata. *Dysenteria.*

Respirandi difficultas, & *præcordiorum Anxietas* ubi accessit, periculosum *Quæ in Dyspnœâ & Anxietate facienda.*

ſum maximè eſt ſymptoma, plerunque futuram mortem præſagiens; vocant aliqui Febrim *aſthmaticam, præfocantem*, ubi ſequentia proſunt:

Febris præfocans.

℞. *Sperm. cet. rec.* ℈j.
d. ad ch.

Solutum in Juſculo carnis, vel Infuſo folior. Naſturt. aquat. propinabitur pro doſi, & aliquoties repetatur. Vel ſequens Pulvis uſurpabitur.

℞. *Pulv. bezoard. Senn.* ℈j.
♁ n. diaph.
Salis volat. Viper. ana ℈ß.
Sacch. roſat. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqu. ad chart. Singulis ſex horis capiatur doſis cum Aqu. Card. bened.

Vel ℞. *Bezoard. miner.*
Oſſis de Cord. Cerv. ana ℈ij.
Sal. volat. Ebor. puriſſ.
Auri horizontal. ver. ana ℈ß.
M. f. Pulv. ſubtil. div. in 4. part. æqu. ad ch. ſumendas ut ſupra.

Vel ℞. *Pulv. Pannon. rubr.*
Spinar. viperar. pulv. ana ℈ß.
Salis volat. C. C. puriſſ.
Croci Solis ſubtiliſſ. trit. vel
Diaphoret. ſolar. ana ℈ß.
Cinnab. ♁ n. opt. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. part. æqu. ad ch. ſumendas ut ſupra.

Loco Pulverum concedi poteſt vel *Tinctura bezoard.* vel *Spiritus theriacalis camphoratus*, vel *Mixtura ſimpl. Danj. Lud.* ad gutt. 30. pluresve m. ac veſp. cum *Aqu. Scab. Naſturt. Beccabung.* &c.

Mixtura quoque ſequens cochleatim danda:

℞. *Aqu. Naſturt.* ℥vj.
Beccab.
Cardiac. off. ana ℥j.
Syrup. Bell. min. ℨvj.
Spir. Sal. arm. urinos.
Matr. Perl. ppt. ana ℈ß.
Conf. Alk. compl. ℈j.
M. d. ad Vitr.

Cordis Regioni ac Pectori applicabitur ſequ.

℞. *Spir. Anth.*
Ceraſ. nigr. ana. ℥ij.
Theriac. camphor. ℥j.
Conf. Alk. compl. ℈ij.
M. d. ad Vitr. Sæpius calefiat, & fruſtum Panni ſcarlatini, ſi haberi queat, immerſum ei expreſſumq́ applicetur.

Vel ℞. *Radic. Angelic.* ℥j.
Imperator.
Galang.
Irid. florent. ana ℥ß.
Herb. Meliſſ. Mij.
Ocymi.
Origani.
Puleg.
Flor. Borrag.
Roſar.
Violar. ana Mj.
Semin. Aniſ.
Naſturt.
Baccar. Junip. ana ℨiij.
Cinnam. opt. ℥ß.
Inciſ. & contuſa tenuiter inſuantur nodulis duobus interpaſſatis, qui dein alternatim Aceto loimico ſive *bezoardico calefacto immerſi, atq́ expreſſi pectori applicentur.*

Hæmorrhagia qualiscunq; Ægro contingens naturæ conceditur, ſi vires inde non frangantur; contrarium ubi

ubi notabitur, sistenda illa erit, internè dando *Emulsionem Amygdal. dulc.* cum *Aquâ Plantag. Polygon. Acetos. Urtic.* faciendam, addito singulis trihoriis scrupulo uno *Terr. sigillat. Unicorn. fossil. Bol. Arm. ppt. C. C. ust. ppt.* vel sequ. *Opiata* per vices sumenda præscribetur:

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ⊖*l.* ℥iß.
Roob Ribium.
Cydon. ana ʒij.
Conf. Hyac. inc. ʒj.
Bol. Arm. ppt. ℈ij.
Sangu. Drac. ver. ℈j.
Syrup. Fl. Tun. q. s.

F. Mixtura ad form. Opiat. d. ad Oll. & singulis bihoriis cuspis cultri plenus capiatur. Vide etiam, quæ sub Titulo de Hæmorrhagiâ narium commendata extant.

Linguæ *ariditas, scabrities, ardor* ac *scissura* remediis non acribus & aromaticis, sed mitioribus nullo Sale impraegnatis emendatur, quæ inter maximè prodest sequens vel simile *Gargarisma*:

℞. *Folior. Scabios. Malv.*
Brunell.
Flor. Malv. hortens.
Verbasc. ana Mj.
Semin. Anis. Fœnic. ana ʒiß.
Ficuum pingu. par. v.
Hordei mundat. ℥j.
Cancror. fluviat. viv. num. x.
Incis. & contus. coqu. in s. q. vel ℔ij.
Aquæ fontanæ; Colaturæ adde
Syrup. de Jujub.
Portulac. ana ℥iß.
Roob Dianuc. ℥j.
M. d. ad Vitr. Sæpius inde Os gargarisetur calidè.

Prodest & *Linctus* emolliens atq; lubricans, v. gr.

℞. *Diacod. Montan.*
Syrup. Gran. acid. ana ℥j.
Mell. rosac. ʒvj.
Aqu. Plantag. ℥iß.
Specier. diatrag. frig. ʒiß.
M. d. ad Fictil. ac inde frequenter cochleare plenum lambatur.

Vel ℞. *Mucilag. Semin. Cydon. Aquâ Rosar. fact.* ℥ß.
Aqu. vel Succi Semperviv. recens express.
Syrup. Viol. purpur. ana ℥iß.
Acetos. Citr. ℥ß.
M. d. ad Ollam. Lambatur sæpè cum contuso Liquitiæ baculo.

Vel ℞. *Syrup. de Semperviv.*
Gran. acid.
Viol. purpur. ana ℥j.
Roob Dianuc. ℥ß.
Sambuc. ʒij.
Misc. detur ad Ollam; lambatur sæpè cum baculo Liquirit.

Vel *Frusto Lardi, contusis Sempervivi majoris, Acetosæ, Quercûs, Plantaginis, Althææ, Rubi sylvestr. Brunellæ, Numulariæ* &c. foliis Lingua sæpissimè fricatur. Vel *Lapis Prunellæ Aquâ calente* solvitur, additur *Mucilago Gumm. Tragac.* aut *Semin. Cydonior. Aqu. Malv. extracta*, cum *Syrupo Acetosell.* & Lingua arida, æstuansque hâc mixturâ creberrimè illinitur.

Ubi Lingua obducta est *squalidâ, albâ, nigrâ* veluti *pelle*, tum iterum vel Butyrum cum Melle rosaceo, vel *Lingua obducta viscosâ cute.*

Lardum, vel Oleum Amygdalar. dulc. illinitur, indeque emollita sive pellicula, sive pituita commodo instrumento vel cochleari extergitur.

Faucium ardor. *Faucium ardor, inflammatio*, sive *Prunella, die Bräune im Halß*, corrigitur sectione Raninarum venarum, atque *Gargarismate* sequ.

℞. *Herbar. Scabios.*
Brunell.
Succis.
Flor. Malv. hortens.
Ligustr.
Fol. Rub. sylv. ana. Mj.
Incisa misce & coque in s. q. Aquæ font. Colaturæ ℔j. *adde*
Syrup. Granat. acid.
Roob Moror. ana. ʒvj.
Dianuc. ℥j.
M. d. ad. Vitr. Calidè hinc Os & Fauces sæpè eluantur.

Vel ℞. *Aqu. Brunell.* ℥viij.
Sperm. Ranar. ℥iiij.
Muccilag. Semin. Cydon. Aqu. Plantag. fact. ʒvj.
Mell. rosac. ℥iß.
Roob Sambuc. ℥ß.
Spiritus Vin. camphor. ʒij.
M. detur ad Vitr. Usurpetur ut superius.

Vel *Lapis Prunellæ Aqu. Malvæ solvitur, miscetur Succus Semperviv. major. rec. expressus*, vel *Succus* aut *decoctum Cancrorum fluviatil. contusor.* cum *Roob Moror. Dianuc.* &c. & hoc Fauces tepidè atq; blandè sæpius eluantur. Extus *Oleum Amygd. dulc.* vel *Rosar. Violar. Lilior. alb.* collo bis vel ter quotidie anterius illinitur, Lanaque succida desuper applicatur.

Bubo si quis retro Aures, sub Axillis, aut alibi enascatur, omni arte maturabitur, aperietur, Ulcus hinc factum detergetur, atq; tum demum ad Cicatricem promovebitur. Vide titulum de *Abscessu*; maturantibus tamen remediis *Theriaca* semper addetur.

Ad compescendum *Furorem nimium*, qui Convulsiones non rarò post se trahit, *Julepi aciduli* prosunt, non secus atque *camphoratus Pulvis* unus alterve supra descriptus.

℞. *Aqu. Lactuc.*
Portulac.
Endiv. ana. ℥ij.
Syrup. Rub. id.
Berber. ana. ℥j.
Spir. Nitr. q. s. ad grat. acidit.
M. f. Julep. d. ad Vitr. pro dosibus aliquot.

Potui ordinario *Succus Citri, Ribium, Acetosellæ* permiscebitur. In Jusculis *Lactuca, Endivia, Acetosa* decoquentur. *Epithemata refrigerantia* Fronti, Carpis manuum ac Plantis pedum applicabuntur. Capiti raso Columba viva per medium secta, rejectis capite, alis & pedibus imponitur, ac per trihorium vel ultra relinquitur, postea aufertur, & Caput detergetur Linteo calente. Si furere pergat Æger, vinculo brachiis pedibusque injecto compescetur.

Sudor excessivus s. Febris colliquativa temperabitur, si *Julepi refrigerantes*, vel *Emulsio Amygd. dulc.* subinde propinabitur, & quidem semper cum 15. guttulis *Tincturæ antipthisic.* Pulvis etiam sequens in hunc finem dabitur:

℞. *Uni-*

℞. *Unicorn. fossil.*
Corall. alb. ppt.
Terr. sigillat. ana. ℈ij.
Nitr. ♄ *iat.* ℈j.
Sacchar. cand. alb. ʒj.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. Dosis singulis trihoriis cuspis cultri cum Potu ordinario.

Vomitio nimia s. *Febris vomitoria*, compescitur sequenti Pulvere:

℞. *C. C. ust. ppt.*
Specif. stom. Poter.
Sal. Absynth.
Cichor. ana. ℈j.
M. f. Pulv. subt. in 4. part. æqu. divid. ad ch. Mane ac vesp. dosis capiatur cum Jusculo non salito.

Extus *Emplastr. de Crustâ Panis, cum Tacamahacâ* Stomachi regioni applicatur, prius tamen inunctæ *Balsamo Peruviano*, cum *Oleo Menthæ*, ac *Nucistæ expresso*. Haustus *Acidularum* subinde simul concedetur.

Si *Cephalalgia* magna adfuerit, remedia usurpabuntur, quæ sub titulo Cephalalgiæ laudata sunt, à causâ calidâ oriundæ. Inprimis autem propinabitur frequenter *Infusum fol. Thée, Betonic.* & *Scabios.* cum *Pulvere alexipharmaco*, & *Specif. cephalic. Mich.* capilli Capitis deradentur. Epithemata fronti applicabuntur. Vesicatoria pro re natâ in usum trahentur.

Quando *Febris* est *tussiculosa*, *Tussis* adest vehemens cum vel sine excreatione, remediis adjungetur *Syrupus de Jujubis, Farfar. Bellid. minor. Diacod. Montan.* Pectus inungetur *Axungiâ Capon.* cum *Oleo Verbasc. Chamomill. Spermate Ceti* &c. Vocant nonnulli *Febrim catarrhalem.*

In *Animi Deliquiis* s. *Febre Syncopali*, extus ea admovebuntur, quæ suo loco præscripta sunt; intus verò sequens *Mixtura cardiaco-diaphoretica* cochleatim propinabitur: *Animi deliquia.*

℞. *Aqu. Cardiac. offic.*
Flor. Til. ana. ℥j.
Aurant. ℥ß.
Syrup. Corallor. ʒvj.
Conf. Alk. compl. ʒj.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr.

Ubi *Singultus* adest frequens atque molesta, signum ferè est rosionis sphacelosæ Oesophagi, adeoq; funestum, hinc *Arcanum duplicatũ* Mynſ. *Cinnabaris nativa opt.* vel *Antimon. correct.* cum *Succis Nasturtii, Beccabung. Urtic. Scabios.* ac *Spiritu Vini camphor.* aliquoties dabuntur. Scrobiculo autem Cordis *Spiritus Anthos camphorat.* cum *Spiritu Lumbr. terr. Diascord. Fracast. Mithrid.* ac similibus calidè sæpius applicabitur. *Febris singultuosa.*

FEBRIS VERMINOSA, est Febris continua Lenta à Vermibus, Intestinorum maximè, oriunda. Lumbrici enim intestinales cumulati non solùm chylum absorbere possunt, sed & eundem sæpè ita corrumpunt, viscidoque acrem reddunt, ut tandem in sanguine nimium congestus vascula capillaria obstruendo Febrim excitet, eam ast lentam, neque cum vehementibus admodum symptomatibus, utut in recessu subinde malignis, affligentem. *Febris verminosa.* *Ætiologia.*

 Pueros

Diagnosis. Pueros frequenter, rarius Adultos hæc Febris invadit, & quidem utplumum ſenſim gliſcendo augetur. Incipit ferè cum vagis horripilationibus, pergit verò cum calore non adeo æſtuante, ſiti modicâ, obtuſo capitis dolore, roſionibus ventris, inquietudine, quandoque & ſopore turbulento, deliriis, motionibus ſpasmodicis, anxietatibus, loquelæ impotentiâ, anorexiâ, faſtidio ciborum, nauſeâ, ac vomendi cupidine.

Prognoſis Atque hæc ſymptomata ſi durent ſine intermiſſione, vel etiam augeantur, nullis per alvum aut vomitum prodeuntibus Vermibus, accedentibus convulſionibus, tum vel citiꝰ non dum emaciati moriuntur Ægri, vel lentâ Febri paulatim contabeſcunt, ac tandem intereunt. Si autem vermes ſive vivi, ſive mortui excernantur, atque hinc loquela redeat, ſymptomata minuantur, appetitus utcunque accedat, tum Æger ſenſim priſtinam ſanitatem recuperare poterit.

Curatio. *Curationem* hinc ita inſtitues, ut juxta antifebrilia etiam blandè laxantia *anthelmintica* in uſum vocentur. Proin *Clysmata* primùm injicientur detergentia, & Vermes ad Alvum allicientia:

℞. *Herbar.* 5. *emoll. ana.* Mj.
Semin. Aniſ. ʒiij.
Lini ʒvj.
Inciſa & contuſ. coqu. in mediâ parte Lactis, & mediâ Aquæ, Colaturæ ℥vj. *adde*
Mellis ſimplic. ʒvj.
Syrup. Violar. purpur. ℥j.
M. f. Clyſter Puero annor. 3. 4. *vel* 5. *injiciendus, & aliquoties repetendus.*

Intus verò hoc tempore *Infuſum anthelminticum* laxans dabitur. v gr.

℞. *Radic. Gramin. Scrophular.*
Scorzoner.
Rhabarb. elect. ana. ʒj.
Herb. Scabioſ. Pj.
Fol. Senn. opt. mund. ʒiij.
Semin. Fœnic.
Cyn.
Crem. ♀ri ana. ʒj.
Sacch. alb. ʒiij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. font. Colatur. ℥iiij. *d. ad Vitr. pro duabus doſibus, ſpatio* 24. *horarum Puero propinandis.*

Interea *pulvis* dabitur *antifebrilis, antiſpasmodicus*, & *anthelminticus* ſimul; v. gr.

℞. *C. C. uſt. ppt.*
♃*n. diaph. ana.* ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Radic. Filic.
Cortic. radic. Mor.
Cinnab. ♃*nii rectif. ana.* ʒß.
Sacch. roſat. ℥ß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. Singulis trihoriis cuſpis cultri plenus cum Emulſione amygdalinâ propinabitur.

Pro potu ordinario concedetur *Decoctum radic. Graminis, Scorzoner. C. C. uſt. Paſſular. min. Semin. Anis.* Vel *Mercurius vivus* per bihorium in *Aquâ fontan.* bulliat, ſub finem adjiciendo ſpecies modò dictas. *Juſcula* interim carnium, aliave concedenda; imò & *Lac vaccinum* vel *caprillum* cum incoctione *Allii* & *Sacchari* ſubinde exhibetur. Extus Abdomen *Oleo Abſynth.*

Absynth. Anethi, Colocynth. cum *Felle taurino* calidè inungitur. *Umbilico* applicatur etiam *Mel* cum *Felle Tauri, Oleo dest. Absynth. Theriacâ*, & *Allio.*

FEBRIS CATARRHALIS est Febris continua benigna, à pituitâ vel sero salso, plerunque glandulas palatinas aut thoracis varias, ipsasque vesiculas Pulmonum opplente, sicque humoralis massæ circulationem tantillum impediente, originem ducens.

Occasionem hinc præbent Cibi pluries assumti salsi, acidi, lenti, dyspepti, fumo siccati, Potus Cerevisiæ acescentis, aut Vini penduli, austeri. Mora frequens & diutina in Aëre frigido & humido.

Cognoscitur haud difficulter ex præsentiâ symptomatum febrilium non adeo vehementium; Tussis subinde adest plus minus sicca aut humida, ut & Dyspnœa, Cephalalgia obtusa, Dysorexia, Siticula, Interdum Gravedo, Lassitudo membrorum, Somnus inquietus, interruptus.

Benigna hinc est talis *Febris*, periculum ex sese nullum præsagiens, atque sensim Catarrho imminuto, tandem vel per sudorem, vel per alias vias evacuatione factâ, penitus evanescens.

Curatur hinc non nisi per Catarrhi viscidi incisionem atque resolutionem, acris edulcorationem, superflui evacuationem, debilitati viscerum toni corroborationem; ac denique appetitûs imminuti revocationem: quibus indicationibus satisfieri potest ante omnia per *Clysma emolliens* ac *detergens*, vel per laxans sequ.

℞. *Syrup. Fl. Acac. vel*
Persic. vel
Ros. sol. comp. cum R. A. & S. ℥ij.
Aqu. Beton. ℥j.
Scab. ℥ß.
Elect. è Succ. Ros. ʒiß.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Diacydon. lucid.* ℥ß.
Aqu. Verben. q. s.
M. f. Potiuncula d. ad Vitr. pro dosi mane jejuno stomacho sumendâ.

Postea *Infusum fol. Thée* cum *Betonic. Chamædri, Trifol. fibrin.* & *Flor. Ros. rubr.* mane ac vesp. ad aliquot vascula propinabitur, cum vel sine sequenti *Essent.*

℞. *Essent. Succin.*
Betonic.
Lignor. ana. ʒiß.
M. d. ad Vitr. Dosis 20. ad 30. gutt. pro dosi.

Vel exhibebitur *Pulvis* sequens:

℞. *Corall. rubr. ppt.*
Eboris phil. ppt. ana. ʒij.
Radic. Ireos flor.
Pulv. fol. Beton. ana ʒj.
Majoran.
Flaved. Cort. Aurant. ana. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis singulis sex horis ℈ij. *cum Aqu. Betonic.*

Extus vertex Capitis & Nucha illinatur bis vel ter quotidie *Oleo è flor. Slotan.* cum *Oleo still. Succin. Bacc. Juniper.*

Si *Tussis* adfuerit, *Syrupus Bellidis minoris*, *Papav. rhead. de Jujubis*, *Tussilag. Heder. terr. Scabios. Nicotianæ succo*, *Oxymel simpl.* vel *squillit.* per cochlearia lambendus dabitur, cum vel sine *Oleo Amygdal. dulc. rec. expr.*

Ad *Asthma* autem dissipandum, respirationemque liberiorem reddendem *Decoctum* sequens convenit:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Aristol. rot. ver.
Scill.
Scrophul. ana. ℥iiß.
Fol. Heder. terr.
Scabios.
Veron.
Flor. Bell. min. ana. Mj.
Bacc. Junip.
Semin. Anis. ana. ℥ij.
Ficuum pingu. par. iv.
Incis. & contus. Coqu. in Aqu. font. Mens. iiß. *ad quartæ partis consumt. In Colaturâ Album. ov. clarific. dissolv.*
Oxymelit. squillit.
Syrup. de Erys. Lob. ana. ℥ij.
M. d. ad Vitr. Dosis singulis octo horis Cyath. ℥iiij. *calidè.*

Sed & *Spir. Salis arm. anisat. Spirit. Cochlear. Nasturt. Sal. volat. oleos. Sylv.* man. ac vesp. ad gutt. 25. cum *Aqu. Veronic.* dari solet non sine insigni effectu.

FEBRIS PVERPERARVM, est *Febris lactea*, de quâ supra actum.

Febris arthritica. FEBRIS ARTHRITICA est Febris continua, cum atrocibus satis membrorum, inprimis Articulorum, doloribus Hominem excrucians. Sentiunt hunc dolorem in omnibus ferè membris simul, sicque differt à Dolore Podagricorum & Arthriticorum, quibus non nisi in uno tantùm vel altero Articulo simul obtingit dolor.

Originem verò ducit à sanguine acri, salso, in minimis canaliculis tardius decurrente, hincque æstuante ac fibrillas ubicunq; nerveas, membranaceas vellicante.

Facilè cognoscitur ex ipsius Ægrotantis relatione, neque periculi quid portendit, modò per sudoris aut Renum vias salia ferocia sanguinis eliminentur.

Curatio omnis absolvitur Clysmatis emollientis ac detergentis injectione, etiam reiteratâ, sanguinis per incisam brachii pedisve venam detractione, deniq; Remediorum diureticorum & diaphoreticorum crebrâ exhibitione, cum exspectatione sudoris quotidiani; v. gr.

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Cryst all. alb. ppt.
Lumbr. terr. ppt.
♁ *n. diaphor.*
Dent. aprin. ppt. ana. ʒj.
M. f. Pulv. subtil. div. in 10. *doses æqu. ad ch. m. ac vesp. cum Infuso fol. Thée capiendas.*

Pro ordinario potu cedat *Decoctum radic. Gramin. Filic. Scorzoner. Passular. min. C. C. ras.*

FEBRIS VRETICA est *Diabetes cum Febri continuâ conjuncta*, de quâ vide suo loco.

FEBRIS PVRPVRA est Febris continua benigna aut maligna cum volatico

volatico rubore & ardore cutim variis in locis occupante affligens, atque à Lymphâ salino-acri extremos tubulos sanguivehos crispante oriunda. Curatur non nisi ut *Febris Synochus*, extus *Farina* probè siccata cum *Camphora*, *Cretâ alb.* & *Bolo* mista applicatur.

FEBRIS INTERMITTENS est Febris, sive calor totius corporis præternaturalis non continuè, sed per certum temporis intervallum duntaxat durans, dein nunc ex toto, nunc maximâ parte intermittens, & postea novo cum paroxysmo recurrens. Tempus intermissionis ἀπυρεξία vocatur, quæ *perfecta* est, si Febris omnino cessat, ac demum post aliquod temporis spatium redit; *imperfecta* autem, si Febris non ex toto remittit.

Reditus Febris nuncupatur *Paroxysmus*, παροξυσμὸς, latinè *exacerbatio*. Atque hæc quidem si quotidie recurrat, *Quotidiana*, si diebus alternis, *Tertiana*, si denique tertiâ quavis die post præcedentem paroxysmum redeat, *Quartana* appellari Febris consuevit.

Febres autem qualescunque *intermittentes* nullam pro sui causâ *putredinem* agnoscere videntur. Etenim Serum Sanguinis in ejusmodi Morbis lentorem atque viscididatem ab interfluente acido quodam sale errante sibi comparavit. Ista autem qualitas, quantum à resolvente humorum putredine distet, iis maximè notum est, qui doctrinam de fermentatione, digestione & putrefactione resolvente probè callent. Plerunque autem Serum sive Lympha hâc aciditate errante pollens in viscidum atq; lentũ humorem commutatur in Mesenterio, Pancreate, Ventriculo, Intestinis, aliisve partibus glandulosis Abdominis.

Quòd si proin Febris intermittens nidulari incipit, tum 1. errans Lymphæ acidum, undecunque transmissum, chylo & hinc ipsi sero Sanguinis in vasis sanguineis, qualiumcunque coctionis viscerum, commiscetur. 2. Humores acido imprægnati magis lenti, crassi ac viscidi evadunt. Hinc 3. sequitur talium humorum stagnatio, adeoque simul vasculorum, & glandularum oppilatio. 4. Ad certa temporis intervalla humor ille viscidus colligitur, locumque pristinum replet. 5. Statis autem temporum periodis, mediante robore naturæ, sive motûs oscillatorii vasculorum, humor ille excutitur, & sanguineæ massæ affunditur. 6. Ubi dein ob disproportionatam consistentiam, & figuram acidarum particularum rigidam cum Sanguine circulando, in extremis tubulis obhæret, atque fibrillas tubulorum vicinarumque nervosarum, præcipuè in cute & panniculo carnoso, austeritate quadam constringendo & crispando modò frigoris lenis, modò horroris aut etiam rigoris alicujus sensum producit; qui per horam unam alteramve durat, donec videlicet ob constrictos plurimos tubulos sanguis regurgitans 7. Motum in reliquo sanguine circulante intestinum auctiorem vel intensum magis reddendo æstui febrili ansam dederit,

derit, sub quo denique 8. plurium pauciorumve horarum spatio Febreos materia morbifica evicta, soluta, ac præcipitata sub formâ sudoris prodeat, sicque paroxysmo febrili finem imponat. Hæc autem omnia in uno Paroxysmo febrili contingere solent, & quando cessârunt, ἀπυρεξία adest sive quies à Febri, tamdiu durans, donec in fomite sive loco affecto nova materia febrilis collecta similem prorsus effectum, sicut antea, edat, sicque paroxysmum novum producat.

Febris quotidiana. FEBRIS QVOTIDIANA est Febris intermittens singulis diebus certâ ferè horâ recurrens, & cum levi frigore, æstu, siti, lassitudine aliisq; symptomatibus Hominem affligens.

Pars affecta. *Afficiuntur* in hoc morbo primariò humores, dein & ipsæ per consequens solidæ partes.

Causa. *Gignitur* autem à pituitâ viscido-acidiusculâ ipsam sanguinis Massam percurrente, atque singulis 24. horis ita replente, ut hinc sensim effervescentia s. Ebullitio febrilis oboriatur, tamdiu durans, donec illæ particulæ heterogeneæ deflagrârint, & vel per insensilem transpirationem, vel per sudorem præcipitatæ Paroxysmum febrilem finiverint. Pituitosæ autem illæ particulæ è primis maximè viis suppeditantur; quando videlicet in his per aliquantum tempus cruditates ejusmodi ex nimiâ ingurgitatione ciborum potusque non adeo laudabilis per coctionem Ventriculi imminutam fuerunt collectæ.

Facilè hæc cognoscitur Febris ex ipso tempore affligendi, & durationis spatio. Plerunque sub meridiem aut vesperam Paroxysmi accedere solent. Pueris quàm Adultis familiarior est morbus, Symptomataq; non adeo vehementia obtinet. Paroxysmus utplurimum 5. vel 6. horis finitur, totaque Febris non adeo diu durat, modò Æger obediens, Medicusque sanandi peritus extiterit. Appetitus in paroxysmo nullus, extra eum verò exiguus est: præterea Paroxysmus à frigore magis quàm horrore incipit, ultra dimidiam horam plerunque durante; subsequitur calor totius corporis, cum siti, lassitudine, stomachi gravitate (ut propterea Vulgus appellare consueverit, *daß truckende Fieber*) subinde & Cephalalgiâ aut Ventris Torminibus, quibus per quinque sex aut plures horas durantibus succedit mador, vel sudor, Paroxysmo finem imponens.

Morbus proin, si benè ac diligenter tractetur, minimè periculosus est, licet interdum Ægros emaciet; si verò negligitur, in Cachexiam vel Hecticam facilè transit, & mesaraicarum Glandularum obstructionem post se trahit.

Quoad *medendi Methodum*, statim in principio eo adnitendum, ut primæ viæ expediantur, atque à pituitosarum cruditatum saburrâ liberentur; quem in finem Puero sexenni statim summo mane, quo quidem extra Paroxysmum febrilem versatur, exhibebis sequ.

℞. *Mer-*

℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈ß.
Scammon. ♀*rat. gr.* vj.
♄ *n. diaph. gr.* iv.
Radic. Aron. pulv.
Crem. ♀*ri ana. gr.* j.
Sacch. alb. gr. iv.
M. f. Pulv. subtil. d. ad ch.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℨvj.
Aqu. flor. Acac. ℥ß.
Cinnam. bugl. ℨß.
Scam. ♀*rat. gr.* iiij.
Mercur. dulc. opt. gr. vij.
M. ad Vitr. & detur pro dosi.

Postea tentandum unicè, ut Liquor gastricus à præternaturali visciditate, & crassitie fixâ liberetur, concoctio naturalis restituatur, sicque tota sanguinis Massa ad meliorem volatilitatis statum redigatur. Hunc in finem m. ac v. sequentium medicaminum unum vel alterum exhibeatur:

℞. *Rad. Irid. florent.*
Aron. pulveris.
Chelidon. maj. ana. ℨß.
Cinam. opt. ℈ß.
♄ *n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Diaph. martial. ana. ℈ij.
Salis Cichor. ℈j.
Sacch. alb. ℨiij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis ℈j. *ad* ℨß. *cum Syrup. de Fumar.*

Vel ℞. *Ebor. ppt.*
Diaph. ♂*ial. ana.* ℨj.
Bezoard. miner. ℨß.
Pulv. flor. Centaur. minor. ℈j.
Sacch. alb. ℨiij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dos. ℈j. *cum Aqu. destill. Card. bened. Fœnic. Scab. Nasturt.* vel cum *Potu ordinario*, aut cum *Vino generoso Aquâ diluto.* Si Æger cum vehiculo detrectet assumere pulverem, tum poterit ille cum *potu ordinario* permisceri, & sic paulatim exhiberi. Si planè non arrideat, tum præscribi potest sequens:

℞. *Succ. ex Herb. recent. Beccab. Urtic. urent. Plantaginis, & Nasturt. aqu. expr. ac filtr.* ℥j.
Julep. rosac. ℨij.
M. ad Vitr. Detur singulis mane ac vesperi extra paroxysmum pro dosi, donec Febris cesset.

Vel ℞. *Aqu. dest. Chelid. maj.*
Nasturt.
Apii selin.
Cherefol. ana. ℥ij.
Fumar.
Card. ben. aa. ℥iß.
Sacch. alb. ℥ij.
M. ad Vitr. Dentur m. ac v. ℥ij.

Pro *potu ordinario* concedatur *Decoctum Agrimon.* vel *Rad. Gramin.* & *Scorzoner.* cum *Liquirit. Anis.* Vel etiam *Decoctum Mercur. vivi* seqq. modo paratum:

℞. *Mercur. vivi purgat.* ℥iiij.
Aqu. fontanæ q. s.
Coque per bihorium, sub finem adjice
Radic. Liquirit. ℨiß.
Semin. Anis. ℨj.
Passul. min. ℥ß.
Colatur. filtrat. Miß. *d. ad Ampull. vitream.*

Quod si ex usu horum remediorum octidui spacio Febris nec cesset, nec

nec minuatur denuo purgans exhiberi poteſt, Puero ſexenni v. gr.

℞. *Rhab. opt.* ℈ß.
Mercur. dulc. gr. vj.
Scammon. ♁*rat. gr.* iiij.
Crem. ♀*ri gr.* j.
Sacch. alb. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. & *exhibeatur mane jejuno ſtomacho cum Syrupo violaceo, aut Decocto ordinar. ac poſtea usque ad meridiem ſubinde Juſculum detur.*

Vel ℞. *Diacydon. lucid.* ℥ij.
Aqu. Fœnic. ℥iß.
Card. Mar. q. ſ.
M. f. Potiuncula d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Poſtmodum in uſu remediorum ſupra dictorum pergatur, usque ad Febris ablationem & Appetitûs reſtitutionem.

Poterit tamen ad certiorem reſtitutionem ſequens etiam *Pulvis* m. ac v. exhiberi cum vehiculo qualicunque commodiore:

℞. *Cortic. Peruv. optim.* ℥ß.
Salis Abſynth. ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 12. *doſ. ad ch. m. ac veſperi dandas.*

Si æſtivum eſt tempus, & Ægrotus ad perfectam ἀπυρεξίαν deveniat, audacter immitti poteſt extra paroxysmum *Balneo Aquæ dulcis*, cui incoctæ ſint *Herbæ* quædam *Cephalico-emollientes*, ac inibi non adeo fervidè ad horam unam vel alterâ detineatur; incredibile enim eſt, quantum ejusmodi *Balnea* energeiam Remediorum juvent ac promoveant, ipſum Ventriculi menſtruum reſtituant, atq; primas inſuper vias eluant. Si tandem alicui placebit uſus *Eſſentiæ* cujusdam *ſpirituoſæ*, quemadmodum *Trifolii fibrini*, *Naſturt. aquatic. Cochleariæ*, *Apii ſelini ſ. Paludapii*, ut & *Tincturæ* ♄ *nii*, 8. *ad* 12. *guttularum doſi* m. ac v. inſtitutus, ei non refragabor. In Adultis autem dupla, triplave doſis omnium obſervanda venit.

Di[æta] In *Diætâ Juſcula* inprimis commendentur *carnea*, apud Adultos quoque, niſi inſigniter adverſentur, *Herbis naſturcinis* alterata. Fugiantur omnia acida, omnia ſale nimis condita, paſtæ farinacea ſaccharata, fructus horæi copioſi, dyspepta omnia, quæque chylum admodum craſſum & viſcidum exhibere poſſunt. Interdicatur vocacitati nimiæ, potui gelido, Balneis frigidis, aliisque corporis refrigerationibus nimiis.

Febr[is] terti[ana] FEBRIS TERTIANA eſt Febris intermittens ſ. efferveſcentia Maſſæ humoralis, ſingulis alternis diebus Ægrum novo cum rigore, æſtu, ſiti, aliisque ſymptomatibus febrilibus affligens.

Par[s] affec[ta] Primariò quidem afficitur humoralis Latex, ſecundariò autem omnes ferè partes ſolidæ ſimul patiuntur. Fomes tamen ſ. focus hujus Febreos in variis Abdominis, præcipuè Hepatis, glandulis latere communiter creditur: ego in Ventriculi & Inteſtinorum Glandulis vitium inprimis latitare arbitrarer.

Cauſ[a] *Producitur* enim hic Morbus à fermentitiis quibusdam particulis bilioſo-acidis & ſalino-fixis, è primis viis

viis bidui ſemper ſpacio in Maſſam ſanguineam ad turgeſcentiam usque transmiſſis, atque hinc, eandem turbando, febrilem paroxysmum excitantibus. Anſam verò præbet utplurimum coctio ſeu chylificatio Ventriculi perverſa, aut ſpecifico aliquo modo alterata, quæ ſenſim Chylum minus laudabilem, minusque perfectum gignendo Sanguinem ad hunc morbum prædiſponit, ita ut poſtmodum levi datâ occaſione, ſive per cohibitam inſenſilem tranſpirationem, ſive per animi pathemata, ſive aliis modis turbatus Febrim hanc accendat. Aëris, Ciborum, Potûs mutatio ad producendam hanc Febrim multum contribuit. Qui Belgium primò ſalutant, frequentes hâc Febri corripiuntur. Duplex Tertiana hinc duplicem fomitem habebit, ita quidem, ut è quolibet duorum dierum ſpatio ſubminiſtretur materia febrilis ſanguini circulanti, pro excitando paroxysmo; cumque plus ex uno fomite, quàm ex altero fortè ſubminiſtretur, hinc paroxysmus unius diei diſſimilis erit Paroxysmo ſequentis aut præcedentis diei, quoad modum affligendi, & ſymptomatum conditionem, dum materia vel acrior, vel copioſior, minusve talis eorum vehementiam mutare ſolet.

Ante tertium Paroxysmum vix certus eſſe Medicus poteſt de hâc Febri. Dein etiam affligendi modo & tempore ab aliis facilè diſcernitur. Incipiunt autem Paroxysmi hujus Febreos cum inſigni rigore, quem cœruleus unguium color, dorſi horripilationes, vigiliæ & inquietudines antecedunt. Rigor ille durat communiter ad horam unam, aliquando ulterius extenditur, ſubinde ita fortis, ut non dentes ſolùm concutiat, atque ſtridentes reddat, ſed & cum ipſo corpore ſimul lectum tremere faciat. Rigorem ſenſim remittentem excipit Æſtus totum corpus divagans, nunc major, nunc minor, nunc diuturnior, nunc brevior: huic ſeſe jungit interdum varia anxietas & inquietudo, amarororis, nauſea, imò & vomitus humorum bilioſorum & acrium, quando in febrili inſultu folliculi Fellis fibræ ſpasmodicè contractæ ſuam omnem bilem in Duodenum, hinc & aliquâ ſui parte in Ventriculum eructant. Accedit his ſimul ſitis ingens, cum ipſo ſæpius rigore incipiens; hinc & quosdam ſimul affligit Cephalalgia, atque Lumborum magnus dolor, alios verò ab his ſymptomatibus liberos videas. Rarius etiam ſimul deliria in ſummo æſtu accedunt, diu tamen non durantia. Vidimus, quod rarum eſt ac malignitatem ſapit, quibus in quolibet ferè paroxysmo tormina ventris, convulſiones univerſales, vel anxietas pectoris cum ſuffocationis metu, valdè moleſtum, imò & diſcriminis plenum reddebant paroxysmum. Omnes & extra Paroxysmum, & intra ipſum, laſſitudine totius, appetitu vel proſtrato, vel inſigniter imminuto vexantur. Sunt qui in Paroxysmo poſt ſedatam ſitim dormire poſſunt, alii verò etiam per 16. pluresque horas ita inquieti exiſtunt, ut

dormire prorſus neſciant. Poſtquam, autem hæc Symptomata ad 8. 12. pluresve horas durârunt, tandem exſpirante calore Sudor utplurimum erumpit largus, per quem febrilis materia magnam partem deflagrans Paroxysmo finem imponit. Sudor ille plerunque ita fœtet, ut Ægro ipſimet magnum faſtidium pariat. Raræ ſunt illæ Tertianæ, quæ ſine rigore aut frigore incipiant, ac eæ in Glandulis ſubcutaneis nullas obſtructiones agnoſcunt.

Febris *tertiana* autem nunc *ſimplex* eſt, alternis tantùm diebus Hominem affligens; nunc *duplex*, ſingulis diebus eundem exercens, quæ dignoſcitur à *Quotidianâ* intermittente, quod hæc ſtatis quotidie horis iisdem cum ſymptomatibus accedat; *Tertianæ* autem duplicis periodi tales ſint, ut primi diei paroxysmus reſpondeat quoad omnia tertii diei paroxysmo; ſecundi autem diei paroxysmus ſimilis ſit quartæ diei paroxysmo. Quartana triplex è ſuis quoque ſignis cognoſcitur.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, Febris hæc eſt utplurimum absque periculo; imò in Juvenibus creditur Sanguinis depuratoria. Icterus ſuperveniens eam ſolvit. Vernalis aut æſtivalis Tertiana citius, quàm Autumnalis & hyberna curatur; hæc enim non rarò in *Quartanam* aut *Tertianam duplicem* degenerat. Senibus autem hic Morbus quandoque lethalis evenit. Quo citius in Urinis ſigna coctionis apparent, eo Febris brevior æſtimatur; coctionis præcipuum ſignum eſt nubecula globoſa in medio Urinæ adparens; ſi verò hoc ſignum tardius comparet, tunc Febris quoque longior evadet. Vehementiores in principio Paroxysmi morbum breviorem fore deſignant.

In *Curatione* primò conveniunt alterantia inciſiva, quæ crudos primarum viarum humores incidunt, atque præparant; v. gr.

℞. ♁nii *diaph.* ℨß.
Nitr. ♁*niat.*
Flor. Sal. arm. hæmatit. ana. gr. xv.
M. f. Pulv. ſubt. in 2. doſ. æqu. ad ch. divid. Dentur ſpatio 12. *horarum cum hauſtu Aquâ Cichor. vel Taraxaconis.*

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Nitr. ♁*niat.*
Salis Cent. min.
Abſynth. ana. ℈j.
M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 4. *doſ. æqu. ad ch. ſumantur m. ac veſp. cum Aqu. Card. bened. vel Juſculo non ſalito.*

Poſtmodum ſi ex ſecundo vel tertio paroxysmo certus es de præſentia hujus Febreos, *Vomitorium* dandum; v. gr. in Adulto:

℞. *Oxyſacch. emet.* ℥ß.
Aqu. Borrag.
Plantag. ana. ℨiij.
Cinam. bugloſſ. ℨij.
M. f. Potiuncul. d. ad Vitr. & exhibeatur unâ vice mane diei vacui, vel 6. *horis ante paroxysmum, ſuperhauriendo Juſculæ aliquot.* Vel, ſi malit Æger pulverem, ſequentem da:

℞. *Crem.* ♀*ri gr.* xv.
Salis Centaur. min.

Bezoard.

Bezoard. min. ana. gr. v.
♀*ri emet. gr.* ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. & exhibeatur pro dosi.

Vel *Infusum Croci Metallor.* aut *Vitri* ♁*nii, ad duas uncias* mane jejuno stomacho bibendum exhibetur. Vel *Ipecacuanhæ pulvis subtilissimus ad* ʒß. concedi potest, superhauriendo frequentia *Juscula carnium non salita*, aut *Infusum folior. Thée.* Rustici nostrates verno quidem tempore *Gemmas Sambuci duodecim* plus minus, recentes sumunt, instar Acetariorum accomodant, ac ita comedunt, indeque ἄνω καὶ κάτω purgantur. Aliâs autem frustum *Tabaci* per noctem immergunt tribus quatuorve unciis *Vini albi*, hocque postridie mane bibunt, ac ita vehementer purgantur, ut Febrim hinc omnem omittant sæpius.

Quando autem per vomitum rejici nequit saburra primarum viarum, tum catharticum dabitur, v. gr.

℞. ♁*n. diaphoret.*
Salis essent. Card. ben. vel
Acetosell. ana. ℈ß.
Diagrydii.
Nitri ♁*iat. ana. gr.* viij.
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi mat.

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Crem. ♀*ri.*
Mercur. dulc. opt. ana. ℈ß.
Scammon. sulphur. gr. iij.
M. f. Pulv. subt. d. pro dosi mat.

Post hæc si Plethora aliqualis adsit, & Æger magnum in paroxysmo æstum, vehementiaque symptomata patiatur, tum aliquot horis ante paroxysmum Vena secari potest; quæ tamen absente Plethorâ, Cephalalgiâ, aliisque vehementibus Symptomatibus nullum locum habet. Postmodum aliquot horis ante Paroxysmum sequens vel similis potio haurienda propinabitur:

℞. *Aqu. Card. bened. Fumar.*
Nasturt. ana. ℥j.
Syrup. Rub. id. ℥ß.
♀*ri* ⊖*lat.*
Bezoard. miner. ana. ℈j.
Misc. f. Potio d. ad Vitr.

Dein *antifebrilia* in usum vocentur, qualia sunt nobis usitatissima & omnium optima.

℞. ♁*nii diaph.*
Specif. antifebr. Croll.
Ocul. ♋. *ppt.*
Flor. Sal. arm. hæmat. ana. ʒß.
Caryphyllor. aromat. gr. xij.
Sacch. opt. gr. xxiv.
M. f. Pulv. subtil. in 6. dos. æqu. ad ch. divid.

Sumantur m. ac v. extra paroxysmum cum *Jusculo*, vel *Aqu. Cherefol. Endiv. Fœnic.* aliave.

Vel ℞. *Conchar. ppt.*
Bezoard. min. ana. ℈ij.
Salis Card. bened.
Centaur. min. ana. ℈j.
Ol. still. Garyoph. gutt. iij.
Sacch. alb. ʒß.
M. f. Pulv. subtil. dividendus in 6. dos. æqu. ad ch.

Vel ℞. *Ebor. ppt.* ʒij.
♁*nii diaph.* ʒiß.
Salis Absynth.
Cichor.
Flor. Sal. arm. hæmat. ana. ʒß.

 Ol.

Ol. stillat. Garyoph. gutt. viij.
Sacch. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subtil. in 12. *dos. æqu. ad ch. divid.*

Vel ℞. *Regul. ♁n. medicinal. aut*
Magist. ♁n. diaphor.
Corall. rubr. ppt.
Salis Tabaci ana. ℈ij.
M. f. Pulv. subt. div. in 4. *part. æqu. ad ch. Sumantur m. ac vesp. cum Aqu. Taraxac. Ulmar. Nasturt. Urtic. aut simili.*

Quod si Pulverum formam quis fastidiat, huic magno cum successu similes pulveres cum *Extracto Absynth. Gentian. Helen.* &c. & *Essentiâ Myrrh.* in *Pilularum* formam reducere, harumque dein ℈j. vel ℥ß. cum vehiculo aliquo suprà dicto concedere possumus.

Si *Decoctum amarum* Æger non respuat, ei sequens parabimus:

℞. *Radic. Gentian. Aristol. rot. ver.*
Calam. aromat. ana. ℥ß.
Herb. Anserin. Scabios.
Card. bened. ana. Mj.
Summit. Centaur. min.
Flor. Calendul. ana. Mß.
Semin. Anis. Nasturt. hortens. ana. ℥ij.
Cortic. Peruv. opt. ℥j.
Incis. & cont. coqu. in Mensuris duabus Vini & Aquæ: de Colaturâ m. ac vesp. hauriantur Unciæ quatuor.

In Paroxysmo ipso ad mitiganda symptomata cochleatim præscribe:

℞. *Aqu. Scabios. Plantag.*
Borrag. ana. ℥j.
Syrup. Rub. idæi.
Flor. Tunic. ana. ℥iij.
Confect. Alk. inc. ℥j.
Matr. perl. ppt.
Bezoard. min. ana. ℈j.
M. ad Vitr.

Quando *Anxietas* & *Dyspnœa* hancce Febrim comitantur, tum *Sperma Ceti ad* ℥j. aliquot horis ante Paroxysmum in Jusculo dabitur. In ipso autem Paroxysmo:

℞. *Aqu. Consol. regal.*
Ulmar. ana. ℥ij.
Syrup. Acetosell. ℥vj.
Succi Citr. rec. expr. ℥ij.
Spirit. Salis arm. anis.
Cinnab. nat. opt. ana. ℥ß.
M. d. ad Vitr. capiatur cochleatim.

Si *Convulsiones* erumpant, sequens Mixtura præscribitur;

℞. *Aqu. Fl. Til.*
omn.
Calendul. ana. ℥j.
Syrup. de Semperviv.
Pœon. ana. ℥ß.
Tinct. Castor. cum Spirit. Sal. arm. par. ℥ß.
Essent. Opii liquid. ℈ß.
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. ♁n. corr. ana. ℈j.
M. d. ad Vitr. cochleatim præbeatur. Extus adhibe, quæ sub titulo de Convulsionibus laudata sunt.

Quod si his per octiduum usurpatis Febris non minuatur, tum ad fortiora antifebrilia deveniendum, qualia sunt; v. g.

℞. *Radic. Gentian.*
Cortic. Chinkinn. ana. ℥ij.
♁n. diaph.
Flor. Sal. arm. hæmat. ana. ℥j.
M. f.

M.f. Pulv. subt. in 6. dos. æqu. div. ad ch. Sumantur m. ac v. cum haustu Vini generosi, in quo prius per aliquot horas Pulvis immersus jacuit. Vel

℞. *Flor. Centaur. min.*
♄n. diaph.
Alum. rup. ana. ʒß.
Ol. still. Garyoph. gutt. ij.
Sacch. opt. ℈j.

M.f. Pulv. subtil. in 3. dos. æqu. ad chart.

Vel ℞. *Fol. Card. bened.*
♄n. diaph. ana. ℈ij.
Nuc. moschat.
Flor. Sal. arm. hæmat. ana. ℈j.
Piper. alb. ℈ß.
Sacchar. alb. ℈j.

M.f. Pulv. subtil. in 4. dos. æqu. ad chart.

Vel quod nunquam penè fallit:

℞. *Cortic. Peruv. opt.* ℥ß.
Salis Absynth. ʒß.

M.f. Pulv. subtil. in 6. dos. æqu. ad ch. div. Utere mane ac vesperi extra Paroxysmum, cum hausti *Vini albi generosi.*

Rustici Helvetii subinde *mediam pulveris Piperis nigri* vel *albi drachmam* cum haustu *Vini*, vel cum *Cochleari pleno Spiritûs Vini* mox in rigoris febrilis principio deglutiunt, & ita Febrim abigunt.

Usus talium remediorum, inprimis *Corticis Peruv.* continuandus est, etiam post abactam Febrim, ne redeat amplius, quod aliâs fieri assolet. Vel dentur *Juscula succis Herbarum antiscorbuticarum* alterata, aut ipsi etiam *succi* soli sumantur, expressi è plantis *recentibus Urticæ urentis, Nasturt. aquat. Plantaginis utriusq;, Cherefol. Cochleariæ, Beccabung. Taraxacon. Apii Macedonic. Raphani rustican.* &c. quorum succorum dosis ad ℥ij. vel plures extenditur, atque pro lubitu etiam Saccharo edulcoratur, hincque per decem aut plures dies m. ac v. bibitur. Vel *Infusum Chinkinnæ* seqq. modo paratum hauriri potest, ceu infallibile Febrifugum:

℞. *Cortic. Chinkin. opt.* ℥ß. *vel* ʒvj.
Cinnam. opt. ʒj.
Salis Centaur. min. ʒß.

M.f. Pulvis subtiliss. cui affunde Vini albi veteris Mens. j. *Stent in Vitro clauso per plures dies, & quotidie bis agitentur.* Tertio hinc die m. ac v. extra paroxysmum cyathus hauriatur unciarum 5. vel 6. *liquoris* agitatione probè turbati, quia simul *Pulvis* ipse sumendus est ad Febrim optimè fugandam. Etsi autem ab haustis sic aliquot hujus remedii dosibus febriles Paroxysmi emaneant, redeunt tamen plerunque post aliquot hebdomadas, ad quod præcavendum ulterius in usu ejusdem medicaminis est persistendũ; donec appetitu perfectè redeunte, omnis recidivæ metus sit abactus. Succedanea Chinkinnæ sunt varia, sed suo tamen effectu non ita probata.

℞. *Cortic. median. Fraxin.*
Radic. Gentian. ana. ʒiij.
Summit. Absynth.
Centaur. min. aa. ʒiß.
Flor. Sal. arm. hæmat. ʒj.

M.f. Pulv. subtiliss. cui affunde Vini alb. generos. ℔iv.
Stent in loco tepido, subinde agitando; postmo-

postmodum sume sicuti Infusum Chinkinnæ.

Vel ℞. *Lign. Colubrin.* ʒij.
Cortic. median. Sambuc.
Radic. Gentian. ana. ʒiß.
Salis Absynth. ʒj.
Sacch. alb. ℥iij.
M. f. Pulv subtiliss. cui affunde
Vini alb. optim. tenuis ℔iij.
Stent in loco tepido, hinc m. ac v. ℥iij. *vel* ℥iv. *de Liquore turbido hauriantur.*

Si Homo plethoricus vel pituitosus fuit, simul ipsi commendari poterit usus Balnei alicujus mineralis aluminoso-argillacei, cui etiam ferventi Æger in ipso febrili Rigore insidere, & postea in eo manere poterit per æstum ipsum febrilem, quoad vires permiserint. Expertus hoc sum in memet ipse, plurimisq; aliis hucusq; fui. Si verò Cholericus, aut Melancholicus fuerit, tunc post antifebrilium usum *Acidularum potus* concedatur, quibus alii substituunt *Serum Lactis* cum *Tamarindis* factum, in quo bullierint *Herbæ* quædam *antiscorbuticæ*, v. g. *Fumaria, Cherefol. Agrimon. Urtica, Apium selinum, Plantago* &c.

Ad minimum sex horis ante paroxysmi insultum nihil ciborum assumere convenit. Pisces, Caseus, Ova, Caro suilla, Lac, Fructus horæi, Placentæ, omniaque pinguia fugiantur. Die vacuo Vinum concedatur, ni caput inde gravetur, die febrili autem omittatur. In rigore febrili nihil bibatur, in æstu autem potus non ita gelidus concedatur. Subinde *folia Cochleariæ, Acetosæ, Nasturtii, Sempervivi major.* vel orbiculi pomi Citri ingerantur sicco Ori ac masticentur ad fallendam sitim.

Externè sæpius de collo suspendunt *Camphoram* nodulo inclusam. Carpis manuum verò applicabis seq.

℞. *Telas aliquot Aranear.*
Diascord. Fracast. ʒij.
Fuligin. splendid. ʒiß.
Radic. Allii ℥ß.
Rad. Raphan. rustic. rec. ʒj.

Incis. & contus. in formam Cataplasmatis redige, linteo superinduc, & applicato tam carpis manuum, quàm plantis pedum, ubi addi potest insuper fermentum Panis, atq; Acetum. Quidam *radices* incisas *Plantaginis* carpis manuum quotidie semel apponunt. Alii ad superstitiosa confugiunt, quæ interdum citò supprimunt Febrim, sed cum sequenti Ægrotantis damno, & hecticâ sæpius Diathesi subsequente.

Quandò Cardialgia cum Paroxysmo simul accedit, linimentum sequens scrobiculo Cordis, Manuumque carpis inungito, bis vel ter de die.

℞. *Terebinth. clar.* ℥j.
Fuligin. splend. ʒij.
Telas aliquot Aranear.
Milleped. viv. numer. 20.
Flavedinem cortic. unius Citr. recens raspatam.
Ol. Scorpion. q. s.
M. f. Linimentum, d. ad Pyxid.

Plantis verò Pedum *Herbæ recentes Bursæ Pastor. Erysim. Gratiæ Dei, Millefol. Plantag. Heder. terrestr.* in formam *Cataplasm.* cum *Albumine ovor.* & *Farinâ* redactæ tepidè applicantur.

In *duplici Tertianâ* eadem conveniunt remedia, modò extra paroxysmum & in paroxysmo decenti ordine dentur.

FEBRIS QVARTANA est Febris intermittens, sive Effervescentia sanguinis præternaturalis, quarto quoque die cum horrore, calore, reliquisque symptomatibus febrilibus Hominem affligens, eumque mitius, quam Tertiana solet, exercens.

Subjectum seu *Focus* hujus Febreos communiter est Ventriculus, Pancreas, Lien vel Hepar, quarum partium glandulæ in hoc malo plerunque obstruuntur.

Est autem Febris quartana aliquando *simplex*, in quâ paroxysmus quarto quoque die tantùm contingit: aliquando est *duplex*, quando post duos quosvis febriles dies vacuus intercedit: tandem etiam est *triplex*, quando singulis diebus novus paroxysmus accedit, ita quidem ut paroxysmus primæ diei respondeat paroxysmo quartæ, paroxysmus secundæ diei paroxysmo quintæ diei &c.

Originem ducit Quartana *proximè* à succo acido-austero pituitoso, nonnihil viscido, qui in sanguinem singulis quatuor diebus, quocunque demum ex foco emissus, ejus mixturam turbando, novum paroxysmum suscitat, tamdiu durantem, donec febrilis materia, quâ datâ commodiore portâ deflagrârit. Ut adeo hunc facilè in Morbum labantur, qui per aliquod tempus vitiosa usi diætâ, cruditates pituitosas, acido-austeras, plus minus viscidas in sanguine collegerunt, easque ad hoc aut illud viscus glandulosum præcipitari concesserunt.

Si *Diagnosin* spectes, paroxysmi quarto quoque die statis periodis, diversâ vel eâdem diei horâ accedunt, atque Hominem eo ferè modo, licèt non adeo vehementi, quo Tertianæ prehendunt, cum horrore nimirum ultra horam semper durante, hinc sequente æstu, siti &c. Præcedunt tamen quemlibet paroxysmum multæ oscitationes, pandiculationes Lumborumque molesti dolores. Paroxysmi sæpè ad 24. horas extenduntur, atque utplurimum terminantur in sudores largos, acidum olentes. In principio Morbi anorexia ferè adest, deinceps autem intermissionis diebus Ægri evadunt famelici, quo fit, ut non tam emacientur, quàm in Tertianâ. Febris hinc etiam diuturnior existit Tertianâ, quandoque ultra annum durans. Urina multum variat, modò enim cruda, aquosa, tenuis, albicans; modò crassa, lixiviosa, turbata; modò cum pauciore, modò cum copiosiore sedimento apparet. Pulsus in paroxysmo major, citatior, febrilis, extra eum verò tardus, & lentus est. Color faciei pallidus redditur. Affligit magis Adultos, quàm Pueros, eos verò potissimùm, qui vitiosâ diætâ quoad cibum potumve Stomachi chylificationem turbârunt, ac inde crudum, viscido-pituitosum chylum cumulârunt.

Diagnosis.

Quartana Febris semper diuturna, præ-

Prognosis.

præprimis circa Autumnum affligens, quæ non raro per totam insequentem Hyemem, nullis obediens remediis durat. Reperiuntur etiam qui ultra annum, imò ad bienniûm usque hoc malo excruciantur. Periculo tamen caret in Subjecto minus impuro; in sordido autem corpore Scirrhos viscerum, Atrophias, Hydropes, Cachexias, Hecticas, aut si mitius agitur cum Ægro, Scabies fœdas post se trahit. Solutio felicior circa Æquinoctia contingit. Ex Quartanis simplicibus, duplices vel triplices redditæ, periculosæ aut valdè diuturnæ sunt.

Curatio. In *Curatione* obstructiones glandularum reserandæ, eumque in finem remedia incidentia, attenuantia, aperientia atque volatilisantia sunt præscribenda. In principio hinc dabis purgans; v. g. sequens:

℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈j.
Vitæ correct. gr. ij.
Extract. cathol. ℈ß.
Bezoard. min. gr. iv.
Ol. stillat. Garyoph. gutt. j.
F. l. a. Pilulæ num. xv. *inaur. d. ad ch. & sumantur 6. vel 8. horis ante paroxysmum pro dosi.*

Vel ℞. *Mercurii dulc. opt.* ℈j.
Flor. Sal. arm. martial. gr. iv.
♀*ris.* ♁*nii correct. gr.* ij.
♁*n. diaph. gr.* vj.
Conserv. Ros. rubr. non ⊖*lat.* ʒj.
M. cum Sacchario f. Bolus pro dosi.

Vel ℞. *Radic. Ipecacuanh.* ʒß.
F. pulv. subt. d. ad ch. pro dosi mat.

Vel pro re natâ *Infusum Fol. Sennæ* atque *Rhabarbari* propinetur. Nonnulli etiam *Vinum medicatum purgans* expetunt, quibus seqq. vel simile ordinari potest.

℞. *Radic. Aristol. rot. ver.* ℥ß.
Fœnicul.
Vincetox. ana. ʒij.
Cortil. Cappar. Tamaric. aa. ʒj
Herb. Agrimon. Anserin.
Chamædr. ana. Mj.
Summit. Centaur. min.
Absynth. ana. Mß.
Fol. Senn. opt. mund. ℥j.
Fibr. rad. Helleb. nigr.
Rhab. elect. ana. ʒij.
Cortic. Winteran. ʒj.
Semin. Anis.
Salis Card. bened. ana. ℈ij.
Incis. & contus. indantur nodulo ex Sindone rubrâ, cui affunde
Vini albi Veteris Mj.
Aqu. fontan. fervent. Mß.
Postea singulis matutinis, exceptâ die febrili Cyathus unciarum sex vel 8. exhauriatur.

Deinceps ad Paroxysmos dissipandos *Antipyretica* seqq. præscribi possunt, vel quotidie danda, vel aliquot duntaxat ante paroxysmum horis capienda, quibus accenseri possunt & ea, quæ in Febri tertianâ commendata notantur:

℞. ♀*ri* ⊖*lat.* ℈j.
Flor. Sal. arm. Ente Veneris aut Martis imprægnator. ℈ß.
Cinnab. ♁*n. opt.*
Bezoard. min. ana. gr. v.
M. f. Pulvis subtil. aliquot horis ante paroxysmum cum Aquâ aliquâ destillatâ capiendus.

Vel ℞. *Bezoard. min. gr.* xv.
Flor. Sal. arm. hæmatit.
Cinnab.

Cinnab. nativ. opt. ana. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. pro dosi.
Vel ℞. *♁nii diaph.*
Salis Centaur. min. aa. gr. xv.
Ol. still. Garyoph. gutt. ij.
Sacch. alb. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. d. pro dosi ad ch.
Vel ℞. *Cortic. Chinkinn. subt. pulv.* ʒj.
Flor. Sal. arm. hæmat. gr. iv.
Conserv. Bellid. min. ℈iiij.
Cum Sacch. f. Bolus pro dosi quotidie bis capiendus, donec Febris dispareat.
Vel ℞. *Cortic. Chinkinn. opt.* ℈iiß.
Ol. stillat. Garyoph. gutt. ij.
Salis Absynth. ℈ß.
Conserv. Beton. ʒj.
Cum Saccharo f. Bolus d. ad ch.

Magis æstimare soleo liquidam hujus remedii formam, quæ certò Febrim tollit, ita ut raro amplius redeat; aut si redeat, mox iterum tribus vel quatuor remedii dosibus assumtis profligabitur; v. gr.

℞. *Cortic. Chinkinn. subtil. pulv.* ℥j.
Cinnam. opt. pulv. ʒij.
Salis Card. bened. ʒj.
Mixtis affunde Vini albi veteris & generosi ℔iv. *stent in loco calido, subinde agitando, hinc quotidie m. ac v.* ℥iv. *ad* ℥vj. *Liquoris turbidi bibendas offer, idq; per octiduum; secundâ septimanâ Æger semel duntaxat quotidie Infusum hauriet, etiamsi jam Febri liberatus existat. Tertiâ autem hebdomadâ alternis solùm diebus ejusdem Remedii dosis exhibebitur.* Atque hâc certè methodo Æger in totum à Febri ita liberabitur, ut non amplius postea recurrat, quemadmodum post alia medicamina, ipsumque etiam Peruvianum Chinkinnæ corticem avarâ manu, aut minus frequenter usurpatum fieri assolet. Opiatæ etiam formâ Galli eundem Corticem assumunt; v. gr.

℞. *Conserv. Ros. pallid.*
Violar. purp. ana. ℥j.
Pulv. Cort. Chinkinn. ʒvj.
Diaph. martial. ʒij.
Syrup. aperit. Minder. q. s.
F. Mixtura molliuscula d. ad Oll. de quâ Æger vacuis diebus singulis trihoriis Castaneæ magnitudinem capiat.

Circa *Corticem Peruvianum* notabis, eum si adulteratus fuerit, & effœtus planè, effectum nullum laudabilem edere, Febrimque minimè tollere. Quamobrem semper præscribendus est optimus. Dein redit subinde Febris, postquam aliquandiu remisit; verùm abigenda semper eodem remedio. Si appetitus bonus, Urina naturalis, alvus respondens, somnus tranquillus, vix amplius redeunt Paroxysmi febriles.

Febri abactâ sequens vel simile *Remedium laxativum* exhibere necesse est, ad reliquias educendas.

℞. *♁n. diaph. non elutriat. gr.* xxv.
Crem. ♀ri ℈ß.
Scammon. ♁rat. gr. v.
Ol. still. Fœnicul. vel Garyophyll. gutt. ij.
Sacch. alb. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi.
Vel ℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈j.
Bezoard. min. ℈ß.
Resin. Jalapp. gr. viij.
Crem. ♀ri gr. ij.
Conserv. Ros. rubr. s. ⊖l. ʒj.

Cum Saccharo fiat Bolus d. ad ch. pro dosi matutin.

Vel ℞. *Aqu. Taraxac. vel Cichor. vel Cent. min.* ℥iv.
Syrup. Violar. ℥j.
Salis polychrest. ʒij.
M. f. Julepus pro dosi matutinâ.

Sudori post Quartanam nimium excrucianti occurrere licet seqq.

℞. *Conf. Ros. rubr.* ℥iß.
Confect. Hyac. ʒiß.
Conditur. Nucist.
Cynosb. ana. ʒj.
Unicorn. fossil.
Terr. sigill. ana. ℈ij.
Syrup. Cydon. q. s.
M. f. Electuar. d. ad Oll. singulis sex horis capiatur magnitudo Nucistæ.

Vel ℞. *Tinctur. antiphthis. Garm.* ʒiij. *d. ad Vitr.*
M. ac Vesp. sumantur xviij. *guttulæ cum Aquâ Plant. & Syrupo Viol. purp.*

Vel ℞. *Terr. sigill.*
Corall. rubr. ppt.
Unicorn. fossil.
Diaph. martial. ana. ℈ij.
Rad. Tormentill.
Caryophyllat. ana. ℈j.
Sacch. cand. alb. ʒij.
M. f. Pulv. subtil. d. ad Scat. Dosis m. ac v. ʒß.

Si diuturnæ Quartanæ Anasarca supervenit, *Decoctum Granorum Coffée tostorum* sæpius usurpandum, ac interea seqq. *Pilulæ purgantes* semel vel aliquoties sumendæ sunt:

℞. *Mass. pilul. hydrop. Bont.*
Mercur. dulc. opt. ana. gr. xv.
Crem. ♀*ri gr.* ij.
♁*ris Antimon. correct. gr.* j.
M. f. cum Ol. stillat. Garyophyllor. Pilulæ num. xij. *pro dosi.*

In Diætâ ab acidis, fixis, nimium salitis, concoctu difficilibus; imò à nimiâ ciborum assumptione cavendum. *Nasturcina hortensia*, prout sunt *Paludapium*, *Cherefol. Nasturt. hortens. Raphanus rusticanus*, *Borrago* &c. sint in deliciis. Denique ad profligandam tanto certius efficaciusque hanc Febrim etiam *Balnea Aquæ dulcis* prosunt, aut *Thermæ* in Balneo quotidie semel aut bis per aliquod tempus usurpatæ; illarum enim ope viscida nostri corporis fortiter resolvuntur, obstructiones glandularum reserantur, ac ita febrilis materia prorsus destruitur.

Ad profligandam Febrim quartanam *Medici* cujusdam *Angli* sequens Remedium fuit:

℞. *Vini rubri boni* ℔ix.
Infusum Ollæ terreæ probè vitratæ coque ad ebullitionem unam, postea immitte
Corticis Peruvian. optimi pulverisat. ℥ij.
Baccar. Juniper. contus.
Summitat. Centaur. min. incisor. ana. ℥j.

Olla hinc probè tecta stet in Cineribus calidis per octo horas; Liquorem postea decantatum in Vitris benè clausis ad usum repone; relictis autem speciebus adhuc quatuor Vini libras affunde, frigideq; affusas sine, donec potio prior absoluta fuerit, ac dein mane & vesperi ad uncias quatuor bibe; Prius autem coctum & præparatum Vinum sequenti modo in usum trahe.

Nimirum

Nimirum unâ vel duabus horis ante finem paroxysmi febrilis Æger bibet Liquoris supra dicti quatuor circiter uncias, atque ita singulis trihoriis vel quadrihoriis continuabit, cibos suis temporibus capiendo, ut inter potionem & pastum semper sit intervallum duarum horarum.

Notandum autem, decem aut duodecim accessus Febreos esse prætermittendos, antequam hoc Remedium usurpetur. Corpus etiam prius debet esse purgatum, atque Venæsectio præmissa. Per duos quin & menses post usum remedii neque purgandum est corpus, neque Clysteres dandi, neque Venæsectio administranda. Abstinendum à Cibis crudis, Lacticiniis, Acetariis, Fructibus horæis, & omnibus dyspeptis. Vino utendum albo, penetrante, bono, diuretico, sed non immodicè aut intempestivè. Omnis tristitia & melancholia procul absit, & animus semper ad hilaritatem sit compositus.

Ad destruendum autem penitus fermentum febrile, impediendamque recidivam, Liquor de novo est componendus, atque post ablatam etiam Febrim, per plures adhuc dies bis vel ter quotidie cyathus exhauriendus. Denique aliquot adhuc Vini Mensuræ residuis speciebus affundi, atque sine coctione præcedaneâ bibi possunt; quâ certè methodo Recidivæ metus omnino discutietur. Si Pueri aut Infantes hâc Febri laborent, idem Remedium juvare poterit, fractâ pro ætatis ratione dosi exhibitum, cumq; Vino Aquâ diluto paratum.

FEBRIS QVINTANA, SEXTANA, OCTANA, &c. sunt Febres intermittentes, quæ singulis quinque sex, octo &c. diebus recurrunt, & Hominem placidè affligunt. Rarissimæ sunt hæ Febres, & eodem modo, quo reliquæ Intermittentes producuntur, videnturque habere fomitem non ita amplum, unde febrilis materia tardius ipsi Sanguini ad sufficientiam præbetur pro excitando novo paroxysmo. Curatio eodem modo est instituenda, quo sanari posse & solere Quartanam supra notavimus. *Febris quintana, sextana &c.*

FEBRIS ALBA, CHLOROSIS, *Pallidus Virginum Color, Icter usalbus*, est febricula continua lenta, ab intemperie sanguinis pituitoso-acido-viscosâ ortum ducens, atque pallidum corporis totius colorem, cum aliquali tumore oedematoso, artuum lassitudinem, menses non rarò suppressos, lumborum frequentem dolorem, cordis palpitationem, aliaque symptomata post se trahens. *Chlorosis.*

Primariò itaque vitium hæret in ipsâ massâ humorali; si quid verò sive obstructionis, sive mutati coloris, in reliquis contingat partibus, id non nisi *secundariò* accidit. Plerunque tamen accusari heic solet Uterus cum Vaginâ uterinâ, vel etiam Partibus seminis elaborationi dicatis, à quarum obstructione reliqua ferè humorum labes deducitur. *Pars affecta.*

Causa proxima Chloroseos est Intemperies sanguinis pituitoso-acido-viscosa & salina, in quâ nimirum par- *Causa.*

ticulæ balſamico - oleoſæ volatiles ſunt ſuppreſſæ, aut inviſcatæ; moleculæ autem pituitoſæ, viſcidæ, ſalino - acidiuſculæ nimium prædominantur, ſimulque levem humorum turbationem continuam inſtituunt. *Antecedens* cauſa plerunque ſunt eſt glandularum Vaginæ uterinæ, Uterive ipſius obſtructio, hincque liquoris genitalis in ſanguine retentio: ſtimulatio quoq; ad Venerem, quæ cùm non conceditur, triſtitiam parit Menſium item ſuppreſſio, nunc ſponte facta, nunc arte etiam nefandâ à meretricibus imprægnationem præpedire conantibus procurata: imò & Fœtûs vix dum concepti artificioſa exturbatio. Utplurimum tamen in Virginibus innocentibus chylus nimis pituitoſus, & viſcidus ſubinde & acriuſculus ad ſanguinem delatus, prædictæ Sanguinis intemperiei, hinc & turgeſcentiæ ejusdem leni, atque glandularum Vaginæ uterinæ obſtructioni, nonnunquã & ipſi Menſium emanſioni anſam ſuppeditat. *Procatarcticæ* cauſæ ſunt victus ſive eſus craſſus admodum & pituitoſus, fructuum horæorum olerum ſ. herbarum hortenſium, aquoſo magis & terreſtri, quàm volatili aut ſulphureo principio gaudentium, aliorumque ciborum nimis ſalſorum acidorum, fumo induratorum, vel ſimilium difficilis digeſtionis, & ſucci viſcido - pituitoſi exiſtentium. Vina vappida, craſſa, auſtera, vel Cereviſia ſimilis qualitatis. Aëris craſſioris & frigido - humidi frequentior uſus. Triſtitia, Mœror, Terrores, & Anxietates Cordis, Somni longiores. A quibus omnibus cauſis Intemperies ſive Cacochymia illa induci valet, in quâ Spiritus vitales ita ſunt irretiti, ut ſufficientem quantitatem ſpirituum animalium exhibere minimè poſſint. Ab iſtâ autem Spirituum penuriâ, non ſecus atque à ſulphureo - balſamicarum moleculārum depreſſione omnia, mox in ſignorum diagnoſticorum numero recenſenda, ſymptomata producuntur.

Cognoſcitur haud difficulter Affectus ex Faciei, totiusque corporis colore pallido & ſubalbido, interdum etiam plumbeo, livido atque vireſcente. Cui junguntur in his aut illis ſubjectis tumor vel inflatio hypochondriorum; membrorum gravitas & laſſitudo; reſpiratio nonnihil difficilis; frequens ciborum faſtidium; pedum circa malleolos intumeſcentia; corporis totius laxa mollities, ac levis, quaſi oedematoſa, inflatio, adeoque & faciei tumor tantillum aquoſus, palpitatio cordis, palpebrarum, perceptio pulſationis arteriarum in temporibus, atq; collo; pulſus nonnihil celer & parvus; creber dolor capitis gravans; ſenſuum tarditas & aliqualis torpor; ſomnolentia; ructus frequentes; borborygmi ventris, præprimis à paſtu; crebræ horripilationes cutis; excreta inconcocta, ac pituitoſa; urina craſſa, plerunque cruda, ſubinde magis ſplendens, raro plus tincta; menſium obſtructio tandem ſimul interdum jungitur.

Affectus diuturnus magis, quàm periculoſus, præſertim ſi nondum altas egit radices. Inveteratus autem ad

ad graviores etiam morbos ansam præbet, velut ad Asthma, Cachexiam, Anasarcam, Hydropem, Sterilitatem, Febrim lentam, Phthisin. Si menstruus Fluxus stato quoque tempore contingit, atque debitâ etiam quantitate prodit, tametsi colore minùs naturali appareat, meliorem tamen spem pristinæ salutis facit. Suppressi verò si sunt menses, difficulterque revocari possint, malum deterius est. Si Filia Veneri indulgeat, atque per liquoris vaginalis acrimoniam ad eandem stimuletur, conjugio morbum curabit, ni in melancholiam hystericam, vel uterinum furorem incidere velit.

Curatio ferè instituitur, quemadmodum in Febri lentâ. Ante omnia *Vomitorium* exhibeatur, si Ventriculus scateat viscidis admodum, pituitosisque humoribus, & quidem in hunc finem dabuntur vel *Syrup. emet. Ang. Sal.* ad ℥ß. vel *grana duo ♀ri emet.* cum *Salis Angel.* aut *Absynth. granis sex* & *decem Crem. ♀ri*: vel *Ipecacuanhæ pulvis ad* ʒß. vel aliud etiam exhibebitur. Si tamen magis in Intestinis cruditates deprehendantur, tum *Vinum medicatum* potius juvabit, v.g. paratum ex *Radicib. Enul. Angelic. Calam. arom. Scill. Aristol. rot. ver. Chelidon. maj. Caryophyllat. Petasitid. Herb. Betonic. Artemis. Fumar. Scabios. Borrag. Cochlear. Nasturt. Origan. Meliss. Thée, Agrimon. Veron. Hyssop. Flor. Ros. rubr. Calendul. Bacc. Laur. Semin. Anis. Fœnic. Nasturt. Aquileg. Fol. Senæ, Rhabarb. Agar. trochiscat. Hellebor. nigr. Cortic. Winter. Cinamom. Zingib. Spic. ind. Sale Absynth. Centaur. min. Card. bened. Limatur. Chalyb.* in petiâ ligat. &c. Ex quibus debitâ dosi inter se combinatis *sacculus* confiat, atque *Vinum album vetus, Aquaq́; fontana* æquali mensurâ superaffundantur, hincque singulis matutinis cyathus exhauriatur.

℞. *Radic. Angel.*
Aristol. rot. ver.
Vincetox. ana. ℥ß.
Herb. Meliss.
Trifol. fibr.
Card. bened. ana. Mj.
Bacc. Laur.
Semin. Fœnic. ana. ʒij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhab. elect. ʒiij.
Radic. Helleb. nigr. ʒij.
Cortic. Winter. ʒj.
Salis Artemis. ℈iiß.
Incisis, contusis & sacculo inditis affunde
Vini albi opt. ℔iiiß.
Aquæ font. ℔iß.
Stent per noctem in loco tepido, dein quotidie mane cyathus unciarum quatuor exhauriatur.

Si quæ verò ejusmodi remedium fastidiat, huic aliquoties *Pilulæ purgantes* offerentur ex *Extract. cathol.* vel *Pilul. cochiar.* cum *Mercur. dulc.* & *Ol. stillat. Piper.* vel *Macis.*

℞. *Extr. cathol. vel*
Mass. pilul. maroc. ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Resin. Scammon. gr. iij.
Ol. stillat. Mac. q. s.
M. f. l. a. Pilulæ num. 15. *inuratæ dentur pro dosi matut.*

Imò

Imò ipsa *Jalapæ resina* ad 7. vel 8. grana in *Spiritu Ceraſ. nigr. Meliſſ. Aniſ.* vel *Aquâ vit. Matthiol.* ſoluta, & aliquot drachmis *Syrup. violacei* aut *flor. Tunic.* diluta atque edulcorata feliciſſimè corpus purgabit.

℞. *Spirit. Anth. vel*
Aqu. vit. Matth. ℥j.
Reſin. Jalapp. gr. viij.
Solutis leni igne adde
Syrup. viol. purpur. ℥ij.
D. ad Vitr. pro doſi.

Suaſores tamen ſumus, ut purgationi præparantia quædam, cruditatumque inciſoria remedia præmittantur, quemadmodum ſunt *Crem.* ♀r. *Flores Salis armon. martial.* vel *hæmatit. Salia Abſynth. Card. bened. Cent. min. Angel. Tamar.* ♀rus ⊖lat. *Ocul.* ♋. & ſimil. ad ℈j. vel ʒß. data. Imò ipſum *Elix. propriet. ſ. acido* cum *Tincturâ Antimon.* vel *Martis aperit.* Vel *Sal volatil. oleoſum Sylv. ad gutt.* 20. *m. ac veſper.* optimè quoque præparat. Poſt purgationem, ſubinde repetitam, alterantia incidentia atque volatiliſantia in uſum diuturnum vocabuntur, quæ inter maximi æſtimamus *Deſtillatum* ex *Herb. Beccabung. Meliſſ. Naſturt. aquat. Cochlear. Raph. ruſtican. Fimo Caballi avenâ nutriti*, quorum invicem miſtorum *Aqua deſtillata* ad 3. vel 4. uncias m. ac v. hauriri poteſt. Hujus loco tamen alii malunt *Juſcula Herbis naſturcinis alterata*, vel *Succos* iisdem ex *herbis expreſſos, filtratosq;* ad 2. vel 3. uncias pro doſi m. ac veſp. per plures hebdomadas propinatos. Quandoque & *Decoctum Radic. Bryon. Ariſtoloch. Vincetox. Chelidon. maj. Pimpinell. Petaſitid. Doronic. Enul. Ireos florent. Aron. Herb. Veronic. Anſerin. Meliſſ. Agrimon. Sabin. Amarac. Roriſm. Thym. Marrub. alb. Cortic. Aurant.* vel *Citr. Semin. Dauc. Aniſ. Cardamom. Flor. Roſ. rubr. Geniſt. Calendul.* &c. bono cum ſucceſſu in uſum trahi poteſt. Sequens Infuſum aut ſimile chalybeatum rarò fallit in hoc Affectu:

℞. *Radic. Mutellin.*
Ireos flor.
Ariſtoloch. ana ℥ß.
Herb. Betonic.
Meliſſ. ana. Mj.
Summit. Amarac.
Roriſmar. aa. Mß.
Spic. Indic.
Cinam. opt.
Semin. Anis. ana ʒij.
Inciſ. contuſis & ſacculo illigatis affunde
Vini alb. vet. ℔iiij.
Aqu. fontan. ℔j.
Mane ac veſperi hauriantur unciæ tres poſt paſtum.

℞. *Rad. Galang. Cyper. ana* ʒiij.
Fol. Marrub. alb. Agrim. aa. Mj.
Cardamom. Mac.
Cort. Winter. ana ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Scoriar. Ferr. vel Magnet. ʒvj.
Inciſ. & contuſ. affunde Vini alb. ℔iij.
& utere ut ſupra.

Verùm hiſce aut ſimilibus remediis jungimus quoque nunc *Eſſentias*, nunc *Pilulas* aut *Pulveres* Sanguineæ maſſæ balſamicum florem exaltantes: qualia ſunt v. g. *Tinctura Mart. aperit. Tinct.* ♄nii. *Elix. vitæ Matthiol.*

Spirit.

Spirit. Salis armon. anisat. aut *fœnicul. Sal. volat. oleos. Sylv. Spiritus matrical.* qualiscunque, *Spirit. Sanguinis humani*, *Cochlear. Meliss. Nasturtii*, vel aliud quodvis haud ingratum, *Essent. Cort. Aurant. Croci, Helen. Galang. Zedoar. Cinamom.* vel *Garyophyll. aromatic. Extract. Gentian. Absynth. Calam. aromat. Marrub. alb. Beton. Artemis. Diaph. mart.* vel *♃vial. Crocus Mart. aperit. Vitriolum Mart. Ocul. ♋. ppt. Ebur. ppt. Sal. volat. C.C. Succin. Viperar. Corall. rubr. ppt. Terr. sigillat. Cassia lignea vera*, *Radix Aron.* vel *Ireos flor. Species aromat.* & quævis aromata, *Pulv. stom. Birckmann.* E quibus etiam cum *Conserv. Ros. rubr. ⊖l. Beton. Flor. tunic. Calend.* & *Condit. Nuc. indic. Zingib.* &c. *Electuarium* concinnari, atque ter vel quater de die magnitudine nucistæ exhiberi potest.

Quod si Fœmina aliâs plethorica fuerit, ac subinde æstibus volaticis torqueatur, *Venæsectionem* administrare haud metuimus. Æstivo tempore autem tales personas, convenientibus prius remediis præparatas, nunc ad *Thermas ♀reas*, si frigidiores sint, nunc si calidiores bonoque stomacho gaudeant, ad *Acidulas Sualbacenses* ablegare solemus. Cum *Acidulis* tamen subinde *Balneo* quoque insideant; vel absoluto *Acidularum* potu, *Thermarum* quarundam *Balneo* per octiduum, vel longius tempus utantur.

In *Diætâ* fugiantur omnia dyspepta, cruda, salsa, fumo siccata, acida, aquosum & pituitosum chylum præbentia. *Cibi* verò *Aromatibus*, atque *Plantis nasturcinis* sint semper alterati. Pro *potu* concedendum *Vinum rubellum*, *bonum*. A singulis pastibus utatur vel *Decocto gran. Coffée tostor.* vel *Infuso folior. Thée*, vel *Rore Solis*, *Elixir. Citr.* aut *Apii selin.* aliove Liquore sulphureo non admodum forti, sed digestionem tamen juvante. *Animus* curis, tristitiâ, odio, sit vacuus. *Exercitia* corporis commendantur frequentia. *Laconica* quoque & *sudatoria Balnea* singulis *hebdomadis* in usum trahantur.

FEMORIS LUXATIO, vid. *Luxatio.*

FICUS, FICOSIS, & FICATIO est Excrescentia carnea, non ita magna, plerunque indolens, nonnihil subinde pruriens, rubescens, à succi nutritii lenti ac viscidi copiosiore admissione & stagnatione, in Palpebris, Mento, Digitis, Ano, Pudendis muliebribus, ubi aliâs etiam *Condylomata* vel *Mariscæ* appellari solent, enascens. *Ficus.*

Ficus appellantur hæc Exanthemata, vel quòd colore fructum Ficuum æmulentur; vel quòd materia è suppuratis talibus excrescentiis prodiens, acinos Ficuum referat. Productio autem ejusmodi Tuberculorum, non secus atque eorum Curatio cum Condylomate coincidit, ut adeo Lectorem eo loci ablegare cogamur, ubi de *Condylomatibus* agitur.

FICUS CANCROSUS est Excrescentia carnosa, dura, lividis atq; *Ficus cancrosus.*

varicosis venis consita, nunc major nunc minor, cum acerbissimo dolore scindente & pungente Hominem miserè excrucians, & nunc in Oculi Bulbo, nunc in Mammis, nunc in Labiis, nunc in aliis glandulosis locis exurgens, & à sero salso, acido-corrosivo plus minus fixo, spiculis suis acutissimis scindente, nervosasque fibrillas jugiter pungente proveniens.

Cùm ergo Affectus hic ab ipso *Cancro* quoad genesin, diagnosin, prognosin, & curam nihil differat, huc quoque trahenda erunt, quæ suo loco notavimus.

Fissuræ Papillarum.

FISSVRÆ PAPILLARVM, s. *Rhagades*, sunt rimulæ, scissuræ vel Ulcuscula in Papillis lactantium Puerperarum utplurimum enascentia, & partim ab ipsâ Infantum suctione fortiore, partim à succis circulantibus acrioribus, è corpore Nutricis eo delabentibus, oriunda. Occasionem simul præbentibus fibrillis affectæ partis nimium teneris atque delicatis.

Affectus Puerperis primiparis ferè proprius, subinde tamen etiam Virginibus, aliisque Fæminis contingens.

Causæ.

Producuntur tales Fissuræ à lymphâ qualicunque salsa acri, sub tempore suctionis stagnante, sensim hinc tubulos erodente, sicque findente & exulcerante. Quandoque & ipsum Lac salso-fervidum ad incommodum contribuit. Si teneri sunt papillarum tubuli, Infansque fortius sugat, tum eo facilius roduntur, aut rumpuntur. Antecedenter verò accusatur sanguis, chylusve maternus, salibus acribus nimium refertus, & imprægnatus; vel etiam motu intestino satis rapido fervidior redditus; unde febricitantibus quoq; Fœminis facilius hoc malum obtingit. Tandem & Cacochymia scorbutica aliave salso-acris; sicut & ipsa lactentis Infantis saliva justo acrior, & fervidior similiter ad Affectum contribuere valet.

Facilè cognoscuntur ex Fæminarum querelis, dolent maximè papillæ, cum Infans sugit, aliquid subinde sanguinis emanat. Quin si cacochymia salso-acris in Puerperis hæreat, aliquando prorsus erosæ decidunt, aut in suctione ab Infantibus auferuntur. Durant subinde diu, nec ita facilè sanantur, quoniam consolidatio à suctione frequenti impeditur, non secus atque à succis allabentibus. Quæ Fœminæ autem dulcem sanguinem habent, aut fibras Papillarum admodum firmas, in illis hòc malum citius sanatur.

Cu

Ad sanandas Papillarum Rhagades intus quidem humores edulcorandi vel absorbendi sunt, in quem finem *Emulsiones* frequentes ex *Seminib. Lactuc. Endiv. Melon. Cucum. Cucurbit. Amygdal. dulc.* cum *Aqu. Nymph. Endiv. Portulac. Succis. Ulmar. Lactuc. Fumar.* paratæ & potæ maximè conducunt. Sed insimul *Pulveres* dentur *absorbentes*, ex *Unicorn. fossil. Coralliis ppt. Ebore ppt. Terr. sigill. Bolo armenat.* ♃ *nio diaph. Bezoard. mineral. C. C. s. ign. ppt. Ocul.* ♋. *ppt.* & similibus, cum *Emulsione* vel *Infus. fol. Thée, Veron.* &c. data. Pro

Potu

Potu ordinario *Decoctum C.C. Hord. Radic. Filic. Graminis, Liquirit. Sem. Anis. Lign. Sassafr.* concedendum. A *Cibis* salsis, & acrioris aromatici succi abstinendum. *Vini* usus intermittendus. *Alvus* quotidie respondeat, naturâ vel arte.

Externè Venæsectionem in Plethoricis suademus. Dein ipsis Papillis frequenter inungantur hæc aut illa *Linimenta*, qualia v. g. sequentia esse possunt:

℞. *Butyr. recent. non salit. Aqu. plantag. optim. lot.* ℥vj.
Micilag. Semin. Psyll. Aqu. Prunell. fact. ℥iij.
Pulv. rad. Consolid. maj.
Terr. sigillat. ana. ʒß.
Lapid. Hæmat. ppt. ℈j.
M. f. Ungt. d. ad Oll.

Vel ℞. *Cremor. Lact. dulc.* ℥ß.
Succ. Cancror. fluvial. recent. express. ℥ij.
Pulv. Rad. Alth. ℈j.
Bol. armenat. ʒj.
M. ad Oll. & inungatur frequenter.

Vel ℞. *Mucilag. sem. Psyll.* ℥ij.
Gumm. Arab. ʒj.
Ceræ alb. novæ ℥j.
Pingued. Gallin. ℥ß.
Ol. rosac. q. s.
Misce & inunge frequenter.

Vel ℞. *Medullam Cruris vaccini, Terebinthinam & Mel; incalescant in linteo, eo dein quod inde resudat, fissuras inungito.*

Vel ℞. *Ol. Rosar.*
Lil. alb. ana. ℥ß.
Sem. Pap. alb. expr. ℥ij.
Laventur cum s.q. Aqu. Sperm. Ran. Plantag. aut Rosar. alb. Post admisce
Aqu. Calc. viv. q. s.
Agitentur invicem donec fiat Unguentum, cui adde
Sacch. Saturni ʒj.
Magist. ♄ n. diaph. ℈ij.
Camphor. ℈ß.
Albumin. Ovi parum vel dimidii.
Agitentur iterum probè ad formam Unguenti, quod frequenter Papillis inungendum.

Vel ℞. *Ol. rosac.* ℥ß.
Mastich. elect. ʒj.
Ceræ flav. ʒß.
Dissolutis invicem super ignem admisce
Bol. Armen. ppt.
Extract. liquirit. ana. ʒß.
M. f. Linimentum.

Vel ℞. *Butyr rec. Aqu. Ros. & Ulmar. probè loti, & ita cocti, donec nullum amplius strepitum edat* ℥vj.
Album. Ovor.
Mucilag. gumm. Tragac. vel *Semin. Cydon. Aqu. Ros. fact. ana.* ℥j.
M. f. Linimentum.

Vel ℞. *Medull. Crur. vitulin.*
Axung. canin. aut Muris alpin. ana. ℥iij.
Mucilag. semin. Cyd. Aqu. Ros fact. ℥ij.
M. ad Ollam.

Vel ℞. *Pingued. Hirc.* ℥ij.
Olei Ovor. ℥ß.
Amygd. dulc. frig. expr. ℥ij.

Tut. ppt. ʒß.
Magist. Saturni ℈ß.
M. ad Oll.
Vel ℞. *Ol. Ovor.* ℥ß.
Amygd. dulc. ʒj.
Ceræ ʒij.
Myrrh. ʒj.
M. ad Vitr. Illinatur sæpè.
Vel ℞. *Ungt. diapomphol.*
nutr. alb. ana. ʒiij.
Ol. Hyperic.
Ovor. ana. ʒiß.
Mucilag. sem. Cydon. Aqu. Rof. fact. ʒij.
M. ad Ollam.
Vel ℞. *Fol. Teleph. Brunell.*
Betonic.
Veron.
Origan.
Sanicul.
Rad. Pimpinell. ana. ʒj.
Liquirit. ʒiß.
Incis. coqu. in s. q. Butyr. recent. Cum Butyri transmissi per colum ℥iß. *misce Mucilag. sem. Psyll. Aqu. Ros. fact.* ℥ß.

Nonnullæ Puerperæ melius habent, ficubi *folia Telephii, Aristol. rotund. Quercûs tenera, Plantaginis latifol. Verbasc. Althææ, Sanicul. Alchymill.* similiave recentia sæpius applicant. Aliæ levamen percipiunt ex infperfione Pulverum v. gr. *Sacchari cand. alb.* cum *Tutiâ ppt. Lapid. calam. ppt. Sacchar. Saturn.* ♁*nio diaphoret. Pulvere folior. Saniculæ, Quercûs, Plantag. Verbasc. Radic. Alth. Liquir. Rhabarb. Symphyt. Myrrhæ, Mastichis.* Vel *Linteola Succo Folior. Symphyt. Verbasc. Plantagin. Solan. Aqu. Spermat. Ranar. Brunell. Plantagin. Solan. Chelidon. major. Hierac.* cum *Mucilag. Gum. Trag. Aqu. Plant. extr.* immerfa fæpius tepidè applicant.

Præfervationis gratiâ aliquot ante partum hebdomadis vel menfibus Gravida inungat papillas quotidie vel *Oleo Amygd. dulc. rec. expr.* vel *Oleo Ovor.* Vel *Butyro rec. non salito*, cum *Spiritu Vini mixto*, vel *Oleo rosaceo*, vel *Calicibus cereis Resinâ Abietis* plenis, & Papillis impofitis. Cùm dein fugendas primùm præbet Mulier papillas, ftatim à fuctione *Spiritu Vini camph.* abluantur.

In ipfo puerperio portentur *Calices plumbei*, vel *stannei*, vel *argentei* perforati, atque papillâ Vaccæ recens mactatæ obtecti, quâ ratione fugere Infans commodè poteft, neque dolorem Matri inferre, cùm labiis ipfam papillam non attingat.

Si his omnibus malum non mitigetur, tum una Papilla erit fananda fola, & interea altera Infanti præbenda. Curabitur citò, fi fæpius de die *Aqua Plantag.* & *Solani*, vel *Ulmariæ*, in quâ *Mercurius dulcis* eft folutus; vel etiam *Aquâ* noftra *phagedænicâ* abluatur, atque infuper *mucilaginoso* quodam *Unguento* probè inungatur, fuperimpofito fimul *Calice cereo*. Curata fic Papilla probè vel *Lacte*, vel *Oleo Amygd. dulc.* aut *Ovor.* abluta fugenda præbebitur; ac deinceps altera quoque curabitur. Sed interna remedia diaphoretica abforbentia, edulcorantia, minimè omittantur.

Quæ Fœmina fingulis puerperiis malo hoc excruciatur, illa ad præcavendam

vendam incommoditatem extra tempus ingravidationis *Potu Acidularum* utatur. Dum verò gravida est, ab omnibus salsis, acribus, acidisque cibis sibi temperet, & quandoq; haustum *Aqu. Nymph. Cichorii* aut *Lactucæ* capiat.

FISSVRÆ ANI sunt solutiones continuitatis circa exitum Intestini recti ab humoribus salsis acribus, cuticulam & cutim exedentibus, exortæ, atque hominem in sedendi vel obambulandi actu molestantes. Humores illi acres quandoque ex Intestinis per modum Diarrhœæ defluunt: interdum è Massâ sanguineâ, scorbuticam aut veneram cacochymiam adeptâ, ad glandulas cutaneas partis affectæ præcipitantur; aliquando etiam inter equitandum, vel fortiter obambulandum æstivo tempore, dum corpus sudat, cutis Ani finditur, & excoriatur, præprimis si frictio partis instituitur, urgente pruritu.

Fissuræ istæ à *Lue venereâ* oriundæ intus quidem postulant remedia antivenerea, extus autem *Unguenta* vel *Linimenta* admittunt, sub præcedenti titulo commendata, quibus tamen *Mercurium* vel *dulcem*, vel *præcipitatum album* cum *Floribus sulphuris* permiscere possumus. A *scorbuticâ diathesi* oriundæ Fissuræ per interna antiscorbutica, externa verò absorbentia balsamica sanantur. Fissuræ ab *excoriatione* per frictionem partis nimiam productæ, aliam non requirunt curam, quàm quidem *Intertrigo*, de quâ suo loco.

FISSVRÆ LABIORVM sunt continui solutiones itidem à salino-acribus humoribus lymphaticis ortum ducentes, quando nimirum illi in tubulis Labiorum angustissimis, occasione vel frigoris externi adstringentis, vel sanguinis circulantis fervidi, crispantis, aut exiccantis, obhærent, atque cutis superficiem corrodendo findunt. Adscribuntur hæ Fissuræ à Veteribus subinde Hepatis intemperiei calidæ, ab aliis verò scorbuticæ cacochymiæ. In Febribus certè continuis non rarò excitantur; sed & illis sæpè contingunt, qui calente corpore per aërem frigido-humidum, vel frigidum duntaxat, peregrinari necesse habent, & diu antea libero aëre non fuerunt usi. *Fissura labiorum.*

In *Curatione* intus quidem conducunt plures diaphoretico-absorbentes pulveres, ex ♁*nio diaph. Corall. alb. vel rubr. ppt. Ocul.* ♋*. ppt. C. C. phil. calc. Cryſtall. alb. ppt. Nitr. ppt. Diaph.* ♃ *vial.* &c. compositi, & mane atque vesp. cum *Aquâ Plantag. Ulmar. Lactuc. Endiv. Portulac. Syrupo Violar. purp. de Nymph. Portulac. & Capillor. Vener.* dati. Extus autem *Linimenta* conducunt ad *Fissuras papillarum* superius commendata; vel *Unguentum pomatum, Ungu. rosac. Axungia hœdina*, cum *Antimon. diaph. Bolo Armen. Mercur. dulc. Album. Ovor. Mucilag. Gumm. Tragac.* permixt. Quibus in pertinaciori malo vel substitui, vel addi potest *Oleum destill. Ceræ, Saponis, Philosoph.* cum *Balsam. de Copaibâ*, vel *Tolutano* aut simili. *Curatio.*

Fistula in genere. FISTVLA est Ulcus sinuosum, angustum, intus & extus callosum, sæpius indolens, ac profundos in partes cuniculos agens, liquorem plus minus aquosum continuè fundens.

Differentia. Variant autem Fistulæ pro multitudine *sinuum*, dum aliæ unicum tantùm, aliæ plures sinus habent: pro diversitate *temporis*, quâ aliæ aliis antiquiores: pro *loco* denique, cujus gratiâ aliæ ad tendines & membranas, aliæ ad ossa ipsa cariosa terminantur.

Causa. Sequuntur hæc Ulcera plerunque Abscessus profundiores, Exulcerationes sordidiores, Fracturas, Contusiones, Puncturas; quatenus massa sanguinea Ægrorum acido-acrior ad partes exulceratas continuè liquorem serosum acido-austerum demittit, qui postmodum sese intra musculorum membranas insinuat, ac morâ sui acidior redditus paulatim nutritium allabentem succum ita coagulat, ut sinum postea, callosum ac duriusculum efformet. Cumque ipsemet ille liquor acquisitâ majori acrimoniâ ulterius rodendo serpit, nunc rectâ nunc obliquâ lineâ, tum simul sinus fistulosus vel in longum augetur, vel etiam ad latera multiplicatur. Imò tandem quoque ad vicina ossa transit, eaque radendo cariosa reddit.

Diagnosis. Quòd *Diagnosin* attinet, labia Ulceris fistulosi plerunque sunt albicantia, callosa; quandoque, si Fistula notæ deterioris sit, cœrulea, vel livida. Dolor adest, quando membranæ sensibiles arroduntur; nullus verò percipitur, quando interni sinus jam sunt callosi. Labia dein Fistularum interdum sicca duraq; sunt, interdum madentia. Materia saniosa è Fistulâ prodit nunc cum nunc sine aliquali sibilo, estque modò crassior, modò tenuior ac limpidior, nunquam tamen verum & perfectè laudabile pus. Stylo sive plumbeo, sive cereo exploratus pro more Fistulæ sinus, si ad Musculum tendit, fundum animadvertetur molle, nec admodum sensibile, sed sæpe tamen sanguinem fundens, vel leviter tactum. Si stylus tendat ad Os, tum durum quid & asperum styli admotione persentietur: si verò ad Nervos penetret, tum magnus excitabitur dolor, materiaque prodiens nonnihil oleosa apparebit: imò ipse motus partis dolorificus existet. Si Ossa stylo deprehendantur aspera, & inæqualia, signum est cariei illorum, prodiensque ichor plerunque tenuis, fœtidus, atque nigrescens erit. Tandem si ad vasa sanguinea magis terminetur Fistula, materia purulento-sanguinea sæpius profluet sine fœtore. Quemadmodum si terminatur intra tendines articulorum, sanies lenta ac viscida prodibit instar albuminis Ovi.

Quoad *Prognosin*, Fistulæ omnes curatu pronunciandæ sunt difficiles, inprimis autem illæ, quæ à sanguine cacochymico, salino-acri foventur: quin ipsa etiam inde effluens sanies acris subinde, multâ sui parte sanguini reaffusâ, in pulmonem, hepar, mesenterium, pancreas præcipitatur, ibidemque Inflammationem & exulcerationem hecticam, Ægris certè funestam,

nestam, parere solet. Fistula, quæ ad Articulos non secus ac ad partes internas terminatur, prorsus incurabilis est. Quo diutius duravit, quoque sanguis Ægri magis impurus est, eo etiam minus sanabilis existit. Quæ ad Os cariosum tendit Fistula, non nisi carie extirpatâ curatur. Fistulæ ani quoque curatu difficillimæ, præprimis si profundius penetrent, haud tamen semper impossibiles.

In *Curatione* non solùm sinuum callositas auferenda, Ulcusque probè eluendum, acdetergendum, sed & Caries ossis, si quæ adest, tollenda; acidum corrumpens, & erodens invertendum; totaque adeo Massa sanguinea edulcoranda, & à particulis acido-acribus salino-corrosivis liberanda. Itaque in omni Fistulâ, cujuscunque demum loci fuerit, primò *purgans* præscribi potest ex *Massa pilul. è succin. Craton. Extract. Cathol.* vel *Panchymag. Croll.* cum *Mercurio dulci* compositum: v. gr.

℞. *Extr. Cathol.* ℈ß.
Rhabarb. gr. 8.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
Resin. Scammon. gr. iiij.
Ol. stillat. Succin. q. s.

F. l. a. Pilulæ num. 15. *Sumantur mane pro dosi, & repetantur aliquoties.*

Sunt qui *Vinum* quoque *medicatum*, vel potius *Apozemata purgantia* non sine fructu iis præscribunt, quibus talia non sunt adversa. Post purgans dein *Fonticulus* quoque in commodiore loco excitetur; & simul *Decoctum* aliquod *sudoriferum*, ac *siccans* in usum quotidianum præscribatur, compositum ex *Radicib. Dictamni Cret. Aristoloch. Caryophyllat. Carlin. Apii, Virgæ aureæ, Scrophular. Pimpinell. Bistort. Scabios. Ulmar. Sarsaparill. Chin. Lign. Sassaphr. Santal. Quercin. Guajac. Herbis Geran. robert. Vinc. pervinc. Alchymill. Beton. Millefol. Virg. aureæ, Sanicul Pyrol. Ophioglossi, Veronic. Nasturt. aquat. Flor. Ros. rubr. Calendul. Beton. Semin. Anis. Hyperici, Perfoliat. Urtic. Plantag.* &c. Quorum invicem incisorum atque contusorum manipulus *Mensuræ uni* sive libris quatuor *Aquæ fontis* incoqui, deque colaturâ ℥iv. mane ac vesperi calidè propinari poterunt. Sed hoc *Decocto* Æger per plures menses utatur, si quidem curationem sperare velit. Quandoque & cum eodem vel simili decocto utiliter sumuntur *Tinctura ♁nii, Tinctura ♂tis aperitiva; Liquor martialis niger; Tinctura antiphthis. Garm. Essentiæ traumaticæ* qualescunque, v. gr. è *Gramine Parnassi, Balsamo Indico, Myrrh. Storace, Strobilis* aut *Gemmis Pini arboris, Foliis Quercûs teneriorib., Geran. robert. Virgâ aureâ, Hyperico, Numulariâ, Trifolio fibrin. Plantag. Bellid. minor. Ophioglosf.* &c. cum superaffuso *Spiritu Vini tartarisato* paratæ, de quibus 20. vel 30. guttas pro dosi capere licet. Si quis verò malit *Pilulas*, ex similium plantarum *Extractis*, cum *Diaph. ♃vial. Succin. alb. ppt. Unicorn. fossil. Corall.* dabuntur. Imò & ipsi hi *Pulveres absorbentes* non sunt contemnendi, inprimis ex ♁ *n. diaph. Croc. mart. aperit. Diaph. martial.* vel *♃vial. Ebor. ppt. Unicorn. fossil. Corallii*

ralliis ppt. Succ. ppt. C. C. phil. ppt. Ocuc. ♋. *Matr. perlar. ppt. Terr. sigill.* vel *Lemn. Bol. armenat. Bezoard. mineral. Pulv. Lichen. petr. Veronic. Betonic. Ophiogloss. Virgæ* ☉*reæ. Semin. Hyperic Plantag. Urtic. Absynth. Card. bened.* &c. parati. Ab horum tamen pulverum usu aliquandiu continuato desistere iterum oportet, si observamus appetitum inde imminui, qui autem facilè iterum exhibitione *Pulveris Stomach. Birckm.* vel *Salis essential. Card. bened.* aut *Acetosell. Crem.* ♀*ri*, & ♁*nii diaph.* restituitur. Si quis *Thermas Fabarienses, Plumbarias*, aliasve bibere gestiat, huic illæ protinus concedi possunt, ceu satis quoque ad massæ sanguineæ correctionem utiles, sed necesse est, ut simul illæ Balneo usurpentur. Nonnullis *Acidularum potus* conveniens est, quibus præsertim stomachi vigor robustus. Aliâs quoque *Succi* vel *Aquæ stillat. Plantarum antiscorbuticarum* conducere possunt, quotidie per plures hebdomadas potæ.

Exterius eo statim adnitendum, ut acido-corrosivus humor sinuum extergatur, & sic Ulcus siccetur. Quo facto callositas sinûs absumenda, sicque occasio danda, quò nutritius bonus succus iterum affluat, & cicatricem funditus acceleret. Ulcus itaque aperiendum, fons ejus explorandus, mundificandus, os cariosum corrigendum, separandum, sicque tandem consolidatio promovenda.

Curatio Fistulæ non profundæ. Quòd si ergo *Fistula profunda non sit*, nec ad Os cariosum, vel tendinem aut nervos, sed ad solos musculos vel vasa sanguinea terminetur, hincque sanies frequenter rubicund[a] & cruenta emanet: tunc ostium F[i]stulæ vel *turundis* è *Gentianâ, Hell[e]bor. nigr. Bryon. Aristoloch. Rhabarba[r]. Medull. Sambuc.* aut *Spongiis, Mast[i]che Myrrhave* imbutis, dilatandum[;] *Turundas* etiam *solubiles* (*Quellmeisse[l]*) usurpare licet; v. gr. ℞. *Picis* [...] *Ceræ ana.* ℥ß. *Liquatis super igne[m] immisce Myrrhæ pulverisat.* ℥j. *Me[r]cur. præcipitat. rubr.* ℈ij. *Immerg[e] dein spongiam, eamq; simul prelo su[b]mitte, fortiterq; pressam exicca, &* [...] *Turundas convenientes discinde.* S[i] etiam *Turundas* componere licet e[x] *Melle cocto* cum *Succis recent. expre[ss]. Chelidon. Allii, Cochlear. Nasturt. He[l]lebor. nigr. admiscendo Cineres Tabac[i]* vel *pulverem radic. Angelic. Gentia[n]. Helleb. nigr. Fol. Sabin. Aristol. rot. G[e]ran. robert. Myrrh. Aloës* &c.

Lanceolâ tamen etiam cautè ad al[i]qualem profunditatem ostium Fistu[]læ incidendum, si non ad ipsum fun[]dum & fontem; statimq; more solit[o] *albumine Ovi* & *Pulvere stegnotico*, v[el] *Crepitu Lupi* deligandum. Postmo[]dum callositas aperti sinûs paulatim auferenda, in quem finem sequenti[a] sæpius optima notavimus:

℞. *Aqu. Calc. viv.* ℥vj.
Lixiv. sarment. Vit. ℥ij.
Unguent. Ægyptiac. ℥iß.
Mellis rosac.
Succi Chelidon. maj. rec. expr[ess.]
ana. ℥j.
Mercur. sublimat. gr. xx. a[d]
xxx.

Misc[e]

Misce & coque singula invicem, ad aliqualem diminutionem, postmodum applica aut insperge. Vel

℞. *Mell. rosac.*
Ungt. Ægyptiac. ana ℥j.
Balsam. Indic.
Essent. Helleb. nigr. Myrrh. Aloës ana ʒij.
Mercur. dulc. ʒj.

Misce omnia in formam Unguenti, quod Fistulæ cum carptis linteis filis immitti potest.

Vel etiam *Aqua phagedænica ad* ℥vj. sumi potest, eaque tepidè inspergi atque applicari. Componitur ex *Aquâ Calcis vivæ*, cum affusione *Aquæ mercurialis*, donec *Liquor flavus* atque *turbidus* evaserit. *Aqua mercurialis* autem nihil est aliud nisi solutio *Mercurii sublimati in Aqu. Plantag.* vel *Chelidon.* vel aliûs commodæ. Potest & cum eadem *Aquâ phagedænicâ Mel rosaceum* atque *Spiritus vini camphoratus* permisceri. Vel *Digestivo comuni* ex *Terebinth. Ovi vitello solutâ* facto sociabuntur *Ungt. Ægyptiacum, Mercurius præcipitatus ruber*, *Myrrha*, *Aloës*, *Oleum C. C.* vel ♀ri *stillatitium fœtidum*, *Cinis Bufonum Ficuum.*

Ad extersionem verò Ulcerum talium, acidique omnis corruptivi destructionem, prodest injectio frequens *Decocti Majoran. Plantag. Pilosell. Ulmar. Veronic. Thée, Absynth. Centaur. min. Croc. Myrrh. Thuris, Rhabarb. Ciner. Bufon. Tabac. in Aquâ fontan. facti*, atque insuper *Melle rosaceo* vel *rutaceo*, ac *Balsam.* ♀ris *terebinth.* permisti. Vel *Cauterio actuali* callus exuratur, tandemque scalpello eximatur. Vel *Tinctura Aloës, Myrrh. Mastich. Aristoloch. Calam. aromat. Galang. Cyperi*, cum *Spirit. vini* ♀ri*sato* extracta, in usum vocari potest. Si Callus est ablatus, fundum sinûs fistulosi probè extersum, nullaque amplius corruptio sive ossis, sive carnis adsit, tum cicatrix consueto more inducitur, cavendo tamen semper ab unctuosis. Siccæ autem deligationes, ferè optimæ sunt. *Emplastri* loco inserviet semper *Empl. diapalma*, vel *diacalcitheos*.

Si *Fistula tendat ad Os cariosum*, tum per incisiones repetitas, aut aliam sinuum dilatationem, Caries detegenda, eaque, si possibile, actuali cauterio exurenda, vel insperso saltem *pulvere Euphorbii*, *Garyophyllorum aromatic.* &c. exiccanda, hincque spontaneæ separationi, quæ post aliquot ferè hebdomadas demum contingit, permittenda. Carie autem separatâ & expulsâ, si Os appareat probæ notæ, atque albicans, siccè duntaxat cum filis linteis deligandum, donec accedente sensim succo nutritio meliore cicatrix superinducatur: osse autem jam carne obtecto *fila carpta* simplici *digestivo* ex *Terebinth. Vitell. Ovor. solut. Tutiâ ppt. Castor. Melle rosaceo, Axung. Muris alpini, Myrrhâ, Colophon.* &c. inungi possunt, antequam ulceri indantur. *Curatio Fistulæ cum Ossis carie.*

Si *Ulcus fistulosum terminatur ad Nervos*, *Membranas*, aut *Vasa sanguinea*, tum detecto ejus fonte, inspersiones cum blandioribus *decoctis Plantarum aromaticarum* & *traumati-* *Curatio Fistulæ tendentis ad Nervos, Tendines, Vasa.*

carum in *Aquâ* factis fieri possunt: in quem finem inserviunt *Sanicula*, *Alchymilla*, *Plantago*, *Marrubium album*, *Betonica*, *Aristolochia*, *Sabina*, *Millefol. Origanum*, *Thymus*, *Majorana*, *Ocymum*, *Geran. rob. Vinca pervinc. Chamomill. Melilot. Semina Fœnicul. Anis. Garyophyll. arom. Nux mosch. Camphora.* Decocto etiam superiùs allegatæ *Essentiæ*, *amaricantes* inprimis *balsamicæ*, vel *Balsamus Sulphuris terebinthinatus* admisceri possunt. Fila dein carpta liquoribus hisce immersa Ulceri immittuntur, donec cicatrix proba induci, & funditus enasci incipiat.

Fistula ad carnem fungosam tendentis Curatio. *Fistulâ* prodeunte è *carne fungosâ*, *albicante*, Lardi æmulâ, excrescentiam hanc paulatim prius absumes & erodes, pro re natâ vel *Butyro* ♁*nii*, vel *Mercurio sublimato*, aut *præcipitato*, vel *Pyrapyro nostro* fermè indolente. Hinc commendata superius *digestiva*, vel etiam *Hildani digestivum* cum *Balsamo* ♀*ris terebinth.* vel *Fila* solùm *carpta Essentiæ traumaticæ* alicui cum *Balsamo peruviano* intincta, ad perfectam usque sanationem usurpentur.

Fistula Articulorum Curatio. Si *Fistula cuniculos egit intra Articulos*, eorumq; tendines, tum c uml ectione cautè est procedendum, vel illa etiam prorsus omittenda, atque orificio Fistulæ externo probè dilatato, *Tinctura traumatica* quædam cum *Aqua phagedænicâ* inspergi potest, quâ nihil operante Fistula naturæ permittenda, ceu incurabilis, & Fonticuli loco habenda, cavendo, ne orificium exterius cicatrice obducatur, sicque materiæ effluxus præpediatur. Simul tamen Diæta exacta est tenenda, cujus ope liquores circulantes ab omni corrosivitate liberi evadant, & ad Fistulam appellentes, ulteriorem corrosionem, doloremque non excitent, ac ita Hecticam qualemcunque impediant.

Deligatis verò sic Fistulis superintegitur ab his hoc, ab aliis aliud; quemadmodum sunt *Emplastr. diachalcitheos Hildani*, *diasulphuris Ruland. de Cerussâ*, *Opoteldoch à Cardilucio* in *Officin. Sanit.* descriptum, *Diapalm.* aliave. Inter remedia *Illustriss. Matronæ Fouquet* sequentia reperiuntur haud contemnenda; v. g.

℞. *Olei Oliv. rec. opt.*
Axung. agnin.
Lithargyr. Arg.
Resin. Pin.
Sangu. Dracon. aa. ℥iij.
Virid. Æris ʒij.
Ceræ flav. ʒj.
Acet. Vin. ℥iß.

Coque invicem, donec Acetum exhalârit, tandem in Emplastri formam redige.

Vel ℞. *Ol. Oliv. opt.* ℔j.
Ceræ nov. ℥iiij.

Solve & coque parum invicem, tandem admisce
Cinnab. factit.
Minii ana ℥iß.

Agita invicem & misce, usq; dum refrixerint, ac Emplastri formam induerint.

Vel ℞. *Ol. Olivar. opt.* ℔ß.
Cerus. Litharg. ana. ℥j.
Picis Burgund. ℥ß.

Ceræ

Ceræ flav. ℥iij.
Myrrh. pulv. ℥j.
Picem ac Ceram in Oleo dissolve, probeq́; solutis ac parum coctis immisce reliqua in pulverem subtilissimum redacta, agita tamdiu, donec frigescendo in in Emplastrum abierint.

Sunt, qui æstivo tempore *Thermarum* usum commendant, de ♀re ⊙ari, *Alumine*, vel ⊖lo, & *Argillâ* participantium. Inprimis verò *Fabarienses Rhætiæ*, *Schintzenacenses* sive *Habspurgicæ ditionis Helvetico-Bernensis*, *Wisbadenses* Germanicæ, *Burbonenses* Burgund. aliæve heic commendabiles sunt. *Wildbadenses* Würtenberg. *Carolinæ* Bohem. etiam bonæ.

In *Diætâ* à salsis, à concoctu difficilibus, fumo induratis, succo acri salino gaudentibus, Vino austero, alioque largius poto, Cerevisiâ acescente: ab Aëre item frigido, humido; à Venere, ab Irâ, Tristitiâ, à Motibus vehementibus corporis est abstinendum.

FISTVLA ANI est Ulcus sinuosum in Ano exortum, nunc uno, nunc pluribus sinubus gaudens; & modò tenuem aquosam modò purulentam crassiorem, albicantem, minus olentem; modò fœtidam obscuri coloris saniem fundens.

Producitur utplurimum ab Hæmorrhoidibus cœcis, inflammatis, in Abscessus abeuntibus; ab acceptis, maleque curatis Vulneribus; ab humoribus denique corrosivis, inprimis ex sanguine venereâ Lue infecto ad Partem afflictam defluentibus, & primò inflammantibus, hinc circumcirca rodentibus, atque exedentibus. Occasionem malo præbent Temperies vel Intemperies sanguinis melancholica, Venus nimia, Luesque venerea.

Differentiæ ejusmodi Fistularum variæ apparent, dum aliæ aliis profundiores existunt; ita nonnullæ terminantur solùm in Musculos podicis; aliæ ad canalem Intestini recti abeunt, illumque nunc imperforatum relinquunt, nunc etiam vel in Sphincteris musculi tractu, vel supra eundem perforant, ut sic sæpè excrementitia materia per sinum fistulosum transeat. Aliæ porrò Fistulæ sinum unum eumque rectum, aliæ obliquum; aliæ plures aliæ pauciores sinus obtinent. Quandoque ad Os usque penetrant illudque cariosum, vel non cariosum; interdum ad tendines, vasa, membranas musculorum terminantur, sicque diversam curandi methodum requirunt. Aliæ tandem dulcem, aliæ magis acrem & corrosivam materiam, saniemque diversi subinde coloris fundunt. *Differentiæ.*

Cognoscuntur facilè tales Fistulæ ex ostio ac sinu Ulceris calloso, indolenti, ichoreque sanioso, tenui magis & varii coloris, quàm albo, crasso &c. continuò profluente. Stylis verò immissis Ulceris profunditas, inæqualitas, ac multiplicitas explorari & observari potest, tanto id melius, si simul incisiones Syringotomis Instrumentis, quibus ad fundum usque Ulceris deveniri debet, fiant, quâ ratione *Diagnosis.*

tione patefiet quoque, ad quamnam partem Ulcus terminetur.

Prognosis. In *Prognosi* hoc tenendum, dubios atque diversos eventus sortiri Ani Fistulas, ac citius faciliusque curabiles esse, quæ non profundæ sunt, quæ ad musculos magis quàm ad tendines, membranas, aut ossa terminantur; quæ itidem rectum non perforant Intestinum; quando denique sanguis Ægroti nullâ corrosivâ, venereaque qualitate & cacochymiâ est inquinatus; in hisce enim casibus Fistulæ nunc citò satis, si benè tractentur, nunc etiam, si vel Chirurgus negligentior, vel Æger inobediens fuerit, nonnisi plurium mensium spacio sanantur. Quando autem massa humoralis Ægroti jam corrosivâ sanici fistulosæ qualitate est infecta; quando Fistulæ inveteratæ, sordidæque admodum sunt, quando profundos egerunt cuniculos, & rectum quoque Intestinum penetrârunt, tum illæ plernnque immedicabiles sunt in ejusmodi subjectis, ac tandem Hecticam, Phthtisin, aliusque generis Tabem lethalem post se trahunt.

Curatio. In *Curationis* talium Ulcerum principio statim exhiberi debet purgans ex *Rhabarbari* ʒj. cum *Terebinthinâ* in *Bolos* aut *Pilulas* redactâ, vel ex seqq. *Pilulis:*

℞. *Extr. panchym. Croll.* ℈j.
Cinnab. ♄ *n. corr.* ℈ß.
Magist. Jalapp. gr. iij.
Ol. still. Succ. q. s.
M. f. Pilulæ num. 15. *unâ vice mane jejuno stomacho sumendæ, & aliquoties, si opus esse videbitur, repetendæ.*

Operatione feliciter succedente, ad ordinationem *Decocti traumatici* pergendum, ejusque usus ad plures menses ferè commendandus. Parabitur illud partim ex *Lignis quercino, Sassaphr. Santal. Guajac. Radic. Salsparill. Chinæ, Caryophyllat. Aristoloch. Petasitid.* partim ex *Herbis Sanicul. Pyrol. Ophioglоss. Ulmar. Alchymill. Thée, Veronic. Artemis. Betonic. Trifol. fibrin. Plant. Beccabung. Nasturt. Flor. Bellid. min. Rosar. rubr. Calendul. Semin. Anis. Hyperic. Plantag. Urticæ.* Qualia ingredientia invicem incisa & contusa in *Aquâ fontan.* per unam vel alteram horam coqui, ac de colato postmodum *decocto* ℥iv. vel v. m. ac v. propinari debent. Quod si simul vel *Tincturas*, vel *Essentias*, vel *Pilulas* etiam *traumaticas* assumere quis velit, quemadmodum præcedente capite exposuimus, eidem simul illæ cum fructu ordinari poterunt.

Externè verò sinus fistulæ, si Anum ejusque Sphincterem non contingat, *turundis* è *spongiâ præparatâ*, aut *Radice Gentianæ* factis est dilatandus; hinc aliquot post diebus Syryngotomo ad fundum usque incidendus; *Vulnus* dein *stupâ albumini Ovi* intinctâ, *pulvereq; Boli armen.* alioque *stegnotico* conspersâ, vel etiam plumaceolis eodem modo paratis replendum, atque *Empl. diachalcith. diasulph. Rul.* vel *diapalmæ* tegendum. Postridie, cum Hæmorrhagiæ metus præteriit, in deligatione stylo explorandum, num non alii adhuc adsint sinus? nam & hi forent postea quoque incidendi. Quod si autem ad fundum

fundum & radicem ſ. fontem Fiſtulæ hac ratione pervenimus, tum radix iſta probè eluenda venit remediis capite præcedenti allegatis: inſimul tamen *Unguentum digeſtivum Hildani*, vel *commune*, cum *Tutiâ*, *Aloë*, *Myrrhâ* & *Colophonio* mixtum adhibebitur, vel etiam *Unguent. ſaturninum* ſubſtituendum, cui *Elixir* ſive *Tinctura amara aloëtica*, aut *Myrrhæ*, *Aloës*, *Rhabarbari*, *Garyophyllor. aromat.* &c. pulvis pro lubitu ſit permixtus. Si verò magis è re videbitur eſſe, pulvilli vel ſicci, vel pulvere etiam *Folior. Geran. rob. Ariſtol. rot. ver. Sabin. Ophiogloſſ. Radicum Imperator. Rhab. Caryophyllat. Gentianæ maj. Conſolidæ majoris*, *Terræ ſigill. Unicornu foſſil.* conſperſæ immittuntur; quibus tamen pulveribus felicius plerunque caremus quàm utimur, cùm nimis ſiccando dura Ulceris labia utplurimum reddant. Extus imponantur *Emplaſtra* ſuperiꝰ comendata ſub Titulo de Fiſtulis in genere.

Si Fiſtula penetravit ad ipſum *Inteſtinum rectum*, imò illud ipſum quoq; jam perfodit, tum incurabilis à multis habetur, ſolique naturæ permittitur. Ab aliis verò, corpore & ſanguine Ægroti, maximè obedientis, per plures hebdomadas vel etiam menſes optimè præparato edulcorato & correcto, ſanatio talis Fiſtulæ feliciter tentata & abſoluta fuit, per inciſiones debitâ cum circumſpectione factas, uſurpatoque poſt ſedatam Hæmorrhagiam *Unguento de Betonicâ*, *Melli roſaceo*, vel *communi digeſtivo* permiſto, additâ ſemper *Tincturâ Aloës*, *Myrrhæ*, &c. *amarâ*, donec deterſio ſeu mundificatio probè facta ſit. In inciſione cavendum, ne totius Sphincteris muſculus diſcindatur. Tandem per remedia ſiccantia & epulotica conſolidatio & cicatrix talis inducenda, quæ non dura ſit, ſed mollis, quò reliqua Sphincteris pars non diſciſſa ſuo fœces retinendi munere adhuc benè defungi queat.

Si quæ *Caro* in Ulcere *luxuriet*, tum illa vel *Cauterio actuali*, vel *Alumine uſto*, aut *Mercurio præcipitato*, aut *Pulvere radic. Pyrethri, Euphorbii, Imperatoriæ* &c. frequenter inſperſâ, ſenſim auferetur ac conſumetur.

Fiſtulæ ſupra ſphincterem Ani ad Inteſtinum rectum penetrantes difficulter quidem citra totalem ejusdem muſculi diſciſſionem curantur. *Celeberrimus* Marquette tamen poſt dilatatum optimè ſinum Fiſtulæ, non niſi partem ſphincteris pertudit, calloſitates dein omnes ignito ferro enecavit, tandem mundato convenienter Ulcere, felicem ſolo cum *Unguentô de Tutiâ* ac *de Betonicâ* cicatricem ſuperſtruxit.

Injectiones ſuperius de Fiſtulis in genere propoſitæ & heic quàm optimæ ſunt. Diæta quoque inſtituitur ſicut ſuperiore capite de Fiſtula in genere dictum.

FISTVLA LACRYMALIS, vid. *Ægilops*.

FISTVLA ARTICVLORVM, vid. *Pædarthrocace*.

Fistula Tibiæ & Femoris. FISTVLÆ TIBIÆ AVT FEMORIS, ſunt Ulcera ſinuoſa in iſtis partibus ab affluxu & ſtagnatione humorum ſeroſorum, ſalino-acrium & corroſivorum enata, & ſaniem aquoſam, plus minus ſordidam continuè fundentia. Cùm autem hæ eandem cum Fiſtulis in genere, de quibus ſuprà, geneſin, & curationem ſortiantur, hinc Lectorem eo remittemus.

Fiſtula Thoracis. FISTVLA THORACIS eſt Ulcus ſinuoſum & calloſum in pectoris quacunque parte hærens, & varios agendo cuniculos, tandem plerunque ad Os carioſum hujus vel illius Coſtæ terminans.

Cauſa. Producitur utplurimum ex levi primùm Ulcere, ſed propter Humorum maſſam ſcorbuticam, acido-corroſivam ſenſim cacoëtheo reddito, cujus ichor corroſivâ ſuâ occultâ qualitate paulatim erodendo, cuniculos ſinuoſos egit, imò tandem etiam coſtam carioſam reddit. Obſervavi in Puellâ 15. annorum, nondum menſtruatâ, Empyema ſiniſtri Lateris ex Pleuritide oriundi, cujus pus ſenſim inter coſtam ſextam, ac ſeptimam muſculos erodendo, exedendoque tandem extus ſupra coſtas Abſceſſum formavit, qui ruptus in Fiſtulam Thoracis abiit, Ægrâ curationis omnia requiſita admittere & tolerare nolente; ſerò tamen cùm ſapere inciperet, poſt annum demum inciſis Fiſtulæ ſinubus, ſeparatis coſtis carioſis, exterſo probè Ulcere, ſanguine etiam optimè per interna edulcorato, feliciter curata fuit.

Quòd *Diagnoſin* & *Prognoſin* attinet, cognoſcitur facilè talis Fiſtula ex ſignis Fiſtularum communibus. Sed curatu difficillima eſt, partim quia facilè incidi nequit, propter arterias Cordi propiores, quæ ſimul fortè ſecarentur: partim quia muſculi Pectoris in perpetuo ſunt motu, à quo conſolidatio impeditur. Hinc Ulcus tale manans evadit, ſæpè per plurimos annos inſtar Fonticuli durans, donec tandem vel alius morbus accedens, Hectica imò ſubſequuta Hominem è medio tollat.

Curatio inſtituitur ſicut & in reliquis Fiſtulis, *Diætâ* ſiccante, acido-corroſivo reſiſtente: *Potionibus vulnerariis*: *Injectionibus* cum *Unguent. Ægyptiaco* permiſtis: *Inciſionibus*, *exterſoriis*, *ſiccantibus*. Tubulus aureus vel argenteus, vel plumbeus immittitur, foraminibus multis pervius, per quæ ichor transfluere queat. *Spongia* etiã magna, *Vino* & *Aqu. vitæ* imbuta, ſubinde ſi non ſemper applicatur ad Fiſtulæ orificium, ut Æger naribus & ore obturatis per illum ſubinde ſaniem excernat, vel ut ichor ab ejusmodi Spongiâ continuè abſorbeatur. In reliquis eadem, quæ in aliis Fiſtulis remedia uſurpantur.

FISTVLA GINGIVARVM eſt Ulcus ſinuoſum in Gingivâ enatum, & ad maxillæ portionem carioſam frequenter tendens, ſubinde etiam inter ſolas membranas calloſo ſinu ſubſiſtens.

Occaſionem huic Ulceri frequenter præbent Dentes corrupti & carioſi,

atque

atque inprimis corrofivus humor ad radicem dentium ex ſanguine depoſitus, & circumcirca exedens: Defluxiones & Stagnationes ſeri ſalſo-acris in tubulis Gingivarum circa Dentes, vel etiam alibi in Tunicâ glanduloſâ Os intus cingente factæ, & nunc Abſceſſum, quandoque recurrentem, nunc Ulcus ſemper aut crebrò fluens, primùm ſimplex, mox, ubi Oſſa carioſa evadunt, ſinuoſum & fiſtuloſum producentes. In quibus caſibus ſemper Cacochymia ſcorbutica & ſeroſo-ſalſo-acris præcedere ſolet, tanquam cauſa antecedens.

Quoad *Diagnoſin* & *Prognoſin*, cognoſcitur hic Affectus ex ſignis Fiſtularum generalibus. Si carioſum eſt Os, ſubinde cum Ichore peſſimè olente fruſtula carioſa prodibunt. Curatu facilior eſt, ſi cacochymia humorum non magna, & firmas, profundasque malum radices nondum egit.

In *Curatione* Dentes, ſi in radicibus ſuis foveant humorem corroſivum, evellendi ſunt, cavitas hinc probè extergenda; ſi maxillæ ſubſint carioſæ, aut perforatæ, injectionibus extergendæ, vel ubi poſſibile, exurendæ; dein ſiccè deligandum Ulcus, quandoque tamen *pulvilli* vel *fila carpta Spiritui Vini camphorato*, cum *Balſamo Peruviano* permiſto immergenda & applicanda. Si verò duntaxat Ulcus in Tunicis ſubſiſtat, tum inciſio primùm illius facienda, dein exterſionibus, atque elotionibus cum *Decocto Agrimoniæ, Melle roſaceo, Balſamo Indico, Eſſent. Myrrh.* & *Garyophyll. Alumine* &c. *Cauterio* quoque *actuali* curatio, cicatricisque inductio maturanda. Intus denique ea, quæ in aliis Fiſtulis, methodus medendi obſervabitur, nec abſimilis Diæta inſtituetur.

FLATVS STOMACHI ET INTESTINORVM ſeu ABDOMINIS ſunt congregationes particularum aërearum cum pituitâ viſcidâ in ſpumæ vel bullarum numeroſarum formam coactarum, atq; Ventriculum & Inteſtina promiſcuè diſtendentium, hincque varia, quandoque moleſta atque doloroſa, ſymptomata producentium. *Flatus Abdominis.*

Ab ejusmodi enim Flatibus, quando plus minus copioſè ſunt collecti, non ſolùm ructus aut crepitus Ventris frequentes moleſtique, ſed &, ubi exitum difficilem aut nullum inveniunt, tenſio inflatioque Abdominis, ſive Ventriculi aut Inteſtinorum ſpasmodico-doloroſa, murmura & borborygmi Abdominis crebri, Colica flatulenta ſubinde ſpasmodica, Alvi ſuppreſſio, Anxietas Pectoris, Reſpiratio difficilis, Agrypnia, Inquietudo, Triſtitia atque Melancholia producuntur. Ut adeo hæc ipſa Symptomata totidem *Signa* Flatuum Abdominis *diagnoſtica* eſſe ſoleant. Miros enim ſæpè effectus edit collectus & obſtructus alicubi Flatus, diſtendit valdè membranas vi ſuâ elaſticâ, dolorem ſæpè excitat acerbum tenſivum, diuturnum, ſi nullus Flatui exitus citò concedatur; diu autem ſæpius inter membranas concluſus hærere poteſt. Aliquando dolor *Diagnoſis.*

non

non eſt adeo acerbus, quem excitat, ſed gravantis inſtar, & inquietudinem excitantis.

Ætiologia. Quod *Cauſas* attinet, non arbitror, aliunde produci Flatus quàm à liquore gaſtrico nimis acido, vel auſteriuſculo, viſcido, cibos aſſumtos malè digerente, atque in crudum, lentum, craſſum chylum mutante, cujus particulæ aëreæ dein in libertatem ſuam haud probè vindicatæ aggregantur, atque viſcido quaſi muco ſalino circumdatæ in ſpumam aut bullas majores, minores, plures paucioresque mutantur. Liquorem gaſtricum ſenſim acido-viſcidum reddunt cibi potusque ſimili charactere pollentes, alvi excrementa frequenter retenta, curæ animi ac ſollicitudines, terrores, mœſtitia diuturna, temperamentum melancholicum, graves morbi prægreſſi, ſomnus & quies corporis modum excedentes. Hinc Melancholici, vitam ſedentariam agentes, Helluones & Lurcones, alvi ſegnitie continuâ afflicti, malo huic maximè ſunt obnoxii. Materiam Flatuum copioſam exhibent Cibi ſic dicti flatulenti, Phaſeoli, Fabæ, Piſa, Rapa, Braſſica vel Beta muriatica, Fructus horæi, Cereviſia craſſa, Muſtum vinaceum, Carnes duriores, aliaque in quibus multum aëris compreſſi hæret. Contribuunt huc quoque Aër frigido-humidus, ſi quis in eo diu verſatur, Balnea Aquæ frigidæ, aliæve pedum aut ventriculi refrigerationes. Ova Formicarum comeſta inſignem flatuum copiam exhibent.

Affectus hic non ſimpliciter moleſtus aut doloroſus per ſe eſt Juvenibus, & majoris ætatis, utriusque etiam ſexûs hominibus, obeſos magis quàm macilentos, voraces quàm parciore victu utentes moleſtans. Sed inſuper, niſi corrigatur, pejora mala poſt ſe trahere ſolet, Colicam nimirum flatulentam, aut ſpasmodicam, Paſſionem iliacam, Alvi ſuppreſſionem ac ſegnitiem, Tympanitidem denique funeſtam.

In *Curatione* proin eo maximè reſpiciendum, ut flatus expellantur aut educantur potenter, ut dein etiam Stomachi Liquor digeſtivus emendetur, ac ad naturalem ſuam temperiem ſalſo-volatilem redigatur, ut denique Diæta carminativa vel Flatibus reſiſtens inſtituatur. Educuntur Flatus per *Clyſmata carminativa* felici utplurimum ſucceſſu, qualia eſſe poſſunt ſeqq. vel ſimilia:

℞. *Radic. Angelic.*
Lil. alb. ana ℥ß.
Imperator.
Galang. ana ʒij.
Herb. Parietar.
Malv.
Pulegii.
Calaminth.
Summit. Aneth.
Flor. Chamom. ana Mj.
Baccar. Laur. ℥ß.
Semin. Naſturt. ʒiij.
Lin. ʒvj.
Inciſ. & contuſ. coqu. in q. ſ. Aquæ fontan. Colatur. ℔j. *adde*
Elect. de Bacc. Laur. ℥ß.
Mell. anthoſ. ℥j.

Ol. Cha-

Ol. Chamomill. ℥ß.
Salis Gemm. ʒß.
M. f. Clyster tepidè injiciendus.

Vel ℞. *Radic. Alth.*
Malv.
Meu. ana ℥ß.
Herb. Violar. Mij.
Meliss.
Menth.
Origan. ana Mj.
Flor. Chamom. Miß.
Semin. Cannab. ʒiij.
Anis. Aneth.
Carv. ana ʒj.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aquæ font. Colatur. ℔j. *adde*
Mellis mercur. ℥j.
Olei Aneth. ℥ij.
Salis ♀*ri* ʒj.
M. f. Clysma tepidè injiciendum, ac pluries repetendum.

Sed & intus danda, quæ flatulentas cruditates eliminare valent, v. gr. in Adultis:

℞. *Syrup. Ros. sol. compos. cum R. A. & Senn.* ℥ij.
Confect. Hamech. ʒiß.
Aqu. Fœnic. ℥iß.
M. f. Potio d. ad Vitr. Sumaturq; mane pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rh.* ℥iß.
Elect. è Succ. Ros. ʒij.
Aqu. Cherefol. ℥iß.
Spir. Anis. ʒj.
M. detur ad Vitr. pro dosi mat.

Vel ℞. *Spir. Anis* ʒj.
Juniper. ℈j.
Magist. Jalapp. gr. viij. vel ix.
Solutis leni igne adde
Syrup. Capill. ♀ *r. vel*
Violar. purp. ʒiiß.
Detur ad Vitr. pro dosi mat.

Vel ℞. *Panacææ solut. alcal.* ʒvj.
Scammon. ♀*rat. gr.* xij.
Ol. stillat. Anis. gutt. vj.
M. f. Pulv. subt. div. in 6. dos. æqu. ad chart. Quotidie mane capiatur dosis cum tenui Emulsione Amygd. dulc.

Evacuato semel aut pluries corpore, id quod etiam *Vino medicato* pro lubitu expediri aliâs potest, ea aliquamdiu in usum vocari debent, quæ flatus qualescunque potenter discutere, acidum primarum viarum destruere, & Liquori gastrico temperiem suam naturalem conciliare valent. *Carminativa* sunt talia, & blando sale volatili alcalino, vel antiscorbutico oleoso pollentia, è quibus sequentes aut similes Formulas remediorum componere licet, v. gr. dum maximè torquent Flatus:

℞. *Cortic. Aurant. sicc.*
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒij.
Elæosacch. Anis. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis m. ac v. ʒj. *plus minus.*

Vel ℞. *Corall. rubr. ppt.* ℥ß.
Specif. stomach. Poter.
Diaphoret. ♃*vial. ana* ʒij.
Salis volatil. C. C. vel Ebor. purif. ℈ij.
Flavedin. Cort. Aurant. ʒj.
Elæosacch. Fœnic. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Aqu. Chamomill.* ℥iß.
Cortic. Aur. cum Vino Malvat. destill. ℥j.

 Elæo-

Elæosacch. Fœnic. ʒij.

Misce detur ad Vitr. Sumatur per cochlearia.

Vel ℞. *Aqu. Fœnicul.*
Anis.
Chamom. ana ℥j.
Puleg. ℥ß.
Spirit. Sal. arm. anis. ℈ij.
Elæosacch. Citr. ʒiiß.
Essent. Opii liquid. gutt. xv.
M. d. ad Vitr. Detur per cochlearia frequenter.

Vel ℞. *Aqu. Cherefol.*
carmin. Dorncreil. aa. ℥ij.
Elæosacch. Aurant. ʒiij.
Theriac. cœlest. gr. viij.
Misc. ad Vitr. Detur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Meliss.*
Card. bened. ana ℥iß.
Aneth.
Syrup. de Cinam. ana ℥ß.
Spiritûs theriacal. camphor. ʒiß.
Anis. ʒj.
Essent. opii Langel. gutt. vj.
M. d. ad Vitr. Sumatur per Cochlearia.

Vel ℞. *Aqu. Nasturt.*
Scabios. ana ℥iß.
Syrup. Cort. Aurant. ʒvj.
Spirit. vol. C. C. vel
Succin. vel
Ebor. ℈ij.
Corall. rubr. ppt. ʒß.
Misc. d. ad Vitr. Sumatur ut supra.

Vel ℞. *Aqu. Fumar. Endiv. ana.* ℥j.
Vit. Matth. ʒvj.
Spirit. Nitr. vel Salis dulc. ℈ij.
Elæosacch. Anis. ʒij.
M. detur ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Prosunt quoque *Aqua Vitæ rubra Giessensis*, *Aqua Vitæ Mulier. Aqua physogona*, *Zedoariæ composita*, subinde per cochleare unum vel alterum data; *Essentia carminativa Wedel.* ad gutt. 20. 30. quotidie aliquoties exhibita; *Tragæa post pastum ad cochleare plenum*; *Species diagalang. dianisi, diacumini, diacubebar. diacalaminth. diacinamom. diatrion pipereon,* ad ℈j. cum *Sacchari* pro lubitu assumta; *Olea destillata Anis. Fœnic. Cumin. Carv. Angelic. Calam. aromat. Zedoar. Piperis, Cherefol. Cortic. Aurant. Nuc. mosch.* de quibus octo, decem aut duodecim guttæ *Sacchari*, si lubet, commixtæ cum *Jusculo*, vel alio Vehiculo aliquoties dari possunt:

℞. *Specier. Imper. vel Arom. ros.* ʒij.
diatr. piper. ʒj.
Pulv. radic. Angel. vel Imperator.
Semin. Aneth.
Anis. ana ℈ij.
Corall. alb. ppt.
Rasur. Ebor. ana ℥ß.
Sacch. alb. ℥iij. *vel* ℥iiij.
M. f. P. subt. d. ad Scat. Dosis ʒj. vel ʒiß. *man. ac vesp.*

Vel ℞. *Specier. Diagalang.*
Dianis.
Diacalaminth. vel Diacum. ana ʒj.
Specif. stomach. Poter.
Ocul. ♋ *ppt. ana* ʒiij.
Flaved. Cort. Aur. ʒj.
Semin. Fœnic. ʒß.
Sacchar. alb. ℥iij. *ad* ℥iiij.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis ut supra.

Externè

Externè Flatus Inteſtinorum diſcutere valent *Sacculi* ex *Carminitivis compoſiti*, qui calidè, quantum fieri poteſt, Abdomini ſæpius applicentur. Sacculis induntur *Radices Meu, Angelic. Imperator. Baccæ Juniper. Semina Cannabis, Aneth. Cumin. Carv. Fœnic. Avenæ, Milii, Herbæ Anethi, Abſynth. Abroton. Menth. Matricar. Meliſſ. Puleg. Calaminth. Origan. Ocym. Flores Chamomill.* &c. Sacculi ita repleti & calefacti poſtea toti Abdomini applicantur. Vel admovetur *Operculum terreum probè calefactum* ſæpius inter duo lintea. *Olea* itidem *Anethi, Galban. Abſynth. Matricar. laurinum, juniperinum, Chamomill. Carvi, Cumini*, & ſimilia toti Abdomini calidè inunguntur. *Pulvis Seminis Anethi, Carvi, & Aniſ.* cum *Ol. deſtill. Chamomill. Bacc. Juiper. Melli* ſubigitur, putamini Nucis Juglandis immittitur, hinc Umbilico alligatur.

Æſtivo tempôre ad corrigendum Liquorem ſtomachicum *Thermæ piperinæ, Plumbarienſes*, aut *Carolinæ in potu* ac *balneo* non ita frequenter uſurpatæ proſunt. Vel *Acidulæ* potius conveniunt. Vel *Aquæ deſtillatæ Matricar. Meliſſ. Naſturt. Cochlear. Menth. Beccabung. Trifol. fibr. Cherefol.* quotidie bis ad ℥iiij. plurium hebdomadarum ſpatio bibantur, idque cum aliquâ ſuperiorum *Eſſentiarum* vel *Tincturarum*. Vel *Succi* earundem *Herbarum recent. expreſſ. & filtrati* ad ℥ij. per idem temporis ſpatium hauriantur.

FLUOR ALBUS MULIEBRIS, ſive GONORRHÆA eſt inordinatus ac modò continuus, modò interruptus lymphæ plùs minus viſcidæ & acris, è Glandulis Cervicis atque Vaginæ Uteri exſtillantis, per pudenda muliebria effluxus. *Fluor albus.*

Pars affecta ſunt Glandulæ nunc Cervicis Uteri, nunc Vaginæ, inprimis autem glanduloſum Proſtatarum muliebrium corpus à *Graeffio* circa ductum Urinarium detectum & deſcriptum, ichorem illum mucaginoſum effundit. Similis hinc Affectus Gonorrhææ Virorum, in quâ talis quoque liquor è Proſtatis exulceratis continuè effluit. *Pars affecta.*

Gonorrhæa autem hæc alia *ſimplex* eſt ſive *benigna*, in quâ utplurimum ſine notabili dolore, aut vaginæ exulceratione materia profluit; interdum tamen etiam in Lumbis, aut Inguinibus gravans percipitur dolor, vel lancinans in ipſis pudendis, ſi acrior fuerit, & ſalſa nimis materia; quanquam in coitu cum Viris nullum incommodum patiantur, neque ipſis Viris Gonorrhæam concilient. Alia eſt *maligna, virulenta, & venerea*, ab impuro coitu contracta, quæ non ſine dolore, exulceratione, ac excoriatione pudendorum contingit, continuò durat, materiam ſubinde liveſcentem profundit, ipſiſque Viris ſub coitu ſtatim communicatur; imò tandem, niſi præcaveatur, in Luem veneream abit. *Differentia.*

Cauſa *proxyma* eſt tubulorum glanduloſorum Vaginæ aut Cervicis eroſio, unde Lympham mucoſam *Cauſa.*

per Arterias advectam facilius & continuè propemodum elabi patiuntur, instar Fonticuli. Fluor indesinens est, quando tubuli Glandularum excretorii in suis extremitatibus discissas prorsus fibras circulares obtinent, ob quam causam etiam Fluor hic sæpè curatu difficilis existit.

Eroduntur autem Tubuli in Gonorrhæâ *simplici* quidem ab ipsius lymphæ vaginalis per Glandulas secretæ glutinositate salsuginosâ & acri; quam Lympham sanguinis massa suppeditat Cacochymiâ serosâ, vel scorbutico-pituitosâ infecta: hanc verò Diæta non nisi prava chylum crudum ac pituitosum exhibens in Fœminis producit. Ipsa dein hæc Cacochymia quo major atq; profundior est, eo etiam durabiliorem & longiorem Fluorem suscitat. Contribuunt ad idem malum mollior & laxior fibrarum textura, item Cachexia, excretiones per nares, glandulas salivales, &c. imminutæ; Venus immodica; acrimonia seminis masculini; Sterilitas prægressa; Partus difficilis; Abortus frequentes. Imò contagium, quando Fæmina eidem Balneo cum aliâ Fœminâ hoc malo laborante insidet. Reperiuntur Fœminæ, quibus fluor iste per triduum aut quatriduum ante vel post menses non sine dolore & cruciatibus lumborum & inguinum obtingit; quando vel sub orgasmo menstruo Lympha illa glandulosa acrior evadit, & tubulos perrumpit; vel ipse etiam menstruus sanguis acrior existens dilacerat ostiola tubulorum Vaginæ.

Maligna Gonorrhæa excitatur non nisi ab impuro coitu, in quo per semen virile, corrosivo venereo charactere infectum, tubulorum glandulosorum ostiola promptè eroduntur, vagina exulceratur, virus etiam venereum tandem cum ipso circulante sanguine communicatur.

Quoad *Diagnosin*, effluit nunc continuo, nunc interrupto etiam cursu, materia utplurimum mucosa, modò albi aut cineritii coloris magis; modò serosa, modò etiam saniosa ac flavescens, deterioris semper notæ existit. Si Fluor benignus est, indolens quoque simul apparebit: aliâs autem, ubi humoralis massa cacochymiâ salso-acri fuit inquinata, & ipse fluxus simul acris redditur, suâque corrodendi vi internam Vaginæ superficiem exulcerat, ac subindé odorem fœtidum exspirat, inprimis si virulentus ac ♀ eus est fluor, ab impuro coitu contractus. Malum quod profundas jam egit radices, per intervalla quoque magnum lumborum & inguinum cruciatum excitat. Diuturnus etiam Fluxus maciem post se trahit; Faciei totiusque cutis color in Chlorosi magnâ ac inveteratâ ferè pallet: Menses evadunt decolores. Affectus adultis promiscuè Fœminis, Virginibus, maritatis ac Viduis infestus.

In *Prognosi* tenendum, Malum recens non periculosum, & facilius curabile esse, quàm inveteratum; per plures tamen menses, annosve si benignum, moderatum atque indolens fuerit,

fuerit, citra noxam inſignem durare poteſt; ut hinc Fœminæ verecundæ atque Virgines pudibundæ plerunque nullas de eo querelas moveant. Quandoque in Cacochymicis fluor hic ſalubris magis eſt, & circulantium humorum purgamentum, ut, ſi ipſum impedias, natura ſæpe periculoſiorem in pectore aut alibi exitum fonticulumque manantem inſtituat. Præterea Fluor iſte ſterilitatem frequenter inducit. Si materia acris eſt, & corroſiva, non ſolùm moleſtas exulcerationes, inflammationes, aut excoriationes Genitalium excitat, ſed & non rarò Atrophiam, Hecticam, Hydropem, Catarrhos ſuffocativos &c. arceſſit. Inveteratus Fluor longo demum remediorum uſu etiam difficulter ſiſtitur. Si Gonorrhœa eſt virulenta & ♀ea, ſimul Marito per concubitum communicabitur; ſicut viciſſim Maritus Gonorrhœâ virulentâ, aut ipſâ Lue ♀eâ, infectus, ſimili labe Uxorem in coitu inficit. Diutius durans etiam benign⁹ Fluor, cum inſigni Inguinum ac Lumborum dolore, membrorumque laſſitudine, plerunque inſanabilis eſt, & Patientes lentâ morte conſumit.

In *Curatione* cauſa antecedens, ſive humorum dyſcraſia mox corrigenda, per edulcorantia, volatiliſantia, & balſamicas ſanguinis particulas exaltantia. Vaſcula Vaginæ uterinæ eroſa ſananda, exulcerationes mundificandæ & cicatrice obducendæ. Remedia diu uſurpanda, antequam feliciter operentur.

Quod ſi ergo Fluor blandus eſt, pituitoſus, minus malignus aut dolorificus, diu etiam durans, tunc Ægræ facilè vomenti *emeticum* exhibeatur, quod non tantùm ſaburram Ventriculi expellit, ſed totum corpus exagitando, maſſamque humoralem invertendo ſubinde Fluorem è veſtigio ſiſtit. *Vomendi* gratiâ dabitur *Gutta gamandra ad gr.* viij. *cum Crem.* ♀*ri gr.* xij. *Ol. ſtillat. Nuciſtæ gutt.* ij. *Sacch. gr.* vj. in *pulverem* coactis. Vel *Tartarus emeticus D. Ludovici ad gr.* ij. cum *Salis Cent. minor.* & *Crem. tart. ana* ℈ß. *Ol. ſtillat. Fœnic. gutt.* j. *Sacch. gr.* iv. vel *Oxyſaccharum emet. D. Lud.* aut *Syrup. emet. Angel. Salæ ad* ʒiij. vel ℥ß. cùm *ſemunciâ Aqu. Borrag.* & ʒj. *Aqu. Cinnamom. bugl.* Si Vomitui locus eſt nullus, tum *catarthica* dabuntur, & quidem ſequ. *Pilulæ* non ſemel tantùm, ſed aliquoties exhibebuntur:

℞. *Extr. panchym. Croll.*
Maſſ. Pil. è Succ. Crat. aa. gr. xij.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Ol. ſtill. Roriſm. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. 15. *Inaur. d. ad Scat. pro doſi matutin.*

Si quæ Fœmina non faſtidit *Apozemata* vel *Vina emetica*, eidem concedi poterunt, ex incidentibus, reſolventibus, & antiſcorbuticis, cum *Rhabarbaro*, *Foliis Senæ* &c. parata, additâ etiam *Chalybis limaturâ in petiâ* ligatâ.

Purgato verò corpore internè plurimùm prodeſt ſequens vel ſimilis *opiata* per menſem, aut etiam diutius uſurpata;

℞. *Conserv. Fl. Rof. rubr. vitriol. Tunic. ana* ℥vj.
Pulv. Fl. Lamii alb. Rof. rubr. ana ʒj.
Diaph. martial.
Corall. rubr. ppt.
Unicorn. foffil. ana ℈ij.
Syrup. Fl. Tun. q. f.

F. *Mixtur. ad formam Opiatæ, detur ad Oll. Ter quotidie magnitudo Nucistæ capiatur.*

Varia *Decocta* profunt, inprimis *Lignorum*, cum *plantis aromaticis Rorismarini, Majoran. Origan. Calaminth. Ocym. Meliff. Marrub. alb. Veronic. Matrifylv. Scolopendr. Chamædr. Chamæpith. Centaur. min. Semin. Aquileg. Anif.* quæ quidem *Vino* & *Aquæ* posfunt incoqui, & ad ℥iiij. m. ac vefp. quotidie propinari. Si acris fcorbuticus fluor eft, profunt magis *antifcorbutica*, inprimis *Aqua* è *Nafturt. aquatic. Plantag. Chamædr. Lamii flor. albo, Roremarino, Amaraco, Beccabung. Cochlear. Ulmariâ, Urticâ urente, Trifol. fibrin. Raph. ruftican. Marrub. alb. Fumar.* &c. *deftillata*, & quotidie m. ac v. dofi 4. unciarum propinata. Si *Succus* magis arrideat talium *Plantarum*, & is cum fructu potabitur, fed dofi 2. vel 3. unciarum. Juxta hæc tamen profunt quoque nunc *Pilulæ terebinthinatæ*, inprimis fi *acris*, vel etiam ♀*eus* & *virulentus* fit fluxus; compofitæ è *Terebinth. Diaph. martial. Succino alb. ppt.* ♀ *n. diaph. Corall. ppt. Terr. figill. Camphor. Extract. Marrub. alb. Centaur. min. Trifol. fibrin. Confolid. Betonic. Abfynth.* cum *Ol. ftillat. Succin.* vel *Rorismarin.* aut *Chamæpith.* Nunc *Tincturæ* & *Effentiæ*, v. gr. *Sal volatile oleofum Sylv. Spirit. Salis arm. urinofus*, cum *Oleis deftillatis Amarac. Chamæpith. Succin. Anif.* &c. in *Spiritu vini* prius folutis, & demum invicem cohobatis, *oleofus* redditus. *Tinctura* ♃ *nii, Tinctura Corallor. Martis aperit. Effent. aperitiv. Moebii, Tinctur. antiphthif. Garm. Elix. propriet. f. acid. Effent. Galang. Zedoar. Cinamom. Trifol. fibrin. Garyophyll. Elix. vit. Matthiol.* qualia quidem pro diverfitate volatilitatis & efficaciæ guttarum plurium pauciorumque dofi exhiberi poffunt cum liquoribus ante dictis. *Thermarum Fabarienfium* aut *Plumbariarum potum* in frigidioribus pituitofis, *Acidularum* autem in biliofis complexionibus conducere credimus.

Si *venereus* eft prorfus *Fluxus*, curabitur uti *Gonorrhœa virulenta*, de quâ fuo loco.

Externè fuademus nec Venæfectiones, nec Hirudines, fed, fi Fluor diu jam duravit, *Fonticulum* unum vel alterum in brachio aut pedibus, excitatum. Dein *Clyfteres uterini* blandè adftringentes & fanantes, prius tamen detergentes non funt formidandi, fi antea corpus benè præparatum fuerit. Pro iftis verò *Clyfteribus* infervit maximè *Decoctum* cum *Vino rubro* factum *Lignorum*, ut & *Herb. Matrifylv. Sanicul. Alchymill. Rorismarin. Vinc. pervinc. Gratiol. Geran. Robertian. Confolid. regalis*, vel *mediæ cœruleæ*; quorum ufus convenit maximè hyberno tempore, aut

verno

verno & autumnali. Æstivo autem prosunt *Balnea* egregiè *sulphurea* & *aluminoso-argillacea*, quemadmodum sunt *Badenses Helveticæ Thermæ*, item *Carolinæ*, *Plumbariæ*, *Wisbadenses*, *Schintzenacenses* sive *Habspurgenses*, *Wildbadenses*, &c. *Sacculi* ex *Herbis aromaticis* parati *Vino* incocti, & pubi frequenter calidè applicati, haud parum quoque prosunt. Lumbis applicetur *Emplastr. de Galbano*, aut de *Cicutâ*, vel *Unguent. Comitissæ* inungatur.

In *Diætâ* cavendum à frequentioribus jusculis, lacticiniis, cibis aquosis, pituitosi succi plenis, salsis, acidis, fumo siccatis; cavendum sibi ab Irâ, Tristitiâ, ab extremorum refrigerationibus nimiis. Venus in principio curationis etiam frequentior permissa; sed in subsequenti curatione est illicita; post quemlibet coitum tamen urinâ propriâ Uteri vagina mox eluatur, etiam per injectionem cum siphone. Pro *potu ordinario* prodest *Decoctum ligni Buxi*, *Sassaphras*, *Sem. Anis. Rad. Liquir.* cum *Vino bono rubello* mistum. Post quemlibet pastum vel *Decoctum Gran. Coffée tostorum*, vel *Infus. Thée*, *Beton. Amarac. Rorismarin.* vel *Ros solis*, *Liquor citratus* aut *Aurantiorum noster*, *Vinum Hispanicum*, aut *Malvaticum* pro digestione promovendâ conducit; quem in finem aliæ quoq; *Elix. vitæ Matthiol.* aliæ *Liquorem Angelicæ*, vel *Corticum* aut *Florum Aurant. Citrive*, vel *Apii selini spirituosum saccharatum* &c. cochleatim bibunt. Aliæ verò magis inclinant in usum *Tragematum*, quibus proin sequens cedat; v. gr.

℞. *Spec. dianth.* ʒij.
diatr. Santalor.
diarrh. Abb. ana ʒj.
Pulv. flor. Lamii alb.
Tunic.
fol. Quercûs tenerior. ana ℈iiij.
rad. Caryophyllat.
Tormentill. ana ℈iiß.
Rasur. Ebor. ℥vj.
Terr. sigillat. ℥ß.
Cinam. opt. ʒj.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Sacch. alb. ℥vj.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis m. ac vesper. ʒj. *ad* ʒij. *cum frusto Panis Vino rubro emollito.*

Vel ℞. *Specier. arom. rosat.*
diamarg. frig. ana ʒiß.
Flaved. Cort. Aurant. ʒiß.
Nuc. mosch. ʒj.
Radic. Bistort. ℈iiij.
Pulv. fol. Pilosell.
Pyrol.
Sanicul. ana ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Unicorn. fossil. ana ℥ß.
Diaph. mart. vel lunar. ʒij.
Ol. stillat. Rorismar.
Amar. aa. gutt. xij.
Sacch. alb. ℥vj.
M. f. Pulvis subt. d. ad Scat. Dosis ut supra.

FLVXVS COELIACVS, vid. *Cœliacus Fluxus.*

FLVXVS HÆMORRHOIDVM NIMIVS, vid. *Hæmorrhoidum Fluxus nimius.*

FLVXVS

Fluxus hepaticus.

FLVXVS HEPATICVS, *Dysenteria hepatica*, eſt frequens materiæ copioſæ fluidæ, carnium loturæ ſimilis, per alvum dejectio. Differt à *Dyſenteria*, in quâ vel ſincerus ſanguis parcus & valdè rubicundus cum teneſmo frequenti rejicitur. A *Fluxu hæmorrhoidali* autem diſcrepat, quoniam in hoc ſimiliter ſanguis floridus, magis minusve copioſus, in cachecticis quoque ſeroſus utplurimum ante fœces excernitur, rarò poſt illas; in *Fluxu hepatico* autem non niſi poſt fœces, ac interdum etiam ſine his rejicitur.

Pars affecta.

Hepaticus Fluxus dictus fuit, eo quod Veteres credebant, Viſcus Hepatis in hoc maximè laborare; quod tamen experientiæ atque ſtructuræ corporis mechanicæ repugnare quilibet facilè videt, ſi modò œconomiam ejus examinare volet. Utut enim in Hepate forſan aliqua rumpantur vaſa, ſanguis tamen potius in cavum Abdominis, quàm in Inteſtinorum canalem fluit. Sed rationi ſanæ convenientius eſt, ſi dicamus, ſanguinea vaſcula Inteſtinorum membranas perreptantia, & ad plexus horum glanduloſos diſſeminata heic rumpi, aut erodi, ex iisque deinceps ſeroſum maximè ſanguinem diffluere.

Diagnoſis.

Rarus eſt *Fluxus hepaticus*, à nobis tamen obſervatus; in quo mera ferè aqua ſanguine diluta, adeoque carnium loturæ ſimilis, plus min⁹ copioſè haud infrequenti dejectione excernitur. Tormina heic propemodum nulla adſunt, eaque leviſſima tantùm accedunt, quando ſtimulus dejiciendi adeſt; nulla quoque cum excretis in hoc morbo prodeunt mucoſa Inteſtinorum ramenta. Durat autem Fluxus non ſemper, ſed per aliquot dies remittere, iterumque accedere ſolet. Color faciei in progreſſu hujus Morbi pallidus atque cachecticus evadit, vires enervantur; languor membra prehendit, appetitus minuitur, cor palpitare, tandemque ſimul delinquere incipit. Dejectiones utplurimum ſolæ, vel poſt Fœcum excretionem contingunt. Febris continua ſive maligna, ſive lenta, vel præcedit aliquando, vel ſuccedere profectò poteſt.

Quod *geneſin* hujus Symptomatis concernit, penè dixerim, in hoc caſu Sanguinis craſin naturalem planè diſſolvi, eumque maximè fluidum, exaltatis particulis aquoſo-ſeroſo-ſalſis, depreſſis verò ſulphureis, reddi, hincque diffluere facilè, & per ruptas eroſasve vaſculorum extremitates in cavitatem Inteſtinorum effundi; non ſecus atque hoc contingere videmus in Hæmorrhagiis Narium, ubi ſponte quoque vaſcula ſanguinea aperiuntur, quando æſtuans nonnihil ſanguis eo decumbit. Sanguinis craſin atque texturam naturalem diſſolvit copioſum Sal volatile acido-acre, paulatim ſive ex aëris intemperie, ſive à cibo potuve, ſive à vehementi frequentique ſpirituum in gravioribus animi pathematibus, ſive à Febri quadam malignâ, ſive ab aſſumto, admiſſoq; Veneno aliquo cumulatum. Quando autem ſal tale ad ſufficientiam coacervatum eſt, tum acrimo-

niam

niam inducere, atque compagem particularum ſanguinis intimius ſolvere, imò conſiſtentiam ejus lacteam in ſeroſo-aquoſam mutare incipit. Sub hoc autem ſtatu in circulum decurrens Sanguis, ubicunque demum in corpore vaſcula ſatis tenera, & extremitates eorundem in cutim valdè exertas deprehendit, ibi quoque erodit facilè vel rumpit, & ita Hæmorrhagiam inſtituit. Hepaticus itaque tum Fluxus contingit, quando nimirum vaſculum unum plurave in canale Inteſtinorum ſatis patula & prominentia exiſtunt, magis quàm in aliis partibus corporis. Si verò tum fortè in Naribus aut Pulmone, aut Utero patuerint, tum inibi potius quàm in Inteſtinis rumpuntur, atque Narium, Pulmonis aut Uteri Hæmorrhagia, non autem Fluxus hepaticus contingere ſolet. Quo magis interim diſſolvitur Sanguis, eo frequentior & copioſior etiam hic Fluxus evadit, ut à levi etiam corporis mentisque agitatione de novo vaſcula aperiantur. Tandem cachectico-ſcorbutica Sanguinis intemperies huic Affectui occaſionem præbere poteſt. In morſibus Animalium rabidorum, ſicubi ſaliva eorum ſpirituoſo-acris vulneri immiſſa, ſanguinique circulanti communicata fuerit, ejus mox craſin diſſolvere quoque, ſicque necem inferre conatur.

In *Prognoſi* non admodum benignè de Morbi hujus exitu judicare licet, utut enim indolens ſit, pernicioſus nihilominus ob ſanguinis diſſolutionem cenſetur, in Leucophlegmatiam, Hydropem aut Tabem facilè tranſiens, vel citius etiam vires exolvens, & vitæ terminum abbrevians; præprimis ſi Febris continua, malignave quoque juncta fuerit.

Curatio hinc melius inſtitui nequit, quàm ea exhibendo remedia, quæ blandâ vi adſtrictivâ totalem molecularum ſanguinis diſſolutionem impedire, & particulas acido volatiles acres ſalinas inde expellere: imò quæ ſimul fibrarum laxatum tonum corroborare, aut rupta conſolidare vaſcula poſſunt. Primo itaque omnium, ſi Febris nulla adſit, laxante blando remedio acres è ſanguine particulas eliminabimus, quale poteſt eſſe ſequens: *Curatio.*

℞. *Radic. Scorzoner.*
Filic. ana ℥j.
Inciſa & mixta coque parum in
Seri Lactis bubul. vel
Aqu. Graminis aut Plantag. q.ſ.
In colaturâ poſtmodum infunde
Myrobalanor. opt. ℥ß.
Rhabarb. elect. ʒij.
Semin. Fœnic. ʒj.
Stent per noctem in loco tepido, ſequenti aurorâ coquantur parum, & colaturæ ℥iij. adde
Syrupi de Nymph. ℥ß.
Detur ad Vitr. Hauriatur mane unâ vice cum regimine Diætæ.

Vel ℞. *Rhabarb. opt.* ʒj.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Sumatur pro doſi mane cum Juſculo farinaceo.

Præmiſſo laxante mox dabuntur blandè adſtringentia, vel abſorbentia, diaphoretico-diuretica. *Venæſectio* ſimul

ſimul in Brachio inſtituetur, vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo applicabuntur, ſicubi quædam ſanguinis abundantia adfuerit:

℞. *Tinct. antiphthiſic.* ℥iij.
Detur ad Vitr. Doſis 20. vel 24. gutt. bis vel ter de die cū Aquâ Plantag.

Vel ℞. *Tinct. Martis adſtring. vel ſtyptic. alius* ℥iiß.
D. ad Vitr. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Eſſent. Trifol. fibr.*
Plantag. ana ℥iß.
Catechu ℨj.
Miſc. d. ad Vitr. Doſis 20. vel 30. guttæ cum Aquâ Burſ. Paſtor.

Vel ℞. *Aqu. Tormentill.*
Plantag.
Polygon.
Urtic. ana ℥ij.
Syrup. de Roſis ſicc.
Myrtin. ana ℥j.
Spirit. Vitriol. ℈ß.
M. d. ad Vitr. Singulis ſex horis duæ hauriantur unciæ.

Electuarii forma ſi deſideretur, ſequens aut ſimilis concedetur:

℞. *Conſ. Roſ. rub.*
Plantag. ana ℥j.
Condit. Cynosb. ℥ij.
Bol. Arm. ppt. ℥j.
Sangu. Drac. ver. ℈ij.
Sem. Hyoſc. ℨß.
Syrup. myrt. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad Oll. Doſis magnit. caſtaneæ ſingulis ſex horis.

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr. vitriol.*
Fl. Tunic.
Acetoſell. ana ℥ß.
Conditur. Cydonior. ℥iij.
Nuc. moſch. ℥j.
Unicorn. foſſil.
Terr. ſigillat. ana ℥iß.
Syrup. Corall. vel Capill. ♀ *r. q. ſ.*
M. f. Elect. d. ad Oll. Sumatur magnitudo Nuciſtæ ſingulis ſex horis.

Pulveris formulæ ſequentes inſervire poſſunt:

℞. *Lapid. Hæmat. ppt.*
Bol. Armen. ppt. aa. ℈iiij.
C. C. uſt. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℈ij.
Pulv. flor. Roſ. rubr. vel Tunic.
Fol. Sanic.
Sem. Plantag. aa. ℨß.
Sacch. alb. ℥ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſ. m. ac v. ℨß. *cum Juſculo farinac.*

Vel ℞. *Radic. Tormentill. Biſtort.*
Terr. ſigillat.
Unic. foſſil. ana. ℨj.
Sangu. Drac. ver. ℨß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſis & uſus ut ſupra.

Vel ℞. *Spec. diatriumſantal.* ℨj.
Gumm. Arab.
Thuris maſcul.
Maſtich. elect.
Semin. Urtic.
Perfoliat. ana ℈ij.
Corall. rubr. ppt. ℥ij.
Diaph. martial. vel
Croc. Mart. adſtring. ℨj.
Laud. opiat. gr. vj.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſis ℨß. *vel* ℈ij. *bis aut ter de die cum Emulſione Amygd. dulc.*

His

His addimus *Succos* ex *Urticâ urente*, *Plantagine angustifoliâ*, *Trifol. fibrino*, *Borragine*, *Numulariâ*, *Sanicula*, & similibus recenter expressos, filtratos, atque duarum unciarum quantitate bis quotidie cum *Conserv. Rosar. antiquâ* propinatos. Vel ex *Equiseto*, *Polygono*, *Bursâ Pastoris*, *Plantag. Urticâ urente*, *Summit. Hyper. Tamar. Cupress. Foliis tenerioribus Quercûs*, *Fimo Caballi* &c. cum affusione *Aquæ Plantagin. Aqua* destillari, hæcque dein m. ac. vesp. ad ℥iiij. per plures Hebdomadas propinari potest. Imò & *Acidularum potus* moderatus quovis anni tempore simul concedetur.

Externè inter sympathetica remedia Angli laudant multi *Pulverem* è *Vitriolo Romano* sub radiis solaribus ad albedinem calcinato paratum, ac *sympatheticum* dictum, fœcibus excretis immissum. Item *Bufonem* siccatum, sacculo sericeo inclusum, atque sub alis vel supra scrobiculum Cordis gestatum. Nec non frustum *Ligni è Fraxino* primùm arborescente, ac eâ, quâ Sol Tauri signum ingreditur, horâ rescissum, atque manu detentum. Alii monile ex *Lapide Hæmatite*, *Coralliis rubris*, ipsoque *Ligno* dicto *Fraxini* factum de collo suspendunt. *Bursa* denique *Pastoris*, *Foliaq; Urticæ urentis* contusa atque Plantis pedum & Volis manuum sæpius applicantur non sine fructu.

FLVXVS LACRYMARVM CONTINVVS, vid. *Epiphora.*

FLVXVS LOCHIORVM NIMIVS, vid. *Lochiorum Fluxus nimius.*

FLVXVS MENSIVM NIMIVS, vid. *Mensium Fluxus nimius.*

FOETOR *Corporis humani viventis* est odor teter & horridus, è membris his illisve quorundam hominum exhalans, atque vicinorum adstantiumve nares molesto sensu percellens. *Fœtor corporis.*

Equidem in genere totum corpus eorum Hominum fœtere observatur, qui sordidi existunt, multum sudant, sudores suos non abstergunt, aut eos in suis indusiis siccari permittunt, neque indusia valdè mutant; quique corporis sordes minimè abluunt; quemadmodum Rustici, Bajuli, Nautæ, Lignorum Fissores, variæque conditionis Opifices sunt. Sed & aliquando in Febribus malignis atque pestilentialibus, transpirationem vel sudorem graveolentem fundentibus, in Variolis maturis & jam siccari incipientibus, *Fœtor* è toto corpore exhalat. Apud lautioris verò sortis Homines subinde hæc aut illa pars quoque *Fœtorem* ex se quendam exspirare notatur; hinc enim *Fœtor anhelitûs*, sive *Narium*, *Oris*, *Aurium*, *Capitis* Achoribus fluentibus vel Tineâ, aut Phtiriasi laborantis, *Alarum*, *Inguinum*, *Pedum*, *Partium ulcerosarum.* *Partes affectæ.*

Fœtor autem ejusmodi variè olet, & modò hircum, modò allium aut cœpas, modo aliâs res graveolentes suo odore refert. *Hircus Alarum* vocatur, quando sub Axillis continuè emanans sudor Hirci odorem repræsentat.

Causa. *Causa* Fœtoris cujuscunque nostri corporis in genere videtur esse sulphur sanguinis maximè exaltatum, sive à volatilibus salis alcalini acidive particulis solutum, & unâ cum illis dein in auras externas exhalans. Quando igitur ejusmodi particulæ salino-sulphureo-volatiles in circulante humorum massâ copiosius solutæ, per glandulosas harum illarumve partium vias deinceps exitum continuè inveniunt, tum inibi secretæ in auras expirant, fœtentemque odorem excitant. Facit autem certa pororum in glandulis, aut particularum exhalantium configuratio, ut apud hos quidem per omnem cutim, apud alios verò tantùm per glandulas axillares, aut inguinales, aut pedum cutaneas &c. copiosius exspirent: ita quidem ut quo major talium partium motus & agitatio contingit, eo copiosior quoque fœtorum exhalantium proventus excitetur. Quòd autem à sulphureo-salinis volatilibus, maximè solutis, & Hominum nares peculiariter ferientibus, atque molestantibus particulis, auram externam inficientibus atque occupantibus producatur, argumento esse potest acidi & sulphuris volatilis commixtio, statim enim atque hæc conjunctio fit, particulæ in auras copiosè exhalant, & Fœtorem de se spargunt.

Narium fœtor unde? *Narium fœtor*, ex anhelitu fœtente cognoscibilis, atque adstantibus ferè intolerabilis, vel à purulentâ sanie in Ozænâ, vel à muci narium viscido-tenacis morâ atque retentione intra nares angustas, vel aliter malè conformatas, diutinâ provenit, sub quâ particulæ tandem volatiles sulphureæ resolutæ id est, corruptæ & putrefactæ expirant, anhelitumque fœtidum reddunt.

Fœtor Aurium originem ferè debet continuo effluxui, vel puris, vel ichoris cujusdam excrementitii, sordidi, putridi, ac multum sulphuris resoluti ex sese emittentis. Infantibus ac Pueris familiaris.

Fœtor Oris, indeque simul oriens Anhelitus fœtens, à variis causis originem ducit; inter illas verò numeramus ante omnia halitus Pulmonis exulcerati putridos, in expiratione vicinum aërem externum petentes; quemadmodum hujus rei testimonium præbent invictum Pneumonici aut Phthisici, præprimis si continuè remediis internis utantur, quibus Flores sulphuris permixti sunt. Sed & huc contribuunt Liquores & Cruditates Ventriculi corruptæ, nidorosæ, è cibis facilè putrescentibus, alliis, cepis, raphanis, carnibus ac piscibus salsis, mollibus, laxâ carne pollentibus enatæ, & per gulam exhalantes. Porrò ejusmodi fœtentem ex ore halitum efficiunt copiosa Fumi Tabaci suctio; nec non Dentes cariosi, fœdoque muco tartareo obliniti; Dentitio Infantum difficilis; Salivatio arte procurata, in Scabie, Psorâ, Lue venereâ &c. Gingivæ Scorbuto corruptæ, Ulcera fœda & cacoëthea Palati; Aphthæ, & Pustulæ per oris partes dispersæ.

Fœtor

Fœtor Alarum, *Inguinum*, *Perinæi*, *obſcœnarum Partium* ac *Pedum*, provenit ex earundem partium ſudore ferè continuo, ſulphureo-ſalinas volatiles moleculas ex ſeſe copioſè mittente. Auget hinc talem Fœtorem, ſicubi induſia vel tibialia, fœdo tali ſudore madentia, haud crebrò mutentur. Fluor etiam albus Mulierum ſubinde fœtidum quoque odorem de ſe exhalat, præprimis ſi venereus fuerit.

Fœtor Setaceorum, *Fonticulorum*, *Achorum*, originem debet itidem ſulphureo-ſalinis particulis inde jugiter exhalantibus. Obſervavi ante triginta annos Scaphuſii Helvetiorum, Fonticulum *Excellentiſſ. Hoſpitis mei Dn. D.* Chriſtophori Harderi, piæ nunc mem. copioſiorem, atque ſimul fœtentem admodum ichorem fudiſſe, quoties ipſe tractandos ac viſitandos quotidie habuit Ægrotos Febri malignâ laborantes, ubi certè miasmata Ægrorum maligna cum ſanguine Medici communicata, ſulphuris atque ſalis volatilis ſolutionem atque diffuſionem moliebantur.

Fœtor denique *ex Utero Puerperarum* non raRò prodit inſignis, quando vel ſecundinæ portio intra Uterum relicta, vel pars quædam ipſius ſubſtantiæ Matricis putrefacta, vel ſanguinis grumi corrupti atque in putrilaginem verſi fuerunt, & ita paulatim per ſinum pudoris excernuntur.

Diagnoſis ejusmodi Fœtorum haud difficilis eſt, cum per ſe ex ſuis circumſtantiis cognoſci queant. Neque de eventu illorum tam malè judicandum, cùm plus moleſtiæ apud Adſtantes, quàm periculi in Ægrotantibus procreent. Saltem per ſe Fœtor talis nullum hactenus interemit Hominem; ſed indicium tamen aliquando effectusque eſt Exulcerationis Pulmonis, ſimilisque alius funeſtæ internorum viſcerum. Quandoque curabile eſt malum, ſi cauſa ejus non eſt radicata valdè. Interim odor quoq; ejusmodi fœtens ſive Narium aut Oris, ſive Alarum aut Pedum apud unum vel alterum præprimis obeſum Hominem adeo vehemens, & ingratus exſpirat, ut ſæpè aliquibus Adſtantibus nauſeam, cordis imbecillitatem, animi deliquium, anguſtiam & anxietatem præcordiorum conciliet.

In *Curatione* ad duo attendendum, nimirum ad diverſitatem partium *Fœtorem* exhalantium, & ad varietatem cauſarum producentium. *Curatio.* Quando igitur *malus* ejusmodi *odor*, v.gr. *Narium* aut *Oris*, à cauſâ quadam oritur inexſtirpabili, tum non niſi palliativa cura inſtitui debet, in quâ ad Fœtorem vel abſcondendum, vel aliter etiam corrigendum Naribus primò attrahenda præſcribuntur ſuaveolentia; quemadmodum ſub formâ quidem liquidâ ſunt *Spiritus Anhaltinus*, *Angelic. Anthos*, *Meliſſæ*, *Fl. Roſarum*, *Aurantior.* &c. cum immerſione *Cinamom. Garyophyllor. Moſchi* & *Ambræ*. Sub formâ ſiccâ ſunt *Pulveres errhini fragrantes*, è *Radicibus Ireos flor. Cyperi*, *Ligno Rhod. Santal. citrin. Ocymo*, *Meliſſâ*, *Majoranâ*, *Benzoin*, *Storac. calam. Moſcho*, *Ambrâ*,

brâ gryſ. ſimilibusq; aliis compoſiti, quibus etiam *Olea deſtillata Aniſi, Fœnic. Roſar. Majoran. Rorismar. Ligni Rhod. Cinam. Garyophyll. Meliſſ.* vel *Balſamus apoplecticus fragrantiſſ.* permiſceri poſſunt. Imò *Balſama* ipſa, v. gr. *Majoran. Roſar. Rorismar. Cinnamom. Garyophyllor. arom. Meliſſ.* & omnium loco *Balſamus apoplecticus* ſæpè applicari vel inungi quoque ſolent.

Ore frequentiſſimè tenentur vel maſticantur *Trochiſci de Gallia moſchatâ, Confectiones Seminis Aniſ. Fœnicul. Cinamom. Garyophyll. arom.* vel *Confectio Catechu moſchata*, cujus ſequens eſt deſcriptio:

℞. *Sacch. albiſſ.* ℥iiij.
Succi Catechu ʒij.
Moſch. orient. ver.
Ambr. gryſ. aa. gr. iiij. *vel* vj.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Roſ. fact. q. ſ.

M. f. Trochiſci minores; vel fiat Confectio in conulis inſtar Muſcerdæ. Sæpius inde lambantur aliqui.

Vel ℞. *Sacchar. albiſſ.* ℥vj.
Succi Catech. ſive Japon. ʒiij.
Conf. Alk. compl. ℥ß.
Ambr. gryſ.
Moſch. orient. ver. aa. Spir. Roſar. ſolut. gr. vj.
Ol. ſtillat. Cinam. gutt. vj.

Cum Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Roſar. fact. fiat Maſſa, de quâ vel Trochiſci, vel Muſcerdæ ſæpius lambendæ.

Fœtoris Aurium & Capitis cura. *Fœtor Aurium* tollitur facilè, ſi fluxum earum purulentum aut ichoroſum abſtuleris, quemadmodum ſub titulo de *Aurium Ulcere* habetur. Ita quoque *Fœtor Capitis ex Achoribus*, aut *Tineâ* ceſſat per ſe, ſicubi tales Affectus fuerint ex arte curati.

Fœtorem quoque *Narium*, ab Ozænâ productum aut Polypo, non facilè profligabis, niſi hos radicitus extirpaveris morbos; cumque hoc aliquando impoſſibile ſit, cura tantùm palliativa erit adhibenda. Quod ſi autem mucus in Narium ſummitate, naturâ vel caſu quodam anguſtatâ diutius obhæreſcat, & putreſcat, tum ille omni arte emolliendus atque extergendus erit. Hunc in finem corpus aliquoties ante omnia vel *Vino medicato*, è *Plantis cephalicis, aperientibus* compoſito; vel *Pilulis* ex *Maſſâ Pilul. marocoſtin. tartarear.* è *Succin. Craton. Extract. catholic.* cum *Mercur. dulc.* vel *Cinnab.* ♁*n. correct.* ac *Reſinâ Jalappæ* concinnatis, purgabis. Deinceps verò extus ſummitas Naſi bis vel ter quotidie inungatur calidè *Butyro recenti non ſalito*, eoque vel *ſimplici*, vel *permixto* cum *Oleo Chamomill. Violar. Lilior. alb. Roſar. Verbaſc. Succin. Aneth. Lavendul.* Ipſis verò Naribus crebrò inſpergi debet tepidè *Aqua* vel *Lac tepidum* cum incoctione *Folior. Alth. Atriplic. Betæ, Braſſic. Malv. Meliſſ. Nicotian. Naſturtii aquat. Beccabung. Majoran. Betonic. Flor. Lil. convall. Primul. Veris, Cyani, Conſolid. regal. Semin. Nigell. Fœnicul. Aniſ.* cum vel ſine permiſtione *Mellis roſacei, mercurial. violac.* & aliquot granis *Vitrioli albi.*

Dum autem hæc extus fiunt, intus ſimul per aliquot hebdomadas *Juſcula* m. ac v. propinanda ſunt, *Herbis*

Majoran.

Majoran. Mercurial. Numular. Borrag. Matrisylv. Pimpinell. Nasturt. Scabios. Lactuc. Beccabung. Fumar. Acetos. alterata. Vel *Aquæ* earundem Plantarum *destillatæ*, aut ipsarum siccatarum *Infusa calentia* diligenter in usum vocentur. Imò *Balnea* quoque *Aquæ dulcis*, vel *Pediluvia* cum incoctione *Herbarum emollientium* ac *cephalicar.* in usum trahuntur. Æstivo tempore *Thermas Fabarienses* similesve alias, in Balneo atque Potu consulerem.

A *Dentium Carie* oborta *Graveolentia*, requirit eorum evulsionem, vel inustionem, vel palliativam ad minimum curam desiderat, cum præscriptione & usu suaveolentium instituendam. Vide etiam *Dentium Cariem.*

Fœtor à *Putredine Gingivarum, Ulceribus* & *Ulcusculis*, in *Scabie fœdâ*; *Scorbuto, Aphthis*, tolli potest sensim per Gargarismata & Oris collutiones calidas frequentes, è *Radic. Aristoloch. rot. Bistort. Chin. Helen. Caryophyllat. Carlin. Succis. Virgæ aur. Sarsæparill. Vincetox. Lign. Guajac. Sassaphr. Herbis Artemis. Betonic. Brunell. Consolid. med. Succis. Numular. Sanic. Scabios. Florib. Bell. min. Ligustr. Malv. arbor. Alcææ, Calth. palustr. Seminib: Anis. Hyperic. Plantag. Urtic. Perfoliatæ, Myrrhâ, Mastiche, Nitro, Alumine pauco*, in *Vino* & *Aquâ* invicem coctis, atque insuper *Melli rosaceo, Roob Dianuc. Juniper.* vel *Sambuc.* permistis. Adde his usum fragrantium *Confectionum* supra commendatarum.

Fœtor Oris ab *usu Fumi Tabaci* corrigitur eluendo Os cum *Aquâ calente simplici*, vel *destillatâ Malvæ, Scabios. Borrag. Veron. Fœnic. Naphæ, Rosar.* quibus adde *Trochiscorum* supra descriptorum usum. *Ab usu Tabaci.*

Fœtor Oris ab *halitibus stomachi* proveniens vel *emetico* exhibito, vel *purgante* per inferiora remedio aliquoties dato tollitur. Deinceps verò *Tragema stomachicum* in usum trahetur, v. gr. *A Cruditatibus stomachi.*

℞. *Spec. Arom. rosat.*
diambr.
diamosch. dulc. ana ℨj.
Rasur. Ebor.
Specif. stom. Poter. ana ℨij.
Semin. Anis.
Fœnic. ana ℈ij.
Flaved. Cortic. Aurant. ℨj.
Sacch. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis m. ac vesper. ℨj.

Fœtor denique *Alarum, Inguinum, Perinæi, Pudendorum* ac *Pedum*, requirit primò usum *Vini medicati purgantis*: dein *Venæsectio*, si Corpus plethoricum, instituetur, vel *Cucurbitulæ cum scarificatione* dorso applicabuntur. Etiam *Tragema* superius ordinabitur. *Pediluvia* aut *Balnea* ex incoctione *Herbarum Majoran. Beton. Calaminth. Serpill. Malv. Numular. Folior. Salic. Quercus, Pyrorum, Equiset. Polygon. Urtic. Hyperic.* parabuntur, & in usum trahentur. Tibialia, indusia, socci quotidie mutabuntur. *Pulvis* denique *Cinerum* vel *Scobis Aurichalci, Scoriar. Ferri, Lapidis calaminar. Tutiæ, Radic. Tormentill.* *Fœtoris Alarũ, Inguinũ, Pedum Curatio.*

mentill. &c. applicabitur. *Folia recentia Quercus, Plantaginis, Hederæ arbor.* & ſimilia imponentur. *Unguentum* de *Ceruſſâ* vel *diapompholyg.* inungetur.

Fractura. FRACTURA eſt Morbus ſolutæ unitatis in partibus duris ſive Oſſibus, à cauſis externis ſcindentibus, contundentibus, terebrantibus, aliisve productus.

Differentiæ. *Species* & *Differentiæ* Fracturarum ſunt variæ, partim ab *oſſium varietate*, partim à *ſymptomatibus*, partim à *cauſis*, partim à *diverſo Fracturæ modo* &c. petitæ. Ratione *Oſſium* Fractura alia eſt in *Cranio*, alia in *Coſtis*, *Vertebris*, alia in *Oſſibus Femoris*, *Cubiti*, *Ulnæ* & *Radii*, *Humeri*, *Tibiæ*, *Claviculæ* &c. Alia in medio Oſſe, alia prope ejus caput, aut finem, vel in ipſâ extremitate: Alia in *Articulo* vel *propè articulum*, alia *longius ab Articulo* facta. Ratione *ſymptomatum* alia quidem ſine his, alia verò cum Vulnere, aut cum Dolore, Contuſione, Inflammatione, Spinarum Oſſium prominentia; alia cum Febre, alia ſine eadem. Ratione *modi primò* alia eſt *ſimplex*, in quâ unum tantùm os frangitur, ſine alius cujusdam partis inſigni læſione; alia *multiplex*, *compoſita* vel *complicata*, in quâ vel plura ſimul oſſa ſunt fracta, vel Luxatio, Vulnus, Contuſio, aliudve inſigne accidens ſimul eſt junctum. Dein etiam ejusdem modi reſpectu exurgunt quinque notabiles illæ *Differentiæ*, quarum *prima* eſt, quando Os in transverſum frangitur; *Secunda*, quando Os ſecundùm longitudinem finditur, ac rimam in dividitur, ita ut partes læſi oſſis ab invicem non prorſus ſeparentur; hæc vocari ſolet *Fiſſura* vel *Rima*, Græcis χιδλακηδὸν κάταγμα. *Tertia* eſt, quando Fractura in unâ quidem ſui parte rectâ linea contigit, in alterâ verò gibboſa eſt ſive lunata, atque eapropter Fractura *Lunaria* vel *Iſonica*, græcis κάταγμα καλαμιδὸν appellatur. *Quarta*, quando Os fractum in plura tenuia fragmenta inſtar farinæ aut fruſtorum putaminis nucum, comminuitur & confringitur, græc. vocatur κάταγμα ἀλφιτηδὸν, καρυιδὸν vel etiã Σύντριμμα, *Contritio*. *Quinta*, tandem eſt, quando portio quædam Oſſis κατ' ἀποκοπὴν, *per confractionem* à toto planè eſt ſeparata & ablata, unde *Catapotrauſis* nuncupatur.

Producuntur omnes Fracturæ non niſi à *cauſis externis*, violenter in Oſſa incidentibus, ſive dein contundant, ſive pungant, ſive ſcindant, ſive alio modo Oſſium continuititem ſolvant. Occaſionem hinc præbent ſaltus, caſus ab alto, inſtrumenta ſecantia aut contundenita; ictus globulorum ſclopetariorum, unde *Contritio* inprimis contingit.

Quantum ad *Diagnoſin*, deprehenditur Fractura, ſi tacto ejus loco in unâ parte cavitas, in alterâ verò intumeſcentia, vel prominentia percipitur; ſi commoto paulum membro fracto crepitus, vel fragor aliquis in Fracturæ loco auditur: ſi pars vel brevior

brevior facta, vel contorta à motu musculorum sit; si dolor adsit, atque impotentia motûs musculosi in parte læsâ: si spinæ fracti ossis continuè membranas superjacentes pungant, vel per apertam simul cutim emineant: si causæ Fracturarum præcesserint. Ut autem dignoscantur species Fracturarum, ad peculiares circumstantias est attendendum, ac ab illis judicium de specie Fracturæ petendum; omnium autem difficillimè cognoscuntur *Fissuræ* vel *Rimæ*, quæ sine vulnere contingunt; quod si tamen dolor profundus diu admodum Ægrum in loco affecto torqueat, membrum in motu nonnihil impediat, ac denique tumida aliquantum pars sit in loco Fissuræ, citra Inflammationem, tum Os subjacens fissum esse, audacter pronunciabis.

Quoad *Prognosin*, minus periculosæ Fracturæ audiunt, quæ sunt recentes, simplices, & sine alio quodam symptomate factæ: quæ in medio ossis contigerunt; quæ sunt transversæ, quoniam tales, si benè sint reductæ facilius aptâ ligatione contineri possunt: in quibus non multæ sunt prominentiæ acutæ, nec alia fragmenta minutiora: si ossa è suis sedibus non multùm recesserunt; si alterutrum duntaxat os in Brachio aut Crure fractum est; si Æger adhuc Juvenis, vel aliâs laudabili humorum circulantium dispositione gaudeat. Magis periculosæ verò sunt, quæ cum Luxatione, Vulnere, magnâ Contusione, Dolore, & Hæmorrhagiâ insigni conjunguntur: quæ prope Articulos eveniunt: quæ denique iis obtingunt, qui malignâ quâdam humorum intemperie & cacochymiâ laborant: vel quibus Febris admodum ardens superaccedit. Lethales tandem plus minus Fracturæ existunt, quæ in Vertebris dorsi accidunt, ac Viscera quædam interna spinis suis pungere, sicque Spasmos, Paralyses, Febresque acutas excitare possunt: vel quæ in Cranio cum læsione Meningum insigni, aut extravasatione humorum factæ fuerunt.

Curatio. In *Curatione* Fracturarum ad quatuor præprimis attendimus; 1. Ut frusta ossis fracti, si quæ adfuerint prominentia, quàm citissimè suum in locum reponantur; vel sicubi spina una aut altera prorsus ab osse avulsa sit, eadem per Vulnus extrahatur; vel etiam si adhuc Ossi cohærens ita promineat, ut restitui haud possit, forfice pars ejus maximè prominens auferatur, quò reliquum dein os introrsum trudi tanto comodius queat. 2. Ut ossa reposita per convenientem Ligaturam immota conserventur, atque internascente callo iterum firmiter cohærescant. 3. Ut omnibus symptomatibus, qualiacunque demum extus supervenerunt, tuta citaq; medela afferatur. 4. Ut Febris acuta vel præcaveatur, vel si adsit, debitis quoque remediis citò profligetur.

Repositio tamen *Ossium*, si Inflammatio adest insignis, differenda est, donec hoc accidens fuerit discussum, quod quidem obtinetur facilè, si *discutientia fomenta* inflamatæ parti applicentur, qualia sunt ex *Camphora* at-

que *Gummi ammoniaco Spiritu Vin.* ſoluto parata; vel alia quoq; ſuo loco contra Inflamationem commendata remedia. Veteres Chirurgi heic peſſimo facto *lintea Aceto immerſa* applicuerunt, etſi enim hoc remedii genus non quidem, ut ſibi imaginabantur, repellebat, ſed tantillum diſcutiebat, quoniam tamen tardè admodum, nec ſemper tutò ſatis effectum iſtum edit, hinc melius longè atque prudentius *Aceti* uſu abſtinemus. Præterea ſi Hæmorrhagia inſignis adfuerit, ei quoque per ſtegnoticorum appoſitionem, uti ſuo habetur loco, ſimul medendum eſt.

Repoſitio autem perficitur à Chirurgo, & quidem primò per oſſis fracti in diverſa extenſionem; cùm enim muſculorum fibræ, oſſis robore deſtitutæ, ſequantur naturalem ſuam determinationem, & in ſe contrahantur, neceſſum eſt, per vim eas ſimul cum Oſſe fracto tantum elongare, quantum à naturali ſtatu receſſerunt. Fit hoc aut ſolis manibus, idque unius, pluriumve Hominum, vel habenis, ſive lineis faſciis circumpoſitis, vel per trochleam trajecto fune. Sed hæc extenſio tamen non nimia ſit, ne Convulſiones inde ſubſequantur. Extenſo ſic ſatis membro ſuccedit διόρθωσις, *conformatio*, ſ. *coaptatio*, quâ Chirurgus membrum, utraque manu comprehenſum ſtudet ad priſtinam figuram reducere, impellendo illud hinc inde, ante, retro, & ad latera, donec extantes particulæ in ſuas cavitates & priſtinas ſedes fuerint reductæ; quod ex doloris ceſſatione, oſſis fracti in ſuperficie æqualitate, & comparatione cum ſano membro factâ, eluceſcit. Coaptata hinc Oſſa conjuncta ſunt tenenda, quod præſtat proba deligatio ſive per duas faſcias ſæpius circumductas (quarum altera brevior à dextris adſiniſtram, ſurſum verſus, altera duplo longior contrario modo incedat ac retrocedat) ſive per aſcialem Faſciationem cum ſpleniis inſtitutam, cujus major eſt uſus, ſi pars affecta crebram requirat inſpectionem, ut cùm Vulnus Fracturæ jungitur, aut cùm Fractura eſt in Femoris medio, partéve ſuperiore. Ante faſciarum injectionem *Emplaſtrum diapalma*, vel *de Bolo*, vel aliud poros apertos tenens imponi poteſt; atque ad Inflammationem impediendam faſciæ prius immergi debent *Spiritui Vini*, in quo *Camphora* aut *Gummi ammoniacum* ſolutum eſt. Tandem ligatum ſic membrum ſive aſſulis ligneis, aut coriaceis involvitur ſive in capſulâ ligneâ, aut coriacea, ſive in pulvinari molliuſculo reponitur, ita tamen, ut ſæpius ratione ſuccedentis, Inflammationis extremitas membri ſurſum erigatur & calcaneus ab omni compreſſione vel alliſione ad lectum liber relinquatur.

In ligatione Aſſularum inprimis cavendum, ne arctè nimis illa fiat, quia ſic facilè humorum impediretur circulatio, & Tumor cœruleus membri infra ligaturam, cum Gangrænâ, intenſiſſimoque dolore ſubſequeretur. Quod ſi verò poſt ligatum membrum nullus ferè dolor amplius adſit,

niſi

nisi in Fractionis loco, ubi nonnihil firmius liganda pars est, (non tamen ut circulatio impediatur) tum certus esse potes de rectâ deligatione. Prima deligatio ita per triduum vel quatriduum relinquitur, nisi quædam symptomata solutionem ligaturæ requirant. Postmodum ad impediendam pustularum efflorescentiam, & pruritum ligatæ cutis discutiendum, singulis diebus semel, vel etiam bis Fracturæ ligatura solvenda, & de novo repetenda; sed insimul totus tractus ligari solitus *Oleo rosaceo* vel *chamæmelino* est inungendus, *Emplastrum* superimponendum, asciæ hinc & assulæ injiciendæ sunt. Si pustulæ in parte effloruerint, tum vel *Unguento camphorato albo*, vel *Essentiâ Myrrhæ*, *Aloës*, atque *Spirit. Vini camphorato* locus affectus est illinendus. Octavo die *Emplastrum Oxycroceum* vel simile imponi potest ad Callum promovendum; intus quoque *Osteocolla* sæpius ad ʒß. vel ℈ij. cum *Jusculo* propinanda. Atque hæc quidem in Fracturæ specie, *Schidacidon* dictâ, quæ sine Vulnere aut Luxatione contingit, observari possunt & debent.

Si *Os* est *fissum*, quod Germani vocant *ein Klackbruch*, tum tantillum materiæ succulentæ è Fissurâ effluit, quæ paulatim dein sæpius juxta ductum fibrarum versus Ossis articulum protruditur, inibique exitum sibi quærit, quem si non brevi obtinet, acrimoniâ adquisitâ tendines, glandulas, ossaque ipsa arrodit, spinamque tandem ventosam inducit, quam imperitiores sive Medici sive Chirurgi hactenus pro *Catarrho cephalico*, aliove nescio quo Affectu venditare, maleque curare non erubuerunt. Hæc itaque Fissura non ita statim, ut aliæ Fracturæ sanantur, quoniam nulla hic manualis operatio, extensio aut coaptatio requiritur, sed Chirurgus duntaxat symptomata vel præcavebit, vel debitis remediis discutiet, reliquumque soli Naturæ permittet. In principio hinc statim *Emplastrum oxycroceum*, vel aliud *catagmaticum discutiens & roborans*, non tamen inflamans aut exulcerans imponi, simulque fasciæ commodæ, prius *Spiritui Vini camphorato* immersæ injici debent, ita quidem ut os sic arctè ligatum, succos amplius nullos emittere, callique generationem longius extendere possit. Quod si tamen hâc deligandi formâ intra aliquot hebdomadas, quemadmodum fieri assolet, non omnis tumor cum dolore auferatur, sed hæcce symptomata protrahantur, tum *Emplastra* magis *discutientia* reddi, simulque *Fomenta* ex *Herbis cephalico-aromaticis*, *Vino rubro* cum *Camphorâ* incoctis fieri, & aliquandiu applicari debent: non neglectis, quæ intus siccare & sanare valent, *Lignorum decoctis*, ipsaque etiam *Osteocollæ* exhibitione. Sed nec omittatur quoque *Venæsectio* in principio statim instituenda, unâ cum uno vel altero *Clysmate*. Quin & si diu admodum totalis sanatio fuerit protracta, atque Tumor ab incrassata materia substiterit, vel etiam *Callus nodosus* genitus sit, protinus suademus

 usum

usum *Thermarum sulphurearum* qualiumcunque, aliquoties institutum, præprimis autem *Plumbariarum Lotheringiæ, Wisbadensiũ Hassiæ, Aquisgranensium Belgii, Piperinarum Rhætiæ, Badensium Helvetiæ, Leucensium Vallesiæ, Burbonensium, Carolinarum, Schlangenbadensium*, aliarumve.

Quod si verò Æger *Fissuram* fortè leviorem in principio nauci fecit, & ex hâc negligentiâ rorida quædam materia è fisso ossis ac periostii lacerati loco effluens tumorem quendam produxit, tum hic, si possibile, citò aperiendus, antequam ichor acquisitâ fortè corrosivitate circumcirca corrodendo fistulosum, incurabileque Ulcus excitaverit, & quidem incisio eo præcisè in loco est facienda, ubi Fissura contigit, sicque inflictum etiam profundum Vulnus ex arte curandum; curatio tamen ita instituenda, quemadmodnm in *Fractura cum Vulnere*; videndumque num non ipsum os *Carie* infectum sit, antequam cicatrix inducatur, eaque propter Vulnus ad os usque priùs dilatari convenit, tumque frustula ossis flavescentia aut nigra cariosa vel forcipe auferes, vel cauterio exures, vel exspectabis, donec per frustula minora paulatim cum pure prodierint. Separantur autem & prodeunt intra 30. & 40. dies, si Æger Juvenis, & frustum parvum; Ægro verò existente sene, cariosa frusta ante 60. diem vix separabuntur. Quando denique in fine ossium sanorum sana caro incipit crescere, signum est, brevi separatam fore cariosam ossis portionem. Ulcus interea, quemadmodum in Carie suo loco instructionem dedimus, deligabis; sed simul Ægro prædicere non intermittes, ex tardâ admodum hâcce curationis methodo frequenter Contracturas articulorum provenire, claudosque Homines reddi.

In *Ossis Contritione*, quæ spinæ adhuc cohærent, neque punctionis sensu molestæ sunt, eæ debitâ membri extensione & coaptatione, si possibile, suo iterum restituuntur loco, debitisque ligaturis retinentur. Si autem festucæ ab Osse penitus separatæ fuerunt, atque musculos superjacentes, (nisi Vulnus sit factum, per quod prominent) continuè pungunt, tum locus statim incisione est aperiendus, atque festucæ instrumentis extrahendæ; quod tanto facilius fit, si per Vulnus simul factum eminuerint. Nisi verò auferas, protinus Inflammatio, Gangræna, Convulsiones, aliaque mala subsequentur periculosa. Notandum tamen, quod in Contritione ossium per sclopetarios globulos subinde Ulcus ad plures annos apertum maneat, donec omnia contriti ossis frustula, plus minus pungentia, fuerint eliminata.

Quando igitur Fractura est cum Vulnere, curatio semper diutius protrahitur, ob diversa Vulnus subsequentia symptomata, incommodioremque deligationem, quæ sequenti modo peragitur: exemptis nimirum aut resectis spinis ossium prominentibus, membrum extenditur, ossa fracta coaptantur, labia Vulneris, si nimis amplum, adducuntur, vel consuuntur; *F... cu... ne...*

ſuuntur. Si autem Vulnus, in contuſâ præprimis parte, nimis arctum fuerit, tum inciſione magis ampliatur, quò ſanguini extravaſato & coagulato exitus pateat. Vulnus ab aëris præcipuè frigidi, humidi, aut maligni acceſſu præcavendum, neque ſtylorum exploratoriorum ope & immiſſione exaſperandum; nulla *pinguia* & *oleoſa* apponenda, quorum loco extus applicantur *Balſamum Indicum*, vel *de Copaiba*, &c. cum *Maſtiche*, *Oleo Terebinthin.* & *Eſſent. Caryophyllor.* quibus *fila carpta* immerguntur. Tandem *Emplaſtr. Opoteldoch*, perforatum undique, circa Vulnus & Fracturam applicatur, prius tamen Partem *Oleo roſaceo* vel *Lil. convall.* illinendo. *Pulvilli* hinc *Lintei* deſuper ponuntur; deinceps *linteum*, in extremitatibus utrinque fiſſum, *Spirituiq; Vini camphorato* immerſum, toti membro obvolvitur, ita quidem, ut fiſſæ extremitates latus membri vulneratum reſpiciant. Porrò faſciæ ita injiciuntur, ut vulneratus locus nonnihil apertus maneat, quò ſic Vulnus quotidie bis deligari poſſit, absque reliquarum faſciarum ſolutione. Aſſulis tandem membrum involvitur, eâ quoque ratione, ut dum Vulnus deligatur, non opus ſit, omnes ſimul tollere aſſulas. Aſſulæ autem vel capſulæ ligneæ ejus longitudinis eſſe debent, quâ quidem ſupra & infra Fracturam ſanas quoque membri partes involvant, imò ſimul ipſos Articulos ſuperent, quò ſic membrum in juncturis per pavores tempore ſomni contingentes flecti nequeat, quoniam ab ejusmodi flexione facilè partes oſſis fracti repoſitæ & coaptatæ iterum elaberentur, atq; hinc vel tardiorem ſanationem, vel informem callum producerent.

Quoad *Symptomata*, primum ratio habenda *Inflammationis*, *Tumoris* atque *Doloris*, quæ quidem vel præcaventur vel diſcutiuntur, ſi *Faſciæ*, uti ſæpiùs monitum, *Spiritui Vini camphorato* immergantur, calideque circumvolvantur. Loco *Spiritus Vini* alii quoque *Rorem mineralem* ſive *Phlegma* 🜕*li ſpirituoſum*, alii *Elixir Balſamicum Joh. Hellfrici Jüngken* commendant, quod hoc modo parare ſolet: *Sympto-mata.*

℞. *Radic. Angelic.*
Imperat.
Zedoar. ana ℥ß.
Cubebar. ʒij.
Garyoyhyll. arom. ʒj.
Croc. oriental. ʒß.
Caſtor. ℥ß.
Gumm. Galban.
Aſæ fœtid. ana ℥j.
Benzoin. Storac. calam. ana ʒj.
Camphor. ʒij.
Inciſ. & contuſ. affunde
Tinctur. ♀*ris* Mß.
Stent ita Infuſa ſemper in Vitro benè clauſo.

Victus immoderatus, & deligatio nimis laxa ſæpius occaſionem præbent *Callo* nimis *magno*, ſive *excreſcentiæ oſſis* in loco Fracturæ, à nutrimenti oſſei copioſiore affluxu vel admiſſione, provenienti, quæ ſuâ præternaturali eminentiâ incommoda *Callus oſſeus.*

 varia,

varia, inprimis autem dolorem, quando tangitur producit, imò & nonnihil musculorum motum impedit. Callum hunc imminues impositione *Emplastri de Ranis Vigonis cum Mercurio*, cui desuper simul applicari debet *lamina plumbea*: Tandem & *fomentum emolliens* atque *discutiens* simul applicatur, & in Diætâ Ægro victus tenuis præbetur; hac enim ratione Callus sex mensium ætatem nondum excedens subinde intra 15. dierum spatium ita mollis reddi potest, ut Chirurgus postea membrum denuo extendere, ac in meliorem figuram aptare valeat.

Quandoque *Macies* & *Atrophia* in parte læsâ observatur, præcipuè cùm ligatura in deligatione nimis stricta fuit: cui malo medemur *laxiore* tantillum *deligatione*, & *Fomentis* ex *decocto Althææ*, *Salviæ*, *Majoranæ*, *Chamomill. Puleg. Malv. Mercurial. Meliss.* &c. in *Aquâ facto* paratis.

Quod si Membrum fractum difforme, aut curvum intortumque evaserit, Chirurgi id sive imperitiæ sive negligentiæ adscribes, nisi Æger admodum impatiens fuerit, membrumque benè aliâs repositum haud immotum tenuerit. Os femoris tamen paulò infra coxendicis juncturam ruptum, propter musculos nimis crassos & robustos sicque deligationem vix possibilem bonam, non nisi curvè & informiter quandoque curari potest, ut hinc claudicatio, propter pedem breviorem redditum, subsequi necesse habeat.

Notandum quoque, dum Articulis in Fracturæ curatione, nulla flexura permittitur, sub qualibet deligatione tendines eorum *Oleis emollientibus* & *roborantibus*, v. gr. *Chamomill. Hyperic. Aneth. Rosar. è floribus Slotani*, &c. esse illinendos, ne per longam adeo quietem *Contractura* subsequatur.

Pruritus, & *Mordicationes* à salso oriundæ sero, sicubi in loco doloris & læsionis persentiantur, abluente *Aquâ calidâ*, vel etiam *muriaticâ*, aut ipsâ quoque *Urinâ* tolluntur. Si verò *pustulæ exulceratoriæ* effloruerint, inunctione *Olei Hyperic. Lil. alb. rosacei*, vel *Unguenti albi camphorati* dissipantur.

Febri continuæ Fracturis supervenienti occurritur *Pulveribus* & *Mixturis diaphoreticis* per aliquot dies usurpatis.

In *Diætâ*, præter *Decoctum Traumaticum* per aliquod tempus m. ac v. bibendum, atque *Osteocollam ad* ℨß. *cum C. C. phil. ppt.* aliquoties exhibitam, in principio vix nisi *Juscula* optima, etiam consumata, nec non *Hordeum*, *Orizam* &c. concedes; à *Vini* usu absterrebis; quandoque noctu ad conciliandum placidum somnum vel *Emulsionem Seminum frigidor.* vel *Julepum* ex *Aqu. Nymph. Lactuc.* & *Syrup. Violar.* propinabis. Ab Irâ, Terrore, ac aliis denique vehementioribus animi Pathematibus Ægrum tutum præstabis.

Atque hæc in genere de *Fracturis* observanda censemus, quæ deinceps ad Species quasvis earum applicari

cari poterunt. Harum verò ſingularum deligationes, deligationumque & Faſciationum modi non tam ex libris, quàm ex ipſâ autopſiâ addiſci debent.

FUNGUS eſt Tumor vel Excreſcentia mollis, ſenſim ac ſenſim incrementum capiens, ex dilatatione vel laceratione tubulorum membranaceorum, ac inde extravaſato ſucco nutritio plus minus ſincero proveniens, & circa articulos utplurimum imò & in oculis, cerebroque vulneratis, oboriens.

Quoad *Partem affectam*, enaſcuntur è Pericranio, Perioſtio, Membranis, aliisve nerveis tunicis, in Capite, Oculis, circa Articulos, & aliis locis.

Viſui & Tactui facilè cognoſcendus occurrit *Fungus*, cujus ſubſtantia non dura, ut in Ganglio aut Scirrho, exiſtit, ſed mollis, albicans, digito cedens, nullam tamen impreſſi digiti foveam relinquens, penè indolens. Primò exiguus exiſtit, ſed nunc citius nunc tardius incrementa capiens. Circa genu & molam ſ. patellam frequens, ipſumque non raro Genu ſuo loco movens, & ita ad flexionem, ſive contractionem, extenſionem, ac ambulationem ineptum reddens.

Generantur Fungi è ſucco Nutritio, gelatinoſo, è membranis laceratis, nimiumque diſtenſis copioſius effluente, qui hinc ſenſim auctus, atque exhalantibus particulis aquoſioribus condenſatus in ſubſtantiam carnoſam, ſpongioſam, mollem, *Fungi* nomine antiquitus expreſſam, faceſſit. Hinc non infrequenter è Vulneribus aut contuſionibns Cranii, Meningum, Articulorum, aliarumque partium membranoſarum, ni caveamus, emergunt. Pro diverſâ autem quantitate aut qualitate extravaſati ſucci etiam Fungus *major minorve* apparet; vel *benignior* aut *malignior* certè evadit. Si ſucci dulces ſunt minusque acres, etiam Tumor *benignus* erit, ſi verò acres illi fuerint, & corroſivi, tum Fungus erit *malignus*, magis dolens, imò cancroſus, deterior ſemper redditus, quamprimum applicueris remedium corroſivum.

Quoad *Prognoſin*, Fungus benignus, ac indolens, ad plures ſæpè annos ſine ulteriore incommodo durare poteſt. Curatu ſanè difficilis, diuturnitate verò temporis, ſi acrior fuerit redditus ſuccus, in Cancrum, non ſecus atque Scirrhus, degenerare, vel etiam Tabem inſenſibiliter poſt ſe trahere valet. Qui è Vulneribus recens prodit Fungus, non adeo difficulter & brevi quoque temporis ſpacio diſſipari poteſt, modò rectè tractetur. *Prognoſis.*

In *Curatione* Fungorum diuturnorum citra Vulnera contingentium *internè* quidem ante omnia *Purgans* aliquod *mercuriale*, cum *Mercurio* nimirum *dulci*, exhibendum, illudque aliquoties repetendum venit; paratum ex *Maſſ. Pilul. hydrop. Bont. Extract. panchymag. Croll. Mercurio dulc. Scammonii*, & *Jalappæ reſinâ*, aut ſimilibus aliis. Vel *Vinum* medicatum *Curatio.*

catum, verno & autumnali præprimis tempore concedatur, in hunc aliumve modum; v. gr.

℞. *Radic. Sarſæparill.*
Scrophular.
Scabioſ. ana ʒiij.
Herb. Numular.
Ceterach.
Pyrol.
Scord. ana Mß.
Lign. Santal. citr.
Saſſaphr. ana ℥ß.
Semin. Dauc. ʒiß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Agar. trochiſcat.
Rhab. elect. ana ʒiij.
Cortic. Vinteran.
Salis Card. bened. ana ʒj.

Inciſ. & contuſ. d. ad Nodul. ex ſindon. rubr. cui affund. Vini albi veteris & Aqu. fontan. ana ℔ij. *Poſtea ſingulis matutinis Cyathus* ℥vj. *exhauriatur.*

Purgato autem ſic corpore *intus* quidem paulatim ſiccantia traumatica, & viſcôſos humores reſolventia exhibeantur: quemadmodum ſunt *Tinctura Mart. aperit. Tinct.* ♄ *nii, Spirit. C. C. eſſentif. Tinctur.* ♀*ri eſſentif. Eſſent. Lignor. Ireos flor. Chelidon. maj. Imperator. Cinamom. Piper. Cubeb. Pil. marin. uſtæ, Spongiæ uſtæ, Lapides ſpongit. calcinati, Cochleæ uſtæ, & pulveriſat. Ocul.* ♋. *ppt.* ♄*n. diaphor. Bezoard. min.*

Externè commendamus *Thermarum* ♀*earum* uſum diuturnum, applicationem *Emplaſtrorum* maximè *reſolventium*, v. gr. *de Galbano, de Ran. Vigon. cum tripl. Mercur. de Cicut. de Succo Nicotian.* cum *Sale ammoniac. Sale Gemmæ*; vel *Cochleis* unâ cum teſtis calcinatis & pulveriſatis; *Emplaſtrum* item è *Cicut. Betonic. Alliar. Menth. Meliſſ. Pulegio, Gumm. ammoniaco Spirit. Vin. ſolut. Camphorâ, Succ. Solani inſpiſſato, Rad. Bryon. Ariſtoloch. Angelic. Scrophular. Imperator. Pimpinell. Jalapp. Hellebor. nigr. Spongiis combuſtis, Cinnabar. communi, cum Pice, Terebinth.* atque *Cerâ* invicem miſtis concinnatum, & ita coctum, ne cuti nimis tenaciter adhærendo ejus poros maximè conſtringat & obſtruat. Si his nihil profeceris, ad extirpationem eſt accedendum, Ferris chirurgicis, peritaque manu peragendam, quâ quidem ſecundùm artem debitè ac circumſpectè factâ, ſi quid reſidui hæret in Vulnere materiæ, aut ſi quæ radix in fundo lateat, è quâ malum repullulare denuò poſſet, candente ferro exuratur, tandemque Vulnus ſolito more ſanetur. In hâc tamen operatione præter externam cutim nihil incidendum, foramen autem amplum faciendum, ut materia omnis exprimi tanto commodius poſſit. Cavendum per omnia, ne nervoſi tendines quocunque modo lædantur.

Quòd ſi autem *Fungus* è *Vulnere membranoſarum partium* ſubitò, & vel unius noctis ſpatio enaſcatur: tum eidem ſtatim *ſicci* inſpergantur *pulveres* ex *Rad. Ariſtoloch. rot. ver. Irid. florent. Angel. Calam. aromat. Aron. Garyophyll. aromaticis, Fol. Sabin. Lapid.* & *Chelis cancrorum combuſt. Cochleis cum ſuis teſtis combuſtis,* quibus etiam aliquid de *Sacch. Saturni*

turni vel *Terrâ* ☉*li dulci*, pro re natâ addere licet. A fortioribus autem Cathæreticis abſtinendum, dum ab iis malum valdè irritari ſolet.

Si *Fungus* tandem eſt *cancroſus*, intus quidem Cacochymiam ſcorbutico-acrem corrigentibus, velut in Scorbuto docetur, remediis, extus verò non niſi ſectione, citò tutoque inſtitutâ, malum extirpabis.

FVROR VTERINVS eſt Delirium ſubinde rabioſum, cum immani Veneris appetitu, à Spirituum animalium per corruptam ſeminalem materiam alteratione & agitatione perverſâ oriundum.

Originem huic animi Morbo præbet frequens titillatio, & irritatio Clitoridis, vicinarumque partium genitalium venerea, à quâ Spiritus animales in talem usque motum cientur, unde appetitus ad Venerem exercendam ac ſatiandam ferè continuus, isque cum furore quodam & delirio excitatur. Titillatio verò illa pudendorum contingit à ſero quodam ſpecificè acri, ſive, ut loqui malunt, corrupto ſeminali ſucco, è glandulis vaginalibus, vel etiam cervicis Uteri extillante, & determinato quodam modo fibras Clitoridis vicinarumque partium aſſiduè propemodum lancinante, ac ad venereorum amplexuum deſiderium potenter ſtimulante. Affectus tamen non niſi Libidinoſas prehendit ſive Virgines ſive Viduas, concubitum venereum anhelantes, ac ſuâ cogitatione frequenter ruminantes. Alii cauſam Affectûs altius petunt, nimirum ex ſero acido-auſtero ovula teſticulorum corrumpente, indeque liquorem ad Sanguinem atque Spiritus animales transmittente, à quo poſtmodum deliræ venereæque cogitationes, æſtu quodam in vitalibus humoribus oborto, excitantur.

Non ſtatim hic cognoſcitur Affectus, quia Fœminæ adhuc rationis compotes gravem atque inſolitum, quo excruciantur, æſtum venereum aliis aperire, & confiteri nolunt. Unde omnibus deſtitutæ remediis, malum firmiores quotidie radices agit, triſtitiam animi, ſuſpiria, melancholiam, inſomnes noctes, faciei pallorem, maciem &c. producit, tandemque ſpiritus ad impetuoſum motum evehendo, delirium & furorem excitat. In quo ſtatu dum miſera exiſtit Fœmella, nullum amplius ratiocinationi locum præbet, inquieta eſt, ſubinde garrula, & libidinoſorum conſortia affectans, non niſi Venerem meditans, venereasque cantilenas amans, legens, canens. Tandem ipſos quoque Viros ad concubitum trahere haud erubeſcit, quo denegato in furorem, ſeu Rabiem atque Maniam, perdito planè rectæ rationis uſu, miſerè delabitur; vel etiam penitus ad deſperationem adigitur, in quâ niſi cuſtodiatur, ſibimet haud rarò necem inferre conatur. *Diagnoſis.*

In *Curatione* ad ſpirituum æſtum temperandum ante omnia *Venæſectio* ordinanda eſt. Poſtea verò ſtatim *Vomitorium* exhibeatur mediocre, ex ♀*ro emetico*, vel *Radice Ipecacuanhæ*, *Curatio.*

 Aſari,

Asari, cum *Cremor.* ♀*ri*, *Terr. sigillatâ* &c. Vel *Aqu. benedicta Ruland.* aut *Oxysacchar. emetic.* propinetur. Cujus finitâ operatione sufficiente *Elixir* quoddam *uterinum*, cum *Essentiâ Castitatis Mynsichti* in usum vocabitur, paratum ex affusione *Spiritus Vini tartarisati* super *Radic. Bistort. Cichor. Scolopendr. Filic. Herb. Rut. Agrimon. Menth. Calaminth. Origan. Semin. Agn. cast. Fœnicul. Carv.* Vel iisdem speciebus affundi *Vinum album bonum*, & post aliquot dies destillari potest. Si ex *Seminibus Agni casti Aneth. Rutæ*, *Lactuc. Cannab. Hyperic. Carv. Aquileg. Herbis Menth. Meliss. Smaragd. ppt. Terr. sigill. Bol. Armenat. Unicorn. fossil. Arcan. duplicat. Mynf. Lapid. prunell. Nitro* ♄*iato. Nuce moschat. Mac.* atque *Saccharo* ad pondus omnium, pulverem conficies, ejusque m. & v. ℥j. cum *Aqu. Nymph. Lactuc. Portulac. Solani*, exhibeas, sensim levamen sperare poteris. Vel

℞. *Nitr.* ♄*iat.*
Bol. Arm. ppt. ana ʒiß.
Sacch. Saturn. ℈j.
Camphor. gr. xvj.
Ol. still. Rut. gutt. iiij.
Sacchar. alb. ʒiß.

M. f. Pulvis subtil. divid. in 8. *dos. æqu. mane ac vesperi capiendas.*

Vel *Tinctura antiphthis. Garm.* per plures dies ad *gutt.* xij. aut xv. m. ac v. exhibeatur. Vel etiam *Clyssus* ♄*nii*, *Spiritus Salis* vel *Nitri dulc. Spiritus aperit. Penoti*, *Aqu.* vel *Essent. Castitat. Elixir.* ⊖*l. Mynf. Tinctura Martis* cum *Aquâ* & *Cremore* ♀*ri* per decoctionem & filtrationem solam parata, ad 10. pluresque guttulas usurpetur sæpius. Prodest dein quoque *Acidularum*, *Juleporum*, *Emulsionum*, *Succorum acidorum* potus. Hinc *Julepi* ex *Aquis Portulac. Lactuc. Nymph.* cum *Syrup. Rub. id. Rib. Berb. Emulsiones* ex *Seminibus Cannab. Aneth. Aquileg. Lactuc. Citr.* 4. *frigid. major.* cum iisdem *Aquis* parari & exhiberi possunt. Neque contemnendus venit usus *Balneorum Aquæ frigidæ*. *Sal essentiale Acetosellæ*, *Rutæ*, cum *Unicorn. fossil.* & simılib. in pulvere sæpius sumtum pariter conducit. Inter hæc tamen per intervalla *Extracti Hellebor. nigr. grana* 8. *ad* 10. ad corpus leniter expurgandum, cum *Vino* & *Cremore* ♀*ri* sumantur. *Externè* Lumborum regio quotidie vel *Oleo Nymphææ*, *Rosar. Lilior. alb.* vel *Unguento saturnino* aut *santalino* cum *Camphorâ* illinatnr. Vel *Folia Salicis*, *Nymph. Lactuc. Portulac. Rut. Vitic. Aneth. Menth. Solani* invicem recenter contusa, ac *Aceto* quoque persperfa, regioni Pubis & Lumborum frigidè, aut tepidè applicantur.

In *Diætâ* vel Matrimonium cum robusto, vegetoque Homine concedatur; vel omnes cibi, multum & acre semen flatuosum exhibentes planè vitentur. A *Vini* usu abstineatur; *Aromata* fugiantur. Corpus *laboribus* quotidianis fortibus delassetur. *Cucurbitulæ cum scarificatione* singulis mensibus applicentur. Animus à *rerum venerearum cogitatione* abstrahatur.

FVREV-

FVRFVRES, FVRFVRATIO, PORRIGO, eſt Scabies ſicca ſ. ſquamoſa aut furfuracea Cutis capillatæ capitis, ab excrementitiis ſalſo ſulphureis particulis in ſuperficie extimâ cuticulæ coagulatis oriunda.

Afficitur plerunque cutis capillata capitis, quandoque & ipſa facies immunis non eſt. Adultos æquè ac Juniores, neutros tamen frequenter prehendit. Conſiſtit autem totus Affectus in numeroſis ſquamulis albicantibus, capillatam cutim Capitis inter ipſos crines occupantibus, eamque tegentibus; quandoque ſine, quandoque cum pruitu moleſtis. Interdum ultra capillos etiam frontem, faciemque invadit & defœdat. Squamulæ nunc majores, nunc minores ſunt, nunc copioſiores, nunc pauciores. Decidunt nonnunquam è crinibus per ſe, copioſius verò, ſi pectinentur illi. Fœminis quàm Viris familiariores Furfures, quoniam illæ capillos ſuos quotidie haud pectinant. Nonnullis etiam Viris haud infrequentes, qui videlicet, quòd capillamenta portant, capillatam Capitis cutim negligenter extergunt, licèt facilè ac multum ſudent.

Producuntur autem furfuraceæ illæ Squamulæ à particulis ſalino-acidis ſulphureis lentis per poros capillatæ cutis Capitis transſudantibus, & circa radices pilorum ſtatim inſpiſſatis. Hinc qui capillos negligenter curant, ſordesque capitis non quotidie pectinis ope auferunt, facilè tales Furfures colligunt; proveniunt autem illæ particulæ è maſsâ humorum ad glandulas ſubcutaneas circulante; in ſuperficie dein Cutis ſubſiſtunt facilè, propter ſui aliqualem lentorem; inſpiſſantur etiam, & in formâ albicantium cruſtularum condenſantur, dum plurimæ particulæ aquoſæ ob ſuam volatilitatem unâ cum ſubtiliſſimis alcalinis liberam citò petunt auram, atque craſſiores ſaponiformes poſt ſe relinquunt.

Affectus exigui eſt momenti, dum præter defœdationem nec periculum, nec alium ferè morbum portendit: poteſt tamen, ſi prorſus negligatur, ipſaque Squamularum ſalia acriora reddantur, in fœdam Capitis exulcerationem & Scabiem, vel Achores mutari, tantoque id magis, ſi in victûs ratione multum peccetur, ac inde ſanguis cacochymicus, acido-ſalino-acris cumuletur. *Prognoſis.*

In *Curatione* intus *purgans* aliquod, per inferiora ſufficienter evacuans, in principio ſtatim ad cauſam antecedentem minuendam eſt præſcribendum, v. gr. ex *Tabulis diacartham. Aniſo laxativ. Paſſulis laxat. Extr. catholic.* &c. paratum. Poſtmodum externè ſtatim *mundificantia* in uſum trahenda, in quem finem conducit *Lixivium* qualecunque, vel etiam *Vinum*, cui *Apium*, *Nicotiana*, *Chelidonium majus*, *Scillæ radix*, *Beta recens*, *Cochlearia*, *Naſturtium*, *Gratiola*, *Salvia*, *Lupinorum grana*, *Centaur. min. Semin. Sinapi*, *Bacc. Juniperi* incocta ſint. Aliis pro *lotione* placet *Urina*, vel *Aqua* etiam *muriatica*. Williſius *Oleum* ♀ri *per deliquium Oleo Nucum* anaticâ doſi permiſcet, *Curatio.*

miscet, atque sæpè illinit affectis locis. Prodest & *Decoctum Saponariæ, Persicariæ, Agrimoniæ, Parietariæ, Radic. Cucum. asinin.* &c. post ablutionem verò vel *Unguentum medicamentosum Mynsicht.* vel *Oleum* superius inungi potest. Vel *Furfures tritici*, aut *siliginei* nonnihil calefacti Capiti affricantur, sicque squamulæ una cum Furfuribus postea decident, & pectinando auferentur. Laudant alii inunctionem *Olei Amygd. amarar. Olei* item *balanini, sesamini* &c. Dolæus suadet *Liquorem ex Sale ♀ri* & *Myrrhâ* in cellâ liquefactum, quo pars furfuracea illinatur, ac dein *decocto Lupinorum cum urinâ parato* abluatur. *Spiritus Reginæ Hungariæ, Spirit. Melissæ, Vini rectificatus* & *♀risatus* quoque Furfures auferre possunt. Tandem internè *simul* sanguinem depurantia in usum vocentur remedia, quemadmodum sunt blanda diaphoretica, ac præcipitantia: v. gr. *Ebur ppt. ♃ n. diaph. Bezoard. miner. Pulv. Viperar. ppt. Tinctura ♃ nii tartarisata: Essentia Fumar. Lignor. Aquilegiæ, Betonicæ.*

Furunculus. FVRVNCVLVS, DOTHIEN, Δοθιὴν, est Tumor plerunque inflammatorius, ovi columbini magnitudinem vix excedens, in hâc vel illâ corporis parte cutaneâ à lymphæ sanguinisve extravasatione ac stagnatione oriundus, tandemque, nisi discutiatur, in Abscessum & Ulcus terminans.

Diagnosis. Promiscuè varias affligit Cutis partes, inprimis autem Glandulas ejus, è quibus propullulare solet. Magnitudinem ovi columbini rarò excedit; rubicundus, & ardente, acuto, pungente, aut pulsante admodum dolore instar Inflammationum molestus est. Pueros, quandoque & Adultos intemperato, sordidoque victu gaudentes prehendit. Rarius discutitur, sed plerunque suppuratur, inque Abscessum, & Ulcus convertitur. Si materia stagnans fuerit acrior, simul Febrim accendit continuam, non rarò malignam; interdum tamen Febreos ephemeræ crisis existit. Reperiuntur etiam, qui pluribus simul Furunculis infestantur, vel qui Scabiem quoque conjunctam habent. Qui Variolis laborârunt, neque perfectè ab illis purgati fuerunt Infantes, ejusmodi Tubercula quoque plura vel pauciora subinde adquirunt. Observavimus & nos haud paucos, qui salso-pituitosâ intemperie laborantes, post usum Balneorum sive domesticorum, sive mineralium, in *ephemeras* inciderunt *Febres*, & nunc Scabiem, nunc Furunculos simul contraxerunt. Hærent autem aliquando talia Tubercula in extimâ cute, interdum verò profundius descendunt ad ipsam musculorum substantiam. Contagiosis quoque temporibus, vel ubi sanguinis massa corrosivis scatet particulis, malignitate non carent.

Causa. *Causa* ejusmodi Tuberculorum *proxima* est humor sanguineo-pituitosus, salibus acido-viscosis plus minus inquinatus, atque in tubulis Glandularum cutanearum his illisve stagnans,

gnans, vascula distendens, sicque circulationem sanguinis eo loci impediendo Inflammationem producens. Stagnans dein humor, si nimium expansi rumpuntur tubuli, confluit, atque per intestinum quendam sive fermentationis, sive putrefactionis motum in pus mutatur, Abscessumque format, mox sui apertione in Ulcus abeuntem. *Antecedenter* occasio huic morbo nascitur à circulante Massâ humorali, quando in hâc, propter advenientem chylum minus perfectè elaboratum, salsoque-pituitosum, plures particulæ sals-acidæ, fixiores, atque vicissim pauciores alcalino-volatiles fuerunt collectæ; unde in sero Sanguinis facilè quædam crassities & viscositas tandem producitur, quæ datâ postliminiò ansâ constrictionis alicujus, in his illisve magis dispositis cutanearum glandularum tubulis Sanguini transfluenti obicem ponit, atque superiùs dictam accumulati humoris stagnationem efficit. Quod si autem Sanguinis vitium majus foret, tum etiam, loco Furunculi unius vel alterius, magni Bubones & Abscessus producerentur. *Benignus* est Furunculus, si materia stagnans magis dulcis & chylosa existit: *Malignus* verò, si salibus acido-acribus, plus minus volatilibus & corrosivis imprægnata fuit.

Quòd *Prognosin* concernit, nisi malignitas subsit, periculo omni ista Tubercula vacant; licet aliâs plerunque tardius suppurentur, neque facilè in Gangrænam aut Sphacelum abeant, modò scitè tractentur. Si impura admodum sit apud Ægrum humoralis Massa, tum vel plures simul efflorescunt Furunculi, vel uno curato, in alio mox loco novus emergit; unde Pueri non rarò ad Maciem disponuntur.

Curatio proin modò brevis modò diuturna est, & ultra mensem protrahitur, pro diversâ nimirum circulantium humorum dispositione & crasi. Attamen heic statim attendendum, utrum Febris aliqua præsens sit, vel absit? Etenim prægressâ aut præsente adhuc Febri alvus quotidie vel naturâ, vel arte laxa esse debet; internè verò *blandorum diaphoreticorum*, &, si opus fuerit, *alexipharmacorum* medicaminum usui est insistendum. Si absit Febris, *mediocre purgans* ante omnia, nisi insignis Furunculi inflammatio impedimento sit, exhibere oportet. Postea verò nihilominus *internè* quidem unum vel alterum diaphoreticum dabis, ex ♁ *n. diaph. Bezoard. min. C. C. phil. ppt. Ebor. ppt. Bez. ard. mart.* & simil. cum *Electuar. diascord.* vel *Roob Sambuc. Juniper.* & *Aqu. Fumar. Ulmar. Card. bened. Cheref. Scabios. Agrimoniæ*, permistis. *Externè* verò in omni Furunculo primùm *discutientia* ac *resolventia*, his verò nil operantibus *maturantia* sive *Emplastra*, sive *Cataplasmata* sunt adhibenda; quæ inter nobis hactenus satisfecerunt modò *Empl. Norimberg. Gruberianum, Diachcum Gum̃is, de Mucilaginibus, Gumm. ammoniac. Aceto solutum*, & *Emplastri* formâ impositum; modò *Cataplasmata* ex *Melle, Succo Ceparum*, vel

Curatio.

vel *Chelidoniæ*, ac *Farinâ secalinâ*. Vel ex *Semin. Lini*, *Micâ pânis*, *Herb. Malv. Parietar. Alth. Chamomill. Flor. Sambuc. Verbasc. Melilot. Malv. hortens. Ficub. Camphorâ*, *Croco* &c. in *Lacte* decoctis parata. Si suppuratus inde est Furunculus, apertusq; sponte aut arte, tum *digestivo* vel *simplici* & *communi*, vel *composito Hildani* cum turundis diligenter immisso, subinde & *injectione* cum *Urinâ* aut *Decocto Gratiolæ*, *Pyrolæ*, *Virgæ aur. Hyperici*, *Centaurii minoris*, si opus videbitur, factâ, atque imposito simul semper *Emplastro Diapalma*, vel *Opoteldoch* persanatur. Consule quoque de his Titulum de *Abscessu*.

GALLICA LVES, vid. *Lues venerea*.

Ganglion. GANGLION, NODVS, Germanis *Uberbein* est Tumor plus minus renitens, durus atque indolens, cuti concolor, à tubulorum tendinosorum expansione atque induratione post laborem inprimis, aut usum vehementem, in manibus pedibusque obveniens. Vel etiam aliquando nihil aliud est, quàm insignioris ductus aquosi, involucrive nervorum aut tendinum larga distensio, ab externâ contusione, aut nisu oriunda, in quâ tanquam in cystide Lympha ubertim congeritur, incrassatur, induratur, & subinde in tantam molem excrescit, ut ratione suæ geneseos pro Aneurismate vasorum Lymphaticorum possit.

Locus affectus. Ex quibus nunc patet, Affectum hunc circa Articulos magis, quàm alibi progigni, imò ipsos tendinum tubulos, aut involucra, non secus atque vasa lymphatica occupare. Sed insimul clarum est, falsò à Veteribus, ipsoque *Dolæo* perhibitum esse, *Ganglion* à contorsione & induratione tendinum provenire, cùm tale quid citra magnum dolorem, aut citra Paralysin, qualis in Ganglio verò nunquam observatur, contingere nequeat.

Cognoscitur autem hic Morbus ex tumore duro, indolente, (nisi quod inter laborandum tendines premendo lassitudinem membri gravativam producat) cuti concolore, tendinibus articulorum præcipuè inhærente; primùm quidem majoris pisi magnitudinem non admodum excedente, sed postea sensim adaucto, ita ut magnam sæpè molem exæquâsse visus sit: Tunc autem Tumor non solùm durus & renitens, sed & inæqualis existit. Ad latera dein magis, quàm ad anteriora aut posteriora sub Cute mobilis est, quo quidem signo non secus ac sui duritie à Meliceride, Fungo, atque Atheromate facilè dignoscitur. Cui adde, quòd Fungi etiam profundius lateant, atque ob latiorem basin in nullam ferè partem moveri commodè possint.

Producitur ferè Ganglion à *Causâ* aliquâ externâ violentâ; v. gr. ictu, casu, nisu tendinum vehementi, membrorum distensione, atque intorsione validâ, à motibus spasmodicis, sive convulsionibus; à pandiculatione, incisione, atque similibus; unde Lympha quædam pituitave

tave dulcis, vel ſub involucro tendinum, vel in tubulo quodam lymphatico obhærere, cumulari, inſpiſſari, ſicque Tuberculum ejusmodi durum excitare queat. Quin etiam eadem cauſa morbifica frequenter extravaſari, iisdem in locis poteſt, & cùm de ſucco cartilaginum vel oſſium nutritio multum participet, tanto magis condenſari, ac indurari, propriaque ſimul cyſtide includi valet.

In *Curatione* unicè ad indicationem curatoriam, quæ Tumoris eſt extirpatio diverſimodè inſtituenda, attendere oportet.

Recentia proin Ganglia, in quibus materia nondum eſt indurata, ſæpè per attenuantia, incidentia, atque reſolventia protinus diſcutiuntur: in quem finem imponuntur *Laminæ plumbeæ*, *Hydrargyro illitæ*: aut *Emplaſtra* de *Ranis Vigonis*, vel *de Cicutâ*, *Nicotianâve* cum triplo *Mercurii*: qualia Emplaſtra quoque *Oleis ſtillatitiis è Lateribus*, *Sapone*, *Cerâ*, *Ligno heraclio*, *Ligno ſancto*, *Fungis*, aut *Spongiâ* paratis exaltari ſimul poſſunt. Nonnunquam evaneſcunt, ſi validâ compreſſione cyſtis rumpatur, ſed tum radice nondum obliteratâ brevi nova incrementa ſumit. Sequens etiam *Fotus* maximè utilis eſt:

℞. *Lixiv. Sarmentor. part.* iiij.
Aceti opt. part. j.
♃*n. crud. Alumin.*
Tutiæ, *Ærug.*
Lign. Saſſaphr. ana q. ſufficere putabis.

Coque invicem probè, atq; lintea poſtmodum huic liquori calefacto immerſa ter vel quater quotidie applica, usq; ad Tumoris diſcuſſionem.

Majora verò *Ganglia*, quæ diſcuti nequeunt, omnium optimè exſcinduntur; nimirum Cutis ad panniculum carnoſum usque cruciatim inciditur, hinc elevato panniculo modò dicto, vel integra cyſtis Ganglii evellitur; vel filum circa radicem Ganglii trajicitur, quo totus poſtea Tumor conſtringitur, atque reſecatur, radicem *Butyro* ♄ *nii*, vel *Lapide infernali* tangendo. Vel tandem abſcinditur, quantum commodè poteſt, & materia hinc omnis evacuatur, relictumque Vulnus aut Ulcus *Unguento Ægyptiaco*, *Tutiâ*, *Mercur. præcipitato*, cum *Digeſtivo* ordinario permixtis ſanetur.

Quòd ſi autem de Articulorum v. g. Genuum, Cubitorum, horumque Tendinum vicinitate ita certus ſis, ut ſine eorundem manifeſtâ læſione exciſio Ganglii fieri nequeat, tum à *ſectione* protinus abſtinebis, & ſola *reſolventia* atque *diſcutientia*, contra *Fungos* ſuo loco commendata, uſurpabis; in quem finem quoque ſequens valdè *reſolvens*, & *diſcutiens* convenit *Emplaſtrum*.

℞. *Colophon.* ℥iij.
Ceræ nov.
Picis naval. ana ℥ij.
Terebinth. ℥j.
Gumm. Tacamahac. ʒvj.
Elem. ℥ß.
Oliban.
Maſtich. ana ʒij.
Bol. armen. ppt.
Spongiar. uſt. ppt.

Cochlear.

Cochlear. cum test. calcinat. & ppt. ana ℥ß.
Flor. Balaust. ʒiß.
Lumbr. terr. ppt. ʒij.
M. f. s. a. Emplastrum Oleo philosoph. vel Lumbr. terrestr. malaxand. Cui quoque si opus videbitur, *Mercurius vivus* subigi potest. Hoc autem *Emplastrum* alutæ superinductum imponatur, impositumque per octiduum relinquatur, donec novum applicetur: sicque continuandum est, usque dum Tumor subsideat. & evanescat. In diminutione Tumoris *Emplastrum diachalciteos*, vel *Diasulphuris Rulandi*, vel *de Sapone Tackenii*, cui *Mercurius* quoque *vivus*, ac *Oleum* quoddam *stillatitium* addetur, est admiscendum. Attamen ante *Emplastri* cujuscunque impositionem pars affecta inungi poterit *Oleo C. C. rectificato*, vel *Oleo destillato Succini, Ligni heraclini*, *Baccarum Lauri* aut *Juniperi*, vel *Scorpion. Matthiol.* Aut præmitti per plures dies debet *Fomentum* ex *Vino*, cui incoctæ fuerunt *Radices Aristol. rot. Scrophular. Gentian. Herb. Absynth. Abroton. Solan. Tabac. Artemis. Sabinæ, Meliss. Menth. Bacc. Laur. Juniper. Semina carminativa.*

Gangræna. GANGRÆNA est partium corporis mollium inflammatio & incipiens corruptio cum livore, dolore summè ardente & pungente Hominem affligens, à sanguine stagnante acriore, circulationem humorum etiam in vicinis quibuscunque tubulis impediente, oriunda.

Causa. *Causa proxima* est sanguinis lymphæque acrioris acido-corrosivæ stagnatio, atque maxima effervescentia in capillaribus quamplurimis mollium partium tubulis contingens; quæ si diu stagnet ac subsistat, simul non solùm humorum per vasa circulationem, sed & spirituum animalium per nervos vel discissos, vel nimis constrictos aut compressos influxum impedit, sicque mortificationem aut Sphacelum tandem integrè producit. *Antecedens* verò causa est vel humor aliquis corrosivus, acido-austero-acris, tubulos & fibrillas vasculorum, in spasticas constrictiones, varicesque cogens, unde facilè postmodum circulatio præpeditur, humoresque stagnant. Vel etiam est res aliqua externa comprimens, incidens, contundens, aut porrò frigus intensum congelans; quoniam hæc omnia & humorum & spirituum influxum hebetare, impedire, atq; hinc stagnationem inducere valent. Sic enim nihil novi est, à fortiore v. g. pedis fracti luxative ligaturâ Gangrænam membro induci. Nil novi quoque, hominibus per nives atque intensum frigus diu proficiscentibus, extremas ita congelari partes, ut vel statim sine præcedaneâ Gangrænâ sphacelatæ emoriantur ac decidant, vel quando post intensum frigus illæ statim igni admoventur, Gangrænam prius, quàm mortificentur, acquirant, inductâ in congelatum tubulorum humorem subitaneâ effervescentiâ, circulationem simul impediente.

Diagnosis sic habet. In principio Gangrænæ Inflammatio partis adest, cum

cum ardentiſſimo dolore, intenſiſſimo purpureo rubore, atque majore minoreve tumore. In augmento mali dolor ferè igneus redditur, rubor partis in livorem aut cœruleo-nigricantem colorem mutatur, vel etiam hinc maculæ lividæ, illinc verò non rarò puſtulæ & veſiculæ efflorescunt, & in gangrænatâ parte comparent. Tandem ſi adhuc deterior reddatur Affectus, ac in Sphacelum abeat, pars nigreſcere, dolorque omnis evaneſcere incipit. Neque verò ſolùm partes corporis externæ tali Morbo affliguntur, ſed ei etiam obnoxiæ ſunt partes internæ; ita enim in Phrenitide quidem Meninges, in Febribus malignis autem, Variolis, & ſimilibus, non rarò Pulmones, Hepar, Lien, Inteſtina, Meſenterium, Pancreas, Omentum &c. gangrænantur atque ſiderantur, quod ipſa ſæpius Anatome & exenteratio cadaverum nôs docuit.

Quòd *Prognoſin* ſpectat, Affectus ſi internas in variis morbis occupat partes, non niſi ardore quodam percepto interno cognoſcendas, plerunque funeſtus eſt, aut certè difficulter admodum curatur. Non nihil facilius autem ſanatur, ſi externam quandam, eamque non ita magnam partem occupavit, neque diu adhuc duravit. Sed ſi intra primum vel ſecundum diem debita remedia non fuerunt adhibita, tum in Sphacelum Gangræna talis incurabilem tranſit. Quando igitur membrum incipit nigreſcere, omnique ſenſu doloreque privari, ſignum eſt incipientis jam mortificationis moxque ſecuturi perfecti Sphaceli.

Curatio. In *Curatione* attendendum probè, an ab internâ vel externâ cauſâ Affectus originem duxerit? Etenim qui ab internâ profectus eſt cauſâ, *internè* quidem ea requirit, quæ ſudorem movendo ſanguini debitam fluiditatem ac volatilitatem reſtituere, ſpaſticas particulas obtundere, ſicque motum circulantem humorum reſtituere valent. Atque in hunc finem *antifebrilia diaphoretica*, præprimis *♁niata*, conveniunt *remedia*, quæ cum *Aquis deſtillatis*, ac *Diaſcordio Fracaſtorii*, aut *Mithridatio Damocratis*, *Roob Sambuci*, vel *Juniper.* exhiberi poterunt.

Externè autem locum habent *Fomenta ſpirituoſa*, tubulos conſtrictos relaxantia, poros cutaneos aperientia, & ſubtili, pernicique particularum ſuarum motu vel calore viſcidum quodvis reſolventia; qualia ſunt *Spiritus Vini camphoratus*, *Eſſentiâ Croci* pro lubitu ſimul tinctus, vel cum *Eſſentiâ Myrrhæ*, *Aloës*, *Abſynth.* &c. permixtus. *Ros mineralis*, *Decoctum Scordii*, *Meliſſ. Salviæ*, *Serpilli*, *Majoran. Menth. Betonicæ*, aliarumque plantarum aromaticarum, cum *Myrrhâ*, *Aloë*, *Abſynth. Camphor.* &c. in *Vino* paratum. *Decoct. Scordii*, *Fumar. Card. bened. Scabioſ.* &c. cum *Aquâ muriaticâ*, vel etiam *Vino* factum. *Stercus vaccinum*, *caballinum*, vel etiam *humanum Cataplasmatis* inſtar impoſitum. Vel

℞. *Radic. Ariſtol. rot.*
Imperator.

 Vale-

Valerian.
Petasitid. ana ℥ß.
Herb. Absynth.
Meliss.
Scord. ana Miß.
Flor. Calendul.
Chamom.
Melilot.
Baccarum Junip. ana Mß.
Semin. Lupinor. ℥ß.
Myrrh. elect. ʒij.
Camph. ʒiß.

Incisa & contusa coque in Vini albi veteris q. s. in vase duplici, colatura hinc calida linteis excepta applicetur. Vel ℞. *Aqu. Calc. viv.*
Spirit. Vin. camph. ana ℔ß.
M. & calidè applica, frequentissimè repetendo.

Vel *Spiritus matricalis Blancardi* in hunc finem solus adhiberi potest, aut aliis etiam permisceri. Vel
℞. *Aquæ Calcis viv. cum Liquore solutionis Mercurii sublimati in croceum colorem tinctæ* ℔j.
Adde pro lubitu
Spiritus Vini camphor. ℥iij.
M. d. ad Vitr. & usurpetur frequentissimè applicando.

Prodest & *Cataplasma* factum è *Scordio, Card. bened. Salviâ, Melissâ, Roremarino, Flor. Chamomill. Melilot. Radic. Aristol. Imperator. Angelic. Fim. equin.* &c in *pulverem* redactis, & cum *Vino* coctis, hinc linteo crassè inductis, insuperque, antequam calidè applicentur, *Spir. Vini camphorato*, vel *Spiritu matricali* conspersis. Rustici laudant *Cataplasma* è *Pomis dulcibus putridis*, cum *Vino*. Ita quoque *Th. Bartholinus* solam *Aquam marinam* pro fomento calido commendat: *Ettmüllerus* autem seqq laudat:
℞. *Radic. Imperator.*
Valerian.
Angelic. ana ℥j.
Herb. Scord.
Salv.
Absynth.
Flor. Sambuc.
Chamom.
Bacc. Juniper. ana Mj.
Myrrh. Camph. ana ʒij.

Incis. & contus. coque in Vini albi veteris Mensuris duabus, in vase probè clauso, hinc cola & utere pro Fomento. Sunt qui è *Cancris fluviatilibus, Ranis, Lumbricis terrestribus, Cochleis vivis,* cum *Herbis Alliariæ, Agrimon. Geran. rob. Brunell. Solani, Sempervivi, Meliss. Scordii* &c. contusis, atque cum tantillo *Vini* coctis Cataplasmata componunt & applicant.

Quod si Gangræna jam ad Sphacelum tendat, imò cutaneæ portiones jam sphacelatæ existant, tum scarificatio partis profunda est adhibenda, ad sanguinis usque missionem; & dein *Cataplasmata* jam memorata in usum trahenda, usque dum sideratæ portiones abscesserint, vel rescindi potuerint, & nova hinc cutis regenerari inceperit.

Si Gangræna à Frigore nimio originem traxerit, prius fricanda est pars *Nive*, aut *Aquâ gelidâ*, hinc demum inungenda sequenti *Ungu.*
℞. *Axung. cervin.* ℥j.
Olei Amygd. amar. ʒiij.

Spirit.

Spirit. Vin. camph. ℥ij.
M. ad Ollam.

Tandem & ſuperiora quoque remedia applicari poterunt.

In *Gangrænâ à causâ externâ*, v.g. Ictu aut Morſu animalium, Contuſione &c. tum Scarificatio, & quidem cultellis profundè adactis, prodeſt, cum ſanguinis probâ extruſione: poſtea Fomentum aliquod ſuperius in uſum vocetur.

Victus ratio inſtituatur tenuis, ſicut in Febribus: à Vino & Acidis abſtineatur: frigida aura nusquam ad partem admittatur.

GARGAREONIS, *Gurgulionis*, *Uvulæ*, vel *Columellæ* Inflammatio eſt ejusdem Partis tumor, cum rubore, ardore, deglutiendi difficultate, & dyſorexiâ conjunctus.

Pars affecta eſt Caruncula illa glandulosa coloris rubentis, figuræ oblongæ, ſupra rimam Laryngis, inter duas Amygdalas Palati propendens, vocis tono & articulationi formandæ, non ſecus atque exhibendo alicui muco pro lubricanda contignatione Palati dicata.

Producitur non niſi inſtar aliarum Inflammationum, à Lymphâ acido acri in glandulosâ ſubſtantiâ Uvulæ ſtagnante, ſimulque ſanguiferos capillares tubulos ita conſtringente, ut hinc circulatio ſanguinis impediatur, ipſaque pars à cumulato magis, ſtagnanteque humore præternaturaliter tumeat, rubeat, ardeat, atque difficultatem in deglutiendo pariat; quoniam ſub hac actione non poteſt non ipſa Uvula inflammata doloroſè commoveri. Occaſionem huic malo antecedenter & remotè præbent ſalia acido-rigida vel auſtera circulantem maſſam ſubingreſſa, & ita ſpecificè inviſcantia, ut per tubulos Columellæ transire nequeant, ſed inibi facilè obhæreant, cauſamque proximam excitent: tanto id magis, quando ſimul Aër externus vel nimis æſtuans per inſpirationem ad Uvulam appellens, nimis ſiccare, vel frigidus admodum ejus fibrillas criſpare, aut conſtringere potuit. Salia verò illa auſtera ſanguini communicantur à potu Vinorum ſive auſterorum, ſive etiam generoſorum largo; ab hauſtu Spiritûs Vini, Ceraſ. nigror. aut Liquoris ſimilis ſpirituoſo-ſulphurei exceſſivo; ab eſu multo Fructuum horæorum, Caſei, Ciborumque nimis ſalitorum, vel etiam fumo induratorum. Jungitur ſubinde Febricula, dum aliqualis per totam Maſſam ſanguineam turbatio ſimul contingit: vel certè Febreos alicujus continuæ ſymptoma, imò ſubinde Criſis eſſe ſolet.

Affectus facilè cognoſcitur ex tumore, rubore, imò & ardore partis afflictæ; ubi tamen ſimul contingit difficultas deglutiendi, licet ob Uvulæ tumorem frequenter ad deglutiendum ſtimulentur. Præterea ſubinde Oculi lachrymas invitas emittunt; inſpecta verò Columella inſtar baccæ uvæ rotundæ atque rubentis deprehendetur. Interdum ſimul Febris continua, vel præceſſit, vel conjungitur, cum vel ſine dolore Capitis, *Diagnoſis.*

ſiti aliquâ, dyſorexiâ, & laſſitudine membrorum. Nonnulli homines obeſi propter anguſtiam tubulorum Uvulæ huic malo præ aliis ſunt obnoxii, ut vel levi occaſione eodem prehendantur.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, Inflammatio hæc periculo vacat, niſi alius in corpore Affectus periculoſus ſimul exiſtat. Poteſt tamen, ſi cauſa ſit corroſiva, in Abſceſſum & Ulcus mutari tædioſum, nec ita citò curabile; imò ſi venerei quid ſubſit, non rarò planè conſumi & auferri ſolet, cum ſubſequente poſtliminiò Vocis raucedine quadam, & locutione, uti vulgus ait, per nares.

Curatio. In *Curatione* ante omnia, ſi alvus ſegnior fuerit, *Clyſma emolliens* & *detergens* injiciatur: hinc ſtatim *Venæſectio* in alterutro brachio inſtituatur, poſtea quoque, ſi opus videbitur, raninæ ſub Linguâ Venæ incidantur; ac demum *Gargariſmate diſcutiente* malum abigatur. In quem finem aliqui gargarizant cum ſolo *Lacte*, *Aqu. Hordei mucilaginosâ*, aut *decocto Raparum* diluto. Alii verò ſequens uſurpant:

℞. *Herb. Brunell. Scord.* *ana* Mj.
Plantag. Scabioſ.
Flor. Malv. hortenſ. *ana* Mß.
Cancror. fluviat. rec. contuſ. *no.* iiij.

Inciſ. & mixta invicem coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colatur. ℔j. *adde*
Roob dianuc. ℥iß.
Nitr. purif. ʒj. *vel*
Roob Moror. ℥j.
M. ad Vitr. & calidè ſæpius blandeq́ non fortiter nimis palatum gargariſetur.

Alii ſolam *Brunell. Aquam* cum *Succo Semperviv. Cancror. fluviatil. Mucilag. Sem. Pſyll.* aut *Cydon.* & tantillo *Aceti* vel *roſacei*, vel *Rubi idæi* &c. permiſcent, & ſic gargariſationem inſtituunt.

Quod ſi Uvula fuerit excoriata, tum *Nitrum* & *Acetum* in Gargariſmate eſt omittendum, ejusque loco *Mellis roſacei* ℥j. adjicienda.

Vel poteſt *Aqu. Fl. Liguſtr. Brunell. Succiſ. Fumar. Ulmar. Leviſtici* &c. cum *Melle roſac. Roob dianuc. Mucilag. Semin. cydon. Aqu. Plantag. fact. Spirit. Vini Camphorat.* permiſceri, & ſic pro *Gargariſmate* uſurpari. Poſt ſingulas verò gargariſationes, & aliâs ſæpiùs aliquid de ſeqq. *Eclegmate* lambatur:

℞. *Syrup. Violar. purpur.* ℥iß.
Granat. acid. ℥j.
Mucilag. ſemin. Cydon. Aqu. Roſ. fact. ʒij.
Aqu. Brunell. ℥j.
♁*n. diaph.* ʒj.
M. d. ad Ollam.

Mane ac veſperi quoque *Mixtura* quædam *diaphoretica* exhibeatur, v. gr.

℞. *Aqu. Agrimon.*
Plantag.
Scabioſ. *ana* ℥j.
Syrup. Gran. acid. ℥ß.
Bezoard. min.
Ocul. ♋. *ppt.*
Terr. ſigill. *ana* ℈ß.
M. f. Potio, d. ad Vitr, pro doſi quotidie bis repetendâ.

Vel

Vel ℞. *Aqu. Brunell.* ℥iß.
Succis.
Ulmar. ana ʒvj.
Syrup. Rub. id. ℥ß.
Roob Sambuc. ʒj.
♁*nii diaph.* ℈j.
C. C. phil. ppt.
Ebor. ppt. ana ℈ß.
M. f. Potio d ad Vitr. pro dosi.

Vel saltem ipsi *Pulveres diaphoretici* m. ac v. cum haustu *Aquæ* alicujus *diaphoreticæ* capiantur: v. gr.

℞. *Dent. Apr. ppt.*
Corall. alb. ppt.
Ebor. s. ign. ppt.
Mag. ♁*n. diaph. ana* ℈ij.
Nitr. ♁*iat.* ℈j.
M. f. Pulv. subt. div. in 6. dos. æqu.

Extus subinde collum anterius *Oleo Chamomill. Amygd. amar. Violar. Verbasc. Hyperic. Melilot. hortensis*, aut simili illinatur, desuperque *vel Emplastrum de Meliloto* aut *Baccis Lauri*, vel *Lana nigra succida* recens abscissa applicetur.

Quòd si verò Inflammatio ad *suppurationem* vergat, tum *Lacte tepido* tantillum *saccharato* frequenter gargarisandum est, vel *Lacti* etiam priùs incoqui possunt *Malva*, *Althæa*, *Chamomilla*, *Ficus*, *Jujubæ*, *Crocus*, *Melissa*, *Parietaria*, *Rad. Lil. alb.* &c. Atque sic brevi vel sponte suppuratus rumpetur Tumor, vel inflictâ cautè lanceolâ apertus purulentam frigidiss. materiam fundet. *Ulcus* autem sic factum *Gargarismate* ex *Melle rosaceo*, *Roob dianucum*, *Mucilagin. Gumm. Tragacanth.* aut *Cydonior. Aqu. Ros. fact.* cum permistione *Tutiæ ppt. Cretæ rubræ*, seu *Rubricæ fabrilis*, ♁*n. diaph.* &c. persanabitur; addi tamen etiam in casu necessitatis potest *Essentia Lignorum*, vel *Myrrh.* & *Aloës.*

Aliquando autem talia Ulcera *venerea*, *fœda* ac *sordida* existunt, quæ proin non nisi admotione *Aqu. viridis Plateri*, vel *Hartmanni*, ac postea *Gargarismate* cum *Essentiâ Lignorum* & *Myrrhæ* extergentur & consolidantur: intus non negligendo *Decoctum Lignorum* siccans, aliaque humorum acrimoniam scorbuticam & veneream absorbentia, & edulcorantia, prout in curatione *Luis venereæ* & *Scorbuti* recensentur.

In *Diætâ* vitanda sunt omnia acida, & aromatica, prosunt verò Juscula carnea, hordeacea, avenacea, &c. Pro potu ordinario cedat loco Vini decoctum *Agrimon. Scabios. Brunell. radic. Gramin. Acetos. Hordei*, bibatur verò hoc per canalem fistulosum *Levistici.*

GARGAREONIS RELAXATIO est molesta quidem, sed indolens tamen Uvulæ intumescentia atque elongatio, cum deglutiendi difficultate, & loquelæ offensione, facta à Lymphæ viscosæ & pituitosæ cumulatione. *Gargareonis relaxatio.*

Producitur nimirum à Lymphâ justo viscosiore & tenaciore, è glandulis affectæ partis quidem secretâ, sed tamen propter viscositatem in spongiosâ ejusdem substantiâ obhærente, sicque magnitudinem elongante. Occasionem hinc præbent isti malo partim serum sanguinis viscosius *Causa.*

ſcoſius & pituitoſius, à chylo ſimilem qualitatem per diætæ errores varios adepto, redditum: partim etiam ipſum frigus aëris externi excretorios Uvulæ porulos conſtringens; inprimis ſi ſimul Verticem capitis affecerit, ac tranſpirationem ibidem inſenſibilem ſufflaminârit, unde regurgitantes halitus ſerum ſtatim ſanguineum incraſſant, ſicque modò ad hanc modò ad illam Capitis partem defluxiones pariunt, ſeroſorumque humorum ſtagnationes producunt.

Diagnoſis. Quoad *Diagnoſin*, haud difficulter ab Inflammatione dignoſcitur: dum in Relaxatione Uvula juſto longius in palato pendula ferè transluccens, albicanſque apparet, pituitâ glutinosâ, interdum in baſin Linguæ deſtillante, undique circumcincta, citra tamen ullum ardorem vel notabilem dolorem, aut ruborem. Æger interea continuè propemodum ad muci exſcreationem ſtimulatur, vel etiam ad deglutiendum ſollicitatur, dum tumida Uvula, inſtar alicujus boli in faucibus hærens, aut Linguæ baſin lambens, fibrillas muſculorum pharyngæorum jugiter, atque moleſtè titillat. Nulla dein Febris, imò pauciſſima vel nulla alia ſymptomata Ægrum ſimul afficiunt.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin* Affectus hic omni periculo vacat: ſolet tamen, ſi Uvula nimiùm irritetur, non rarò ſimul Inflammationem cum ſuis ſymptomatibus poſt ſe trahere. Si Corpus cacochymicum eſt, non ita facilè citove curatur; quin interdum in Ulcus cacoetheum mutatur.

In *Curatione* primùm ſtatim *Pilulas mercuriales*, ex *Extract. Cath. Maſſ. pilul. è Succ. Craton.* &c. cum *Mercur. dulc.* & aliquot granis *Cremoris ♀ri*, exhibebis, ſi merè pituitoſa ſit Uvulæ intumeſcentia, citra Febris præſentiam: poſtmodum verò ſequens *Gargarisma* adſtringens uſurpetur:

℞. *Rad. Ir. florent.*
Ariſtol. rot. ver.
Vincetox. ana ℥iß.
Herb. Majoran. Mj.
Calaminth.
Ocym.
Salv. ana Mß.
Flor. Sambuc. Pij.
Bacc. Laur. ℥ij.
Semin. Leviſt. ℥iß.
Naſturt. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. Fl. Sambuc. Colaturæ adde
Spirit. Vin. camph. vel
Aqu. theriac. ſimpl. ℥ß.
Spirit. Sal. arm. ℈ij.
Roob Sambuc. vel
Oxymel. ſquill. ℥j.
Miſc. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Radic. Pentaphyll.* ℥ß.
Flor. Roſar. rubr.
Balauſt. ana Mß.
Semin. Acetoſ. ℥j.
Piperis ℈ij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in
Aqu. fontan. ℔j.
Ad quart. part. conſumtionem, Colaturæ adde
Syrup. Plantag. ℥j.
M. f. Gargarisma, quo ſæpiùs calidè conſpergatur vel eluatur Uvula. Poſtea

ſtatim

ſtatim tangatur ſpatulâ plenâ Piperis albi vel *nigri pulveriſati*; vel talis Pulvis per tubulatum cochleare inſuffletur. *Verzaſcha* ſequentem hoc fine *Pulverem* concinnari juſſit:

℞. *Cortic. Granator.* ℈j.
Rad. Irid. florent. Tormentill. Biſtort.
Flor. Roſar. rubr. Balauſt. ana gr. v.
Alumin. uſt. gr. iij.
M. f. Pulvis ſubtil. d. ad ch.

Vel ℞. *Succ. Acaciæ inſpiſſat.*
Radic. Tormentill. ana ℈ij.
Piper. long. ℈j.
M. f. pulvis.

G. Hier. Velſchius *Hecatoſt.* 2. *Obſ.* 12. Prolapſum Columellæ in plurimis citiſſimè curari vidit linteolo Vertici impoſito, cui *fermentum Piſtorum* ſive *panis vulgare in vino ſolutum*, ac pro lubitu *Succini pulvere* adhuc permiſtum, ſuperinductum fuerat: & *Gargarismate* ſimpliciſſimo adhibito, ex *Aqu. fontan. Nitro fixo acuatâ.*

Quod ſi Verticis capilli paulò fortius in altum trahantur, idque aliquoties repetatur, non rarò etiam citiſſimè laxatio Uvulæ, & ad miraculum usque tollitur; inprimis ſi ſimul de ſuperioribus pulveribus, aut *Semine Roſarum pulveriſato*, tantilloque *Aluminis uſti* acuato Uvula conſpergatur. *Joh. Hartmannus Ovum* recens ad duritiem coctum per medium dividit, atque calidiſſimè ſic vertici imponit, inibique per aliquot horas relinquit, donec laxitas Gargareonis remiſerit.

Quod ſi ſubitò ab eſu Panis recens è clibano extracti Uvula intumuerit valdè, tum lanceolâ aperiatur, vel inflicto notabili colapho rumpatur, ac poſtmodum *Gargarismate* è *Melle roſaceo*, *pulvere Myrrhæ*, *Aloës*, *Rubricæ fabrilis*, & *Aqu. Plantaginis* ſanetur.

Si conjuncta ſimul eſt Inflammatio, ac Febricula, tum Venæ ſtatim raninæ incidantur, vel etiam Brachii Vena ſecetur, & ea præterea uſurpentur, quæ in Inflammatione jam commendata ſunt. Extus in Uvulæ prolapſu conducunt, quæ itidem in ejus Inflammatione conveniunt, atque ſuo loco laudavimus.

In caſu graviſſimo, & Uvulâ tumidâ mucum copioſum ſtillante, nec ullis medicamentis cedente, Columella usque ad naturalem magnitudinem abſcindatur; ſi verò inde Hæmorrhagia ſequatur nimia, tum excavatâ ſpatulâ, vel cochleari tubulato ſequens adhibeto:

℞. *Farin. Tritic. Lapid. Hæmat.*
Lini combuſt. ana quantum placet.

Adde Spiritus ♁*li q. ſ. ad conſiſtentiam Pultis craſſioris. Detur ad Pyxid.*

Poſtmodum non niſi *Melle roſaceo* curatio tota abſolvatur.

GARGAREONIS VLCVS eſt ſolutio continui in Columellâ per humorem quendam acido-acrem erodentem excitata. *Gargareonis Vlcus.*

Pars affecta, ipſeq; morb⁹ ex ſolâ inſpectione patet, dum continuò ſanioſam *Pars affecta, & Dignoſis.*

ſam

ſam quandam materiam fundit, colore, conſiſtentiâ, atque acrimoniâ pro cauſæ diverſitate variantem, quâ Æger modò exſpuit, modò in Ventriculum deglutit. In Lue venereâ ac Leprâ frequens eſt, ſæpè & Inflammationi ſuccedit in illis, qui ſcorbuticâ ſanguinis cacochymiâ, aliave acri intemperie ſunt inquinati. Deglutitio moleſta evadit, ob anguſtatum paratam. Hinc &, ſi *Prognoſin* conſideremus, mutari non raro ſolet in Cancrum vicinas ſimul partes exedentem, Gangrænam, Sphacelum, ac mortem. Subinde per continuatam eroſionem Uvula tota prorſus auffertur, raucamque vocem reddit.

Prognoſis.

Cauſa.

Producuntur autem talia Ulcera ab humore acido-acri corrodente ſalino, quem inquinata Maſſa ſanguinea vel in Scorbuto, vel in Lue Gallicâ, vel in aliâ texturæ ſanguinis dulcioris mutatione ſuppeditat: unde fibrillæ pororum Uvulæ eroſæ liquorem ibi ſecretum plus minus craſſum, pungentem, liquidum aut fœtidum emittunt.

Curatio.

In *Curatione* ante omnia *Infuſum Foliorum Senæ* & *Rhab.* cum *Radicibus Scorzoner. Cichor. Caryophyll.* nec non *Crem.* ♀r. *Semin. Fœnic.* &c. ad minuendam cauſam antecedentem eſt propinandum. Deinceps verò Intus acrimonia circulantium humorum edulcoranda & corrigenda per *ſiccantia*, *abſorbentia*, *diuretica*, & *diaphoretica*; atque hunc in finem partim *Decoctum Lignorum* & *Plantarum vulnerariarum* eſt præſcribendum; partim *Eſſentia traumatica*, vel *Tinct.* ♄ *n. Corallor.* vel *Pilulæ* quoque è *Plantarum vulnerariarum*, *Trifolii* inprimis *fibrini*, *Betonic.* atque *Conſolid. maj. Extractis* factæ; vel etiam *Pulveres* è *Diaphor. martial.* ♃*vial. Corall. ppt. Unicorn. foſſil. Ocul.* ♋. *ppt. C.C. phil. ppt. Ebor. ppt. Pulv. Conſolid. maj. Lichen. petr. Bol. arm.* &c. ſimul in uſum vocantur.

Extus conveniunt frequentia *Gargariſmata*, è *Decocto Lignorum* cum *Melle roſaceo*, *Roob diamor. Roob Dianuc. Eſſentiâ Myrrh. Aloës*, *Succ. Apii*, *Liguſtr.* &c. parata, à quibus ſi Ulcus probè deterſum reddi non queat, tum tangetur *Aquâ virid. Plateri*, dein eluatur vel *Aqu. Calcis viv.* cum *Succ. Chelidon.* & *Apii*: vel *Lacte bubul.* cum *decoct. Hordei*, *Rad. Conſolid. Fol. Lichen. petr.* adjecto *Sacch. cand.* Aliâs ſequens *Decoctum* in hocce caſu pro *Gargariſmate* multum ſervit.

℞. *Rad. Ariſtol. rot. ver.*
Caryophyllat.
Tormentill. ana ℥iij.
Herb. Marrub. alb.
Veronic.
Scord.
Gratiol. ana Mj.
Lichen. petr. Mß.
Semin. Meſpilor.
Hyperic. ana ℥iß.
Bol. armen. ℥ß.
♄ *n. diaph.* ℥ij.
Myrrh. elect.
Aloës ſoccotr.
Maſtich. elect. ana ℥iß.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Vini albi veter. In Colaturâ dein adhuc diſſolve

Mellis

Mellis rosac. ℥iß.
Roob Dianuc. ℥j.
Misc. detur ad Vitr.

In *Ulcere cancroso* & *exedente* interna plus quàm externa prosunt medicamina: commendari solet *Pulvis* è *Cancris fluviatil. Ranis aquatil.* aut *Bufonibus ustis*, nec non è *C. C. usto*, *Radicib. Aristol. rot. ver.* paratus, hinc cum *Melle rosaceo* subactus, atque impositus, vel crudè tantùm inspersus.

In *Diætâ* ab omnibus alimentis chylum acido-acrem præbentibus est abstinendum. Potus *Thermarum Fabariensium*, *Embsensium*, aliarumve, vel etiam *Acidularum* quarumvis calefactarum, debito cum regimine victûs æstivo tempore convenit. Aliâs tamen pro potu ordinario inservit *Vinum album vetus*, *tenue*, *Lignorum decocto* dilutum. *Aër* frigido-humidus multum nocet; qualiscunque verò is fuerit, vel *flammâ* accensi *Ligni Juniperi*, vel *fumo Mastichis*, *Thuris*, ac *florum Beton.* corrigi frequenter potest.

GARGAREONIS TVMOR est Uvulæ magnitudo præternaturaliter aucta, quæ si à Lymphâ acri, sanguineque stagnante provenit, *Inflammatio* nuncupatur, de quâ superius actum. Si verò à pituitâ tantùm viscidâ spongiosam Uvulæ texturam infarciente oboriatur, *Relaxationem* nominamus, quam itidem supra exposuimus.

GARGAREONIS ABSCESSVS vel *Apostema*, est tumor inflammatorius Uvulæ ad suppurationem paulatim tendens, hinc sub titulo Inflammationis paulo supra explicatus. *Abscessus* autem si tandem vel per se ruptus, vel lanceolâ apertus fuerit, *Ulcus* exhibet, de cujus naturâ & curatione superius quoque actum est.

GIBBOSITAS, GIBBVS, *Gibberositas*, *Gibber*, Græcis Κύφωσις, Κυφὸς, est morbus vitiatæ conformationis, in quo dorsi figura naturalis, propter rectilineum vertebrarum subluxatarum situm plus minus immutatum, ita vitiatur, ut in alterutro latere magis intumescat. *Gibbositas.*

Autopsia hinc facilè cognoscendam præbet hanc malam conformationem; ubi simul *differentiæ* Gibborum patefiunt. Etenim pro plurium vel pauciorum vertebrarum dorsi subluxatione, Gibbus nunc major, nunc minor evadit. Utplurimum autem evenit, ut, dum v. g. dorsum in latere dextro magnopere excrescit, anterius pectoris latus sinistrum vicissim tumidum reddatur, atque præternaturaliter elevetur, vel saltem elatius latere opposito compareat. Dum enim costæ in dextro latere dorsi retrorsum magis extenduntur vel attolluntur, sterni simul dextram partem retrorsum quasi trahunt, ut hinc minus antrorsum promineat, quàm sinistra ejus pars, hæcque propterea tumida magis credatur. Minor interim Gibbus parum Homini creat molestiæ; major autem respirationem plus minus offendit, & aliquando periculum suffocationis excitat. *Diagnosis.* *Prognosis.*

citat. Cumque hæc ipſa pectoris vitiata ſtructura Pulmonis ſufficientem dilatationem impediat, aut Cordis quoque motum nonnihil offendat, Homines hinc tales obnoxii facilè redduntur Catarrhis ſuffocativis, Aſthmati, Phthiſi, Cordis palpitationi, atque Thoracis Hydropi; quoniam ſub hâc Pectoris conſtitutione vitiatâ circulatio humorum in tali parte facilè ac levi datâ anſâ nonnihil impeditur, ſicque ad ſtagnationem diſponitur. Gibboſitas ſi minor ac junior adhuc fuerit, curationem certè ſæpius integram, aut correctionem ſaltem notabilem admittit. Si verò major extiterit, atque inveteraverit, pro inemendabili habebitur. Qui Pueri gibbam habent ſupra diaphragma Spinam dorſi, hi crura quidem ac brachia adipiſcentur perfecta, pectus autem non latum & amplum, ſed magis prominens, acutum, breve, macilentum, atque excarne obtinebunt; imò reſpiratio talibus haud facilis continget, ſtridulâ propemodum voce pollebunt, ac propter anguſtatam thoracis cameram Cordis facilè palpitatione vexabuntur, denique Catarrhis pectoralibus, ac Tuſſi reddentur obnoxii. Quin imò etiam Cervicem juxta atlantem repandam habere coguntur, non ſine faucium anguſtiâ præternaturali. Pueri autem infra Diaphragma gibboſi redditi, ſubinde magis ad Renum & Veſicæ morbos proclives erunt, ſpinam longiorem, & coxas magis excarnes habebunt, quàm qui ſupra ſeptum transverſum gibbi exiſtunt; denique & minus, fœcundi evadent, barbamq; tardius atq; imperfectius ſibi creſcentem experientur. Quanquam autem nonnulli Gibboſi, ſi carnoſi facti ſunt, iſtud conformationis vitium etiam ad ſenectutem usque ſani ſatis portare ſoleant; mihique nota ſit adhuc vivens lautioris conditionis Matrona, gibboſa, quatuordecim liberorum mater, optimè habens, regula tamen hæc non eſt generalis, cùm pauci profectò, vel ipſo jam *Hippocrate* obſervante, gibbos ſuos ultra ſexageſimum ætatis annum portârint.

In *Curatione* probè examinanda venit Gibbi natura & conditio, utrum nimirum una vel altera vertebra introrſum vel extrorſum, dextrorſum vel ſiniſtrorſum ſubluxata ſit? Qualiſcunque tamen exiſtat hæc mala conformatio, eo omnis cura eſt dirigenda, ut Vertebræ omnes naturalem ſitum adipiſcantur, atque in eo etiam contineantur. Curatio ſanè difficilis, imò in inveterato Gibbo impoſſibilis, in juniore autem apud Puerum, Puellamque ſubinde adhuc Gibboſitas emendari valet, modò Patiens fuerit obediens.

Itaque heic ante omnia intus quidem corpus aliquoties expurgandum eſſe judicamus *Infuſo Fol. Senn.* cum *Rhabarb.* vel *Radice Jalapp.* cum *Mercurio dulc.* aut *Cinnab.* ♁ *n. opt.* Deinceps *Pulvis abſorbens* incidens, atque *nervos roborans* aliquamdiu uſurpabitur, v. gr.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Ireos florent.
Pæon.

Doronic.

Doronic. ana ʒiß.
Unicorn. fossil.
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt. ana ʒij.
Diaph. martial. ʒj.
Semin. Anis.
Aquileg.
Fol. Majoran. ana ℈ij.
Sacch. alb. ad pondus omn.
Misc. f. Pulv. subtil. d. ad Scatul. Dosis ʒj. *m. ac vesp.*

Extus autem, ut Vertebræ in naturalem situm reponi, inibique contineri queant, primò inungi per plures dies debebit Spina dorsi v. gr. *Oleo è flor. Slotani, Lumbric. terr. Chamomill. Rosar. Verbasc. Meliloti, Violar. Amygdalar. dulc. vel amar. Unguento de Alth. Axungiâ Taxi, Sciuri, Vulpis, Cati, Muris alpin.* ac similibus. Deinceps verò commodis instrumentis, v. gr. mantilibus, quorum unum sub axillis, alterum supra coxas alligari debet, Spina dorsi extenditur validè, eâque extensâ simul manus Chirurgi præstantis plus minùs facilè, si quidem erit possibile, vertebras subluxatas in situm suum naturalem premendo reponet & aptabit. Cùm verò hoc opus non simul & uno actu perfici queat, repetendum erit quotidie, donec scopum definitum attigerimus. Interea pectus totum, præprimis autem locus affectus, *Axungiâ Cati* cum *Oleo Laurino, anethino,* & *Ungu. de Alth.* bis quotidie inungendus est; atque hinc Pectus arctè noctu diuque ligatum tenendum, Thorace nimirum obvoluto, qui vel è laminis ferreis, vel è chartâ forti, vel ex ossibus Ceti, vel ex corio picato, vel è ligneis lamellis, panno obductis concinnari poterit, ita quidem ut in loco gibbi vel lamina, vel quid simile affixum hæreat, cujus ope gibbus magis premi, atque in suum locum protrudi, inibique contineri queat.

In nonnullis suspensio trunci corporis artificialis quotidie non sine successu instituitur, vinculis subter axillas injectis, vel adhibito alio commodo instrumento pensili. Jubentur quoque Pueri sese de manibus suspendere crebrò. Juxta hæc tamen, interdum planè inutilia tentamina conducunt ferè magis Emplastra nervina, acidum destruentia, atque coagulum omne dissolventia; quemadmodum sunt *Empl. de Baccis Lauri, Diachalcitheos, diapalma, diaphoretic. Myns.* vel sequens:

℞. *Gumm. Tacamah.* ℥ß.
Radic. Scrophular.
Caryophyllat.
Mastich. el. ana ʒiß.
Thuris masc.
Succin. flav.
Myrrh.
Ol. Nucist. expr. ana ʒj.
Picis naval. ℥iß.
Ceræ q. s.
M. sc. f. Emplastrum Oleo destillato Lavendulæ irrorandum.

Vel ℞. *Gumm. Elem.*
Bdell.
Oliban. ana ʒj.
Roob Sambuc. ℥ß.
Radic. Symphyt. ʒij.
Bol. Armen. ppt. ℥ß.

Uuu 2 *Cinnab.*

Cinnab. commun.
Lumbr. terr. ppt. ana ℥ij.
Picis naval. ℥j.
Ceræ ac Tereb. ana q. s.
M. f. leg. artis Emplastrum, Oleo Spicæ vel Majoran. destill. irrorandum.

Usum Thermarum quarundam sulphureo-aluminosarum non improbamus, modò reliqua medicamina externa simul in usum vocentur, atq; inprimis Emplastrum cum Thorace gestetur.

GINGIVARVM CARO LVXVRIANS, vide *Epulis*.

GINGIVARVM EXCRESCENTIA, vid. *Epulis*.

Gingivarum Fistula. GINGIVARVM FISTVLA est Ulcus sinuosum, in Gingivis à lymphâ acido-corrosivâ enatum, & ad os maxillæ, vel dentis cariosi radicem terminans, continueque saniem plus minus liquidam fundens. Cùm itaque hic Affectus genesin atque curationem eandem admittat cum *Fistulâ in Genere*, Lectorem quoque eo remittimus.

GINGIVARVM INFLAMMATIO, vid. *Parulis*.

Gingivarum corruptio. GINGIVARVM CORRVPTIO est tunicæ carnosæ, extremitates Maxillarum circa dentes investientis, paulatina *erosio*, *exulceratio* atque *consumtio*, à lymphâ salso-acri, occultè corrosivâ, huc è sanguine delatâ, originem trahens.

Causa. Solet hoc malum iis maximè contingere, qui scorbuticâ, leprosâ aut venereâ cacochymiâ, salino-acri corrosivâ laborant; hancque sibi è malâ diætâ, aliquandiu continuatâ, vel è contagio adquisiverunt. Cibi salsi, acres, aromatici pluriumm, sacchararati, melliti quotidie comesti, potus Cerevisiæ, vel Vini acescentis diutinus, usus remediorum mercurialium frequens, salivatioque ab iis excitata, Gingivarum substantiam valdè corrumpere, putrefacere, erodere, atque consumere solet.

Non simplex proin incommodum est ista corruptio, quin dicta simul mala secum fert, *erosionem* videlicet, *exulcerationem*, *consumtionem* vel etiam *cruentationem*, ubi laxior Gingivarum substantia vel levi attactu fissa sanguinem fundit. Facilè hinc talia vitia cognoscuntur, cùm in conspectum prodeant, & commodè ab invicem discerni possint. Si laxa est, ab admissione copiosi humoris facta, substantia Gingivarum, ferè albicans, mollis, & facilè cruentans, subinde & pruriente dolore molesta evadet. Si planè eroditur, atque consumitur substantia Gingivarum, tum tandem Dentes in suis alveolis continere amplius nequit, unde Mobilitas ac Vacillatio Dentium, de quâ suo loco actum est, oboritur, ac Dentes cum maxillæ extremitate propemodum denudantur.

Non contemnendum proin hæc Gingivarum corruptio malum est; certè enim Fœtorem oris, Dentium nigredinem, vacillationem, cariem, atque elapsionem maturam post se trahit,

trahit, non sine deformitate, ac distinctæ loquelæ mutatione.

In *Curatione* proin intus quidem mox dabuntur remedia, totam sanguinis massam depurantia, edulcorantia, absorbentia, diaphoretica & diuretica. Adultus nimirum Homo, sicubi saburram in Ventriculo vel Intestinis obhærentem circumgerere notabitur, *emeticum* sequens deglutire debet:

℞. *Pulver. rad. Ipecacuanhæ vel Asari* ʒß.
Crem. ♀*ri gr.* ij.
Misc. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matutin.

Poterit hoc remedium adhuc semel aut bis, sed fractâ dosi, usurpari. Vel *Catharticum* ejus loco exhibebitur, per epicrasin blandè educens, & sanguinem depurans, verbi gratiâ;

℞. *Radic. Polypod.*
Apii.
Cichor.
Sarsæparill. ana ℥iij.
Fol. Betonic.
Sanic.
Anserin.
Card. bened. ana Mj.
Senæ opt. mund. ℥iß.
Bacc. Juniper.
Semin. Fœnic. ana ʒij.
Agaric. trochisc.
Rhab. elect.
Rad. Helleb. nigr. ana ʒiß.
Cortic. Winter. ʒj.
Salis Ononid. ℈ij.
Juniper. ℈j.
Incis. contus. & in nodulo ligatis affunde
Vini alb. veteris ℔iiiß.
Aqu. font. ℔iß.
Stent per noctem in loco tepido, postea singulis mane hauriantur unciæ tres vel quatuor cum regimine Diætæ.

Vel *Massa pilularum Emanuelis, Marocostinarum*, aut è *Succino Craton.* per tres pluresve dies mane ad gr. 25. vel 30. capiatur. Vel *Panacea solutiva alcalina à* ʒiß. *ad* ʒß. quotidie per 12. dies usurpetur, ceu indolens aliquod & optimũ laxans, sanguinemq; simul edulcorans. Juxta hæc tamen sub vesperam semper *Tinctura Corallorum*, vel ♁*nii*, cum *Essentiâ Lignorum, Trifolii fibrin.* aliave *antiscorbuticâ*; *Spiritus* quoque *Cochleariæ*, in Vehiculo *Infusi fol. Thée* ad 20. *pluresve guttulas* dabitur. Sequens tamen *Opiata* cum fructu ejusmodi spirituosis substituetur:

℞. *Conserv. Fumar.*
Borrag. ana ʒvj.
Nuc. Ind. cond. ʒj.
Conditur. rad. Symph. ʒij.
Terr. sigillat.
♁ *n. diaph.*
Specif. stom. Poter. ana ℈ij.
Syrup. Capill. ♀ *r. q. s.*
M. f. Elect. d. ad Ollam; ter quotidie magnitudo Castaneæ sumatur.

Extus Gingivæ primùm *Aquâ Calcis viv.* cum *Spiritu Cochlear.* & *Essentiâ Aloës* ac *Myrrhæ*, quotidie bis vel ter abluantur, & tantillum quoque exprimantur; deinceps verò sequens *Mixtura* Gingivis subinde affricetur, iterumque expuatur:

℞. *Mellis rosac.* ℥iß.
rutac. ʒß.

Tinct. Lacc. florent. ʒij.
Essent. Myrrh.
Aloës.
Catechu.
Absynth. ana ʒj.
Rubricæ fabril. ʒij.
M. d. ad Pyxid.

Vel si *Cruentatio* crebra occurrat, sequens conducet:

℞. *Mellis rosac.* ℥ij.
anthos. ʒvj.
Essent. Galang.
Myrrhæ ana ʒj.
Spirit. Vitrioli ℈ß. *ad* ℈j.
Misc. d. ad Pyxid.

Quod si hoc remedio sufficienter detersæ creduntur Gingivæ, ad novam harum carnem generandam sequens conducet:

℞. *Mell. rosac.* ℥ij.
Rubric. fabril. pulv. ʒij.
Myrrh. pulv.
Mastich. pulveris.
Succ. Catechu ana ℈ij.
Tinct Lacc. flor. ʒij.
M. d. ad Ollam, atq; Gingivæ ter vel pluries quotidie illinantur.

Cucurbitulæ cum scarificatione singulis sex hebdomadis dorso applicentur. *Venæsectio* in Plethoricis instituatur. Purgans remedium singulis hebdomadis semel repetatur. Æstivo tempore *Thermarum* harum illarumve, vel *mineralium Acidularum Aquæ* potentur. Aut *Serum Lactis caprilli*, vel integrum hoc *Lac* potabitur, cum incoctione *Herbar. Scabios. Fumar. Borrag. Veronic. Beton.* Omni tempore etiam *Infusum fol. Thée, Trifolii fibrin. Nasturt. aquat. Plantag. aquatic. Betonic. Chamædr.* frequenter potetur. *Fonticulus in Brachio*, si malum contumacius fuerit, excitetur.

GLAVCOMA, *Glaucosis, Glaucedo*, est coloris naturalis Humoris oculorum crystallini in glaucum mutatio, cum Visûs imminutione ac depravatione.

Provenit hoc vitium à particulis quibusdam sive acido - austeris, sive sulphureo - ramosis ac viscidis, corpuscula Humoris crystallini è suo situ naturali nonnihil deturbantibus, vel magis condensantibus, siccantibus, & lapideam ferè duritiem conciliantibus. Ansam hinc aliquam præbent nocturnæ lucubrationes frequentes; temperamentum melancholicum, aut cacochymicum; victus crassus, chylum spissum, lentum reddens; contusio vel ictus acceptus.

Cognoscitur facilè, si circa pupillam insignis in profundo deprehendatur albedo, si perspicuus Humoris affecti color crystallinus obscurus, atque in glaucum mutatus observatur; si omnia tanquam per nebulam aut fumum conspiciantur; si denique indurato prorsus Humore crystallino Visus omnimodè pereat. Quale exemplum nobis Ann. 1694. Norimbergæ in Viro quodam Nobili videre contigit, qui anno ætatis quinquagesimo Glaucoma in utroque Oculo fuit adeptus, cum duritie insigni Bulborum. Aliâs Affectus hic Senibus est magis quàm Junioribus familiaris; & illis quidem maximè, quorum fibrillæ oculorum valde sunt teneræ, molles,

molles, quique alienos humores pituitosos in sese haud difficulter admittunt, ac retinent.

Prognosis heic instituitur minùs favorabilis: rarus est Affectus, atque ob partis vitiatæ situm, & teneritudinem, difficillimamque virtutis remediorum penetrationem, curatu vix possibilis; quin cœcitas plerunque totalis subsequitur, eaque immedicabilis.

Curatio internis magis quàm externis remediis perficitur; aperientibus nimirum, resolventibus, ac discutientibus. Ante omnia sequentes *Pilulæ* semel vel aliquoties exhibendæ sunt purgantes:

℞. *Mass. Pilul. hydrop. Bont.* vel *marocost.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Resin. Scammon. gr. iij.
Ol. stillat. Fœnic. q. s.

M. f. Pilulæ num. 12. *Inraur. d. pro dosi.*

Purgato sic corpore nullum melius remedium est, quam Tragema quoddam ophthalmicum, quale v. g. sequens est:

℞. *Radic. Pœon. Valerian. Chelidon. maj.*
Herb. Euphras. ana ʒij.
Semin. Fœnic. ℥ß.
Cubebar. ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Ocul. ♋. ppt.
Ebor. s. ign ppt. ana ʒij.
Sacch. alb. ℥iiß.

M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis ʒj. *m. ac vesp.*

In *Potu ordinario Vinum album* vetus probè defœcatum conceditur, *Aquâ* nonnihil dilutum. In *Vino* autem continuè immersa teneatur *Euphrasiæ* herba siccata cum *radicib. Chelidon. major.*

Extus singulis noctibus linteola *Spiritui Vini* aut *Ceras. nigr. camphorato*, & calefacto immersa & expressa oculis applicata tenebuntur. In *Spiritu Vini* autem infuse sint *Radices Valerian. Chelidon. maj. Pœon. Meu, Herbæ Euphras. Majoran. Hierac. Rorismar. Bacc. Juniper. Laur. Semina Fœnic. Aquileg.*

GONORRHOEA BENIGNA s. VERA aut SIMPLEX ex γονὴ, *semen genitale*, & ῥέω, *fluo*, compositâ voce, est frequens & involuntarium seminalis materiæ per Urethram & Virgam apud Viros aut Juvenes profluvium, à læsione Vesicularum seminalium aut Prostatarum glandularum oriundum. *Gonorrhœa benigna.*

Contingit hic Affectus vel cum *frequentiore & largiore*, vel cum *remissiore* materiæ profluvio. Dein etiam est vel *gravior* & citra veneris imaginationem aut voluptatem Homini eveniens, vel *levior*, & cum tentigine, ac venereis cogitationibus accidens, qualis aliâs *Pollutio nocturna* vocari solet. Quæ autem apud Fœminas similiter contingit mucoso-pituitosæ, materiæ per pudenda excretio, eadem etsi olim *Gonorrhæa* quoque nuncuparetur, melius tamen nomine *Fluoris* vel *Fluxus albi* de quo suo loco, effertur. *Differentiæ.*

Dicitur

Dicitur hæc Gonorrhœa *benigna* & *vera* vel *ſimplex*, quia verum, nullâ malignâ atque corroſivâ qualitate inquinatum ſemen ſimpliciter effunditur ac profluit, ad diſtinctionem *Virulentæ* Gonorrhœæ, de quâ poſtea agetur.

Pars affecta. *Pars affecta* ſunt Veſiculæ partim ſeminales, partim & Glandularum proſtatarum oſtiola in Urethræ ductum hiantia, quibus exulceratis aut excoriatis, vel laxioribus redditis humor continuè effluit.

Cauſa Pollutionis nocturnæ. Cauſa *proxima nocturnæ Pollutionis* eſt ſeminis naturalis intra Veſicularum ſeminalium capacitatem abundantis turgeſcentia, venereas primùm cogitationes per Spirituum animalium placidiorem in Genitalibus motum excitatum, producens, mox virgæ tentiginem, tandem ſeminis plus minus voluntariam, in ſomno contingentem, voluptuoſam ejaculationem efficiens. Evenit hoc magis Juvenibus ſupinè decumbentibus, quàm aliis. *Antecedenter* autem ad hunc Affectum contribuunt Juventus; Temperies ſanguineo-cholerica; victus plenus; vita ſedentaria, curarum expers, multum otioſa, unde multa in ſanguine gignitur ſeminalis materia; fibrarum in Veſiculis ſeminalibus ſenſibilitas tenera, titillationem facilè perſentiens; meditatio rerum venerearum & converſatio cum ſubjectis amabilibus frequens.

Cauſa Gonorrhœæ benignæ. Cauſa *proxima* autem *Gonorrhœæ benignæ* eſt vel nimia laxitas, vel etiam eroſio fibrillarum, oſtiola tum Veſicularum ſeminalium, tum Glandularum proſtatarum cingentium, unde neceſſe eſt ſecretam in Teſtibus materiam ſeminalem invitè effluere. *Antecedenter* autem concurrit huc ſimul partim Seminis nimia aquoſitas, partim quoque acrimonia illius blandè corroſiva; quæ quidem vitia Semen contrahit ex ipsâ maſsâ humorum circulante, atque originaliter è chylo crudiore, & aquoſiore, qualem victus copioſus, principio ſulphureo-ſalino-balſamico, & quaſi lacteo maximè deſtitutus, ſuppeditat. Hinc Cachectici omnes, Obeſi multi, atque pituitoſo temperamento præditi huic præ aliis Affectui ſunt obnoxii.

Quod ſi igitur per Virgam maſculam flaccidam liquor talis plus minus aquoſus albicans, ſpumoſus aut mucoſus, ſine illius voluptuoſâ erectione, frequenter aut etiam continuè & invito Homine, tam dormiente quàm vigilante, effluit: ſi materia illa ſeminalis minus eſt acris, internamque Urethræ ſuperficiem neque erodit, aut excoriat, neque admodum pungit, irritat atque titillat: ſi quoque citra venereas cogitationes promanat, tum profluvium hoc vocatur *Gonorrhœa vera*, *ſimplex* aut *benigna*. Si autem tempore ſomni cum venereis cogitationibus, ſub virgæ libidinosâ erectione ſemen ejaculetur plus minus frequenter, indeque membrum rurſus flacceſcat, *Pollutio* magis *nocturna* appellari conſuevit.

Nocturna hæc *Pollutio* nil in ſe periculi habet, quin Spirituum atq; ſeminalis materiæ copiam, uberemque proven-

proventum hactenus designat. Si autem nimis frequenter Juvenibus obtingat, tum etiam lassitudinem, spirituum animalium vitaliumque penuriam, aliaque hinc subsequentia symptomata inducere valet. Si Gonorrhœa mitis est, & neque continua, neque frequens, in recessu quoque nihil habet. Succedit talis aliquando ipsi *Gonorrhœæ virulentæ* persanatæ, ubi interdum per plures adhuc hebdomadas seminalis substantia citra ullum dolorem sponte profluit. Quod si verò continua sit, larga, atque diutius duret, tum absumptis spiritibus animalibus Homines sensim ad Tabem præcipitat dorsalem, vel Cachexiam, Febrim hecticam, aut Hydropem post se trahit. Nonnunquam, si Affectus negligatur, & ipse interea Homo cum Fœminâ Fluore albo, aut Menstruis laborante concumbat, semen postea effluere pergens, acquisitâ qualicunque acrimoniâ, in graviorem, tantumque non prorsus malignam Gonorrhœam degenerare potest.

In *Curatione* Pollutioni nocturnæ remedia vix adhibentur, nisi frequenter affligens Juvenem valdè incommodet, ac fatigare vel emaciare incipiat, tum enim demum *medicamina semen imminuentia* in usum vocanda sunt, v. g. præter *Diætam* nonnihil frigidam, victumque parcum, alimenta acidiuscula, aquosa, refrigerantia, minimè flatulenta, aut succum lacteo-aromaticum spumosumque præbentia; exercitia corporis fatigantia; lucubrationes Spirituum quantitatem exhaurientes, Vigiliæ; *Julepi* aut *Emulsiones seminum frigidorum* crebrò haustæ; *Nitrum* sæpius cum tantillo *Camphoræ* & *Sacchari Saturni* exhibitum; *Tinctura antiphthisica Garmanni*, *Aqua Castitatis*; & quæ hujus farinæ suo loco de Satyriasi aut Tentigine sunt commendata. Sed in horum tamen usurpatione cautius procedas, ne Semen imminuere studendo, virilitatem simul omnem extinguas.

In *Gonorrhœâ* autem *verâ* primò sequentes dabis *Pilulas purgantes:* *Cura Gonorrhææ veræ.*

℞. *Mass. Pilul. è Succ. Craton.* *gr.* xviij.
Mercur. dulc. opt. gr. x.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Crem. ♀*ri gr.* j.
Ol. stillat. Rut. q. s.

F. l. a. Pilulæ num xij. *Inaur. dentur summo mane pro dosi, cum regimine Diætæ.* Dein *Vena secetur*, si Homo sufficiente sanguinis quantitate instructus sit, appetitumque ciborum constantem habuerit. Postea sequentes *Pilulæ* longo usu sumantur; v. g.

℞. *Terebinth. venet.* ℥ij.
Ossis Sepiæ ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ℥j.
Diaph. martial. ℈ij.
Sacch. Saturn. ℈j.
Camph. ℈ß.
Ol. stillat. Succ. q. s.

F. l. a. Pilulæ pisi minoris magnitudino, de quibus mane ac vesp. 8 *vel* 10. *sumantur*, cum haustu sequentis aut similis *Emuls.*

℞. *Nucl. Persic.*
Amygd. dulc. rec. excort. aa. ℥iß.

Semin. Melon. ℥ij.
Cucum.
Cucurb.
Lactuc. ana ℥j.
Aqu. Nymph. ℥iiß.
Portulac.
Cichor. ana ℥ij.
F. l. a. Emulsio, cui adde
Sacch. rosf. tabul. ℥ß.
D. ad Vitr. Sumatur duabus vel tribus dosibus.

Vel *Pulvis* ex *Semine Rut. Agn. cast. Lactuc. Nymph. Unicorn. foss. Oss. Sepiæ ppt. Nitr.* ♁ *iat.* ♁ *n. diaph. Croc. Martis aperit.* ⊖*lo Mart. Terr. sigill.* vel *Lemn. Camphor. Sacch.* vel *Magister. Saturn. Succin. ppt.* &c. parabitur, & frequenter exhibebitur. Prodest in hunc quoque finem *Tinctura antiphthisica* superius jam laudata; item *Essentia Castit. Mynf. Tinctur. Corall. cum Nitr. parat. Decoct. Granor. Coffée tostor.* Sed nec sequentes Morsuli sunt contemnendi:

℞. *Semin. Hyperic.*
Portulac. ana ʒiij.
Diaph. martial.
Succin. alb. ppt.
Oss. Sepiæ ppt.
Terr. sigillat. ana ʒij.
Flor. Lamii alb.
Tunic. ana ʒj.
Succ. Catech. ʒiß.
Camphor. ℈j.
Sacch. Aqu. Rosf. solut. ℥iiij.
M. f. l. a. Morselli, de quibus duo pluresve quotidie sumantur.

Extus totum dorsum *Oleo rosaceo*, vel *Unguento refrigerante Galeni*, aut *albo camphorato*, cum *Sacch. Saturn.* mixto quotidie bis inungatur.

In *Diætâ* sufficiens quidem illudque bonum nutrimentum assumatur, sed quod seminis quantitatem non adaugeat. Potus sit Cerevisia probè defœcata, tenuis, non ita fortis; vel Vinum rubellum tenue. Decocto Lignorum subinde dilutum. A Veneris usu aliquamdiu abstineatur.

GONORRHOEA VIRULENTA, s. *maligna*, est involuntarius & malignus seminis vel lymphæ purulentæ, sordidæ atque acris effluxus cum dolore & ardore urinæ, ab Inflammatione ac erosione Glandularum per concubitum venereum contractâ oriundus.

Morbus hic æquè Fœminas atque Viros affligit; in Fœminis enim glandulæ vaginæ, cervicisque Uteri læduntur: in Viris autem Prostatæ, interiorq; Penis tunica spongiosa afficitur. Gonorrhœa alia *mitior*, alia *gravior*, prout causa plus minus acris est, & corrosiva: nunc *recens*, nunc *inveterata*; modò *cum*, modò *sine Lue venereâ*.

Causa *proxima* malignæ Gonorrhœæ est inflammatio atque erosiò vel exulceratio Glandularum prostatarum, harumque extremitatum in Virgæ canalem hiantium, imò & internæ spongiosæ Glandis Penis substantiæ apud Viros: apud Fœminas autem tunica Vaginæ Cervicisque Uteri glandulosa, sæpius & ipse sphincter Vesicæ eroditur; unde necessum est, semper mucoso-lymphaticam,

ticam, vel etiam ſeminalem materiam profluere. Ad hanc verò genitalium exulcerationem, velut antecedentes cauſæ, contribuunt humores maligno corroſivo venereo charactere inquinati, qui nonniſi per concubitum cum Perſonâ vel ſimili malo prehensâ, vel prorſus Lue Gallicâ affectâ ad Partes afflictas accedunt: cùm enim genitales partes ſub coitu incaleſcunt, & dilatantur, facilè ſeminalis materiæ venereum virus intra poros ſuos admittunt, iſtaque ſimiliter labe poſt aliquot inde dies infeſtantur, ita tamen, ut pro variâ texturæ ſuæ diſpoſitione diverſos quoque in ſeſe effectus experiantur; nunc enim in ipſis Ulcuſcula excitantur & apparent; nunc Porri ſeu Verrucæ venereæ; nunc Bubones virulenti ibidem naſcuntur; nunc demum ipſa planè Gonorrhœa maligna ſubſequitur. Quando enim in Pudendorum ſuperficie tantùm obhæret admiſſa in coitu impuro ſanies mucoſo-acris, tum non niſi Verrucæ aut Condylomata venerea enaſcuntur: ſi verò maligna atque volatilis corroſiva ejusdem ſaniei aura intimius penetrans oſtia Glandularum proſtatarum inſenſibiliter arrodit & exulcerat, tum Gonorrhœa maligna oboritur: ſi eadem profundius adhuc penetrando vicinorum vaſorum humores inficit, tum Bubones venerei ſuccreſcunt; denique ubi cum totâ maſſa humorali lymphæ ſeminalis acrimonia communicata fuerit, tum Luem perfectè Gallicam efficiet. Itaque Glandularum proſtatarum Inflammatio & Exulceratio fieri nequit, niſi particulæ maligni corroſivique ſeminis in coitu impuro per genitales partes eo penetraverint, atque non ſolùm acrimoniâ ſuâ eroſionem inſtituerint, ſed & ſuis halitibus ulterius penetrando in ipsâ Glandularum ſubſtantiâ fermentationem corruptivam; vaſculorumque ſanguineorum obſtructionem, atque tumorem, produxerint.

Affectus haud difficulter cognoſcitur vel ab ipſo Ægroto, qui conſcius ſibi impuri cujusdam coitûs, poſt unum abhinc vel alterum etiam diem Urinas non ſine ardente dolore mingere incipit, ac ita pergit, donec inde facta Urethræ excoriatio vel exulceratio perfectè rurſus ſanata fuerit. Itaque hoc malo laborantes ſæpiùs à ſanie per genitalia decurrente acri ad mingendum ſtimulantur, atque Urina excoriatas partes præterfluens non niſi magno cum ardore excernitur. Interim continuè atque involuntariè è glandulis exulceratis effluit ſordida, mucoſa, purulenta, modò cineritii, modò flavi aut etiam virideſcentis coloris, materia, prout ipſæ virulentæ particulæ nunc acutiores, nunc obtuſiores habent aculeos. Glans etiam Virgæ apud Viros non rarò inflammatur, aut intus à repoſitâ in ſuo circulo materiâ purulentâ excoriatur; apex autem illius albâ primùm illuvie madet, quæ poſtea indies augetur, acrior redditur, & colorem album in flavum, viridemque mutat, atque ſæpius importunam, dolorificamque Tentiginem, noctu potiſſimum inducit; tantâ ſæpè cum *Diagnoſis.*

duritie, atque cruciatu, ut Penis ob ingentem ligamentorum aut musculorum inflammatorum tensionem incurvetur, sicque talis *Gonorrhœa* excitetur, quam *chordatam* nonnulli appellant, quæ si diu duret, omnium pessima est, & post se indelebilia Ulcera non rarò relinquit.

Prognosin. Quantum ad *Prognosin* spectat, licèt Morbus hic per se non sit periculosus, per negligentiam tamen, aut imperitam tractationem talis reddi, inque Ulcera cacoëthea, exedentia, Fistulam, imò Luem ipsam veneream promtè mutari potest.

Curatio. *Curatio* instituenda per evacuantia, lenientia, adstringentia & consolidantia; ante omnia igitur sequens aliquod *purgans* exhiberi, postque elapsos 6. dies repeti debet; v. g.

℞. *Pulp. Cass. recent. extr.* ℥ß.
Confect. Hamech. ʒiij.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
Crem. ♀*ri* ʒß.
M. f. cum Sacchari Boli aliquot mane unâ vice devorandi.

Vel ℞. *Fol. Senæ opt. mund.* ʒiij.
Tamarind. ʒvj.
Crem. ♀*ri* ʒß.
Semin. Fœnic. ℈ij.
M. Coque in s. q. Aqu. fontan. In Colaturæ ℥iiij. *dissolve*
Pulp. Cass. rec. extr. ℥j.
Syrup. Ros. sol. s. ℥ß.
M. ad Vitr. pro dosi.

Vel ℞. *Mass. Pilul. s. quib. aut*
Extract. panchymag. Croll.
Mercur. dulc. opt. ana ℈j.
Magist. Jalapp.
Crem. ♀*ri ana gr.* ij.
Ol. stillat. Succin. q. s.
M. f. Pilul. num. xv. *Inauratæ deglutiantur unâ dosi.*

Post purgans statim *Venæsectio* in Brachio vel Pede instituatur, extrahendo sanguinem ad ℥viij. eaque post aliquot dies repetatur. Interea sequens *Emulsio* frequenti haustu bibatur ad demulcendam acrimoniam Seminis, ac Urinæ, Ulcusque prostatarum detergendum:

℞. *Radic. Nymphææ.*
Fragariæ ana ℥j.
Cichor. ℥ß.
Folior. Portulac. Artemis.
Agrimon. Saponar.
Dent. Leon. ana Mß.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. ad remanent. ℔iß. *Dein*

℞. *Semin. Cucum. Melon. ana* ʒij.
Cannabin.
Amygd. dulc. rec. exc. ana ʒij.
Sem. Papav. alb. ʒiß.
Decoct. superior. ℔iß.
F. l. a. Emulsio d. ad Vitr. de quâ subinde tres unciæ pro dosi hauriantur.

Laudatur & *Succus Citri recens* cum æquali pondere *Olei Amygdal. dulc.* mixtus, & ad ℥ij. pro dosi m. ac v. per aliquot dies sumtus.

Vel prodest sequens eundem in finem ordinatus *Julepus*:

℞. *Radic. Plantag.*
Nymph.
Caryophyllat.
Fragar. ana ʒvj.
Fol. Endiv.
Lactuc.
Dent. Leon.
Capillor. ♀. *ana* Mj.

Semin.

Semin. Cucum. ℥iij.
Agn. Cast.
Papav. alb. ana ℥iß.
Incis. & contus. coqu. in s. q. Aqu. fontan. Colaturæ ℔iß. *adde*
Syrup. Violar. purp.
de Alth. Fern. ana ℥j.
Lapid. prunell. ℥j.
Misc. ad Vitr. Sumantur m. ac vesp. tres unciæ pro dosi.

Sed insimul m. ac vesp. seqq. in usum vocentur *Pilulæ*:

℞. *Terebinth. venet.* ℥iij.
Succin. alb. ppt.
Corall. rubr. ppt.
Extract. Consol. ana ℥j.
Diaph. martial. ℈ij.
Ol. still. Succin. q. s.
M. f. Pilulæ pisi minor. magnitud. consperʃ. pulv. Liquirit. d. ad Scatul. Dosis 8. 10. vel 12. cum vehiculo conveniente.

Sunt qui in recenti adhuc malo *Terebinthinam venet. crudam* nucistæ magnitud. *Saccharo* involvunt, ac m. & v. deglutiunt, sicque citò sæpiùs curantur. Ditiores de *Opobalsamo* vel *Balsamo de Copaibâ* ℈j. *vel* ℥ß. assumunt, unde sordities Ulceris felicissimè extergitur & sanatur.

Vel ℞. *Spirit. Terebinth.*
Tinct. Succin. ana ℥iß.
M. ad Vitr. 10. *ad* 20. *gutt. sumantur pro dosi cum Emulsione.*

Vel ℞. *Bals. ♀ris terebinth.* ℥ij.
Essent. Succin. ℥j.
M. ad Vitr. Dos. m. ac v. 20. *gutt.*

Vel ℞. *Essent. Succin.*
Ol. Terebinth.
Balsam. de Copaib. ana ℥j.
M. ad Vitr. Dos. 15. *gutt. m. ac v.*

Pro potu ordinario loco *Vini* vel *Cerevisiæ* bibatur *Decoctum Lignorum*, & ab omnium salitorum nimis aut acrium ciborum usu abstineatur. Post sex quosque dies *Purgans mercuriale* reiterari potest, vel superius dictâ, vel sequenti formâ:

℞. *Terebinth. Chiæ Vitello ovi solut.* ℥ß.
Syrup. Violar. ℥vj.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Aqu. Cinam. bugl. ℥ij.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro dosi.

Vel ℞. *Tereb. vitell. ovor. solut.*
Elect. Hier. pic. Gal. ana ℥ß.
Syrup. Rof. sol. s. ℥j.
Salis polychr. ℥j.
Aqu. Meliss. vel
Cham. q. s.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro dosi.

Vel excavetur *Ovum*, & cochleare plenum *Syrupi Violarum* infundatur, dein *Terebinth.* ℥ß. & demum *Syrupo Violarum repleatur*, sicq; hauriatur, quod fit sine ingrato *Terebinthinæ* sapore. *Mercurius* autem *dulcis* per se postea cum *Syrupo Ros. sol. simpl.* superingeri potest. Vel sequenres *Pilulæ usuales* concinnabuntur, ac in usum trahentur.

℞. *Mercur. crud. ritè purgati, & cum pauc. Terebinth. probè subacti* ℥iß.
Conserv. Rosar. Damascen.
Mell. rosac. ana ℥j.
Pulv. fol. Senæ.
Rhabarb. opt.
Radic. Jalapp. ana ℈ij.

Scammon. ♀rat. ʒß.
Cinam. opt. ℈j.
M. f. cum Elix. propr. ſ. acid. Pilulæ ex ʒj. 10. *vel* 15. *unâ vice deglutiendæ.*

Quod ſi vel *Emulſio*, vel *Julepus* ſuperior non videantur ad palatum eſſe, oportebit nihilominus ſequens *Coloſtrum* haurire;

℞. *Terebinth. clar. non lot.* ℥j.
Solvatur Vitell. ovor. q. ſ. & adde
Syrup. de Alth. Fernel.
Elect. catholic. ana ℥ij.
Aqu. Artemiſ. q. ſ.
M. f. Liquamen tenuius, de quo m. ac v. duo vel tria cochlearia ſumantur.

Sequentes *Pilulæ* quoque egregiè abſtergunt:

℞. *Terebinth. Chiæ.*
Reſin. lign. Guajac. ana ℥ß.
Eſſent. Artemiſ. ʒij.
Croc. ⊖li Mart.
Salis Corall. ana ʒj.
Caphuræ, Ol. Succ. alb. ana ℈j.
M. f. Pilulæ num. CCXL. de quibus m. ac veſper. 5. 6. *vel* 10. *capiantur.*

Si partes ſufficienter deterſæ ſunt, ipſaque Stranguria ceſſavit, de ſeqq. Pulvere m. ac v. ʒß. detur:

℞. *Thur. maſcul.*
Succin. alb. ppt. ana ʒiß.
Sanguin. Drac. ver.
C. C. phil. ppt.
Diaph. martial.
Salis Corallor.
Unicorn. foſſil.
Gumm. Tragacanth. ana ʒj.
Camphor. gr. viij.
Sacchar. ℥ß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad Scatul. cum Conſerv. Roſ. rubr. aut Syrup. Viol. ſumendus.

Inveteratis Gonorrhœis opponi poteſt *Aqua deſtillata Ulmariæ*, ſuper novam herbam ſecundâ vice cohobata, vel *Aqu. deſtillata contra Gonorrhœam Quercetani* m. ac veſp. ad ℥ij. pota.

Si *Priapiſmus* vel *Tentigo* Ægrum valdè moleſtat, tum vel *Lactis tepentis*, vel *Decocti Malv. Alth. Violariæ, Parietar. Salviæ, Rutæ, Semin. Lin. Pſyll.* aliorumque emollientium fotu deprimenda.

His verò præſtitis, ne malum altius ſerpat, & Luem veneream accerſat, reliquiæ ejus ſequenti *præſervatorio Decocto*, quod ſimul conſolidationem deterſorum Ulcerum præſtat, exhauriendæ ſunt:

℞. ♁*nii crudi craſſiuſculè triti & in nodulo ligati* ℥vj.
Radic. Sarſæparill. ℥iv.
Infunde per 24. *horas ſupra cineres calidos in* 12. *libris Aqu. fontan. dein coque ad mediæ partis conſumtion. & colentur. De colaturâ hâc capiat Æger ſingulis diebus cyathos tres; unum mane tribus ante paſtum, ſecundum tribus horis poſt prandium, & tertium duabus horis poſt cœnam, continuando per* 15. *vel* 20. *dies.* Dein

℞. *Remanentiam Decoct. prædict.*
Aqu fontan. ℔xv.
Coqu. ad conſumptionem 5. *partis. F. Bochetum, quo Æger utatur pro Potu ordinario.*

Inter uſum hujus remedii nihilominus aliquoties ſupra dicto modo corpus purgandum eſt.

Semi-

Semicupia dein post *Venæsectiones* & *Purgationes* aliquas præmissas, jamque per plures dies durante usu Remediorum internorum non sunt contemnenda, parata ex *Aquâ fluviatili*, cum incoctione *Herbarum emollientium*, addito quoque *Solano*, *Rosis*, *Hyperico* aliisque similibus, quibus humorum ardor temperatur, & partium genitalium empyreuma à venereo viru inductum tollitur. Simul etiam *Injectiones* in Penem aut Vaginam fiant, & quidem ubi semen adhuc acre fluit, ex solo *Lacte* cum incoctione *Radic. Consolid.* & *Herb. Lich. petræi*, addendo *Aquam Calc. viv.* cum tantillo *Sacch. candid. alb.* Ubi autem semini & puri omnis acrimonia ferè adempta est, sequens vel similis *Injectio* parari poterit:

℞. *Radic. Nymph. Irid. flor. aa.* ℥ij.
Herb. Plantag. Scord.
Flor. Rosf. rubr. Salv. ana Pij.
Thuris mascul. ʒij.
♄ *n. crud.* ℥ß.
Incis. & contus. coqu. in Aqu. fontan. ℔iß. *ad tertiæ partis consumtionem. Colatura clara injicienda est calidè.*
Vel ℞. ♄*nii crudi crassius triti, in nodulo ligati, atq; in olla suspensi* ℥iv.
Radic. Sarsæparill. ℥iß.
Aristol. rot. ʒiij.
Summit. Hyper.
Flor. Rosf. rubr.
Herb. Lichen. petr. ana Pij.
Coqu. in Aqu. fontan. ℔ij. *ad med. part. consumpt. In colatura dissolv.*
Mell. rosac. ℥ij.
M. f. Injectio bis de die.

Si verò per ejusmodi Injectiones dolor exacerbatur, tum ab illis abstinendum erit, & sequens potius adhibenda:

℞. *Hordei integr.* Miß.
Flor. Rosf. rubr.
Summit. Hyperic. ana Pij.
Mixt. coque ad ℔j. *In colatur. dissolv. Mell. rosac.* ℥j. *vel* ℥ij. *M. f. Injectio*; cui si sordidius fuerit Ulcus & detersione majore adhuc opus habeat, *Aqua calcis vivæ prima ad* ℥ij. ulterius admisceri poterit.

Notandum tamen, non multum semper fidendum esse *Injectionibus*, quocunque tempore usurpentur; licèt enim Urethram vel Vaginam expurgent, & detergant, non attingunt tamen semper Prostatas, in iisq; latitantem mali radicem. Interim tamen si extremitates vel ostia Prostatarum sint cicatrice obducenda, sicque benignior adhuc restitans Gonorrhœa sistenda, tum Injectio nihilominus diligens fieri poterit cum *Decocto fortiori Lignorum & Lacte*, in quo *Semen Cydon. Psyll. Hyperic. Herb. Sanic. Pyrol. Lich. petr.* cocta sint, addendo vel *Sacchar. cand.* vel tantillum *Aluminis usti*, vel utrumque; & sic sensim Fluxus Seminis cessabit.

Denique ut restitantes omnes latentis in genitalibus partibus Ulceris reliquiæ expurgentur, *Aquarum mineralium, de* ♂*lo Martis* participantium, aliarumve *Potus* concedendus, prout sunt *Sualbacenses*, *Spadanæ*, *Egranæ*, *Rhætenses* &c. frigidæ; item *Piperinæ Helveticæ*, *Plumbariæ Lotharingicæ* &c. calidæ.

Durante

Durante Curatione omnes Potus frigidi, Aqua gelida, Vinum, inprimis recens, non defœcatum & acidum; Exercitia corporis nimia, principaliter Equitatio & Concubitus venereus vitentur. Aër hinc frigidus externus, pedum infrigidatio, Cibi salsi, acres, fumo indurati &c. hunc Affectum maximè augent, & Stranguriam intensiorem reddunt.

Gonagra. GONAGRA, è Græc. γόνυ, *genu*, & ἄγρα, *captura*, composito vocabulo, est dolor arthriticus sive articularis in Genuum articulis à succo crasso, viscido, acido-acri stagnante oriundus. Cùm igitur species sit *Arthritidis*, hinc Lectorem ad Titulum de hoc Morbo tractantem remittimus.

Grando. GRANDO est tuberculum rotundum, indolens, in Palpebrâ oculorum enascens. Vid. *Oculorum Palpebrarum Grandinem* suo loco.

Gravidarum Cura. GRAVIDARVM CVRA est peculiaris Diæta, quæ gravidis sive prægnantibus Fœminis præscribi solet, eum in finem, ut & ipsæ à variis præservari vel liberari morbis, & Fœtus, quem utero gerunt, simul corroborari, atque ad justam maturitatem deduci queat.

Graviditas. *Gravidæ*, *Prægnantes* sive *Utero gerentes* Fœminæ dicuntur, quæ sub fœcundo coitu conceperunt, i. e. in quibus sub congressu venereo unum vel alterum Ovarii ovulum fœcundatum atque vivificatum, hincque per tubam Fallopianam in Uteri cavitatem demissum est, ut inibi postea Fœtus in ovulo formatus ac vivus per continuatam semper nutritionem ad justam magnitudinem & molem assurgere, tandemque maturus ex Uteri claustro in hunc mundum protrudi queat.

Protrusio hæc vel exclusio Fœtûs appellatur *Partus*, contingit autem hic, in statu naturali & ordinariè quidem, mense post conceptionem nono, videlicet circa hujus finem aut decimi initium, sive circa hebdomadam quadragesimam, ita ut Fœminæ secundùm communem Naturæ cursum per quadraginta circiter septimanas gravidæ maneant, antequam parere cogantur, vel ad Fœtum excludendum stimulentur.

Quomodo autem cognosci possit, Utrum Fœmina prægnans sit nec ne, hoc opus, hic labor, præprimis in illis, quæ non maritatæ in suspicionem imprægnationis ceciderunt, & se utero gerere mordicus negant. Multa autem vulgo circumferuntur imprægnationis signa, quorum aliqua etiam ex Urinâ peti posse Uromantes protervi asseverant, quando ex Avicennæ, Arabum Medicorum Principis, oraculo dicunt, Fœminam certò gravidam esse, in cujus Urinâ sedimentum compacto tenui gossypio simile sit, aut filamenta alba simul appareant. Alii juxta Veteres id ex retentione plus minus diuturnâ seminis masculini in congressu venereo hariolari voluerunt. Sunt qui chalybeam novam acum patinæ novæ

lignea

ligneæ infigunt, atque urinam Fœminæ ſuperfundunt, cumque dein nubecula quædam acui adhærebit, prægnantem eſſe audacter pronunciant. Idem ſignificari volunt, quando ſimilis acus in lebete aurichalceo per noctem Urinæ fœmininæ immerſa, nullâ vel rubigine vel nigredine tingitur, ſed nonnihil rubella deprehenditur. Mulierculæ etiam aliquæ elixis piſcibus adhuc ferventibus Acetum ſuperfundunt; quod ſi dein odorem inde exhalantem Fœmina tolerare nequit, impрægnatam eſſe volunt. Nonnulli etiam Medici ſtatuunt, Mulieres paulo poſt conceptionem ſentire nunc horripilationes per dorſum aſcendentes, nunc laſſitudinem artuum, capitis obtuſos dolores, oculos nonnihil cavos, frequentem pallorem faciei, Nauſeam, Menſium emanſionem ſine Febri aut horrore. Deinceps alii ex *Hippocrate* etiam dicerunt, Fœminam, ſi cubitum itura cochleare plenum Mellis in Aquâ pluviali ſolutum deglutiat, ac poſtridie mane nauſeâ, vomitu, torminibus atque tenſione abdominis affligatur, certò gravidam eſſe. Sed hæc omnia ſigna incerta, fallacia, & communia eſſe ſolent tam Gravidis, quàm non Gravidis malè alias ob cauſas habentibus.

Certiora autem indicia imprægnationis hactenus deprehenſa ſunt, v. gr. Menſium emanſio ſine Febri, Pallor faciei, Dyſorexia, Nauſea, Vomitus matutinus aut veſpertinus quaſi regularis, per aliquot menſes, Faſtidium carnis, aut Vini, aliqualis Emaciatio, Mammarum induratio & tantilla intumeſcentia cum aliquo interdum dolore, Abdomen quoque paulatim majus aut tumidum evadens; tandem ſenſatio quædam motûs membrorum Infantis circa ſeptimanam imprægnationis vigeſimam. Prehendit etiam interdum Gravidas quædam imbecillitas Cordis, nec non Pica & Malacia; aut ſi aſſuetos deſiderant cibos, illos magis frigidos, quàm calentes expetunt. Cervix Uteri in principio imprægnationis percipietur longa, & arctè clauſa, in progreſſu nonnihil brevior evadit, in fine tandem, appropinquante Partu plana valdè, & quaſi una cum Utero rotunditas globoſa redditur.

Signa Hydropis Uteri.

Si *Hydrops* adeſt *Uteri* loco veræ conceptionis, paulatim quoque cum Utero intumeſcit Abdomen, & prægnantem Fœminæ ſtatum mentitur, ſed dignoſcitur hoc à vera imprægnatione, dum in Hydrope non indureſcunt Mammæ, non averſantur hæc aut illa peculiariter edulia Fœminæ, non appetunt abſurda, nec motum Infantis poſt vigeſimam hebdomadam à Menſium emanſione percipiunt; ſubinde urinam non ſufficienter excernunt, & pedes earum intumeſcunt, aut oedematoſi reddunrur.

Molæ indicia.

Quandoque *Mola* in Utero loco Infantis naſcitur, & eadem propemodum cum verâ imprægnatione ſymptomata parit, ſed cognoſcitur tamen ex pondere Uteri, ſi Mola increverit, cervicem gravante, ex defectù motûs, quem Infans vivus per-

cipere facit, & aliis signis suo loco exponendis.

Quòd si porrò Abdomen Fœminarum, quæ suspicantur se gravidas esse, modò intumescat plus minus, aut infletur promtè, modò iterum detumescat; quòd si Mammæ quoque talium Mulierum nunc indurescant, & tumeant, nunc molles iterum, minoresque reddantur. Si juxta hæc interdum animo propemodum linquant, atq; hystericis passionibus affligantur; tum istæ certæ esse possunt, se Prægnantes non esse, sed, cùm mensium defectu laborent, suspicionem habere debent vel de Molæ alicujus præsentiâ, vel de sanguinis intra vasa uterina accumulatione, unde plerunque, ni præcaveatur, Uteri Hæmorrhagia sequitur.

Quid Utero gerat Fœmina?

An autem Gravida masculum vel femellam, unum vel duos Fœtus gestet, non facilè divinabis, nisi quòd vulgo credatur, Mulieres Fœtum masculum gerentes utplurimum esse alacriores, lætiores, ac meliore faciei colore gaudere. Somnium verò est, quando dicunt, masculos in dextro, femellas autem in sinistrò magis latere Abdominis hærere. Gemellorum verò præsentiam non nisi ultimis imprægnationis mensibus, ex Abdominis majore intumescentiâ, ejus lateribus ambobus valdè repletis aliquo modo cognoscere licet. Somnium iterum est, masculinos Fœtus è dextro, fœmininos autem è sinistro magis ovario prodire. Fortè plus habet fundamenti, quando dicimus, ex seminis masculini maximè copiosi & volatilis actuosissimi robustissimâ ejaculatione vel masculos, vel etiam gemellos Fœtus concipi atque gigni solere, nisi præexistentia rudimentorum fœtûs in ovo obstet.

Quod *Diætam* Gravidarum nunc attinet, generales ipsis regulæ diæteticæ præscribi possunt, quarum observatione diligenti ab Abortu & pluribus aliis symptomatibus morbosis præservari, atque Fœtus insuper corroborari queat. Ubi statim regula *Hippocratis* minimè contemnenda venit, quando *Libr. II. Aphorism.* 50. *&* 52. dixit, consueta licèt deteriora sint, insuetis, utut melioribus, salubriora esse, vel minus saltem nocere. Ac iterum, quòd sanis conveniat, non satiari Cibis, & impigrum esse ad laborem, saltem moderatum; quodque omne nimium vertatur in Vitium, si apud quoscunque alios Homines, certè apud imprægnatas quoque Fœminas, quæ non unius tantùm, sed duarum vel trium simul vitarum rationem habere debent.

Quòd igitur in specie concernit *Res non naturales*, ante omnia *Aër* Gravidis convenit maximè temperatus, ab odoribus fortibus Croci, Carbonum accensorum, Candelarum extinctarum, aliisque sive fragrantibus, sive fœtidis & graveolentibus olfactui valdè adversis, Fœtuique nocivis, liber. Tales enim odores, cùm olfactorios Gravidæ nervos maximè percellant, hincque spiritus & massam sanguineam valdè exagitent, facilè hystericas passiones, spasmos uterinos, & Abortum excitare, vel Fœtum necare possent. In-

Inter *Cibos* assueti quidem concedantur, sed moderatâ tamen quantitate heic appetitui satisfiat. *Fructibus* proin *horæis* ne nimium indulgeant Prægnantes, à quibus facilè præternaturalis in Intestinis fermentatio, Diarrhœa, Dysenteria, Colica funesta excitari possent. *Aromatum* usus quidem concessus est, sed & ille parcus, inprimis acriorum, spirituosiorumque, quoniam ab his massa quoque sanguinea nimium commoveri, hincque fluxus Mensium, Abortus, Lochia excessiva excitari haud difficulter solent. *Acida* dein Utero & Fœtui maximè nociva, toto gestationis tempore fugiantur, ab illis enim frequenter & copiosè comestis si non Uteri nervosæ tunicæ facillimè irritabiles ad Spasmos irritantur, saltem Fœtui talis imprimitur succus nutritius, qui ipsum postliminiò ad Epilepsiam, Colicam, Atrophiam, Scabiem, & alia plus minùs gravia Corporis Vitia disponit.

Quoad *Potum*, *Vini* quidem aut *Cerevisiæ* bonæ usum non denegamus Prægnantibus, sed tamen si in horum liquorum potatione frequentes committantur excessus, inprimis quando vel nimis generosi & spirituosi, vel facilè fermentescibiles, flatulenti, aut acescentes existunt, Abortus quoque acceleratur, vel Fœtui maligna diversorum Morborum semina imprimuntur; imò ipsi Gravidæ Passiones hystericæ, Tormina, Diarrhœa, Cholera, Vomitus, Angustia pectoris, aliave conciliantur.

Vigiliæ nimiæ Prægnantes ad Febrim ephemeram, & Abortum disponunt. *Veneris exercitium*, præprimis ultimis mensibus ob compressionem ventris nimiam Fœtui situm alienum, eumque Partui dein nocentem conciliare valet. In principio autem imprægnationis coitus excessivus & æstuans valdè in Fœcundioribus subinde vel Gemellorum conceptionem, & Superfœtationem, vel Molæ generationem producit.

Motus omnis vehemens corporis porrò, cursu inprimis aut Rhedâ institutus secundinam Fœtûs ab Utero avellendo, vel æstum sanguini ac spiritibus nimium conciliando, elateremque fibrarum matricis augendo: manuum extensiones violentæ sursum versus, aut ponderum graviorum elevationes Abdomen contrahendo, Diaphragma per fortiorem inspirationem valdè deprimendo, & sic Uterum comprimendo, Abortum accelerant. Saltus item gravis in pedes ex scamno deorsum factus, in specie primis imprægnationis mensibus, Secundinam avellit. Pedum divaricationes magnæ & crebræ haud difficulter membranas Fœtûs dilacerant. Ultimis tamen mensibus moderatum corporis exercitium Fœtum blandè ad Cervicem devolvit, sicque Partum facilitare potest. *Motus.*

Inter *Animi pathemata* Ira præprimis ac Terror vehemens nocent, massam sanguinis & spirituum laticem valdè turbando, hinc elaterem fibrarum uterinarum nimis augendo, nunc vasa aperiunt sanguinea & Hæmorrhagiam excitant, Abortûs pro- *Animi passiones.*

 dromum,

dromum, nunc Fœtum necant subitò, vel ei etiam semina futurorum Insultuum epilepticorum ac spasmodicorum imprimunt. Moderatum hinc gaudium mentis, animusque curis vacuus Gravidis optimè conducit.

Excreta & retenta. Quoad *Excreta* & *Retenta* eo est adnitendum studiosè, ut Alvus quotidie aperta existat, ne scybala excrementorum in Intestinis retenta periculosa excitent tormina. Clysmata tamen & suppositoria præcipuè acria sunt vitanda, ne factâ in Intestino recto irritatione simul Vagina Uteri arctè connexa irritetur, & Spasmum matricis producendo Abortum acceleret. Ad fluidam Alvum servandam conducunt ante omnia Cibi emollientes Olerum hortensium quotidie comesti, *Juscula* varia, in quibus *Malva*, *Beta*, *Brassica*, *Blitum*, *Mercurialis*, *Cherefolium*, *Lactuca*, *Portulaca*, *Endivia* fuerunt decocta, *Phaseoli*, *Pisa*, *Fabæ*, *Pruna Damascena* ac similia. *Butyrum* etiam cum *Melle* quotidie mixtum, imò *Oleum Olivarum* sæpius assumtum idem præstat. *Syrupus macrobius* sive *præservativus*, singulis diebus mane ad cochleare plenum deglutitus, alvum quoque tenet apertam. Alii hoc efficere & conciliare beneficium nituntur, subinde *Cremorem Tartari* ad ʒß. cum vel sine *Salis* ♀ri ℈ß. mixtum in Jusculo exhibendo. Aliquæ Fœminæ interdum pro laxitate Alvi conservandâ etiam *Oleum Amygdalar. dulc. rec. expr. ad* ℥j. *vel* ℥ij. deglutiunt. Idem faciunt *Ova sorbilia* frequenter hausta, nec non *Pruna* vel *Passulæ minores* cum *Foliis Sen. Tamarindis*, & *Cremore* ♀ri *laxativæ* redditæ: Commendare etiam licet usum *Panaceæ solutivæ alcalinæ*, citra Tormina alvum expedientis. Vel poterit *Pulvis laxans* in fractâ dosi subinde usurpari: v. gr.

℞. *Crem.* ♀ri ʒj.
Semin. Anis. ℈j.
Sacch. cand. alb. ʒiij.
Radic. Jalapp. ℈ij.

M. f. Pulv. subtil. d. ad ch. ac inde sumatur necessitate urgente cuspis cultri major vel minor pro re natâ.

Quod si Prægnans malit formam *Electuarii*, huic sequens concedere poterimus:

℞. *Pulpæ Passular. minor.* ℥iß.
♁*n. diaphor. non edulcorat.* ʒj.
Succi Tamarind. ℥ß. *vel*
Crem. ♀ri ℈ij.
Semin. Fœnicul. pulveris. ʒß.
Syrup. Fl. Acac. q. s.

M. f. Elect. d. ad Pyxid. Dosis subinde magnitudo duplicis Castaneæ.

Vel *Bolus* etiam *laxans* frequenter deglutiri potest ad aperiendam Alvum:

℞. *Pulpæ Tamarindor.* ʒiiß. *ad* ℥ß.
♀*ri vitriol. gr.* vj. *vel* viij.
Radic. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Syrup. de Cich cum Rhab. q. s.

M. f. Bolus unâ vel duabus eadem die vicibus deglutiendus.

Quod si quotidie mane vel vesperi cochleare plenum *Syrup. de Cich. cum Rhabarb.* vel *Flor. Persic.* aut *Acac.* cum multiplici Infusione paratum, deglutiendum præbebis, effectus etiam quæsitus sequetur. Horstius in *Obser-*

Observationibus suis commendat *Electuarium de Tamarindis* pro laxandis Gravidarum primis viis. *Aloë* & *Aloëtica* omnia, *Cassia*, *Manna*, *Sena* in pulvere Prægnantibus valdè nocent. *Rhabarbari* autem *radix* magis amica deprehenditur; atque hinc sequens *Pulvis* usualis suaderi posset:

℞. *Rhab. elect.* ʒiß.
Radic. Jalapp. ℈ij.
Crem. ♀*ri* ʒj.
Semin. Anis. ʒß.
♁ *n. diaphor.* ℈iiij.
Macis. ℈j.
Sacch. alb. ʒvj.

M. f. Pulvis subt. d. ad chart. Dosis subinde ʒß. *ad* ℈ij. *plus minus cum regimine Diætæ.*

Vel ℞. *Rhab. elect.* ʒij. *ad* ℥ß.
Herb. Card. bened.
Scabios. Malv. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒiß.

Incisis, contusis & in nodulo ligatis affunde
Vini albi veteris Mens. j. *sive* ℔iiij.

Singulis dein pastibus illius duæ vel tres plus minùs unciæ exhauriantur; subinde novum Vinum superfundendo, quousq; virtus ingredientium aliqua affuerit.

Deinceps Gravidæ plures solent esse sollicitæ de Fœtuum, quos gestant, robore & vivacitate, quam quidem non solùm Diætæ exactæ observatione, sed & aliquibus medicamentis quærere ac obtinere solent. In hunc proin finem Officinæ habent *Balsamum Embryonum*, de quo frequenter cochleare plenum assumunt. Vel hujus loco concedi potest *Aqua Cinamomi cydoniata*, *borraginata*, aut *buglossata*, per cochlearia etiam interdum danda. *Syrupus*, *Succus* & *Miva Cydoniorum*, *Cinamomo*, *Macere*, *Nuce moschatâ* aromatisata similiter conveniunt. Vel de *Vino aromatisato* quodam subinde aliquid in pastu bibant; v. gr. *Cinamomum*, *Nucem mosch. Cardamomum Cubebas*, *Calami arom. Caryophyllat. Bistortæ*, *Levistici*, *Scorzoneræ*, *Angelicæ radices* in sacculo ligando, hinc *Vinum* desuper affundendo, atque *Saccharum* pro lubitu etiam addendo. Vel *Amygdalas dulces rec. excorticatas* cum *Mellis* tantillo quotidie vel sæpè deglutiendas comedant. Laudant aliæ *Amygdalata*, ex *Amygdalis dulc.* cum *Passulis min. Syrupo pauco Cydoniori*, & *Seminum Fœniculi* subactis, parata, & crebrò exhibita. Interdum post pastum cochleare tantùm *Vini Malvat.* vel *Hungarici*, vel *Frontiniaci* aut similis aliûs exhauriant. *Externè* prosunt *Epithemata* varia Umbilico applicata; ita enim solent *frusta Panis Malvatico* subinde *Vino*, aut *Spiritu Cerasorum nigrorum*, *Aquâ vitæ Mulierum*, *Balsamo Embryonum*, *Spiritu matricali*, aut similibus irrorare, & calidè multoties applicare. Vel Frusta *panis communis* tosta pulvere *Cinamomi*, *Galangæ*, *Nucis moschatæ*. *Calam. arom. Cyperi* &c. consperguntur, & aliquo Spirituum modò laudatorum irrorata calidè admoventur. Potest & eundem in finem *Emplastrum diapalma* cum *Nuce moschatâ*, *Mastiche*, *Radice Tormentillæ*,

Terrâ sigillatâ, Tereb. Pice & *Cerâ* permisceri, sicque in formâ *Emplastri* lumbis applicari. Vel *sacculus* interpassatus construatur, *Herbis Majoranæ, Ocymi, Melissæ, Menth. Matricar. Anethi, Abrotoni, Seminib. Anis. Fœnicul. Carv. Coriandr. Aneth. Florib. Chamomill. Anth. Spic. Stœchad. Radicibus Zingiber. Cyperi, Zedoar. Cinamomo, Macire, Nuce mosch. Garyophyllis arom.* & similibus replendus, ac ita calefactus vel siccè, vel *Spiritu* quodam generoso conspersus umbilicali regioni applicetur.

Venæsectio in Gravidis. Quæstio heic incidit, annon Fœtui quoque conducat, si Mater subinde venam sibi curet aperiri, & sanguinis sex plus minus uncias effluere? Respondemus autem, *Venæsectionem* nonnullis quidem Gravidis utilem imò necessariam esse, ad Fœtum retinendum, ac roborandum, Abortumque præcavendum; aliis verò inutilem, imò noxiam existere. Distinguendæ nimirum sunt Fœminarum complexiones, quæ enim Plethoricæ sunt, habitu athletico præditæ, & sanguinem etiam acriorem habent, ac eapropter ad abortiendum proclives existunt, illis Venæsectio non semel tantùm, sed bis vel ter, aut etiam pluries toto gestationis tempore venit instituenda, tertio, quinto & octavo mense, in Brachio, non in Pede. Conducit etiam *Venæsectio* in Plethoricis paulo ante partum ad hunc facilitandum. Quæ autem Fœminæ succulentæ non admodum sunt, adeoque sanguinis quantitate non sunt præditæ, quibus venæ artuum non tument, in his *Phlebotomia* plus damni quàm utilitatis affert.

Inter *Symptomata* Gravidarum primò occurrit *Nausea*, horum illorumq; *Ciborum fastidiũ*, atq; *Vomitus*, adeo interdum miseras primis utplurimum, sed & interdum aliis ingravidationis mensibus, & quidem nunc mane, nunc vesperi exercens, ut inde emacientur valdè, & in periculum Abortûs delabantur. Cùm autem hæc mala ab acribus humoribus, propter suppressos menses in Ventriculi cavitatem labentibus, inibique fibras nerveas spasmodicè crispantibus oriantur, necesse est, ejusmodi humorum acrimoniam salsam destruere, aut invertere, vel etiam per vias urinæ aut insensilis transpirationis blandè expellere. Equidem primis gestationis mensibus ipsi Naturæ permittitur hæc Affectio, quoniam per se tandem circa medium tempus cessare solet, & quidem eo citius, quo crebrius Gravidæ vomunt, hincque felicius etiam Puerperium consequuntur. Quando autem diutius protrahitur Vomitus, tum *Venæsectio* administrata prodest, atque simul remedia absorbentia & præcipitantia in usum trahenda; præmisso tamen laxante aliquo remedio Rhabarbarino, v. gr.

℞. *Rhabarb. elect.* ʒj.
Crem. ♀*ri gr.* iv.
Ol. still. Mac. gutt. j.
M. f Pulv. subtil. d. ad ch. pro dosi cum Jusculo farinaceo sumendâ.

Vel ℞. *Extract. Rhabarb. gr.* xij.
Massa pilul. Marocost. gr. vj.
Resin. Scammon. gr. ij.

Ol.

Ol. stillat. Carv. q. s.
M. f. Pilulæ num. 12. dentur pro dosi.
Vel ℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Elect. è Succ. Rос. ℈ii. *ad* ʒj.
Aqu. Meliss. ℥vj.
Fœnic. ℥ß.
Cinam. cydoniat. ʒij.
M. f. Potio, detur pro dosi matut.

Conducit etiam *Syrupus Fl. Persic.* & *Acac.* aut *Infusum fol. Senn.* & *Rhabarb.*

Deinceps verò sequentes *Pulveres* egregiè Vomitus compescunt, v. gr.

℞. *Corall. rubr. ppt.* ℈iiij.
Ocul. ♋. ppt.
Diaph. ♂ ial. ana ℈ij.
Nuc. mosch.
Semin. Fœnic. ana ℈j.
Sacch. alb. ℥ß.
M. f. Pulv. subt. d. ad Scatul. Ter quotidie cuspis cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Pulv. stom. Birckm.*
Specif. stomach. Poter.
Ebor. s. ign. ppt. ana ℈iiij.
Mastich. elect.
Semin. Anis. ana ℈ij.
⊖li ♂ tis ℈j.
Sacch. cand. alb. vel
Elæosacch. Citr. ʒvj.
M. f. Pulv. subtil. d. ad Scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Bol. Arm. ppt.*
Unic. fossil.
C. C. ust. ppt. ana ʒij.
Salis Absynth. vel
Cichor. aut Cent. min. ʒj.
Elæosacch. Cort. Aur. ʒvj.
M. f. Pulv. subtil. d. ad Scat. Dosis ut supra.

In formâ liquidâ prodest *Liqu. Terræ fol. ♀ri ad* ʒj. *vel* ℈ß. aliquoties cum *Syrup. flor. Aurant.* & *Aqu. Plantag.* sumtus. Vel *Spirit. Salis arm. anis. ad guttas* 15. *aut* 20. pluries cum simili vehiculo propinatus. Vel

℞. *Aqu. Fœnic.*
Meliss.
Card. bened. ana ℥j.
Cinam. cydon. ℥ß.
Bals. Embryon. ʒiij.
Syrup. Card. bened. ʒvj.
Liqu. Terr. fol. ♀ri.
Tinct. Mart. aperit. ana ʒß.
M. d. ad Vitr. Ter vel pluries quotidie cochleare plenum hauriatur.

Vel *Aqua Menth. Pulegii, Plantaginis, Borrag. Burs. Past. Naph.* pro vehiculis sumuntur. *Syrupi* etiam de *Absynth. Pulegio, Menthâ, Cinamom. Cydonior, Ribium, de Agrest. flor. Tunic.* addi possunt. Laudamus quoque usum *Spiritûs Vitrioli Martis Zwelf. Spirit. Mastichis, Tinctur. Corall. ♁ nii, Salis volat. oleos. Sylv. Essent. carminat. Wedel. Zedoar. Absynth.* Vidimus etiam sæpius ab haustu repetito *Acidularum* quàm felicissimè sedatos esse Vomitus, præcipuè in cholericis complexionibus. Vel

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ℥j.
Menth. ℥ß.
Conf. Hyac. inc. ʒj.
Pulp. Cydon. cond. ʒij.
Unic. fossil.
Bol. Arm. ppt.
Specif. stom. Pot.
Cond. Nuc. Ind. ana ℈ij.
Syrup. de Card. ben. q. s.

M. f.

M. f. Elect. d. ad Oll. Ter quotidie magnitudo nucistæ capiatur.

Externè regio ſtomachi inungi poteſt *Balſamo Peruv. Oleo expr. Nuciſtæ*, & *deſtillato Macis*, *Cumini*, *Menthæ*, *Carvi*, *Maſtich.* &c. Imponitur quoque *Emplaſtrum ſtomachale Cratonis* cum *Tacamahaca*, *Theriaca* &c. Vel *Cruſta panis Vino malvatico*, aut *rubro bono* alio immerſa, atque pulvere *Nucis moſch. Zingib. Cinam. Garyophyll. Cubeb. Piperis*, *Calami arom. Galangæ*, *Maſtich.* conſperſa, admixto ſimul ſi velis *Fermento Panis.*

Malacia & Pica. *Malacia* & *Pica* Gravidarum à Liquoris gaſtrici ſpecificâ quadam alteratione, per accedentes ex ſanguine moleculas ſalſo-acriuſculas certâ configuratione præternaturali inſtructas, producuntur, ita ut in *Malaciâ* quidem appetitus ac deſiderium rerum eſui aliâs conſuetarum, ſed crudarum ac minimè præparatarum, v. gr. carnis crudæ Animantium, ac ſimilium; in *Picâ* autem cupiditas edendarum rerum planè abſurdarum, v. gr. carbonum, arenæ &c. excitetur. Uterque Affectus nihil periculoſi alit in receſſu, ita quidem, ut appetitu nimium urgente ſubinde uſum vel deglutitionem rerum eſui aliâs non ineptarum, tanquam morbi remedium concedere poſſimus, cùm non raro Prægnans tales Cibos, quorum deſiderio tantopere flagrat ſtomachus, facilè ferat ac digerat, quæ non Prægnans maximè reſpueret, aut tolerare neſciret. Commendant verò aliâs in his Symptomatibus *Succos Cydonior. Citr. Limonum*, *Aurant. Syrupos de Abſynth. Card. bened. Matricar. flor. Aurant. Cinam. Cortic. Citr. Aurant. Granator. Ribium*, *Berber. Aquam Pampinor. Vit.* vel *tenellorum foliorum Vitis deſtillat. Menthæ*, *Puleg. flor. Aurant. Card. bened. Centaur. minor.* Corpus tamen etiam laxandum eſt *Syrupo* v. gr. *de Cich. cum Rhab. ad* ℥iiß. dato; hinc verò abſorbentia in uſum vocentur, quemadmodum ſub Titulo de *Pica* ſuo loco monuimus.

Tormina Ventris aut *Colica* Prægnantium ab humoribus acido-acribus vel flatibus quandoque Inteſtinorum oriunda, abſorbentibus, diaphoreticis & carminativis abiguntur, poſtquam primæ viæ *potione Rhabarbarinâ*, vel aliquot doſibus *Panaceæ ſolut. alcalin.* evacuatæ fuerunt. Heic igitur ſequentia conveniunt: v. gr.

℞. ♁ *n. diaphor.*
Cryſtall. alb. ppt.
Pulver. Viper. ppt. ana ℈ij.
Cinnab. ♁ *n. rectif.* ʒß.
Ol. ſtill. Fœnic.
Carv. ana gutt. iv.
Sacch. alb. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqu. ad ch. m. & veſp. capiendas.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt. ana ʒij.
Radic. Zedoar. ℈ß.
Semin. Fœnic.
Aniſ. ana ʒj.
Flaved. Cortic Aurant. ℈ij.
Laud. opiat. gr. vj.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſis ter quotidie cuſpis Cultri cum Vino, aut alio vehiculo.

Vel

Vel ℞. *Aqu. carminat. Dorncr.* ℥ij.
Chamomill. ℥j.
Cinam. bugl. ℥ß.
Essent. carminat. Wedel. ʒiß.
Syrup. de Cort. Aurant.
Capill. ♀ *r. ana* ʒiij.
M. d. ad Vitr. Singulis sex horis aliquot cochlearia plena hauriantur.

Vel ℞. *Aqu. physogon.* ℥iiß.
Card. bened. ʒvj.
Syrup. Capill. ♀ *r.*
anodyn. ana ℥ß.
Spirit. Nitr. dulc. ʒß.
Essent. Zedoar. ʒj.
Misc. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Destillat. Hippenteror.* ℥vj.
Aqu. Puleg.
Meliss. ana ℥j.
Ol. stillat. Cumin. gutt. xij.
Cort. Aurant. gutt. vj.
Sacch. alb. ʒiij.
M. d. ad Vitr. Sumatur tribus vel quatuor dosibus.

Aqua etiam *Vitæ Mulierum*, *Elixir Vitæ Matthiol. Balsam. Embryon.* conveniunt, si subinde cochleare plenum de illis sumatur. Potest verò cum hisce commodè etiam quoddam *Oleum destillatum carminativum* permisceri.

Extus totum Abdomen, ac inprimis Regio umbilicalis quotidie bis vel pluries calidè inungi potest *Oleo Rutæ*, *Aneth. Chamomill. Absynth. Menth. Lauri*, *è floribus Slotan. expresso Seminis Hyoscyam* ac *Papav. alb.* aut simili, quod acuari adhuc potest *Ol. destill. Chamomill. Carv. Anis. Angelic. Fœnic. Rutæ*, *Aneth.* Vel *Sacculus Herbis*, *Radicib.* & *Seminibus carminativis* repletus atque interpassatus, calefactusque Abdomini imponitur, desuper ulterius applicando *Pellem* vel *felinam* vel *leporinam*, vel *cygneam*.

Diarrhœa Gravidarum, ab humoribus seroso-salsis, aut biliosis excitata, in principio quidem aut progressu gestationis non diu ferenda, quia Tenesmum & Abortum facilè post se trahit, si nimia fuerit. In fine autem, nisi vehemens admodum ac laboriosa extiterit, naturæ permitti potest, tanquam res facilem postliminiò, felicemque Partum procurans, quoniam cum euphoriâ sæpius Diarrhœas Gravidæ ferunt. Tale itaque symptoma, si laborem Ægrotanti pariat & periculum Abortûs inferat, vires atterendo, spiritusque dissipando, tunc sedandum est illud, stomachusq; roborandus. Poterimus tamen statim *Rhabarbarum* in substantiâ solum ad ʒj. cum *Jusculo hordeaceo*, *avenaceo*, aut *farinaceo* exhibere: deinceps verò blanda adstringentia, & aromatica confortantia conveniunt, v. gr. *Roob Cydoniorum*, *Cydonia condita*, *Syrupus Cydoniorum*, cum *Aquâ Cinnam. cydoniat. Terra sigillat. Bolus Armen. ppt. Unic. fossil. Mater Perl. ppt. Corall. rubr. & alb. ppt. Sanguis Drac. ver. Ebur. ust. ppt. Radices Tormentill. Bistort.* Quibus etiam *Theriacam*, *Electuar. Orvietan.* ac *Diascordium Fracast.* non secus atque *anodyna* blanda jungimus. Sequentes formulæ hinc convenienter præscribuntur: *Diarrhœa.*

℞. *Conserv. Rosar. rubr.* 🜍*lat.* ℥iß.
Nuc. mosch. condit.
Conf. Hyac. inc. ana ℥j.
Conditur. Carn. Cydon. ℨij.
Unic. fossil.
Corall. rubr. ppt. ana ℈ij.
Syrup. Myrt. vel Corallor. q. s.
M. f. Elect. d. ad Ollam, ac sæpius inde magnitudo Nucistæ deglutiatur.

Vel ℞. *Conf. Fl. Tun.* ℥j.
Plantag. ℥ß.
Condit. rad. Symph. ℨj.
Bacc. Cynosb. cond. ℨij.
Theriac. Andr. vel
Elect. Orviet. ℨj.
Matr. Perl. ppt.
Bol. Arm. ppt. ana ℨß.
Syrup. Cydon. q. s.
F. Mixtura ad formam Opiatæ, de quâ subinde magnitudo Castaneæ sumatur.

Vel ℞. *Extr. Symphyt.* ℈j.
Cort. Tamar. ℈ß.
Corall. rubr. ppt. ℈ij.
Succ. Catechu. gr. vj.
Laud. opiat. gr. ij.
Ol. destill. Mac. q. s.
M. f. Pilulæ num. 40. *Inaur. d. ad scat. Dosis num.* 8. *man. ac vesp. cum Decocto ordinario.*

Vel ℞. *Extract. Tormentill.* ℈j.
Absynth. ℈ß.
Sangu. Drac. ver. gr. xvj.
Mastich. elect. gr. xij.
Croc. Mart. adstring. gr. viij.
Ol. stillat. Mac. q. s.
M. f. l. a. Pilulæ num. 32. *Inaur. d. ad scat. Dosis* 8. *mane ac vesper. cum Emulsione Amygd. dulc.*

Vel ℞. *Conserv. Ros. antiqu.* ℨj.
Extract. Tormentill. gr. vj.
Elect. diasc. Frac. ℨß.
Terr. sigillat. ℈ß.
Cum Sacch. alb. f. Bolus d. ad char. Sumatur pro dosi, & aliquoties repetatur.

Externè Theriaca vel *Mithridatium* cum *Pulvere Mastichis, Tacamahacæ, Nucis moschat. Oleo myrtin. Cydonior. Cerâ* & *Pice* in *Emplastri* formam redigatur, & stomacho atque Umbilico applicetur. Vel *Cataplasma* fiat è *Cydoniis* aut *Pyris austeris* in *Vino rubro* coctis, cum *Fermento panis Mastiche, Myrrhâ, Macere, Nuce moschatâ, Radic. Calam. aromat. Bistort. Tormentill. Garyophyll. arom. Menthâ, Ocymo*, & calidè linteo obductum applicetur.

Odontalgia Gravidas etiam non rarò valdè excruciat, originem non nisi à Lymphâ salsâ, acri, subinde scorbuticâ, in Tunicâ oris glandulosâ cumulatâ, stagnante, & hinc fibras nerveas plus minus potenter irritante atq; crispante ducens. Ad sedandum proinde hunc cruciatum primæ viæ blando laxante, sicut in superioribus Symptomatibus invenitur, statim mundandæ sunt: hinc Decoctum *Radic. Alth. Malv. Imperator. Zingiber. Cyperi, Herbar. Absynth. Aneth. Abroton. Meliss. Salviæ, Oxylapath. Urtic. major. Flor. Chamom. Melilot. Ficuum, Semin. Anis. Fœnic.* in *Aquâ* & pauco *Aceto*, vel si scorbutici quid subest, loco *Aceti* in *Lacte* factum sæpius in ore calidè detineatur. Vel *Nicotianæ*, aut *Solani folia* cum *Florib. Chamom.* in *Aquâ* coquan-

coquantur, hocque *decoctum* postea sæpius ore teneatur, nihil prorsus deglutiendo, ne Vomitus excitetur. Vel grana aliquot *Laudani opiati* in *Essentiâ Lignorum* solvantur, & Gossypio excepta dentibus dolentibus applicentur, addi potest *Spiritus Vini*, vel *theriacalis camphorat.* cum *Oleo destill. Buxi, Caryophyll. arom. Piperis, Rorismar. Thym.* *Cepæ* aliquoties volâ manuum teneantur, donec valdè incaluerint, sic dolor frequenter sedari observatur. *Emplastra* quoque è *Tacamahacâ*, *Mastiche*, *Styrac. calamit. Pice*, *Cantharidibus*, & *Terebinthinâ* concinnantur, atque magnitudine thaleri temporibus applicantur, inibique relinquuntur, etiamsi forsan elevent vesiculas, & hinc serum fundant plus minus copiosum.

Quando Uterus Gravidæ à contentis suis valdè distenditur, tum ligamenta simul ipsius in Lumborum & Coxendicum regione præternaturaliter expanduntur, & Uterus quoque magis subsidet ac ad anteriora protruditur; unde *Dolores Pubis*, *Coxendicis* & *Lumborum* enascuntur; pro quibus leniendis & dissipandis *Venæsectio* in Plethoricis valdè conducit, non secus atque alvum subducens blandè remedium, quemadmodum esse solet *Panacea solutiva alcalina*, quæ tutissimè à Gravidis æquè ac à Puerperis usurpari & assumi potest. Deinceps verò *litus* institui debent *anodyni* & *emollientes*, quem in finem

℞. *Olei è flor. Slotan.* ℥j.
Chamom. ℥ß.
Lumbr. terr.
Sem. Papav. alb. express.
ana ʒij.
M. d. ad Vitr. Usurpetur bis vel ter quotidie.

Vel ℞. *Olei Aneth. Verbasc.*
Chamomill. ana ℥ß.
destill. Juniper. ʒj.
Sem. Hyosc. expr. ℈iiij.
Misc. d. ad Vitr.

Vel laventur Partes dolentes subinde *Spiritu Juniper. Anthos*, *Lil. conv. Anhaltino*, *Lumbric. terr. Essent. Opii liquid.* ac *Tincturâ Succini.*

Fit quandoque, ut unum alterumve Ligamentum Uteri, ob nimiam expansionem rumpatur, quod etiam cum aliquo fragore contingere potest. In hoc casu perpetuum ferè dolorem atque cruciatum Ægræ patiuntur, ut nullo sibi meliore auxilio levamen afferre queant, quàm Fasciâ aut Subligaculo Abdomen involvendo ac suspensum tenendo, simulque *Oleo* quodam superiore quotidianum *Litum* instituendo.

Non est infrequens dein quibusdam Prægnantibus *Cordis Lipothymia* ac *Palpitatio*, quarum illa quidem originem ferè debet teneræ admodum fibrarum nervosarum texturæ, & hinc interdum debilitatæ sanguinis circulationi; hæc verò à sanguinis exundantiâ atque commotione vehementiore utplurimum certè derivari potest. Ad *Palpitationem* itaque curandam ac radicitus extirpandam, si Fœmina succulenta existat, *Venæsectio* statim præscribenda venit; post illam verò conducunt *Lipothymia, Palpitatio Cordis.*

diaphoretica alcalina, cum blandis volatilibus miscenda; v. gr.

℞. *Matr. Perlar. ppt.*
Corallor. rubr. ppt.
Bezoard. miner. ana ℈iiß.
Cinnab. nat. opt. ℈ij.
Salis volat. C. C. ℈j.
Sacch. alb. ℥ß.
Semin. Anis. ʒß.

M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Quotidie ter inde sumatur ʒj.

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.* ʒiß.
Tinct. Corallor. cum Spirit. Cordis Cerv. vel cum Nitr. parat. ʒij.

M. d. ad Vitr. Sumantur m. ac v. 20. vel 25. gutt. cum Aqu. Card. bened. Borrag. Fl. Til.

Vel ℞. *Aqu. Meliss. Scabios.*
Fl. Acac. ana ℥j.
Syrup. Capill. ♀ *r.* ℥ß.
Spirit. C. C. volat. sine oleo ʒß.
Conf. Alk. compl. ℈ij.

M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Conducunt etiam *Balsam. Embryon. Confectio Alkerm.* cum *Succo Citri*, *Solutio Corallorum* vel *Matris Perlar.* cum eodem *Succo* facta, & *Sacharo edulcorata*; *Elixir Citri*, *Aqua cordialis temperata Herculis Saxon. Aqua Cordis Cervi composita*, vel *Cynamomi cydon.*

Externè regioni scrobiculi Cordis applicari potest linteolum *Spiritui Anthos*, *Melissæ*, *Anhaltino*, *Aquæ vitæ Mulierum* immersum, cum *Confect. Alkerm. incompl.*

Syncope. In *Syncope* ea aguntur, quæcunque sub titulo de *Lipothymia* sunt adnotata; inprimis autem *internè* quidem prosunt *Tinctura Succini*, *Aqua vitæ cum Castoreo*, *Spiritus Salis armon. urinos. volatil. Balsam. Embryon. Tinctur. Castorei cum Spiritu Salis armon. parat. Ambræ gryseæ*, aliis permiscenda, *Spiritus theriacalis camphorat.* & similia. *Externè* verò Naribus admovenda, quæ sub Titulo de *Lipothymia*, & *Passione vel Affectione hystericâ* fusius laudata sunt.

Tussis Gravidis quandoque consuevit esse molestissima, etiam ad Partum usque sæpius sine intermissione durans; à Lymphâ tenui, vel crassâ acri, perpetim è Sanguine in vesiculas & glandulas pneumonicas destillante oriunda. Quandoque & à muco acri, sive cruditate Ventriculi viscidâ mucilaginosâ originem ducit. In priore Tussi, quæ noctu præcipuè Gravidas torquet, temperantia, ac demulcentia maximè conveniunt, præprimis si primæ viæ aliquot *Panaceæ alcalinæ solutivæ* dosibus sumtis purgatæ fuerint. Commendamus itaque heic frequentia *Juscula hordeacea*, *avenacea*, ex *Orizâ* facta, *Lac* item & *Lacticinia*. Pro *Potu ordinario* conducit maximopere *Decoctum Radic. Liquirit. Filic. Tussilag. Sarsæparill. Chin. Alth. Herb. Veronic. Beton. Ligni Guajac. Sassafr. Hordei integr. Rasur. C. C. Ficuum*, *Passular. major. excort. Jujubar. Semin. Anis. Fœnicul.* Deinceps *Linctus* vel *Eclegmata* magni fiant: v. gr.

℞. *Diacod. Mont.*
Looch. de Pulm. Vulp.
Syrup. Bell. min. ana ℥j.
Ol. Amyd. dulc. rec. expr. ʒvj.

Specier.

Specier. diatrag. frig. ℨj.
Misc. d. ad Ollam, & lambatur cum baculo Liquirit.

Vel ℞. *Pulpæ Passular. min.* ℥vj.
Syrup. de Farfar. de Liquir.
Viol. purpur. ana ℥j.
Aqu. Veronic.
Scab. ana ℥ß.
Balsam. Embryon. ℨvj.
M. d. ad Vitr. Sumatur frequenter cochleare plenum.

Vel ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Axung. Can. rec. ℨiij.
Spermat. Cet. rec. ℨj.
Essent. Croc. ℨß.
Sacch. cand. alb. ℥ß.
Syrup. de Jujub. ℨvj.
M. d. ad Ollam, ac crebrò aliquid cum Baculo Liquiritiæ lambatur.

Vel ℞. *Spec. diair. simpl.*
diatrag. frigid. ana ℨj.
Corall. rubr. ppt.
Bol. Arm. ppt. ana ℨiß.
Radic. Alth. pulveris. ℨvj.
Spermat. Cet. rec. ℨj.
Conf. Alk. incompl. ℨij.
Sacch. cand. alb. ℥iiij.
Mucilag. Gum. Trag. Aqu. Veron. fact. q. s.
M. f. l. a. Trochisci d. ad Scatul. & frequenter lambantur.

Euporiston est, neque contemnendum tamen, si vel *Ficus*, vel *Passulæ*, *Saccharum cand. rubr.* aut *Cremor. Hordei Saccharatus*, super quæ *Spiritus Cerasor. nigr.* aut *Vini* rectificatus deflagravit, lambantur. *Infusum folior. Thée, Betonic. Veron.* atque *Chamædr.* cum *Hordei Cremore saccharat.* sæpius bibatur. Nocte cubitum ituræ de sequentibus *Pilulis Catarrhalibus* quoque capiant:

℞. *Mass. Pilular. è Styrac.* ℨß.
Gumm. Guajac. ℈j.
Flor. Benzoin.
Extract. Beton. ana ℈ß.
Ol. stillat. Anis. q. s.
M. f. Pilulæ num. 70. Consperſ. Pulver. Liquir. d. ad Scatul. Sumantur 7. 8. aut 9. pro dosi.

Si Tussis fuerit *humida, stomachica*, magis *diurna*, tum stomachica potius conducunt eaq; alterantia, incidentia, v. gr. *Species diair. simpl.* aut *compos. Species Imper. Radices Helenii, Aronis, Angelic. Cyper. Aristol. rot. ver. Succus Cepar. Raphan. hort. Raparum, Semina carminativa, Aquæ antasthmat. qualescunq;, Syrupi de Hyssopo, Hed. terr. Marrub. Helen. Polio, Essent. Helen. Beton. Galang. Zedoar. Bals. Sulphuris anisat. Spirit. Ceras. nigr. Ros Solis, Liquor Spirit. Angelic. Aurantior. Aqu. Vit. Balsam. Embr.* unde sequentes formulæ conveniunt: *Tussis humida, stomachica.*

℞. *Aqu. Veronic. Scabios. ana* ℥iß.
Hyssop. ℥ß.
Spirit. Meliss.
Angelic.
Essent. Helen. ana ℨj.
Sacch. cand. alb. ℨiij.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Fœnic. Levistic.*
Fl. Acac.
Syrup. Sceletyrbic.
pectoral. balsamic. aa. ℥j.
M. d. ad Vitr. Dosis subinde cochleare plenum.

Vel ℞. *Spec. diair. simpl.*
aromat. ros. ana ℈ij.
Radic. Aron.
Helen.
Angelic. ana ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒij.
Diaph. ♃*vial.* ʒj.
Semin. Anis.
Fœnic. ana ℈iiß.
Sacch. cand. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Bis vel ter quotidie capiatur ʒj. *plus minus.*

Vel ℞. *Radic. Helen. Aristol. rot. ver. Scillæ ana* ʒiij.
Herb. Veronic. Mj.
Hyssop.
Flor. Bell. min. ana Mß.
Semin. Anis. ʒij.
Passular. maj. exac. ℥iß.
Incis. & contus. coqu. in mediâ parte Vini albi, & Aqu. font. De Colaturâ ter quotidie ℥ij. *vel* ℥iij. *Syrup. Jujubino edulcoratæ hauriantur.*

Vel ℞. *Looch. san. & expert.*
Syrup. de Hyssop.
Sceletyrb. ana ℥j.
Elix. Vit. Matth. ʒvj.
Aqu. Scab. ℥iß.
M. d. ad Vitr. Hauriatur cochleatim.

Vel ℞. *Elix. Angelic.* ℥vj.
Essent. Helen.
Trifol. fibr. ana ℈ij.
M. d. ad Vitr. Mane ac vesp. duo cochlearia hauriantur.

Prodest & *Vinum Malvaticum, Hispan. Hungar.* aliudve simile generosum, quotidie ad aliquot uncias sumtum.

Hæmorrhagia Pudendorum. Accidit etiam aliquando Plethoricis *Fluxus Sanguinis è pudendis*, qui si periodicè, primis aliquot mensibus, tempore menstrui Fluxûs ordinarii, sine cruciatu aut dolore, pedetentim & modicè è Vaginâ Uteri contingit, matricis cervice interea probè clausâ, tum non sistendus est, sed naturæ permittendus tanquam res non inutilis, & Abortum præcavens. Si autem confertim & continuè vel interruptè per plures dies ex ipso Utero profluat Sanguis, isque modò floridus, modò aquosus & liquidus, modò grumosus, tum hoc non sine doloribus Lumborum aut Hypogastrii lancinantibus, parturientium similibus contingit, & sive primis, sive mediis gestationis mensibus Abortûs periculum inducit, si quidem verè prægnans Mulier fuerit. Aliquando enim non nisi collectio facta fuit in Uterinis vasis, quæ dein per ruptum unum alterumve tubum copiosè sanguinem profundit: subinde etiam *Mola* tantùm aliqua loco Infantis genita fuit, quæ occasionem isti Hæmorrhagiæ præbet. In hisce verò casibus non statim sistendus est ille Sanguinis fluxus, sed eo usque permittendus, donec evacuata planè, & ab heterogeneis corporibus liberata Matrix sit, ac interea non nisi confortantia Juscula & Medicamina danda, v. gr.

℞. *Conserv. Fl. Bugloss. Beton.*
Tunic. ana ℥ß.
Nuc. Ind. cond.
Conf. Hyac. inc. ana ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Terr. sigillat. ana ℈iiß.
Syrup. Capill. ♀*r. q. s.*

M. f.

M. f. Elect. d. ad Oll. Dosis subinde magnitudo Nucistæ.

Vel ℞. *Aqu. Cardiac. offic.*
Plantag. ana ℥iß.
Naph. ℥ß.
Syrup. Rub. id. ʒvj.
Conf. Hyac. inc. ℈ij.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Expurgato autem Utero, si nihilominus continuaret Hæmorrhagia, tum remediis mox enarrandis sisti deberet.

Nimirum si verè concepit Uterus, Fœtusque vivus in eo hæreat, Hæmorrhagia quocunq; etiam mense gestationis accedens, & nunc ab internâ sanguinis abundantiâ aut effervescentiâ, nunc à casu aliquo ex alto, percussione, Irâ, Terrore, Vino, Cibis aromaticis & acribus, vehementi corporis motu, nunc denique à medicamentis producta, per irritationem fibrarum Matricis ulteriorem spasmos, hincque secundinæ avulsionem, Fœtum sive vivum sive mortuum Abortu facto expellit. Quin ipsa illa Hæmorrhagia incipiens avulsionis dictæ principium esse solet; ut adeo si continuetur, atque constrictâ planè Uteri substantiâ ulterum perficiatur, Fœtus mori, & unâ cum Secundinâ extrudi necesse habet. Hæc extrusio si maturè contingat, Fœtus adhuc vivus erit, si autem post secundinæ avulsionem adhuc aliquandiu Fœtus in Utero maneat, denegato vitali matris succo, demtaque Sanguinis circulatione, moritur. Extruditur etiam vivus, si prodeat, antequam Secundina penitus ab Utero avulsa erit. In hoc itaque statu cùm Fœmina prægnans versatur, ac se lassam esse percipiat, ad conservandam in Vitâ prolem statim *Vena* quædam *Brachii secanda* est, dein verò blanda adstringentia, vel incrassantia, absorbentia, demulcentia, in usum trahenda, quem in finem sequens *Electuarium* confert:

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ⊖*lat.* ℥j.
Fl. Tunic. ℥ß.
Condit. Cydon.
rad. Symphyt. ana ʒij.
Lapid. Hæmat. ppt. ℈iiij.
Sanguin. Drac. ver.
Bol. Arm. ppt. ana ℈ij.
Succi Japon. ℈j.
Syrup. Myrtin. q. s.
F. Mixtura ad formam Opiatæ d. ad Oll. Dosis singulis trihoriis magnitudo Nucistæ.

Vel ℞. *Aqu. Polygon.*
Urtic. ana ℥j.
Burs. Pastor. ʒvj.
Conf. Hyac. inc. ℈ij.
Matr. Perl. ppt.
Unic. fossil.
Terr. sigill. ana gr. xv.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim per vices.

Vel *Tinctura antiphthisic. Martis adstringens*, *Catechu*, aliave styptica, m. ac vesp. ad gutt. 12. 15. 20. cum vehiculo conveniente sumatur; in quem finem prodest præ aliis *Aqua Burs. past.* & *Urtic.* vel *Infusum fol. Sanicul. Pyrol. Alchymill. Millef. Trifol. fibr. Lamii purpur.* &c. *Radicumq; Tormentill.* & *Bistortæ*, instar *Thée* accommoda-

modatum. In Cibis conveniunt Cremor Hordei, Juſcula farinacea, blanda acidula, cydoniata &c. Pro *Potu ordinario* conducit *Decoct. rad. Tormentill. Herb. Anſerin. Agrimon. Millefol. Hordei integr. Paſſul. min. Raſur. Ebor. C. C.* Inde fieri poteſt quoque *Emulſio Amygd. dulc.* Vide præterea, quæ de *Hæmorrhagia Narium* & *Uteri* laudavimus. Si verò Infans in Utero mortuus eſt, ac Hæmorrhagia ſiſti nequit, tum Partus non amplius impediri, ſed naturæ, quam confortare ſtudebimus, relinqui debet, aut hæc etiam juvanda eſt in extruſione Fœtûs non quidem per interna pellentia, ſed potius per dilatationem Cervicis Uteri digitis ſubinde tentandam ac promovendam.

Suppreſſio urinæ. *Suppreſſio Urinæ* Prægnantibus contingit interdum ultimis geſtationis menſibus ob Uteri molem Veſicæ nimis incumbentem; ſolent enim Fœminæ quædam ſuos Fœtus inferiora verſus geſtare, hincque ob compreſſum Veſicæ collum urinam ſtantes vix poſſunt reddere niſi cum magno nixu, jacentes autem aut abdomen in altum tollentes melius reddunt. In hoc itaque caſu diuretica nihil valent, quoniam Urinæ copiam exhibent, quæ dein reddi nequit commodè. Potius externè compreſſio Veſicæ eſt mitiganda, hinc tales Fœminæ *Balnea Aquæ dulcis* ex incoctione *emollientium Plantarum* ſubinde ingredi, Regionem pubis *Oleis Verbaſci, Scorpionum, Roſar. Melilot. Chamomill.* frequenter illinire, *Cataplaſmata* è *Malvâ, Parietariâ, Violariâ, Betâ, Petroſelino, Cherefol. Cepis, Baccis Juniperi*, recentibus, inciſis & contuſis cum *Axungiâ Anatum* vel *anſerinâ* & *Oleo Chamomill.* permiſtis componere, & calidè regioni Pubis applicare poſſunt.

Stranguria Gravidarum ab acrimonia Urinæ aceſcentis, Sphincterem Veſicæ, nimis ab Uteri mole etiam compreſſæ, continuè ſtimulantis originem trahit, & Abortui non rarò portas aperit, ſi diu nimis Fœminas torqueat, quoniam Uteri fibræ tandem in conſenſum trahi, ac ſeſe ſpaſmodicè contrahendo Secundinam avellere, ſicque Fœtum necare, vel cum vi quadam extrudere poſſent. Ad mitigandam proin ejusmodi ardentis, atque guttatim ferè prodeuntis Urinæ moleſtiam, vel eam prorſus tollendam conveniunt poſt *Venæſectionem* in abundantia Sanguinis acris inſtituendam, *Emulſiones* crebræ *Semin. quatuor frigid. maj. Decocta* itidem *Radic.* & *Herbarum emollientium* ac *mucilaginoſarum*, cum *Pulveribus abſorbentibus, acidum deſtruentibus*, quibus ſubinde vel *Balſamum ♀ris terebinthinatum*, vel *Eſſentiam Balſami de Copaibâ* intermiſcere poſſumus: v. gr.

℞. *Amygd. dulc. rec. excort.*
Semin. 4. frig. major. ana ℥j.
Lactuc. ℈ij.
Aqu. Portulac. ℥iij.
Malv. ℥iiß.
F. l. a. Emulſ. cui adde
Syrup. de Portulac. vel Nymph. ℥vj.
Ocul. ♋. ppt. ℥j.
M. d.

M. d. ad Vitr. Sumatur duabus vel tribus dosibus, & quotidie reiteretur, usq; dum mitigata fuerit Stranguria.

℞. *Corall. alb. ppt.*
Lapid. Percar. ppt.
Radic. Liquir. ana ℈iiij.
Filic.
Semin. Papav. alb. ana ℈ij.
Anis. ℈j.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulvis subt. d. ad scat. Dosis mane, vesperi & noctu ʒß. *ad* ℈ij.

Vel ℞. *Tinctur. Bals. de Copaib.*
Olei Terebinth. ana ʒiß.
Essent. Opii liquid. ʒß.

M. detur ad Vitr. Dosis 15. *vel* 20. *guttæ cum Decocto ordinar. quale sequens esse poterit:*

℞. *Radic. Gramin. Filic. Alth.*
Liquirit. ana ℥ß.
Rasur. Lign. Guaj.
Sassafr. ana ℥iß.
Semin. Anis. ʒij.

Incis. & contus. d. ad ch. Cochleare plenum harum specierum in 5. *libris Aquæ ad Ovi duritiem coquitur, hinc Aqua colata frigidè pro ordinario potu usurpatur.*

Spasmus Gravidarum *flatulentus*, crura ac suras præcipuè torquens, atque à vaporosâ acriusculâ lymphâ, in Cruribus quandoque ob compressionem, à mole expansi Uteri factam, subsistente proveniens, requirit ante omnia *Venæsectionem* in Plethoricis administrandam, postea verò sequens *Pulvis* intus sumatur aliquoties:

℞. ♁*n. diaph.*
Dent. aprin. vel Hippopot. ppt.
Unic. mar. ppt. ana ʒj.
Ungul. Alc. ppt.
Cinnab. nativ. opt.
Semin. Pœon.
Fœnic. ana ʒß.
Sacch. alb. ʒvj.

M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Quotidie hinc semel capiatur ʒß. *ad* ℈ij. *vel* ʒj. *cum Aqu. Card. bened. Scab. flor. Til. Pœon. expectando lenem sudorem.*

Extus Crura subinde in Spasmi paroxysmo, præprimis supra genua, fortiter ligentur, iterumque relaxentur. Dein & *Lotio* eorundem calida & frequens instituatur, cum *Spiritu matricali, Lil. convall. Anthos, Lumbric. terr. Aquâ Hirund. cum Castor. Spiritu theriacali camphor. Formicar. Baccar. Juniper.* Ettmüllerus magni facit *Aquam articularem* sic dictam *ad extra* cum *Spiritu Lumbr. terr.* & *Formicar.* Vel Crura *Oleo Rutæ, Lumbr. terr. Scorpion. simpl.* aut *Matthiol. Aneth. è Florib. Slotan. Amygdal. dulc. Chamomill. Melilot.* calidè sæpius illinantur.

Obesis Fœminis, vel quæ primùm Utero gerunt, non raro ultimis ingravidationis mensibus, ex distensione Abdominis validâ non solùm dolor Inguinum tensivus contingit, sed & interdum simul à fricatione nimiâ sudantium earum partium tenera cuticula *excoriatur*, ac *fissuras* agit, æstivo inprimis tempore valdè molestas atque dolentes, pro quibus sanandis conveniunt præcipuè *Inunctiones* diligenter instituendæ v.g. cum *Axungiâ hœdinâ, cervinâ, gallinaceâ, Unguento pomatum, albo camphor. Oleo Rosar.* *Dolor Abdominis tensivus, cum intertrigine cutis.*

 Lil.

Lil. alb. Amygd. dulc. rec. expr. Violar. Verbasc. Mucilag. Semin. Lin. Fœni græci, Psyll. cum Aqu. Plantag. extractâ, Radicis Alth. Symphyt. maj. Medullâ Crur. vitulin. Vide Titulum de *Fissuris.*

Tumor Crurum oedematosus. Si quæ Mulieres fuerint cachecticæ, aut Temperie seroso-phlegmaticâ sint præditæ, præterea simul albo Fluore laboraverint, illæ etiam subinde duobus postremis gestationis mensibus Crurum oedematosum adipiscuntur Tumorem, molestum certè illum, & gressui libero facilique adversantem, ut tales Fœminæ plus in lecto decumbere, quàm extra illum versari cogantur. Equidem periculo caret omni talis Tumor, & plerunque usque ad Partum futurum durat, atque, si non nimius sit, intactus relinquitur, ubi demum in Puerperio cum Lochiis effluentes copiosæ aquæ citò eundem disparere faciunt, ad quod tamen non parum decubitus in lecto diuturnus, adeoque & positus Crurum horizontalis contribuit. Si verò Tumor ejusmodi nimium evadat grandis, ut metus sit, ne Lympha tamdiu in vasis Crurum subsistens in Gelatinam tandem vix amplius dissolubilem vertatur, tum intus quidem *Tinctura* ♀*ri*, vel ♁ *n.* vel ♂ *tis aperit.* cum *Aquâ Nasturt. Flor. Sambuc.* &c. ad guttas 20. 25. aut 30. capiatur; & aliquoties Alvus blandè cum *Syrupo Fl. Persic.* aut *de Cich. cum Rhab.* laxetur; Pulvis etiam sequens capiatur:

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.* ʒij.
♁ *n. diaphor.*
Semin. Dauc.
Nasturt. hort.
Pulv. rad. Ononid.
Virg. aur.
Salis Juniper. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥j.

M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dosis man. ac vesperi ʒj. *cum Potu ordinario, vel cum Decoct. Gran. Coffée.*

Extus autem non melius reperitur medicamen, quàm *Fomentatio* cum *Decocto* conveniente instituta, quemadmodum sequens optimè conducit:

℞. *Radic. Pimpinell. Ononid.*
Vincetox. Eryng. ana ℥ß.
Herbar. Ebul. Majoran.
Alliar. Rorismar.
Flor. Genist. Hyperic.
Summit. Lavendul. Absynth.
Centaur. min aa. Miß.
Baccar. Laur. Juniper.
Alkekeng. ana ʒvj.
Rasur. Lign. Juniper.
Cort. median. Ebul.
Sambuc. aa. Mj.
Salis ♀*ri* ℥j.
Incis. & contus. coque benè in Aqu. Calc. viv. & Lixiv. Sarmentor. Vit. aa. q. s.

In decocto hoc immerguntur Linteæ vel Spongiæ, quæ dein expressæ statim calentes applicantur, bis vel ter quotidie repetendo.

Vel *Salvia* tantùm, *Anethum, Absynthium Geranium robert.* aut quodvis aliud, *Flores Samb. Cham. Fimus anserinus*, atque *columbin.* in *Lixivio* qualicunque coquuntur, hocque Decoctum postea pro Epithemate usur-

usurpatur. Nonnunquam solus *Fumus* sequentis *Pulveris fumalis*, linteis exceptus, & calidè frequenter applicatus Tumorem omnem discutit.

℞. *Radic. Angelic. Vincetox.*
Folior. Solan. Menth. Thym.
Meliss. Puleg.
Flor. Cheir.
Sambuc. ana ℥ij.
Storac. calam.
Mastich. elect.
Ladani ana ℥j.
Semin. Carv. Cumin. Levist.
ana ʒiiß.
M. f. Pulvis d. ad Scatul.

Vidimus etiam semel Pudenda alicujus Mulieris gravidæ usque adeo intumuisse, ut molem ferè Capitis infantilis æquârint. Ettmüllerus vocat *Hydropem Pudendi muliebris*, qui si non dissipatur ante Partum, eum non simpliciter tantùm difficilem reddere, sed & Matrem cum Infante in discrimen vitæ maximum conjicere potest. Dissipavimus illum Tumorem, qui clarus atque Hydroceles instar transparens albus erat, solo *Fomento* ex *Aquâ Calc. viv. cum Lixivio Sarmentor. Vit.* in quibus *Scordium, Solanum, Absynth. Centaur. min. Salviam, Flores Sambuc. Melilot. Genist. Baccas Juniper.* atque *Stercus anserinum* decoximus. Aliàs certum est convenire quoque heic *Cataplasmata* ex *Stercore caballino, columbino, Herbis Absynth. Calaminth. Scabios. Anserin. Geranii* &c. *Flor. Samb.* cum *Sal. Pri* in *Aquâ simpl.* decoctis composita, & calidè sæpius applicata. Sunt qui solum *Stercus vaccinum Cataplasmatis* loco calidè quotidie imponunt cum fructu. Si talibus in usum vocatis nihil in melius proficitur, tum vel *Hirudines* applicandi, qui forsan Lympham è Tumore omnem exugent; vel acu Tumor iste, sicut in Paracenthesi, perfoditur pluries, donec omnis disparuerit, aut Lanceolâ hinc inde inflictâ aperitur; & ubi omnes dein effluxerunt Aquæ, statim *Spongia* applicabitur calida, atque immersa *Decocto Betonic. Scord. Alliar. Salv. Meliss. Absynth. Flor. Balaust.* &c. in *Vino* facto.

Varices. *Varices* in Cruribus quarundam Gravidarum, Sanguine crasso ac fœculento pollentium, apparent, quæ si minores sint, nullumque incommodum afferant, relinquuntur intactæ, utpote in futuro dein puerperio iterum disparituræ. Si autem adeo increscant, ut jam dolorem, molestiamque incedendi pariant, ac præterea metum incutiant, ne fortè rumpantur atque Ulcera varicosa inferant; tum verò inungendæ sunt bis quotidie *Oleo Aneth. Laur. Chamom. Lumbric. terr. Unguento de Alth. de Ranis*, ab infra sursum versus ungendo. Deinceps Fasciâ latâ *Vino*, *Acetove* calenti, cui adstringentia prius incoques, intinctâ constringendi sunt Pedes usque ad Puerperium.

Hæmorrhoidum tumor. *Hæmorrhoidum* Vaginæ uterinæ, aut Ani tumor, nunc dolorosus, nunc indolens, aliquando etiam Gravidas affligit circa ultimum gestationis tempus, qui Tumor partum laboriosum reddere posset, ni discute-

retur; perfici autem hoc poteſt remediis variis, tam *Unguentis* & *Oleis*, quàm etiam *Epithematibus*. Commendantur hinc *Oleum Momordicæ per infuſionem paratum*, *Oleum Roſ. rubr. Lumbr. terr. Ovor. Maſtich. Lil. alb. Unguent. album camphor. de Linar. Aqu. Roſar. alb. Spermat. Ranar. Solani, Scabioſ.* cum *Pulpâ Pomor. coct. Mucilag. Semin. Pſyll. vel Cydon. Aqu. Plant. fact. Tutiâ ppt.* ♄ *n. diaph. Lapid. calamin. ppt. Camphor. Spirit. Vin. camphor. Succo Cancror. fluviatil. vel Cochlear. contuſ. Cremor. Hordei.* Vide etiam caput de *Hæmorrhoid. cæcis*.

Dolor Mammarum. Subinde Fœminæ quædam Gravidæ *Dolore* quoque *Mammarum* affliguntur, quem non niſi expanſio earundem à dilatatis Glandularum vaſculis producta excitat, dum ſcilicet poſt intermiſſum Menſium Fluxum ſenſim Lymphâ quadam lacteâ implentur, ita ut hæc non raro ex nimiâ abundantiâ per tubulos Papillarum laxatos & emollitos effluat, præprimis, quando Prægnans jam ad medium geſtationis tempus pervenit. In principio ferè hoc malum naturæ permittitur, nec uſurpatur quidquam, cavebit ſibi tamen Gravida à nimiâ Mammarum compreſſione, vel ab ictu aut percuſſione qualicunque, unde Inflammatio, Abſceſſus, Scirrhus, aliaque ſubſequi poſſent. *Venæſectio* in hoc caſu quoque neceſſaria. Mammæ autem vel *Butyro cocto*, vel *Oleo Chamomill. Roſar. Hyperic. Verbaſc. Melilot.* quotidie bis vel ter illinantur, ſimulque *Sparadrapum* ex *Cerâ* & *Oleo roſac.* Mammis imponatur.

Fiſſ. Papillarum. Quòd ſi autem *Papillæ* mammarum in Gravidis findantur ab allabente lymphâ ſalſo-acri, id quod eo tempore contingit, quo ſeroſum Lac jam fluere incipit, tum intus quidem loco *Vini Decoctum radic. Graminis, Liquirit. Raſur. C. C. Lign. Saſſafr.* cum *Paſſulis* & *Hordeo* bibatur aliquandiu ordinariè, ſubinde hauſtum *Vini albi* intercalando; imò & interdum cyathus *Aquæ deſtill. Endiv. Cichor. Lactuc. Portulac. Gramini Agrimon. Scabioſ.* bibatur. *Acidulæ* quoque non ita largâ doſi guſtentur. Extus autem Papillæ variis *Unguentis* aut *Linimentis* inungantur, quemadmodum complexio certa cujuscunque Perſonæ hoc vel illud magis tolerabit; ſequentia verò à nobis cum fructu etiam in Puerperarum fiſſis Papillis uſurpata fuere:

℞. *Olei roſac.* ℥ß.
Ceræ flav. ʒij.
Solutis invicem ſuper ignem admiſce
Vitellum ovi unius.
Tutiæ ppt. ʒiß.

Miſc. f. Unguentum, bis vel ter quotidie inunguendum: prius tamen ſemper Papillas abluere oportet Vino, in quo Folia Plantagin. anguſtifol. Millefol. Hyperic. Flor. Roſ. rub. cocta fuerint; atque tum demum, quando iterum ſiccatæ ſunt, Unguentum adhibeto.

Vel ℞. *Folior. rec. Nicotian.*
Geran. robert.
Virg. aur.
Rubi ſylveſtr. aa. Mj.
Inciſa

Incisa & mixta invicem coque lento gradu super ignem lenem in Butyro majali, exprime dein per linteum, & quando in Unguenti formam refrixit, inunge.

Vel ℞. *Ceræ alb.* ℥j. *Solve & misce*
Axung. caprinæ non solut. mediam partem.

Mixtis affunde
Aqu. Rosar. & Lavend. ana part. æqu.

Coque per quadrantem horæ, stet dein donec refrixerit, atq; hinc Papillis inunge.

Cremor *Lactis* & *Aqu. Rosarum* invicem mixta & parum cocta cum successu similiter applicantur. Vel

℞. *Olei Hyperic.*
Rosac. ana ℥ß.
Mastich. ʒij.
Bol. Arm. ppt.
Magist. ♃ n. diaph. ana ℈ij.
Sacch. Saturn. ℈ß.
Ceræ flav. ʒij.
Terebinth. clar. ʒj.
M. f. Unguent. d. ad Oll. Inungatur frequenter.

Tandem etiam aliquando Gravidis valdè molesta contingit *Vaginæ uterinæ*, Uterive ipsius *procidentia*, non sine Lumborum cruciatu, & dolore gravante regionis Pubis atque Vaginæ, in quâ velut rotundus aliquis globus percipitur, Viro quidē in concubitu, ipsi autem Gravidæ in incessu incommodus atque dolorificus. Oritur hæc Procidentia tempore quidem impragnationis, vel ab ingenti mole Fœtûs, Cervicem Uteri deprimentis, vel à laxatione & emollitione nimiâ Tunicæ Vaginæ, aut ligamentorum Uteri, per affluxum copiosæ lymphæ ac muci productâ. Cùm itaque Prolapsus talis futuro proximè partui impedimento esse, ac fortè genitalia valdè oblædere posset, hinc necessaria est illius longè ante partum emendatio, utut non adeo facilis. Quòd si enim à mole Infantis Utero conclusi proveniat, quis hanc diminuere posset, nisi fortè Matrix simul cum Fœtu quantitatem Aquarum contineat, & velut hydropica existat, in hoc enim casu blanda diuretica atque diaphoretica apprimè convenirent, quemadmodum in *Hydrope Uteri* suo loco descripta & commendata extant, si modò excipias acriora purgantia, quæ tempore ingravidationis mitiganda sunt.

A laxitate autem nimiâ tunicarum orta Procidentia requirit siccantia, extergentia, & tonum fibrarum roborantia. Hinc v. gr. vel Clysmate emolliente & blandè extergente, non acri, vel blando laxante *Syrupo de Cich. cum Rhabarb. Flor. Pers.* aut *Passulis laxativis* primas vias expurgare convenit. Dein etiam Gravidæ *Balneo Aquæ dulcis*, in quâ *Herbæ Agrimon. Anserin. Numular. Lapathi acut. Scabios. Plantag. Saponar. Chamomill. Majoranæ, Parietar. Sphondyl. Violar. Mercurial.* &c. decoctæ fuerint, aliquoties ad eluendum è Vaginâ copiosum mucum immittantur. Postmodum elapsa plus minus Vagina *Mucilagine Seminis Cydonior.* vel *Gumm. Tragac. Aquâ Plant.* aut *Burs. Pastor.* factâ illinatur, moxque simul

Pulver. styptico, qualis ex *Florib. Rof. rubr. Balaust. Radic. Tormentill. Cortic. Granatar. Gallis*, *Succo Japon. Musco corallino*, ac similibus componi potest, conspersa cum linteolo molli in suum locum naturalem, Gravidâ in lecto decumbente, retrudatur; ubi tamen linteolum prius *Oleo Hyperic. Cydon.* vel *mastichino* immersum esse debet. Quo facto lintea sicca, adstringente *fumo Mastichis*, *Thuris*, *Storacis*, *Myrrhæ*, *Nucum Cupress. Gallar. Virgæ aureæ*, *Fol. Solani*, *Menth. Senecion.* imbuta calidè applicentur. Imò simul *Spongia Liquore* quodam *styptico ebria* imponatur, quem in finem adstringentia modò recensita, pluraque in *Vino rubro*, vel *Aquâ ferratâ* coquantur. Tandem & *Annuli* vel *Globuli*, quorum in Curâ Procidentiæ suo loco mentio est facta, intra Vaginam aliquamdiu portentur. Gravida autem interea parum obambulet, ita ut Vagina semel intrusa deinceps immota manere, neque amplius elabi queat.

Gustus læsus. GVSTVS LÆSVS est symptoma sensûs Gustationis vitiati, quo sapores rerum sapidarum vel planè non sentimus, vel imminutè percipimus, vel depravatè apprehendimus. *Primum* symptoma *Gustus* dicitur *abolitus* vel *ablatus*, in quo subinde simul sensus Tactûs in Linguâ amittitur, aliâs verò remanente Tactu solus labefactatur Gustus. *Secundum* appellatur *Gustus imminutus*, in quo leviter tantùm gustabilium rerum sapores deprehendimus. *Tertium* denique *Gustus* audit *depravatus*, quando nimirum sapores rerum aliter percipimus, quàm quidem in statu natu naturali solemus; veluti cum amara, dulcia, salsa, acida, insipida esse nobis imaginamur, quæ alio prorsus sapore prædita sunt.

abolitus, *imminutus,* *depravatus,*

Imminuitur vel *aboletur* Gustus, quando papillulæ Linguæ nerveæ *nunc* flaccidæ nimis redduntur, velut in paralysi aut humectatione earum excessivâ; *nunc* muco nimio obliniuntur, ut sapidarum particularum ἐνέργειαν & vellicationem admittere nequeant; nunc ob defectum salivalis humoris exiccantur valdè atque indurantur, sicq; ineptæ ad recipiendum motũ evadunt, quem quidem sapidæ rerum particulæ imprimere conantur. Siccitas ejusmodi scabritiem & asperitatem gignit, ac frequenter ab aëre in inspiratione transeunte producitur, quando videlicet ore aperto munia nostra obimus, aut quando hiante oris rictu dormimus; aër enim, præprimis calidus, absorbet magnopere humiditatem Linguæ ac Faucium. Os apertum tenemus sive vigilantes sive dormientes ex consuetudine malâ, vel propter nares muco viscido & crasso obstructas, ita ut aër in inspiratione per nares attrahi aut penetrare nequeat. Non raro & in æstu corporis nimio, sive Febris quædam ardens, sive corporis exercitatio nimia, sive calefacientium valdè, aut spirituoso-sulphurearum rerum, Vinique generosioris, inprimis rubicundi, usus illum excitaverint, dicta Linguæ siccitas & scabrities oboritur. Saliva deficit, quando serum humoralis

Massæ

massæ nimis crassum lentum ac viscidum evasit, unde per poros Glandularum salivalium Lympha nulla transmittitur vel segregatur; aut si quid Salivæ secernitur, illud mucosum, crassum ac viscidum existit, vel tale mox ab aëre forsan externo calido & sicco, aut aëre fervido in exspiratione transeunte evadit; vel etiam ita ab exhalantibus è ventriculo per gulam vaporibus redditur, formamque pituitæ nunc subflavæ, nunc nigræ, nunc albæ viscidæ induit, partibusque oris instar glutinis adhærescit.

Depravatur autem Gustus, quando Lingua imbuitur salivâ, aut quacunque alio humore viscido, saporem alienum in se habente vel producente, ita ut quicquid dein assumitur, eodem sapore præditum esse creatur. Subinde & Cibi quidam assumti saporem suum adeo fortiter tenaciterque imprimunt Papillis Linguæ, ut diu postea subsistat, ac ita rerum aliarum degustationem impediat. Si quis enim v. gr. post cometum caseum putrem, post acetum in acetariis assumtum, vel post alimentum maximè adversum ori ingestum, ut alia specificè contraria Vinum aliaque alimenta degustet, revera hæc non observabuntur nativũ suum obtinere saporem. Quòd si mucus palatinus, aut saliva præternaturaliter sit constituta, ut pituita quædam vaporosa è malè digestis in Ventriculo cibis in rictum palati ascendat, & eructetur, quale quid in Febribus sæpè contingit, tum modò dulcis, modò visçosus, modò acidus, amarus, salsus, vitriolicus, aut nescio quis alius sapor præternaturalis in assumtis cibis deprehenditur, imò & in Linguâ percipitur, etiamsi nihil ori ingeratur. Hinc enim Ægrotantes de oris amarore, salsedine, aciditate, &c. conqueruntur.

Symptoma hoc per se nihil habet in se, vel portendit periculi, quin si causa ejus fuerit correcta, per se promtè disparebit. *Curatio* proin juxta causarum diversitatem instituitur; quod si hinc à *Nervorum debilitate* aut *resolutione* proveniat, *intus* quidem, sicut in Paralysi, corpus unâ vel alterâ vice purgabitur per superiora aut inferiora, prout id naturæ inclinatio postulabit. Deinceps *Sal* quoddam *volatile oleosum* m. ac vesperi cum *Infuso fol. Thée*, *Beton. Majoranæ* & *Chamædryos* ad gutt. 15. vel 20. exhibebitur; etiam basis Linguæ bis vel ter quotidie *Ol. stillat. Rorismar. Lavend. Thymi*, *Amarac.* illinetur. *Extus* autem *Vesicatorium* Nuchæ applicabitur. *Curatio Affectûs.* *à Nervorum debilitate.*

Si à *cruditatibus* Ventriculi aut primarum viarum producatur, *Vomitorium* ex *Ipecacuanhæ* vel *Asari radicis* ʒß. cum *granis duobus Cinamomi* dabitur, imò etiam, si opus videbitur, post aliquot dies, fractâ nonnihil dosi, repetetur; ac deinceps *Elixir propriet. Clauderi* cum *Essentiâ Zedoar. Absynthii* & *Calami aromat.* bis quotidie ad 25 pluresve guttas cum vehiculo congruo stomachico dabitur. *à Cruditatibus.*

Si à *Salivâ* aut *Muco viscido* trahat originem in Febribus, tum alvo *à Salivâ viscidâ.*

quotidie

quotidie apertâ diaphoretica plus minus volatilia exhibeantur, ex ♄nio *diaphor. Ocul.* ♋. *ppt. Bezoard. min. Viperarum Spinis ppt. Ebore vel C. C. philos. ppt. Sale volatil. C. C. Viperar. Ebor. Cinnab. nativ.* &c. cum *Aquâ destill. Nasturtii, Card. bened. Flor. Sambuc. Scab. Succis. Taraxac.* Et in usu talium remediorum per plures dies continuandum est, donec salivæ tenuioris proventus, & leviusculi madoris cutanei successus apparuerit, tū enim Gustatio paulatim naturalis redibit.

à Lingua ariditate. Quando *ariditas Linguæ* in culpâ est, v. gr. ex ore frequenter aperto per consuetudinem pravam, tum corrigenda hæc est, & ab illo more desuescendum; quod quidem fiet tanto facilius, si nares forsan à muci copiâ obstructæ reserentur ante somnum, idque per usum remediorum *errhinorum*; v. gr. *Pulveris è Foliis Thymi, Betonic. Majoran, Lavendul. Floribus Aurant. Lil. convall. Radic. Angel. Caryophyll. Ireos flor. Cyperi,* &c. compositi, ac naribus sæpè attracti. Aut *Liquoris errhini*, v. gr. *Decocti fol. Beton. Melisf. Majoran. Lil. convall.* cum *Succo Betæ, Atriplic.* &c. permiscendi, & naribus immittendi. *Ariditas* verò & *asperitas* Linguæ à Salivæ defectu oriunda in Febribus aut aliâs, præter antifebrilia, massæ sanguineæ viscitatem corrigentia & resolventia, emendari potest *mollibus, pinguibus* & *mucilaginosis* Linguæ affricandis, vel ad lambendum, colluendum, masticandumque traditis. Plebeji hunc in finem *frusto Lardi* subinde linguam & os fricant non sine fructu; vel *Passulæ minores, Pruna damascena, Tamarindi, Poma recentia, Folia Sempervivi majoris, Lactucæ, Acetosæ, Portulacæ, Quercuum teneriora succulenta,* sæpius masticata, similiter prosunt. Alii *Melonum, Cucumerum*, vel *Cucurbitarum* carnem masticandam, sed iterum exspuendam præbent. Vel *Mucilaginem Seminis Cydonior. Psyllii, Malvæ, Pomor.* aut *Radic. Alth. Aquâ Rosar.* extractam cum *Syrup. Viol. de Nymph. Gran. acid.* aut *Melle rosac.* permiscere, ac lambendam dare possumus. Vel *mixtiones* has *spissiores* reddere, *nodulo* includere, huncque *Aquâ Rosarum* subinde conspersum Linguæ imponere & aliquandiu ore retinere licet. *Lacte butyroso* frigido oris partes sæpè etiam colluuntur. *Albumen ovi* cum *decocto Hordei* mistum & gargarisatum est præstans. Alii cum tantillo *Mellis Butyrum* miscent & hinc lambunt. Si cum *ariditate ardor* simul jungatur, tum ea, quæ in *Faucium Ardore* commendavimus, heic maximè conveniunt.

Quod si à *muco viscido* Gustus depravatus fuerit, frequenter extergendus ille erit, hincque os colluendum, v. gr. *Sero Lactis, Melle, Aceto rosaceo*, aut *scillitico*; vel *Hordeum, Ciceres, Radices Cichor. Ireos Fl. Liquirit. Acetos. Passulæ minores, Folia Salviæ, Hyssop. Lactuc. Portulac. Agrimon. Malv. Melisf. Scab.* & similia in Aquâ decoquantur cum tantillo *Aceti rosac.* hocque decocto calente Os frequenter colluatur. Interna dein diaphoret. in usum vocari non negligantur.

GVLÆ

GVLÆ ANGVSTIA vel OBSTRVCTIO, est Canalis à palato in Ventriculum descendentis per quamcunque causam facta angustia, subinde cum difficultate respirandi conjuncta.

Causa mali est vel res aliqua dura, v. g. officulum, spina piscium, acus, aliaque per incuriam in palatum deglutita, inibique acutis suis eminentiis in canalis introitu aut progressu, non sine magnâ molestiâ, puncturâ, atque deglutiendi difficultate, obhærens. Vel aliquando est Ulcus, aut induratio Tunicarum, aut Tumor aliquis sive scirrhosus, sive alius, intra Gulam, à collectâ inspissataque nunc dulciore, nunc acriori Lymphâ enatus, & Oesephagum vel planè constipans, vel ita angustum reddens, ut, si quid deglutitur, ad locum Tumoris quidem facilè demittatur, sed ubi ulterius in Ventriculum est protrudendum, id non nisi cum magno labore atque dolore fieri queat, quin sæpiùs per violentum rejiciatur vomitum. Atque Tumores quidem inflammatorios, Abscessus & Ulcera Oesophagi Cadaverum exenteratio non infrequens subinde detexit: ita enim ante aliquot annos heic Basileæ Rusticæ cujusdam mulieris cadaver, postquam ex deglutiendi difficultate in lethalem Hecticam incidit, & mortua fuit, lustrabamus, & ejus quidem interanea omnia sana deprehendimus, solo excepto Oesophago & Gulâ, in cujus medio ferè tractu scirrhosam tunicæ interioris glandulosæ intumefactionem, atque duritiem conspiciebamus, eamque statim unicam mali, quo laborabat ægra Mulier, causam pronunciabamus. Similem casum non ita pridem observavit *Clariss. Dn.* D. Claudius Passavant, *Practicus* apud nos *feliciss.* in apertione Cadaveris Viri alicujus Lucisvallensis, cujus Oesophagus ob Tunicæ mucoso-glandulosæ scirrhosam indurationem adeo angustatus fuit, ut stylum transmittere non nisi cum labore potuerit. Scirrhus verò talis à concretione Lymphæ acidioris & austerioris originem ducit, cui ansam præbet inprimis gelid⁹ semper Aquarum aliorumve Liquorum potus, & acidorum comestio frequens, inprimis frigidorum. Sic *Consulis* apud nos *Amplissimi* Ann. 1690. deglutitionem maximè difficilem, cum dolore & vomitu frequenti rerum nondum planè in Ventriculi cavum demissarum, indeque necessariò secutam Atrophiam funestam (famelico licèt semper existente stomacho) Medici scitè adscripserunt scirrhosæ tunicarum Oesophagi constitutioni, sensim à potibus glaciatis, cui Vir ditissimus per plures annos æstivo, hybernoque tempore maximè indulsit, productæ, unde si quid in Ventriculi cavum deglutire voluit, magnâ cum vi, nec sine dolore regionis Oesophagi ingenti illud præstare coactus fuerit, argumento certo, maximè angustatum, simulque scirrhosum & induratum fuisse Stomachi introitum.

Si quid igitur Gulæ illapsum est, & simul Epiglottidem in suo libero motu offendat, tum non solùm punctorius *Diagnosis.*

ctorius in illis partibus dolor, sed & loquelæ simul ac deglutiendi difficultas producitur; imò si res illapsa fortius pungat, nec citò eximi queat, etiam Inflammationem, Tumoremque excitat, Hominem brevi suffocantem, nisi causam maturè abstuleris. Aliâs verò angustia Gulæ ex eo quoque cognoscitur, quando Homo facilè quidem alimenta in rictum Palati, aut in ipsum fortè Gulæ introitum demittit, sed quando postea ulterius in Ventriculum ipsum planè detrudere vel nequit, vel non nisi cum dolore ac difficultate potest. Interdum etiam Cibi aliquamdiu in Gulâ angustatâ obhærent, ac demum vel delabuntur in Stomachi cavum, vel cum Vomitu iterum ejiciuntur.

Prognosis. Quicquid proin in Gulam delabitur, ac in conspectum venit, chirurgicis facilè instrumentis eximi potest. Si verò profundius intra ipsum gulæ canalem demissum obhæreat, difficilius aufertur. Scirrhus Gulæ aut Oesophagi inveteratus, vel etiam Ulcus confirmatum immedicabile est, Hominesque per maciem paulatinam consumit. Inflammatio quoque Gulæ periculosa est, & in Abscessum facilè transit.

Curatio. *Curatio* pro varietate causarum instituitur. Ossicula, Spinæ piscium, vel alia Gulæ illapsa instrumentis chirurgicis, Acantabulo nimirum curvo, vel Volsellâ, vel Fistulâ aut Cannulâ curvâ perforatâ & oleo oblitâ extrahuntur, si conspici queant. Si autem *Inflammatio*, vel leve aliquod *Vulnus* fuerit in affectâ parte factum, promptè malum hoc curabitur *Melle rosaceo*, si cum *Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Levist. factâ* mistum sæpiùs lambatur. Si res illapsæ in conspectum non veniant, tum Cervix Ægri pugno percutitur; vomitus etiam *Oleo Amygdal. dulc.* aut *Jure pingui* movetur. Vel *Boli majores panis* deglutiuntur. Vel *Candelâ* etiam *cereâ*, aut *Stylo plumbeo incurvato*, *Melle* aut *Oleo* oblito, detruditur in stomachum. Tussis denique assumtis acidis excitatur.

Scirrhus autem *incipiens* in mediâ vel extremâ Gulâ discutitur, si *potus Thée*, *Betonic. Malv. Parietar. Salv. Veronic. Ocymi*, vel *Coffée* quotidie bis vel ter hauriatur; si *ordinarius potus* magis *calidus*, quàm *frigidus* existat; si singulis quoque noctibus per plures hebdomadas dosis *Pulveris contra Botium* vel *Strumam* cum *Melle* aut *Aqu. Fœniculi* sumatur; si æstivo tempore *Thermarum* quarundam *potus* debito cum regiminæ diætæ usurpetur, atque corpus simul iisdem balnei loco immittatur, aut potius si quotidie semel Laconicum ingrediatur; si tandem in Victu nihil admittatur, quod serum sanguinis viscosum reddere queat. Inprimis autem liquores glaciatos, vel è saxis defluentes Aquas fontanas in potu ordinario, non secus atque acida, salsaque omnia in cibis damnamus.

Si obstructio gulæ est ab *Inflammatione*, tum curatio est instituenda prout in Febribus. In *Abscessu* autem vel *Ulcere* jam formato probamus usum *Decoctorum vulnerariorum*, cum *Essen-*

Eſſentiis traumaticis diligenter hauriendorum, quemadmodum ſuo loco prolixius in *Vulneribus* & *Ulceribus* traditur. Si *Thermæ* Rhætorum *Fabarienſes* haberi poſſunt, nec eorum potum diſſuaderemus.

Quando verò Anguſtia Gulæ & Oeſophagi provenit à muco quodam acido-auſtero, fibras nervoſas adducente, & velut ſpasmodicè conſtringente, tum nil melius eſt, quàm *pulvis abſorbens* aliquis v. gr. ſeqq.

℞. *Spec. diacret. Mynſ.* ℥iß.
♁ *n. diaph.* ʒß.
Cinnab. ♁ *n. opt.*
Nuc. moſch. *ana* ℈j.
Sacch. alb. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. indeq. ter vel pluries quotidie cuſpis cultri plenus ſiccè ſumatur, vel cum Aqu. Fœniculi hauriatur.

In omnibus ejusmodi Affectibus externè prodeſt impoſitum *Emplaſtrum de Baccis Lauri*, vel *Norimbergenſe camphoratum* cum *Nuc. moſchatâ*, vel *diaphoreticum Mynſ.* aliudve ſimile.

GVSTA SERENA, *Amauroſis* eſt omnimoda Viſionis abolitio, nullo in oculis apparente perceptibili vitio, orta à denegato ſpirituum animalium per nervum opticum influxu, tonoque fibrarum Retinæ tunicæ maximè debilitato.

Eſt autem vel *incipiens*, ubi ſentiunt Ægri gravitatem circa oculos, & quaſi muſcas ante eos volitantes; vel *conſummata*: vel *ſubitò* orta, vel *tractu temporis* contracta: vel ab *externâ* vel ab *internâ* causâ producta.

Cauſa. *Cauſa* hujus Affectûs *proxima* varia eſt, nimirum *vel* Nervi optici retinæque Tunicæ induratio; *vel* ejusdem nimia flacciditas, mollities, aut obſtructio ab humore viſcido oriunda; *vel* compreſſio à tumoribus in cerebro exiſtentibus, & nervo optico incumbentibus; *vel* humor extravaſatus à Vulneribus aut Contuſionibus capitis; *vel* alius denique Morbus Cerebri, unde debitus ſpirituum animalium influxus per Nervos opticos intercipitur, aut denegatur. *Antecedenter* contribuunt ad Affectum Aër nocturnus, frigidus, pluvioſus, Crapula frequens, Victus crudior, Vigiliæ protractæ, Somnus intempeſtivus, inprimis ſub jove frigido, Exercitia inſolita corporis; ſubitanei & graviores Animi affectus, Excretiones ſubitò ſuppreſſæ; Ictus & Caſus ab alto, Vulnus atque Contuſio capitis.

Diagnoſis. Ex eo inprimis cognoſcitur, quòd utut Homines nihil planè videant, imò ne quidem luminis externi qualemcunque effectum percipiant, nullum tamen in Oculis vitium pateat, neque in Pupillâ, niſi quod hæc aliquando amplior ſolito, ac magis nigricans obſervetur, & minimè mutetur, licèt opponatur lumini. In utroque ſimul oculo plerunque contingit, etſi non ſemper in principio; ac utplurimùm ſubitò, rarius verò paulatim oritur, atque producitur. Sine dolore tandem affligit, Hominesque ſibi imaginantur ſe in cymmeriis tene-

bris latere, cum nullum plenè lumen percipiant.

Amaurosis recens, vel modò incipiens, & subitò orta, nisi à graviori causâ provenerit, curatu adhuc possibilis, licèt difficilis; inveterata autem, quæque Morbos sequitur graviores, planè incurabilis, vel certè periculosa existit.

Curatio. *Curatio* pro diversitate causarum varianda est, si enim *Amaurosis* subitò orta & Homo plethoricus sit; ut & si ab ictu & casu ab alto, vel ab accepta contusione aut vulnete provenerit, ita ut metus sit factæ cujusdam extravasationis, tum *Venæsectio* statim celebretur in Brachio, Capitique *Sacculus Herbarum cephalicarum*, inprimis *Verbenæ*, *Absynth. Abroton. Betonic. Veronic. Majoran. Thym. Origan.* &c. *Vino* incoctus, & expressus frequenter calidè applicetur. *Vesicatoria* statim simul pro re natâ nuchæ apponantur.

Si subitò à Defluxione quadam, aliisque causis magis internis, orta fuerit, tum in plethorico quidem Homine similiter *Venæsectio* non formidetur; deinceps verò *Pilulæ purgantes cephalicæ è Mass. Pilul. de Succin. Craton. de Sagapen. Marocost. Extr. cathol. panchymag.* aliisq; cum *Mercur. dulc.* vel *Cinnab.* ♁ *n. opt.* & *Ol. stillat. Rorismar. Lavend. Thym. Fœnic.* bis in septimanâ exhibeantur. *Vesicatoria* statim in Vertice Capitis, imò & retro utramque Aurem applicentur. *Cucurbitulæ* quoque *cum scarificatione* dorso admoveantur. Postmodum *cephalicum Decoctum* propinetur in *Aquâ communi* post macerationem prægressam factum ex *Radic. Valerian. Chelidon. maj. Chin. Sarsparill. Lign. Sassaphr. Cortic. Lign. Guajac. Herbis Beton. Rorismarin. Ocym. Origan. Euphras. Calaminth. Chamædr. Semin. Fœnicul. Coriandr.* De hoc *Decocto* ter quotidie sumat ℥iij. vel iv. cũ aliquot *guttis Spirit. Sal. arm. fœniculat. Tinctur. Castor. cum Spirit. Sal. arm. parat. Spiritûs Formicar. Spirit. magnaminitat. Salis volat. oleos.* vel *Liqu. C. C. succinat.* Præterea *Errhina* naribus admoveantur sub formâ vel *Pulveris Tabaci*, vel *Liquoris* è *Succo Betæ, Brassicæ, Nasturtii* cum *Aqu.* vel *Spirit. Meliss. Anth.* &c. Ita quoque *Apophlegmatismi* boni sunt, inprimis sub formâ *Trochiscorum sublingual.* è *Mastich. Cinamom. Rad. Pyrethr. Garyophyll. Radic. Angelic. Valerian.* &c. cum *Oleo dest. Fœn. Sacch.* & *Mucilag. Gum̃. Trag. Aqu. Ros. fact.* paratorum, qui continuè masticentur. Vesperi etiam cum superiore *decocto* possunt sumi *Millepedes præparati ad* ℈j. Capitis vertici raso autem inungatur *Oleum dest. Succini*, atque *Lavend. Amarac.* imponatur simul *Emplastrum cephalicum nostrum*, cum *Semine Sinapi pulverisato* acuatum. Toti verò capiti *Cucupha* quoque applicetur è *Plantis cephalicis* & *Aromatibus* concinnata. Ac denique *Setaceum* in Nuchâ, vel *Fonticulus* in utroque Brachio excitetur.

Quibus nihil juvantibus, ad *Salivationem* excitandam protinus est deveniendum; quæ post exhibitionem *Pilularum mercurialium* purgantium

tium, uti supra monitum, optimè instituitur sequenti modo:

℞. *Cinnab. nativ. vel ♁ n. opt.*
Myrrh. rubr.
Succin. alb. ana q. v.

M. f. Pulvis subt. cujus, quantum cuspide cultri capi potest prunis injiciatur, & fumus inde exhalans ope infundibili ore exceptus, aliquandiu in eo detineatur, ac postea efflетur, iterumque novus excipiatur. Hoc opus ter ad minimum de die repetatur, donec salivatio probè sequatur; sed nulla hoc tempore oculorum Inflammatio adesse debet. Æger in calido maneat loco, quamdiu salivatio durat; si verò eadem cunctetur, poterit *Mercurius dulcis ter sublimatus*, cum *Conservâ Rosar.* vel *Beton.* sub formâ *Boli*, semel aut bis deglutiri, ut tanto melius sequatur Salivatio; hanc verò instare, patet ex tumore Faucium, Linguæ, Gingivarum, & Dentium incipiente stupore aut vacillatione.

Diæta in hoc Morbo instituenda est contraria causis. *Cibus* sit parcus, inprimis vesperi, multum plantis cephalicis & ophthalmicis conditus. Pro *Potu* ordinario concedatur *Decoctum Herb. Euphras. Betonic.* aliarumque *cephalicar.* Vel *Vinum* aut *Cerevisia* probè defœcata iisdem affusa propinetur. *Aër* serenus, siccus, calidus; Alvus respondens: Mens hilaris existat.

GVTTA ROSACEA, est rubor Faciei pustulosus, fructûs Cynosbati colorem referens, à diuturno Vini abusu, aut intempestivâ venere, aut contagio etiam hæreditario obortus.

Affectus vel *incipiens* est, vel *confirmatus*: *recens*, vel *inveteratus*; cùm vel *sine Pustulis* & *tuberculis ulcerosis rubentibus*: *gravior*, vel *levior*: vel *totam Faciem*, vel *Nasum* duntaxat infestans: alia *adventitia* s. *acquisita*, alia *congenita* & *hæreditaria*: alia *indolens*, alia *dolens*, *pruriginosa*, *inflammatoria*, *crustosa*, *squamosa*. *Differentia.*

Causa *proxima* est humoris sanguineo-fœculenti, plus minusve salsi & crassi intra varios tubulos & glandulas cutaneas Faciei obhærens & stagnans. *Antecedentes* verò & *procatarcticæ* causæ sunt Massæ sanguineæ intemperies ♀eo-salina fixior, quæ tartareas suas, atque fixiores, viscidas, fœculentas partes in Faciei magis cute, quàm in aliis corporis partibus deponit, quoniam transpiratio ibi non tam feliciter procedit, quàm alibi, cùm Facies aëri cuicunque sit semper exposita, sicque halitus per poros nunc exprimantur largiter, nunc subitò etiam retropellantur. Dum itaque latex humorosus vel post largum Vini potum, vel in Irâ, aut subitaneo Motu ac Terrore, in motum ebullientem suscitatur, caput mox incalescit, ipseque sanguis in capillaribus Faciei tubulis sistitur, & sic facilè glandulas ibidem minimas suis spiculis salinis distorquere, fœculentumque humorem in illis deponere potest, qui dein stagnando sensimque augescendo cutim in *Tubercula* suaverubentia elevat, ita ut *Causa.*

hæc quandoque exulcerata pus concoctum ex ſeſe fundant. In *Facie* magis exoritur hic *Affectus* apud Bibulos, quando ab intempeſtivo potu frequenter etiam ſanguinis æſtus & rarefactio augetur, unde vaſa pneumonica aliave diſtenduntur, valdeque diſtenta & expanſa compreſſione ſuâ impediunt, quò minus Sanguis in Faciei venis debitâ promptitudine ad Cor deſcendere queat; hic proin tardius ſic profluens facilè incraſſatur, ſpiſſioresque ſuas particulas hinc inde in poris cutaneis relinquit; ut adeo in Hominibus Vino obrutis majorem Faciei, intenſioremque ruborem obſervare liceat. Contribuit tamen etiam ad hocce vitium ipſarum Faciei glandularum peculiaris ſtructura, ob quam tubuli anguſtiores exiſtunt, & ſic faciliùs in ſeſe fœculentias intemperati ſanguinis admittunt, atque coërcent. Quod ſi Rubedo ſimplex eſt ſine puſtulis aut tuberculis, quemadmodum in principio hujus Morbi evenire ſolet, tum ſanguis fœculentus intra vaſcula adhuc coërcetur, tardeque per ea ſine effuſione decurrit, vel leves Varices in iiſdem excitat. Si autem jam *Puſtulæ* effloruerunt, utplurimum extravaſatus eſt ſanguis, qui ſuppuratus dein *Ulcera manantia* exhibet. Ubi autem concreſcit & induratur, tum *nodoſam* vel *tuberoſam* efficit *Guttam roſaceam*, in quâ ſæpè Naſum duplo majorem videre licet.

Diagnoſis. Affectus uti externus eſt, ita unicuique in conſpectum promtè venit: principium ejus ferè eſt exiguum, natum vel in ipſâ Naſi extremitate, vel in ſummitate Genarum prope Nares. Primò quidem rubedo adeſt, eaque inſtar maculæ purpuraſcentis, quæ nunc floridioris evadit, inprimis à poto Vino, coloris, nunc iterum pallidioris. Paulatim verò illa rubedo conſtantior fit, majoremque portionem Genarum occupat, tandem cauſâ etiam auctâ & cutim inflante, in *Puſtulas* & *Tubercula* rubicunda mutatur. Hæc Tubercula vel Puſtulæ quandoque exulcerantur, atque ſaniem fundunt. Contingit verò ſimul in hoc Affectu, ut etiam Naſus variis Tuberibus rubicundis curioſè donetur, & ſic duplo interdum major, atque nodoſus evadat.

Quoad *Prognoſin*, incipiens Affectus in Juvenibus adhuc curabilis eſt, confirmatus autem vix medicabilis exiſtit, præprimis ſi jam majores Puſtulæ aut Nodi fuerint geniti. Sic & hæreditarium exiſtens malum curationem vix ullam admittit. Nonnullis tamen cum Ætate diſparet Rubor, ſi exactam nimirum in Vini aliarumque rerum uſu diætam ſemper obſervârint. Aliis verò Vino abutentibus cum ætate increſcit, atque in ſordidum tandem ſpectaculum mutatur.

In *Curatione* primùm ſeroſi infarctus & obſtructiones tam per *evacuantia*, ſerum acrius & viſcidius per quaſcunque vias educentia, quàm etiam per *topica*, diaphoreſin partis affectæ promoventia, ſunt aperiendæ ac reſerandæ. Dein etiã cauſæ antecedentes ſunt emendandæ, totaque adeo ſanguinis maſſa à particularum ſalſo-

auſtero-

austero-sulphurearum quantitate liberanda; tandem & procatarcticæ causæ per observatam probè diætam evitandæ sunt.

Ante omnia itaq; *Vinum medicatum*, è *plantis nitroso sale abundantibus* rectè paratum aliquandiu concedantur bibendum, v. g.

℞. *Radic. Cichor.*
Endiv.
Nymph.
Polypod. ana ʒiiß.
Herb. Agrimon.
Hepat. nobil.
Scolopendr.
Pimpinell.
Ulmar. ana Mß.
Flor. Bellid. min. Pij.
Fol. Senæ Opt. mund. ℥j.
Agaric. trochisc.
Rad. Helleb. nigr. ana ʒiiß.
Spic. indic.
Semin. Lactuc.
Salis Prunell. ana ʒj.

Incis. & contusa insuantur nodulo ex Sindon. alb. cui affunde Vin. albi veteris & Aqu. fontan. ana ℔ij. ac singulis inde diebus mane ℥iv. vel sex hauriantur. Durante usu hujus remedii, subinde reiterati, etiam *Venæsectio* in Brachio vel Pede semel aut bis instituatur. Prodest dein, loco *Vini medicati* repetiti, aliquoties dosin *Pulveris polychresti* exhibere cum insigni haustu *Ptisanæ* ordinariæ. Post hæc diuturnus usus *Diaphor.* ♂ *ial. Ocul.* ♋. *ppt.* & *Lapid. prunell.* vel *Nitri* ♃ *niat. Pulv. hepat. rubr. Spec. lætif. Galen. ac diatr. santal.* cum *Conserv. Rosf. Acetosell.* aut *Radicis Cichorei* commendandus venit. Huic tamen remedio, ne appetitum dejiciat, intercalare poteris usum *Tincturæ* ♃ *nii*, vel ♂ *tis aper.* & *Corall.* vel *Spirit. aper. Penot.* Quin & *Spirit. vitriol. Mart. ad guttas* iv. vj. *vel* viij. singulis vespertinis per unam vel alteram septimanam haustus, nostrâ experientia brevi feliciterque *Guttam* sustulit *rosaceam*. Adde his *Acidulas* æstate præprimis potas, vel *Caprilli Lactis serum* mense Majo haustum, *nitrosisq;* ulterius *Plantis* incoctis alteratum. Vel etiam *Juscula plantis aperitivis* alterata, v. g. *Radic. Cichor. Scorzoner. Apii Selin. Hepat. nobil. Fragar. Ulmar. Eupator. Nymph. Endiv. Lactuc. Acetosæ, Borrag. Bugloss. Nasturt. Cherefol. Fumar. Scabios.* &c. Ita quoque *Conservæ Acetosellæ, Fumariæ, Portulacæ, Melissæ, Rosar. Conditura radic. Cichorei* &c. cum *absorbentibus pulveribus* frequenter sumtæ non parum boni operantur. Novimus aliquos, qui singulis matutinis horis per mensem integrum *Aquæ fontanæ optimæ*, vel *Aquæ Portulac. Endiv. Nymph. Lactuc. Cichor.* haustum biberunt, & simul *pugillum Passularum minorum* probè lotarum, iterumque in Aëre siccatarum manducârunt, hacque ratione à *Guttâ rosaceâ* feliciter liberati fuerunt & postea manserunt.

Quod autem *externa* concernit, *topicave* remedia, si Pustulæ jam majores fuerint, & pus concoctum habuerint, eo, quo *Furunculi*, modo curabuntur. Aliâs autem seqq. in his illisve proficua fuerunt remedia:

℞. *Flor.*

℞. *Flor. ♀ris.*
Alum. cryſtallin. ana ʒvj.
Pulveriſatis affunde
Aqu. Roſac. ℔j.

Maneant ſic mixta, & cubitum iturus Faciem hac Aquâ tepidè lavet, poſtridie mane autem eandem *Aqu. Fragor.* aut *Roſar.* tepidâ abluet.

℞. *Aceti Vini albi* Mj.
Camphor. probè trit. ℥j.
Flor. ♀ris ʒij.
Axung. Porci maſcul. ℔j.

Mixta inde omnia Ollæ terreæ novæ, coque ſuper prunas per horam integram, cavendo ne empyreuma adquirat; effunde poſtea in patinam, in quâ, cùm refrixit, reſiduum Aceti ſeparetur, hinc de novo ſolvatur, ut omne Acetum abſcedat. Hoc *Unguento* cubitum iturus Rubedinem Faciei inunge, & ſeqq. mane vel linteis mollibus leniter abſterge, vel *Oleo roſaceo*, aut *Aqu. Fragor. Flor. Fabar. Spermat. Ranar.* calefactâ ablue.

Aliis magis convenit ſeqq. *Lac Virginis:*

℞. *Aſæ dul. Myrrh. elect.*
Styrac. calamit. ana ℥ij.
Salis ♀ri ſicciſſ. ℥ß.
Camph. ʒij.
Spirit. Vini rectificatiſſ. ℥xvj.

Species ſingulæ in ſubtilem pulverem redigantur, hinc Spiritu affuſo ſtent in vaſe clauſo & loco tepido, usq; dum Tinctura rubicundiſſima fuerit extracta, omnisq; Reſina ſoluta, quæ dein per chartam emporeticam filtrata in uſum externum ſervetur. Sunt qui ad fragrantem magis reddendam hanc Tincturam, ſimul aliquid *Cinamomi, Caryophyll. Moſchi* & *Ambræ* cum *Spir. Roſar. ſolut.* addunt. Poſtea

℞. *Aqu. Fl. Fabar.*
Lil. alb.
Fragor.
Spermat. Ranar. ana ℥j.

Miſceantur & Liquor lacteus mox evadet; hoc verò *Lacte* poſtmodum Facies, Mentum aut Frons lavari poterunt. Sequens etiam *Mixtura* non eſt contemnenda, quâ difformis ſæpè lavetur Facies.

℞. *Aqu. Sperm. Ran.*
Flor. Fabar. cum. Vin. deſt.
Fragor.
Flor. omnium ana ℥ij.
Ol. ♀ri per deliquium ʒj.
Salis Saturni ʒß.
Camphor. pauxill. Spirit. Vin. ſolut. ℈j.
Miſc. d. ad Vitr.

Sic etiam *Sulphur Thermarum Badenſium Helveticarum* cum *Spirit. Vin. camphorat. Aquis cosmeticis* diluto, in *Pulticulam tenuiorem* redactum & Faciei ſæpiùs affrictum vel inunctum conducit. Pariter & *Linimentum anteryſipelatodes Helmontii* è *Cremore Lactis dulci*, cum *Aceto Saturnino* confectum, ac ſæpius illitum prodeſt. Sunt &, qui *Acetum deſtillatum Saturno* parum imprægnatum *Aquis cosmeticis* diluunt, & eodem Faciem lavant. Plures *Urinâ propriâ* Faciem detergere ſolent ſingulis noctibus.

In *Diætâ* nimium ſalita & aromatica fugiantur: Vinum aquâ ſit dilutum, & hoc quoque parcius bibatur; vacuo inprimis ventriculo à Vini potu eſt 2

eſt abſtinendum. Thermæ, Balnea, ac Stufæ ſudatoriæ multis nocent. Motus corporis ſit moderatus, Conſortia vinolenta ſpernantur.

HÆMODIA, Ἁιμωδία, ex *αἷμα*, *Sanguis* & *ὀδὰς*, *Dens*, compoſito vocabulo, ſignificat *Dentium dolorem* vel *ſtuporem*, de quibus ſuo loco fusè actum eſt.

HÆMOPTOE, HÆMOPTYSIS, SANGVINIS SPVTVM, ex *αἷμα ſanguis*, & *πτύω ſpuo*, compoſitâ voce, eſt Sanguinis ſinceri, majori ex parte ſpumoſi, per Tuſſim excreatio, utplurimum cum Dyſpnœâ, ac reſpiratione ſtertorosâ conjuncta.

Pars affecta ſunt Vaſa ſanguifera capillaria, vel etiam majora, venoſa magis quàm arterioſa, in aſperâ Arteriâ, Pulmonibus & Thorace ſita. Quod enim ſanguinis ſputum è Faucibus, Palato, Gulâ, Columellâ, Ductu naſali, Gingivis, aut Ventriculo ipſo per Vomitum excernitur, *Hæmoptoë* appellari non ſolet.

Cauſa proxima eſt Vaſorum ſanguivehorum dictis in partibus affectis vel ruptio, vel eroſio, unde Sanguis in Pulmonis veſiculas effluens, intra ramulos & canaliculos tracheales ſuſcipitur, & inde paulatim cum Tuſſi rejicitur ſive excreatur; Reſpiratione interea propter Veſicularum pulmonalium impletionem nonnihil difficili, ac ſimul ob aërem per extravaſatum ſanguinem cum ſibilo vel alliſione penetrantem, ſtertorosâ redditâ.

Cauſa antecedens eſt vel humor acris erodens, aut pus quoque acre in Phthiſi Vaſa majora minorave aperiens: vel Tuſſis violenta quacunque demum à causâ proveniens, atque vas quoddam rumpens: vel tandem nimia tenerorum Vaſorum in Pulmonibus Plethoricorum diſtenſio atque ruptura, à ſanguine multum rarefacto producta, quemadmodum hoc in Viris ſubinde, in Fœminis autem frequentius contingit, præprimis tempore menſtrui fluxûs, qui ſi per ordinarias vias obſtructas fieri nequit, ſæpè per ruptos Pulmonum canaliculos, ſub formâ *Hæmoptoës* excitatur.

Externæ cauſæ ſunt Corporis incaleſcentia; nimius Vinorum generoſorum potus, præprimis ſi Aſthma, Tuſſis, atque Plethora ſimul adfuerint; inſpiratio aëris gelidi, vel potus gelidus affatim ingurgitatus poſt ingentem corporis æſtum; Ictus, Lapſus, Contuſio, Vulnus, nimia Vociferatio, & ſimilia violenta exercitia, quæ vaſa rumpere, ſanguiniſque ſputum producere valent.

Facilè Hæmoptyſis ex ſputo cognoſcitur, dum per Tuſſim modò ſanguis ſpumoſus, rutilus, floridus ac ſincerus è ruptis vaſis cum ſtertorosâ quadam reſpiratione plus minus copiosè ejicitur; modò ſanguineæ ſtriæ plures vel pauciores, purulentæ aut viſcoſæ materiæ permiſtæ, in Vomicâ aut Ulcere pulmonum &c. exſcreantur; quanquam hæc ſtriarum *Diagnoſis.*

tantùm ſanguinearum cum aliâ materiâ rejectio propriè non mereatur *Hæmoptoë* vocari. Quod ſi verò ſine Tuſſi ſanguis ſive è glandulis palatinis, ſive è Faucibus, (ad quas in Hæmorrhagiâ narium ſubinde per ductum naſalem corpore ſupino jacente delabitur) ſive tandem è Gingivis proveniens excreatur, magis Sputum cruentum quàm Hæmoptoë appellabitur; quemadmodum, qui è Ventriculo per gulam excernitur Sanguis, *Vomitus ſanguineus* nuncupatur. Notus fuit nobis ante complures años Viennæ Auſtriacæ *Vir Nobiliſſ.* Dn. Goldſchleger, *Profeſſor* olim *Marpurgenſis, S. Cæſ. Pal. Com.* qui quotannis verno atque autumnali tempore Hæmoptoën patiebatur, eaque non ſine diſcrimine Vitæ ultra quatuor libras ſanguinis ſpumoſi, floridique rejiciebat. Quo quidem malo per decem pluresve annos conflictabatur, donec tandem ex uſu *Fumi Tabaci* quotidiano ab eo prorſus liberatus fuerit.

Progno-ſis. Quantum ad *Prognoſin* attinet, non omnis Hæmoptoë æquè periculoſa eſt, ſed ea tantùm, quæ ab Ulcere Vomicaque Pulmonis provenit; quæ vires admodum debilitat, quæque Tuſſim, Pulmonis exulcerationem, & lethalem Phthiſin poſt ſe trahit. Reliqua verò omnis Hæmoptoë faciliorem admittit ſanationem.

Curatio. In *Curatione* ſi Phthiſis & Ulcus Pulmonis adeſt, tunc ſuo modo curatur, remedia ſemper admiſcendo, quæ ſanguinis ſimul fluxum ſiſtere poſſunt. Ubi autem in Plethoricis, aliiſque tenerioris texturæ Hominibus *Hæmoptoë* per Vaſorum rupturam contingit, ibi omiſſis *purgantibus*, *Venæſectio* ſtatim eſt inſtituenda: deinceps verò *Conditum* è *Conſerv. Bell. min. Radice Alth. Fl. Roſ. rubr. Roob Paſſular. Corall. rubr. ppt.* ♁ *n. diaph. Lapid. Hæmat. ppt. Semine Urtic. Sanguine Drac. ver. C. C. uſto, Unicorn. foſſil.* & *Syrup. Capill.* ♁ *is* vel *myrtin.* concinnatum, ſæpius exhibendum eſt, v. gr.

℞. *Conſ. Roſ. rubr.* ◔*lat.* ℥j.
Fl. Tunic. ℥ß.
Condit. rad. Symph. ʒij.
Conſ. Hyac. inc.
Lapid. Hæmat. ppt.
Terr. ſigillat. ana ʒj.
Semin. Hyoſcyam. ℈j.
Syrup. de Roſ. ſicc. q. ſ.
M. f. Electuar. d. ad Pyxid. Doſis ſingulis trihoriis magnitudo Nuciſtæ.

Vel *Tinctura antiphthiſic. ad gutt.* xvj. pro doſi exhibeatur m. ac veſp. Sic etiam *Rotulæ è Corall. rubr. ppt. Sanguin. Dracon. ver. Lapid. Hæmat. ppt. Gum̃. Samb. Semin. Hyoſcyam. Papav. alb. Violis recentibus*, ſi haberi adhuc poſſunt, vel ſiccis etiam, & *Saccharo*, tantillo *Succi Berberum* & *Aquâ Roſar. ſoluto*, confectæ præſtantes ſunt. Sed juxta hæc aliquandiu *Becchicis* detergentibus depletiones quoq; Pulmonum ſunt inſtituendæ, ne relicto cruore in eorum receſſibus tandem ulceroſi Sinus cum purulentâ materiâ progignantur. Ad quos præcavendos *Decoctum pectorale traumaticum* aliquandiu eſt bibendum, ex *Radicibus Gly-*

Glycirrhiz. Tussilag. Lappæ min. Nymphææ, Scorzoner. Fragar. Herbis Veronic. Chamædr. Chamæpith. Pilosell. Numular. Plantag. Sanicul. Vinc. pervinc. Geran. robertian. Flor. Bellid. min. Semin. Acetos. Passulis minoribus, Tamarind. & *Saccharo cand. rubr.* in *Aquâ fontis* invicem coctis, v. gr.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Ulmar. ana ℥ß.
Herb. Artemis.
Sanic.
Pyrol.
Summit. Virg. aur.
Flor. Bell. min. ana Mß.
Semin. Hyper.
Anis. ana ʒij.

Incis. & contus. coque in Vini albi veter. Aqu. font. ana ℔ij. *ad Ovi duritiem, de Colaturâ postmodum ter quotidie hauriantur tres pluresve unciæ cum* ʒj. *Conservæ Rosar. rubr.*

Vel *Decocti* hujus loco *Mixtura* propinari potest ex *Aqu. Veronic. Polygon. Urtic. Alchymill. Plantag. Burs. pastor. Scabios. Essentiis Flor. Bellid. min. Tussilag. Hyperic. Numular. Gramin. Parnass.* & *Sacch. cand. alb.*

℞. *Aqu. Polygon.* ℥iß.
Urtic.
Burs. Pastor. ana ℥j.
Syrup. flor. Tunic.
de Ros. sicc. ana ℥ß.
Essent. traumat. ℈iiij.
Corall. rubr. ppt.
Bol. Arm. ppt. ana ʒß.

M. d. ad Vitr. Singulis sex horis duo cochlearia plena capiantur.

Possunt quoque parari *Succi recentes* è *Bellid. Numularia, Plantagine, Urticâ urente, Gramine Parnassi, Hyperico, Veronica, Buglosso, Beccabungâ, Geranio robertiano*, ac similibus *Plantis vulnerariis*, atq; de horum uno alterove seorsim, vel aliquibus simul junctis m. ac v. tria aut quatuor cochlearia cum *Jure carnium* assumi.

Deterso autem & evacuato cruore, qui extravasatus fuit, *consolidantia* & *glutinantia* aliquandiu usurpari debent, concinnata è *Conservis Acetos. Ros. rubr. Lichenis petr. Flor. Tunicæ, Bellid. Syrupis capillor.* ♀. de *Symphyt. Fernel.* de *Polyg.* de *Ros. sicc. Bol. armen. Unic. fossil. Spec. diatr. frig. Terr. sigill. C. C. ust. Sanguin. Hirc. ppt. Sale Corallor. Syrupo* & *Pulvere Lichen. petr. Gramin. Parnass. Extract. fol. Querc. Essentiis vulnerariis* supra nominatis, è quibus variæ in rem præsentem formulæ adornari possunt. *Subacida* inprimis omnia in hoc Affectu cum fructu capiuntur; quibus admisceri tamen debent *absorbentia* & *opiata*. *Salia volatilia* autem; & *acria* qualiacunque nocent, utpote à quibus sanguinis consistentia nimis fluida redditur.

In *Diætâ* porrò à nimio corporis æstu, à Vinorum generosorum ingurgitatione largâ, à Vociferatione insigni, ab esu acrium salinorum & aromaticorum excessivo &c. est abstinendum. *Venæsectiones* bis vel ter in anno sunt instituendæ. *Potus Coffée* rarò parceque bibendus, ab usu *Aloëticorum* sibi cavendum. *Acidulis* suo tempore, sed cum cautelâ utendum; in plerisque usus *Lactis caprilli* vel *asinini* est præferendus. Tandem & *Fumus Tabaci* frequens *Diæta.*

 præ-

præſervationis loco non eſt contemnendus.

Hæmorrhagia narium. HÆMORRHAGIA NARIVM, ex αἷμα, *ſanguis* & ῥηγνύω, *rumpo*, compoſitâ *voce*, eſt fluxus ſanguinis qualiscunque per utrasque vel alterutras tantùm nares, à vaſculorum ſanguineorum apertione oriundus.

Cauſa. *Cauſa* ergo *proxima* eſt venulæ alicujus in naribus prominentis apertio, ſive hæc à rupturâ & dilaceratione, ſive ab eroſione contingat. *Antecedentes* cauſæ autem ſunt Plethora, Menſium vel Hæmorrhoidum obſtructio, unde natura excretionem per vaſcula narium molitur; Venularum in naribus prominentia, & teneritudo, ob quam facilè aperiuntur, vel eroduntur: earundem expanſio nimia, unde haud difficulter rumpuntur ac diſſiliunt; ad quod contribuere poſſunt vel Sternutatio, vel violenta nimis muci narium excuſſio, aut ſi durius obhæreſcat, & pruritum excitet, ejusdem extractio, vaſculum ſanguineum, cui adglutinatus eſt, ſimul dilacerans; æſtus ſanguinis ebullientis, atque hinc tardius per vaſa, inprimis frontis & narium, circulantis, unde ſimul Cephalalgia, in Febribus aliâs Hæmorrhagiam narium criticam præcedens, oboritur; acrimonia tandem ſanguinis juſto magis ſalſi & feroſioris exiſtentis, vel etiam in ſuâ compage diſſoluti, & vaſcula erodentis, unde narium Hæmorrhagiæ non raro incurabiles [producuntur, quæ licèt quandoque ſiſtantur, brevi tamen iterum recurrunt. Cauſæ *procatarcticæ* & *externæ* ſunt Æſtivi aëris calor, ac nimia corporis exæſtuatio per exercitationes vehementes: Victus plenior & copioſior; temperamentum plethoricum; uſus ciborum nimis ſalitorum aut acidorum: Potus rubri Vini largus & frequens, unde paulatim ſcorbutica, vel feroſo-ſalſo-acris Cacochymia Plethoræ jungitur: Iracundia, & corporis incaleſcentia non ſolùm à Sole, & vehementi corporis motu, ſed & à *Balneis*, inprimis ♀*reis* excitta, unde ſanguis turgeſcens vaſcula Narium valdè expandit, talemque moleſtiam excitat, quâ Homines Narium membranam vel leviter fricando, vel digiti intruſione expandendo, vaſcula rumpunt; quanquam & ſternutatio ex pruritu accedens ſimul vaſculum diſſilire faciat. Lapſus in nares aut caput, inflicti colaphi, ſternutatoriorum attractiones crebræ tandem haud abſimilem effectum producunt.

Quoad *Diagnoſin*, facilè Affectus hic ad oculos patet; notandum tamen, utrum effluens ſanguis in floridè rubentes concreſcat grumos, quod ſignum eſt Plethoræ, atque ſanguinis non adeo malè habentis. Vel an ſanguis effluens ſtatim in partes ſuas, feroſam nimirum ſalſamque copiâ exundantem, & grumoſam diſcedat, quod ſignum eſt ſanguinis admodum feroſi, atque ad ſui diſſolutionem deleteriam maximè proclivis. Diſtinguitur autem Hæmorrhagia in *criticam* & *ſymptomaticam*,

maticam, quarum *illa* in Febribus tempeſtivè nec immodicè eveniens ſalutem promittit; intempeſtivè autem & immodicè accidens, vel etiam ſæpè per vices rediens, lethalem morbi eventum portendit. *Hæc* verò ſ. *ſymptomatica* etiam citra Febrim ab aliquâ cauſarum ſupradictarum contingit.

In *Prognoſi* notandum eſt, quod *Hæmorrhagia modica ſymptomatica* in Plethoricis ſæpè Cephalalgiam adimat, & à Febribus, Apoplexiâ, aliisve morbis Hominem præſervet. *Hæmorrhagia* etiam *critica*, intra terminos mediocritatis ſubſiſtens, ac ubi ſimul ſanguis floridus, nec diſſolutus aut valde ſeroſus & acris eſt, ſanitatem Ægris conciliat. Si verò *Hæmorrhagia nimia* ſit, ſive in Febribus, ſive extra illas, ſi frequentius occurrat, ſi diu durans vires exolvat; ſi pallorem vultui & labiis inducat; ſi Sanguis effluens valdè ſeroſus ſit, acris & confeſtim in ſuas partes ſecedat; ſi acrimonia ſuâ nares exaſperet, & exulceret; ſi denique redeat ſubinde, tunc metus eſt, ne Hominem tandem interimat, ob continuum ac ſiſti impoſſibilem Sanguinis fluxum; néve etiam ſedatam Hæmorrhagiam Cachexia vel Hydrops lethalis ſubſequatur. In Febribus malignis Hæmorrhagia narium ſtatim à principio accedens, ac ſubinde licèt modicè rediens, magnam ſanguinis acrimoniam, dubiumque morbi eventum indicat.

Curatio pro diverſitate circumſtantiarum inſtituitur. Quod ſi enim *Criticè* in Febribus obtingat, non ſtatim ſiſtenda venit, ſed naturæ permittenda, ita tamen ut *roborante* interno *remedio*, *Mixturave cardiacâ* ſuccuramus. Si autem in iisdem Febribus magis *ſymptomaticè* à Sanguinis abundantiâ citra milignitatem eveniat, viresque fortes, plethoraque adſint, ad *ſanguinis miſſionem* tuto accedimus; atque mox ſimul diaphoretica præſcribimus, ea miſcendo, quæ æſtum ſanguinis minuere ac reſtinguere poſſunt; ſed externa ſimul non negligentur paulo pòſt enarranda. Ubi verò in Febribus Hæmorrhagia ſanguinis acrimoniæ adſcribenda venit, tunc *abſorbentia* & *edulcorantia internè* quidem, juxta *Emulſiones*, præſcribentur; *externè* verò ea applicabuntur, quæ poſtea in omni narium Hæmorrhagia commendantur.

In *Hæmorrhagiâ* nimiâ primo omnium *Venæſectio*, præcipuè in Plethoricis convenit, quæ uti ſanguinis abundantiam & æſtum, ita ſimul ejusdem per nares fluxum imminuens ac ſiſtens. Poſtmodum internè conveniunt *Julepi refrigerantes* ex *Aquis Portulac. Urtic. Lactuc. Endiv. Burſ. paſtor. Syrupus de Acetoſell. Rub. id. Cydonior. Flor. Papav. rhead.* Vel *Emulſio refrigerans* exhibeatur. *Hæmorrhagiâ nimia.*

℞. *Aqu. Plantag.* ℥iij.
Endiv. ℥ij.
Syrup. Cydon.
Acetoſell. ana ℥j.
Spir. ⊖*li q. ſ. ad grat. acid.*
M. f. Julepus, d. ad Vitr. pro duabus doſibus.

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. exc.* ℥j.
Aqu. Urtic.
Burs. past. ana ℥iiij.
F. l. a. Emuls. cui adde
Syrup. de Nymph.
Diacod. Mont. ana ʒvj.
Unic. fossil. ℈iiij.
M. d. ad Vitr. Potetur tribus dosibus.

Si sæpius in Plethoricis obtingat, metusque sit, ne accedente quadam præternaturali acrimoniâ, tandem quocunque modo lethalis evadat, tunc præservationis loco vel *Lac caprillum integrum* per plures hebdomadas est propinandum una cum ʒiß. vel ʒij. *Conservæ Ros. rubr. s.* ⊖*l.* Vel *Acidularum potus* æstate concedendus; vel *Electuarium* aliquod sicuti in *Hæmoptoë* est præscribendum, inque ejus usu aliquandiu continuandum. Neque tamen in casu necessitatis *externa* negligantur. Si verò in Plethoricis talis Hæmorrhagia subinde recurrat, nec diu duret, aut vires exolvat, tunc non est sistenda, quia plus juvat, quàm nocet.

Quando autem Hæmorrhagia non tantùm sæpius recurrit, sed & diu durat, vires exolvit, pallorem vultus post se relinquit, & è sero copioso acri, salso, sanguineam massam prorsus dissolvere conanti, provenit, tunc neglectâ etiam *Venæsectione*, quies corporis & animi est imperanda, atque Potio statim sequens adulto homini est propinanda:

℞. *Aqu. Fl. Acac.*
Plantag.
Burs. pastor.
Syrup. Corallor. ana ℥j.
Lapid. Hæmatit. ppt.
Sanguin. Drac. ver. ana ℈j.
Laud. opiat. gr. j.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro dosi quotidie repetendâ.

Vel hujus loco exhibeatur *Emulsio* ex *Aquis Borrag. Bugloss. Plantag. Burs. pastor. Polygon. Ulmar. Sanicul. Chamomill. Nymphææ, Portulac.* cum *Seminib. frigid. major.* ut & *Papav. alb.* additis tandem *Pulveribus C. C. ust. Unicorn. foss. Corall. alb. ppt. Magist.* ♄*n.* &c. Sic & *Lanugo Baccarum Cynosbat.* vel *Semen Urtic.* aut *Hyperic.* ad ʒj. in *Pulvere* exhibitum talem Hæmorrhagiam quoque sistit. Imò & *Pulveres* è *Terr. sigillat. Bol. armenat. Croc.* ♂*t. adstring. Diaph. martial.* ♄*n. diaph. Ocul.* ♋. *C. C. usto. Ebor. ust. Unicorn. foss. Corall. rubr.* vel *alb. ppt. Semin. Urtic. Hyoscyam.* vel *Papav. alb. Matr. perl. ppt.* ac similibus concinnati, vel per se sub dosi ʒß. cum *Emulsionibus* aut *Aquis destillatis*; vel cum *Conservis Urticæ, Plant. Flor. Tunic. Ros. rubr. Fol. Polygoni* permisti, exhiberi sedulò possunt. Sunt qui & *Succum Catechu, Flores Balaustiorum pulveris.* aliave fortiter adstringentia internè præscribunt, à quibus tamen vix semper laudabilis sperandus est effectus. Commendamus magis *Tincturam antiphthisicam Garmann.* vel *Tincturam è Radic. Tormentill. Bistort. Herb. Polygon. Urtic. Geran. robertian. Flor. Balaust. Ros. rubr.* & simil. cum *Spiritu sanguinis hircin.* extractam. Aliquando etiam *Ichtyocolla* ad ʒj. vel ultra in Jusculo soluta

ſoluta propinari ſolet. Si *Julepi* deſiderentur, concedi etiam poterunt, ſed non nimis *acidi*, in quem finem præter *Aquas deſtillatas* ſuperiores, ſimul commendamus *Syrup. de Succ. Urtic.* ut & *Papav. rhead. Flor. Tunic. Cydonior. Acetoſell. de Roſ. ſicc. de Symph. Fenel.* cui & *Tinctura Fl. Papav. rhead.* admiſceatur. Porrò *Juſcula Succo Plantarum recent. Urtic. Borrag. Polygon. Apii ſelin. Naſturt. Plantag. Millefolii, Roſ. rubr.* &c. alterata non ſunt contemnenda. Ita & ſeqq. *Pulvis* cum fructu uſurpari poteſt in deſperato quoque caſu:

℞. *Semin. Portulac.* ʒj.
Plantag.
Urtic.
Hyoſcyam. ana ʒß.
Radic. Conſolid. major. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. cujus doſis eſt ʒj. ſingulis ſex horis cum *Emulſione* propinanda. Si placet eidem addere *Lapid. Hæmat. Unicornu foſſil. Sanguin. Dracon. verum.* &c. non è re erit. Poterunt etiam ex eodem *pulvere* & *Saccharo Aqu. Roſ. ſoluto Rotulæ* fieri, atque ſæpius lambendæ exhiberi. Nec diſplicent mihi ſequentia quorundam hoc in caſu ſecreta:

℞. *Hippenteror. num.* iij.
Aqu. flor. Acac. ℥iv.

Stent infuſa per bihorium; colatura poſtmodum filtrata & ſacchari tantill. vel Syrup. de Papavar. rhead. edulcorata exhibeatur pro doſi, & aliquoties repetatur. Vel

℞. *Fimi porcin. rec.* ℥j.
Aqu. Fl. Acac. ℥iiiß.
Roſ. ℥ß.

Stent in infuſ. per horam; colatura dein filtrata & Rotulis Berberum ac Man. Chr. ſimpl. nonnihil edulcorata detur pro doſi ſæpius repetendâ. Addi his poteſt quoque ʒß. *Confectionis Alk.* vel *Hyac. compl.*

℞. *Sanguin. Hirc. ppt.* ℈iiß.
Pulv. viperin. ℈j.
Semin. Hyoſcyam. alb. ℈ß.

M. f. Pulvis ſubtil. in 2. doſ. æqu. ad ch. m. ac veſperi exhibend. cum Juſculo avenac. vel farinaceo.

Ita ex *Semine Hyperic. Cortic. Tamaric. Granat. Radic. Tormentill. Conſolid. Biſtort. Florib. Balauſt. Roſ. rubr. Herb. Polyg.* &c. cum *Aqu. Fabrorum* extrahitur vis adſtringens, & ad *Mellis* ferè conſiſtentiam coquitur; de quo *Extracto* ʒj. vel plus cum *Aquâ Plantaginis* ſubinde exhiberi poteſt. Denique præſervationis loco inſervit etiam *Potus Acidularum* vel *Lactis caprilli* integri, vel *Aquarum* è *naſturcinis Plantis deſtillatarum*, vel denique *Juſculorum Herbis naſturcinis, Urticâ, Millefolio,* &c. alteratorum.

Externè plura ad ſiſtendum hunc ſanguinis Fluxum adhibentur, qualia ſunt v. gr. *Emplaſtrum è Rubricâ fabrili adſtringens* factum, & radici narium inter duos oculos impoſitum; *Acetum frigidum* vel per ſe vel cum *adſtringente* ſive *ſtegnotico pulvere* in pultem redactum, atque collo, fronti, ſcroto, quatuorque artubus frigidè applicatum; *Pulvis adſtringens* naribus attractus, qualis è *Laccæ Florentin. Alumin. rup. Cretæ colonienſ.* ana *Externa remedia.*

partibus

partibus æqualibus concinnari poteſt; *Liquor* etiam *ſtypticus* naribus ſubinde immiſſus, quemadmodum eſt ſequens:

℞. *Aqu. flor. Acac. Plantag. aa.* ℥iß.
Alumin. rupei.
Oli ♂tis aa. ʒß.
Lacc. florentin. ℈j.

M. ad Vitr. Vel coletur poſt aliqualem digeſtionem.

Manibus teneri poteſt *Lapis Hæmatites*, vel alius *Lapis frigidus*, donec incaleſcat. *Ferrum* etiam *candens* naribus propinquè admovetur, ut ſanguis in illis coaguletur. Juvat non rarò *Turunda* è *carbaſo* facta, *albumine Ovi* imbuta, *pulvereq́ Oli*, ac *Terræ ſigillatæ*, vel alio *ſtegnotico* conſperſa, naribusque intruſa. Naſus ſupremus, ipſaque frons, continuè *Aquâ gelidâ*, vel *Aceto frigido* fomentatur. *Cucurbitulæ* magnæ, cum magnâ flammâ Hypochondriis ſine ſcarificatione applicantur. *Frigidæ aquæ* ſubitanea in Cervicem Ægri profuſio inſcii, ut ita terrorem incutiat, laudatur, à quo ſæpè confeſtim Fluxus narium ſiſtitur. Vel Cervix quoque *Aceto frigido*, uti ſupra, continuè foveatur. Aliquando & *Fons ſaliens* in nares ſanguine ſtillantes aliquandiu intromitti ſolet tamdiu, donec Hæmorrhagia ſiſtatur. *Stercus ſuillum*, vel *Muſcus tectorum* recens naribus etiam admovetur, quorum certè halitus quandoque fluxum ſedant. Sunt & qui in caſu deſperato *linteola Spiritui Oli immerſa* naribus intrudunt. *Aqua gelida*, vel *Acetum* tale carpis manuum affunditur, ſi Febris abſit. Sic & *Aqua gelida* frequenter in ore teneri poteſt. *Crepitus Lupi* naribus quoque intrudi ſolet, vel per ſe, vel *Pulvere Lapid. Hæmat.* aut *Cretæ alb.* aut *Cinerum Chartarum*, vel *Pappi*, aut ipſius etiam *Oli* conſperſus. *Spongia Aceto immerſa*, vel *Bufo exiccatus* & *Aceto* conſperſus Axillis ſubmittitur frigidè. *Radix Pœon. Burſæ paſtoris*, *Polygon.* vel *Nigellæ* ſub linguâ tenetur, aut etiam maſticatur. Commendant alii *Lapidem Carpionum* ore detentum. Tandem & Ligaturæ brachiis, pedibus, vel eorum digitis injectæ, ac per vices reiteratæ, etiam ad fluxûs ſanguinei ſedationem contribuunt.

HÆMORRHAGIA VTERI, eſt Fluxus ſanguinis plus minus copioſus per Vaſa Uteri ſanguiveha, quacunque à causâ rupta, lacerata aut eroſa contingens. *Hæmorrhagia Uteri.*

Diſtinguitur non niſi gradu à *nimio Menſium fluxu*, in quo non tam per Uteri, quàm per Vaginæ uterinæ vaſcula majora aperta ſanguis profluit. Quod ſi enim ex ipſis Uteri vaſis provenit, *Hæmorrhagiam* magis *uterinam* vocabis. Deinde Menſium fluxus immodicus ordinario quatuor hebdomadarum tempore obtingit, Hæmorrhagia autem quocunq; tempore Fœminis accidere poteſt. *Diverſitas.*

Pars affecta proin ſunt Venæ per Uteri ſubſtantiam numeroſè diſſeminatæ, eæque majores apertæ: è minoribus enim ramulis fluxus ejuſmodi enormis provenire nequit. *Pars affecta.*

Cauſa proxima autem eſt apertio *Cauſa proxima.*

Venæ unius vel plurium majorum in Uteri fundo præprimis existentium; unde sanguis non tantùm, ut plerunque contingit, floridus, sed subinde etiam coagulatus intra capacitatem ejus, sub formâ grumorum nigricantium non sine insigni tenesmo, & egerendi conatu excernitur. *Antecedentes* causæ sunt *vel* humor acris corrosivus, (velut à nobis in Uteri cancro observatus est ann. 1695. & 96. in Fœminâ quadragenariâ) qui vasa etiam majora erodit: *vel* ruptio, à nimiâ distensione vasorum, & simul superaccedente improvisâ rarefactione sanguinis, aut etiam à saltu, aliove insigni motu corporis, brachiorum vel crurum expansione, ponderisve gravioris elevatione proveniens: *vel* est dilaceratio, à simili corporis agitatione, aut violentâ Secundinarum ab Uteri fundo avulsione, unde non possunt non plura etiam majora vasa discerpi, producta. Occasionem remotius præbent diathesis sanguinis salino-sulphureo-acrior, Plethoræ conjuncta, Vasorum uterinorũ teneritudo & elater debilis, Cibi multi aromatici & salino-acres, Balnea calidiora, vel etiam Stuphæ sive Laconica corpus incalefacientia.

Quoad *Diagnosin* & *Prognosin*, Affectus hic signis peculiaribus multisque opus non habet, quando Symptoma est, de quo Ægri conqueruntur, quodque Medico curandum, sistendumque offertur. Malum certè non contemnendum, quia vires magnopere exhaurit, Ægras flore balsamico sanguinis, spirituumque vitalium necessariâ quantitate privat; animi Deliquia, Gangrænam, Convulsiones, Febres, Cachexiam, Hydropem, mortemque lentam post se trahit. Si Uterus cancroso tumore est affectus, Hæmorrhagia frequenter ipsi jungitur, propter crebram vasorum erosionem.

Curatio. In *Curatione* ea quidem *intus* exhiberi possunt, quæ in Hæmorrhagia v. gr. *Narium* commendavimus; modò non nimium adstringendo Ulceri uterino ansam præbeant. *Externè* verò prosunt heic *Ligaturæ artuum*, *Venæsectio*, *Emplastri Comitissæ*, aliusve *adstringentis* applicatio ad Lumbos & Inguina, *Chalybis frigidi* detentio in manibus, *Corporis* maxima, diuturnaque *quies*; Linteorum Aceto immersorum appositiones ad Lumbos & Abdomen. Si quæ præterea externè contra Hæmorrhagiam Narium suo loco commendata sunt, & heic pro re natâ usurpari possunt.

Hæmorrhagia Vulnerum. HÆMORRHAGIA VVLNERVM, est sanguinis copiosi effluxus è partibus carnosis quocunque modo vulneratis, ex apertione unius vel plurium vasorum sanguivehorum majorum oriundus.

Equidem in quovis Vulnere sanguinis profluxus observatur, quando semper vascula quædam rumpuntur: verùm si minores tantùm canaliculi aperti sunt, & exigua solùm minusque notabilis quantitas liquoris circulantis profunditur, nomen *Hæmorrhagiæ* nec meretur, nec invenit: sed tum demum ita vocatur, quando

 insignis

insignis quantitas sanguinis è ruptis vasis majoribus profunditur, ut, nisi sistatur, magna virium jactura, ipsaque adeo mors inde metuenda sit.

Causa. *Causa proxima* talis Hæmorrhagiæ est, quicquid sive pungendo, sive secando, sive contundendo vasa partium mollium venosa arteriosave rumpere, dilacerare, vel alio quocunque modo aperire potest.

Diagnosis & Prognosis. Hæmorrhagiam Vulnerum cognoscit quilibet, neque contemnenda illa est; quod si enim arteriæ, majores inprimis, fuerint apertæ, præcipuè secundùm longitudinem, non ita facilè Hæmorrhagia sistitur; si quoque è Venis majoribus v.g. Colli, Inguinum, Femorum sanguis profluens intra horæ spatium non sistitur, mortem plerunque infert, aut Ægrum ita viribus atque spiritibus exhaurit, ut postliminiò in Cachexiam aut Hydropem lethalem facilè incidat, vel lentam ad minimum Febrim incurrat, à quâ non nisi post longum temporis intervallum ad pristinam sanitatem redire valet.

Curatio. Quoad *Curationem*, ad Hæmorrhagiam Vulnerum sistendam *Pulveres stegnotici* stupæ albumini Ovi immersæ insperguntur, & Vulneri statim applicantur. *Pulveres* illi usitatè componuntur è *Terr. sigill. Terr.* ☉*li dulci*, *Pulvere Equiseti*, *Gallar. Bol. Armen. Lapid. Hæmat. ppt. Sanguin. Dracon. Pilis leporinis pulverif. Vitriolo cypr. Amylo alb. Colophon. Myrrhâ, Lacc. Florentin. Telis Aranear. Usneâ*, aliisve *Muscis siccatis* & *pulverisat. Thure*, *Calce viv. Farin. volatil. Gypso*, *Succo Catechu*; quibus etiam *Crepitus Lupi* substituitur, præprimis *albumine Ovi* conspersus. Vel statim *Plumaceolus*, aut *Linteum quadrupl.* aut *Stupa*, aut *Crepitus Lupi liquori* cuidam *styptico*, si statim ad manus est, immergatur & applicetur. Tales autem *styptici Liquores* variè à variis concinnantur, & in usum adhibentur, quorum descriptiones videantur apud Dolæum *Encyclopæd. Chirurg. Ration. pag. m.* 413. *in Curatione Hæmorrhagiæ narium.* Quibus adde *Liquorem magneticum* Waldschmidii, aut etiam solum *Vini Spiritum optimè dephlegmatum*, aut cum hocce extractam *Tincturam Catechu*, vel *Prunorum sylvestrium* nondum perfectè maturorum. *Wedelius* commendat *Pannum Xylinum ustum albumine Ovi* exceptum, sicque applicatum, superimposito adhuc *Crepitu Lupi*.

Quod si tamen his nihil efficias, atque etiam continuato eorum usu nullum tibi effectum promittere queas, tum vasis majoris aperti orificium vel compressione digitorum est occludendum, donec thrombus concrescat; vel si arripi Vena aut Arteria possit, ligetur; imò Arteria, si tantùm aperta sit, prorsus dissecetur, hincque vel ligetur, vel *actuali cauterio*, quod sæpè præsentissimum atque tutissimum est remedium, aduratur, atque nihilominus adhuc desuper applicetur *Stupa*, aut *Crepitus Lupi* cum *albumine Ovi*. *Cauteria* verò *actualia* juvant partes adustas crispando, corrugando, & crustam inducendo. Quando Hæmorrhagia

sedata,

ſedata, Vulnusque deligatum eſt; ligatura ante aliquot dies perfectè ſolvi non debet, ne recens Hæmorrhagia ſubſequatur. Sicubi etiam è re videbitur eſſe, *ſanguinis Miſſio* in Brachio inſtituatur, atque internè exhibebuntur, quæ ſupra contra *Hæmorrhagiam Narium* commendavimus.

HÆMORRHOIDES COECÆ ſunt tubercula venarum nodoſa, majora minorave, rubicundo-cœrulea, vel intra anum latitantia, vel extus conſpicua, plus minus dura aut mollia, atque dolore nunc gravante, nunc urente etiam valdè moleſta, à ſubſiſtente in vaſis ſanguine craſſo oriunda.

Differunt hinc maximè inter ſe; etenim 1. ratione *magnitudinis* Hæmorrhoides cœcæ nunc *valdè* nunc *minùs tumidæ* exiſtunt. 2. Ratione *numeri*, aliæ *unico* ſolùm *nodo*, aliæ *pluribus nodis* vel tuberculis varicoſis eminent. 3. Ratione *ſitûs* & *partis affectæ*, aliæ hærent *intra anum*, vel etiam apud Fœminas intra *vaginam uteri*, & *internæ* vocantur; aliæ *extra anum* vel *vulvam* eminent & conſpiciuntur, *externæ* proin nuncupatæ. 4. Ratione *originis*, aliæ ſunt *hæreditariæ*, aliæ *adventitiæ*. 5. Ratione *temporis*, aliæ ſunt *recentes*, aliæ *inveteratæ*, quædam eriam *periodicè*, atque certis temporibus, vel poſt commiſſos in diætâ errores recurrunt. 6. Ratione *durationis*, aliæ *facilè citoq;* diſpereunt, aliæ *diutius* affligunt. 7. Ratione *figuræ*, aliæ ſunt *longæ*, verrucis ſimiles, hinc *verrucales* dictæ; aliæ *rotundæ* nonnihil & *latæ*, baccæ Uvarum magnitudine, hinc *uvales* vocatæ; aliæ *mori* fructûs *formam* æmulantes, *morales* proin vel *mariscæ* appellatæ; aliæ denique *veſiculis ſimiles* ſunt, *veſicales* eapropter nuncupatæ. 8. Ratione *modi*, aliæ *mites* ſunt, aliæ *malignæ*, vel etiam *cancroſæ*. 9. Ratione *Symptomatum*, aliæ ſunt cum *majore* vel *minore dolore*, eoque nunc *gravativo*, nunc *inflammatorio* & *urente*; aliæ etiam *cum Teneſmo ani* frequenti; aliæ *cum Abſceſſu*, & *Exulceratione*, vel *Febri*. Aut etiam Ani vaginæque uterinæ Procidentiâ, aliisque ſymptomatibus conjunctæ.

Subjectum, ſeu *Pars affecta* ſunt Venæ hæmorrhoidales, ceu Vaſorum iliacorum propagines, in quarum valvulis, ſi craſſior, viſcidiorque humor circulans ſubſiſtat, Nodos illos, vel Varices hæmorrhoidales progignit. Quidam Neoterici credunt, & extremos Arteriolarum tubulos quandoque intumeſcere, ultra quos nimirum ſanguis ille lentus in venulas transmitti nequit; atque tum non ſolùm gravativum, ſed & pulſantem ſimulq; urentem cum Inflammatione dolorem produci; atque hoc quidem reſpectu ſententiam hanc admittimus, quanquam plauſibile ſit, ordinarias cœcas Hæmorrhoides non niſi *Venularum ani Varices* exiſtere. *Pars affecta.*

Cauſa proxima Hæmorrhoidum cœcarum, eſt ſuppreſſio earundem fluxûs à ſanguinis viſciditate oriunda, ob quam in extremis tubulis ſtagnat & coacervatur. Stagnationem hanc *Cauſa proxima.*

magis promovent tum Venularum minimarum præcedens obstructio; tum earundem compressio facta à duris fœcibus harumque difficili excretione, aut à Tumore quodam vel Inflammatione in musculis podicis natâ. Hæc verò coacervatio sanguinis in tumentem unum alterumve nodum contingit, quatenus ille ob lentorem retro valvulas Venularum urgetur & cogitur, ut ita in ipso valvularum loco dicti nodi vel tubercula appareant magis patentia, quamvis & reliquus Venarum tractus simul tumeat. Dolor inde gravativus vel subinde etiam lancinans sentitur, propter membranarum circumjacentium valdè sensibilium nimiam expansionem, vel fibrillarum nervearum à salis acris asperitate factâ irritationem. Post scybalorum alvinorum duriorum difficilem excretionem, indeque factam sanguinis in Venis propinquis retropulsionem dolor etiam augetur. Quod si verò Tumor diu durans ardente pulsanteque dolore molestus evadat, tum non amplius sub *Hæmorrhoidum cœcarum*, sed sub *Inflammationis veræ* nomine venit, quæ ubi humorum circulatio non maturè restituitur, propter ruptos canaliculos minimos, effusumq; sanguinem putrescentem in *Abscessum, Ulcusq́;* haud raro mutatur.

Antecedens. Causa *antecedens* hujus mali partim in sanguine est quærenda, partim in ipsis tubulis sanguinis justam suam configurationem, & debitam amplitudinem vel conformationem amittentibus, quale quid non raro à remediis aloëticis, aliisque specifico quodam sale acri prædicta vascula crispantibus, vel etiam planè discindentibus producitur. Inprimis autem heic accusamus sanguinis copiam nimiam, ejusdemque ab intercurrente aliquo acido fixo enatam crassitiem ac visciditatem; quâ quidem vitiosâ qualitate imbutus, in aliis certè omnibus vasis sanguiferis utcunque benè circulatur, in hæmorrhoidalibus autem vel eapropter etiam facilius obhæret & stagnat, quòd Homo forsan multum sedeat, aut equo rhedisve diu vehatur, sicque vasa illa plus quàm quævis alia comprimat. Ipsi hinc Melancholici atque Scorbutici ob sanguinem minùs mobilem, fixis quippe salibus valdè imprægnatum, huic malo multum sunt obnoxii; sicut Cholerici ob Sal volatile oleosum & acre sanguinis Hæmorrhoidibus magis fluentibus infestantur. Malum præterea audit *hæreditarium*, si liberi eandem cum Parentibus crasin atque texturam humorum sortiuntur. Qui nimium Veneri indulgent, ac suum ita sanguinem spirituosis valdè partibus depauperant, humorum quoque crassitiem adipiscuntur, in quâ particulæ, ob suam ponderositatem majorem, sibi invicem fortius graviusque incumbentes lentum motum adquirunt, & ita in hæmorrhoidalibus tubulis facilè obhærent. Proin Itali, Hispani, atque Galli, Veneri maximè inhiantes ad hoc malum præ aliis proclives existunt, si reliqua simul consenserint.

Procatarctica. In Causis *procatarcticis* ea omnia ad

ad hunc Affectum contribuunt, quæcunque vel ſanguini lentorem acido-fixum imprimere, vel hæmorrhoidalia Vaſa criſpare atq; comprimere valent.

Cognoſcuntur Hæmorrhoides cœcæ ex dolore ani magis vel minus gravante; crurum longuore; tuberculo uno alterove rubicundo-livido juxta anum exurgente, nonnunquam cum ardore ac pruritu conjuncto. Nodi illi variæ quandoque ſunt figuræ; Dolor eſt nunc mitior, nunc, poſt alvi excretionem præprimis, gravior. Si internæ ſunt Hæmorrhoides cœcæ, ad oculum haud patent, ſed ſolo plerunque dolore gravativo, & aliquali tenesmo, circa os ſacrum ſeſe produnt. Color faciei, ſi malum pertinax eſt, etiam mutatur in citreum aut luridum.

Non omni ſemper periculo cœcæ vacant Hæmorrhoides, quia neglectæ haud difficulter Inflammationem, Gangrænam, Sphacelum; vel ſaltem Abſceſſum, Ulcus, Fiſtulamque Ani difficulter medicabilem poſt ſe trahunt. Præ dolore nimio vidimus quoque Homines in animi Deliquia incurriſſe.

In *Curatione* Hæmorrhoidum cœcarum præ *Venæ ſectione* etiam *largiore*, aliquoties, ſi opus videbitur, inſtitutâ, præſentius vix datur remedium. Cùm autem ſæpè ſanguis in nodis hæmorrhoidalibus propter ſcybala excrementorum alvina, extus prementia, circulari vix poſſit, tum in *Jure carnium de Electuar. catholico uncia dimidia* vel *integra* diſſolvatur, & unâ doſi hauriatur; hoc enim facto ſcybala inteſtinorum duriora emollientur, atque blandè evacuabuntur. Vel hujus loco de *Paſſulis laxativis cochleare unum* aut *alterum* comedatur. Poſtea non ſine fructu ter vel pluries potandus offertur *expreſſus filtratusq; Fimi recentis* & adhuc *calentis Vaccæ nigræ ſuccus ad duas vel tres uncias* cum *Aqu. Fl. Acac.* & *Saccharo.* Vel quotidie propinabitur ſemel aut bis cyathus *Aqu. Plant. Naſturt.* atq; *Fumar.* repletus, cum vel ſine *pulvere* quodam *diaphoretico*, v. g. ex *Antimon. diaph. Ebor. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Dent. Hippopotam.* vel *Apri ppt.*

Extus verò frequenter inungi poteſt *Linimentum Norimberg. de Hyoſcyam.* vel *de Linariâ*; nec non *Oleum roſac.* vel *Ovor. Amygdal. dulc. Nucl. perſic. Semin. Papav. alb. expreſſ. Populeum, Lil. albor. Violar. Verbaſc. Camph.* cum *Tutiâ, Lapid. calaminar. Mercur. dulc.* aut *præcipitat. alb.* Vel *Succus Ceparum* aut *Cepæ ipſæ, Allii radices, Tuliparum bulbi; Folia Hederæ arboreæ, Alliariæ, Chelidon. maj. Scrophular. rec. Quercus* &c. cum *Oleo roſaceo*, aut *Butyro recenti non ſalito* parum coquantur, indeque per linteum expreſſus *Balſamus* in hunc finem uſurpetur. Sed caveto ne frigidè remedia applices, quia nil magis nocet, quàm actu frigida, unde non rarò Gangræna ſuperinducta fuit. Nonnulli *radicem Telephii* contuſam in hoc Affectu oſſi ſacro applicant. A *ſectione* vel *puncturâ Hæmorrhoidum* cœcarum per *Hirudines* prudenter abſtinebis, quando Fluxus inde nimius ſanguinis, vel

etiam Ulcus hæmorrhoidale fistulosum metuendum est. Si verò tutioribus & blandioribus remediis earum apertionem & lenem fluxum procurare possumus, neutiquam id intermittamus; hunc autem in finem commendamus tumentium Vasorum *frictionem* asperiusculo cum linteo factam; vel cum *foliis Mercurialis*, *Parietariæ*, *Centaurii minoris*, *Borragin. Betæ*, *Cyclamin. Cepar. Alliar.* institutam. Qualia tamen folia sæpiùs per solam applicationem nodos hæmorrhoidales aperiunt, atque fluere faciunt. Vel *Pellicula* subinde quædam *Ceparum albar.* aut *assatæ* cum *Oleo Lilior. alb. Cepæ Emplastri* formâ apponuntur. Quidam *Radicem* & *folia Alth.* cum *Radic. Petroselini*, *Vincetoxic. Aristol. rot. ver.* & *Foliis Malv.* in *Vino* coquunt, & de hoc *Vino* colato m. ac vesp. haustum trium pluriumve unciarum propinant ad Hæmorrhoides aperiendas. *Ossicula* quoque *Malorum Persicor.* pulverisata prunis insperguntur, fumusque ad Anum tamdiu admittitur, donec Hæmorrhoides aperiantur, quo facto *Oleum ovorum* illinitur. *Liquor è floribus Verbasci insolatis in vitro factus*, mirè quoque dolorem lenit; poteris eidem pro lubitu permiscere *Spiritum Vini camphoratum*, vel *Spirit.* ⊖*li philosophicum*. Laudant alii *Oleum florum Sambuc.* atque *Hyperici* vel solum, vel cum *Calcis vivæ pulvere* mistum. *Unguentum* dein prodest *album camphoratum*, *Suffitus* ♀*ris vivi*, vel *Vapor Aquæ calidæ per sellam perforatam* admissus. Quidam *Suberis lignei cinerem* cum *Oleo rosaceo* & *Vitello Ovor.* subactum applicuit, & sic enormem dolorem miraculosè citoque dissipavit. *Amatus Lusitanus*, cùm cœtera gratis usurparentur, *Pomum aurantium excavatum Oleo rosaceo*, & *Semine Lavendulæ* impletum, ad cineres calidos admovit, sicque calidè applicuit, sæpiusque renovavit. Vidimus etiam, per *suppositoria* tria quatuor vel quinque è *bulbis Ceparum* adornata, *Oleo Ovorum* vel *Rosar.* intincta, & successivè ano intrusa, hæmorrhoidales Venulas apertas, vel aliâs dolorem commodè discussum fuisse. Sequens etiam *Balneum* aperit & sanat Hæmorrhoides:

℞. *Herbar. Abroton.*
Levistic.
Malv.
Mercurial.
Violar.
Valerian.
Chelidon. maj.
Rorismarin.
Lavendul.
Rut.
Artemis.
Puleg.
Menth.
Flor. Chamom.
Linar.
Calendul. ana Mj.

Incis. insue Sacculo, qui coquatur in Aquâ fluviatili, cui dein aliquoties Æger insidebit.

Prosunt etiam sequentia: *Flores Chamomill. Lamii alb. Gallii Lutei, Linariæ, Verbasc. Rosar. alb. Melilot. Sambuc.* nodulo illigati in *Lacte* coquuntnr,

quuntur, expreſſus hinc Nodulus calidè ſæpius applicatur. *Linteum Aquæ calenti Plantag. Fl. Sambuc. Sperm. Ranar. Chelidon. maj. Scabioſ. Solan.* cum *Mucilagine Semin. Cydon.* miſtæ immergitur, & ſæpius admovetur cum fructu. *Lupulus* etiam, quo Zytopœi utuntur, in Aquâ probè decoquitur, indeque emergens vapor calidè admodum ano excipitur. Sunt porrò, qui *Vitriolum viride* ſeu *Hungaricum* in *Aquâ Plantagin.* atque *Flor. Sambuc.* diſſolvunt, Spongiamque huic calenti liquori immerſam frequenter apponunt. *Folia Sempervivi major.* contuſa, ollulæque terreæ indita ſuper ignem lenem tepefiunt, & linteo impoſita ſæpius applicantur. Cum ſucceſſu etiam *Mucilago Seminum Hordei* & *Avenæ* in *Aqu. Spermat. Ranar.* ac *Solani* probè decoctorum Linteolo illinita frequenter imponitur. *Fimus* tandem *vaccinus* applicatus aliquoties mirè compeſcit dolores.

HÆMORRHOIDVM DOLOR nihil aliud eſt, quàm accidens Hæmorrhoidum cœcarum, à diſtenſione vaſculorum, & membranarum ſenſibilium, vel etiam ab eorundem moleſta roſione procedens; cujus medela in præcedenti Affectu indigitata eſt.

HÆMORRHOIDVM FLVXVS NIMIVS, eſt ſanguinis puri ac ſinceri per extremitates protuberantes venularum vel arteriolarum Inteſtini recti immodica atque intempeſtiva, cum virium imminutione, aliiſque ſymptomatibus contingens excretio.

Differentia. Diſtinguimus hunc Affectum à *Fluxu Hæmorrhoidum ordinario* atque *naturali*, eoque *modico* & *parciore*, certis periodis, & quidem ſæpè menſtruis, velut menſes apud Fœminas, nonnullos Homines afficiente, quod egregium eſt habendum naturæ beneficium, præprimis in Hypochondriacis, Plethoricis, Cholericis &c. Diſcernitur etiam à *Fluxu hepatico*, quoniam in hoc ſanguis ante fœces, imò quandoque ſine his excernitur; in *Hæmorrhoidibus* autem nimiùm, aut etiam ordinariò fluentibus fœces alvinæ plerunque præcedunt: cui adde, quod ſanguis in *Fluxu hepatico* longè aquoſior, ac citra dolorem aut Teneſmum profluat, *ſanguis* verò *hæmorrhoidalis* magis floridus exiſtat, atque ob acrimoniam ſuam Teneſmum in ſphinctere ani producat.

Pars affecta. *Affectam partem* nos extremitates Arteriolarum, vel etiam Venulas ſtatuimus, à ramis meſentericis aut iliacis oriundas; & intra canalem Inteſtini recti magis patulas; unde fit, ut faciliùs rumpantur, ſuumque ſanguinem profundant.

Cauſa. *Cauſa* Hæmorrhoidum nimis fluentium *proxima* eſt Vaſculorum modò dictorum, inprimis majuſculorum apertio. Ad quam *antecedenter* contribuunt *partim* obſtructio, vel ſtagnatio ipſius ſanguinis, hincque vaſorum patentium à durioribus fœcibus tranſeuntibus disruptio ſive dilaceratio: *partim* Sanguinis ipſius nimium fortè æſtuantis acrimonia vel

rare-

rarefactio erodens, aut valdè distendens. Quando igitur vascula hæmorrhoidalia admodum in alvo patent, tum non secus atque tubuli in Plethoricorum naribus sanguinei, propter effervescentiam salsedinemq; acriorem Massæ humoralis, levemque aliam datam occasionem rumpuntur, & suum sanguinem effundunt eousque, donec plethora aut ebullitio sanguinis sit imminuta, omnesque particulæ ad pristinum æquilibrium cum aëre externo fuerint deductæ; hoc enim facto orificia ruptorum tubulorum ab eodem liquido elastico circumfluo quasi comprimuntur, & clauduntnr, idque eo magis, quando interea minuto intestino humorum motu, naturalis succus nutritius balsamicus statim vasculis cicatricem obducit.

Diagnosis. Affectus tum ex Ægrorum relatione, tum ex sanguinis floridioris post fœces excretione nimiâ, tum ex præsente simul tenesmo haud difficulter cognoscitur. Sed cùm excretio hæc nimia evadit, tum succedunt pallor totius corporis, virium dejectio, appetitus immunitio, crurum languor, lumborum & coxendicum dolor cum tensione abdominis, chylificatio debilior, è quâ non nisi sanguis crudior, & aquosior provenit, alvi procidentia haud infrequens, aliave symptomata. Quoties verò alvus deponit Fœces, toties ferè copia sanguinis Hæmorrhoidalis subsequitur. Interim primò sanguis fluit niger, fœculentus, & crassus, qui antea stagnabat in nodis cœcarum fortè Hæmorrhoidum, isque chartaceo emunctorio sæpiùs deprehenditur; postea floridus magis, & copiosus, tandem etiam pallidior, sed vix unquam sine dolore excernitur.

In *Prognosi* tenendum, quòd Fluxus hic diutius durans, & frequentius largâ copiâ recurrens omnem sanguinis florem balsamicum adimat, spirituum laticem maximè enervet, & hinc, stomachi fermentum debilitando, chylificationem tantùm non planè destruat, sicque Cachexiæ, Hydropi, Marasmo, Tabi, Febri hecticæ aliisq; Affectibus portam aperiat. Ordinarius autem, periodicus, isque moderatus fluxus salutaris est, Melancholicis inprimis; ac sæpè à magnis morbis Homines vel liberat, vel immunes præstat. Unde Hippocrates *Aphorism. Sect.* 6. *Aph.* 21. Insanis Hæmorrhoides supervenientes rejectionem quamcunque malam, infernam verò, etiam nigram, bonam esse statuit. Præservant hinc à Pleuritide, Peripneumoniâ, Furunculis, Terminthis, Leprâ, Arthritide, Nephritide. Tandem nimius Fluxus propter humorum acrimoniam non raró occasionem præbet Fistulæ ani.

In *Curatione*, qui Fluxus est naturalis, modicus, periodicus, is minimè sistendus: diuturnus autem, largus, & vires atterens, ante omnia *Venæsectionem* Brachii requirit, quâ præmissâ remedia dentur humorum acrimoniam demulcentia, salsedinem absorbentia, & traumatica: quem in finem intus quidem prosunt *Electuaria* è *Conserv. Ros. rubr. Plantag.*

Flor.

Flor. Tunic. Beton. Borrag. Nymph. Urtic. urent. Polygon. Condituris Cydonior. Rad. Symphyti, Bacc. Cynosbatos, Myrobolan. Nuc. moſchat. Quibus addere licet *Pulveres*, aliâs ſimpliciter in hoc quoque affectu uſurpabiles; v. g. *Corallor. Unicorn. foſſil. Terr. ſigillat. Boli armenat. Magiſt.* ♄ *n. Lapid. Hæmat. ppt. Sanguin. Drac. ver. Croc.* ♂ *t. adſtring.* Imò proſunt quoque *Emulſiones amygdalar. dulc. Seminum frigid. major.* ac *Semin. Papav. alb.* In pertinaci dein malo ad *opiata* ſimul confugiendum eſt; v. grat.

℞. *Conſerv. fol. Myrt.* ℥vj.
flor. Roſ. rubr. ◯*l.*
Plantag. ana ℥ß.
Condit. rad. Symph. ℥ij.
Bacc. Cynosb. cond. ℥iß.
Conf. Hyac. inc. ℥j.
Lapid. Hæmat. ppt. ℈iiij.
Corall. rubr. ppt.
Terr. ſigill. ana ℈ij.
Semin. Hyoſcyam. ℈j.
Syrup. Fl. Tunic. q. ſ.
M. f. Electuar. d. ad Oll. Singulis ſex horis capiatur magnitudo Caſtaneæ.

℞. *Amygd. dulc. rec. exc.* ℥j.
Aqu. Burſ. Paſt.
Plantag. ana ℥iiij.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup myrtin. ℥ß.
Unic. foſſil. ℥iß.
Eſſent. Opii liquid. ℈ß.
M. d. ad Vitr. Sumatur quatuor doſibus ſpacio ſedecim horarum.

Si purgatione ad eliminanda ſalia acria opus videbitur, præferenda ſunt in hunc finem *Rhabarbarum*, in ſubſtantiâ ad ℥j. vel *Myrobolanorum decoctum*, *Serum Lactis tamarindinatum*, & pro lubitu *Rhabarbaro* affuſum; *decoctum* quoque *Paſſularum cum Santalo* paratum. Ab *aloëticis* autem, aliiſque reſinoſo-acribus in Hæmorrhoidum morbis eſt abſtinendum. Subinde *Pilulæ* conferunt, ex ſupra jam dictis pulveribus cum *Extract. fol. Quercus*, aut *Plantag. Betonic. Tormentill. Corticum Tamaric. radic. Symphyti* concinnatæ. Commendantur præterea heic *Tinctura antiphthiſ. Garmann. Tinct. flor. Bellid. Tinctur. Lapid. Hæmat.* aut ◯*li Martis*, *Succus Urtic. urentis*, ut & *Plantaginis recent.* expreſſus ac filtratus, ad ℥ij. ſæpè pro doſi exhibitus.

Externè Lumbis atque Pubi applicabis *Unguentũ Comitiſſæ*, vel *Empl. de Baccis Lauri*, ac *Bol. armenate*. Alvo autem inungatur *Unguentum de Linariâ*, *Linimentum contra Hæmorrhoides Norimbergenſium*, *Succo Acaciæ* nonnihil imprægnatum, *Oleum Hyoſcyami* aut *Semin. Papav. alb. expreſſ.* quibus ceu euporiſton Dolæus addit. ſeqq.

℞. *Alcool Lapid. Sciſſil. q. v.*
Miſc. cum Butyro rec. non ſalit. in formam Unguenti & illinatur.

Sunt etiam, qui *Crepitum Lupi*, *Fuliginem*, *Terram Vitrioli dulcem pulveriſat.* cum *Albumine Ovi* atque *Telis Aranear.* applicant. Laudant alii *Unguentum roſaceum*, vel *album camphoratum*, cum *Oleo Saturni*, *Ceræ*, *Roſar. Populeon. Verbaſc. Croco*, *Opio.* Poterit & *Spongia Liquori* cuicunque *ſtyptico* non corrodenti immergi, & ſic tepidè applicari, ad ſubitò ſiſtendum

dum Fluxum. Melius autem à nonnullis deprehensum est, si *lateritius Lapis ardens* sellæ perforatæ immittatur, ejusque calor, non fervor, ad anum Ægri exhalare permittatur. Ad Tenesmi dolorē mitigandum non solùm modò dicta *Unguenta* varia, sed & *Unguentum Millepedum* vel *Oleum* eorundem cum *Pulpâ Pomorum dulcium* prosunt. Valdè etiam Fluxum mitigant *Fotus* è *Foliis floribusq; Verbasci, Heder. arbor. Hyperic. Linar. Chamomill. Flor. calendul. Melilot. Alth. Malv. Radicibus Allii, Cepar. Alth. Lil. albor. Lapath. Seminib. Psyllii, Nymph. Lini, Fœn. græc. Fimo porcin.* similibusque in *Lacte* coctis, facti & applicati.

Hæmorrhoidum suppressio.

HÆMORRHOIDVM SVPPRESSIO, *Obstructio, Retentio, Constipatio*, est Fluxus Hæmorrhoidalium vasorum periodici & consueti in Homine cessatio, cum Sanitatis majore vel minore detrimento. Notandum enim, non paucos Mortalium reperiri, inprimis autem Scorbuticos, sanguineo-pituitosâ ac salsacidâ intemperie laborantes, quibus hæmorrhoidalia vasa, non secus ac uterina apud Fœminas, per certas periodos trium, quatuor, pluriumve septimanarum, magno cum incolumitatis stabilimento fluant; quando enim hoc tempore alvum exonerant, tum vel ante, vel plerunque post excrementa sanguis plus minusve copiosus simul exprimitur, sine tamen ullo virium lapsu.

Diagnosis.

Quoties igitur hic ipse salutaris cessat Fluxus, quemadmodum id quilibet in sese haud difficulter observare & cognoscere, Medicoque indicare potest, tum periculum statim imminet gravioris alicujus morbi. Hoc enim tempore non solùm Anxietates pectoris, Tristitia, Inquietudines, sed etiam gravans Alvi Lumborumque dolor, Phlogoses crebræ totum corpus pervagantes, Cephalalgiæ, Hæmorrhoides cœcæ, tandem & Febres ipsæ continuæ Hominem prehendere & per vices torquere solent.

Cau[sa].

Causa proxima Mali est Vasculorum hæmorrhoidalium impedita apertio; cui ansam præbent ex *antecedentium* causarum numero modò strictus nimis fibrarum in Vasis tonus, ab austeritate liquoris transeuntis proveniens, modò eorundem vasorum constrictio à muco quodam externo viscido austero producta; modò ipsa turgescentia sanguinis periodica ablata idq; propter crassitiem & visciditatem liquorum circulantium, à chylo crudo, pituitoso, nonnihil austero & viscido contractam. Chylum verò talem subministrant Victus similib⁹ crudis particulis constans, Aër frigido humidus, vita sedentaria, lucubrationibus crebris sociata. Quibus adde Morbos qualescunque prægressos, Sanguinem torpidum crassumque post se relinquentes.

Pro[gno]sis.

Quoad *Prognosin*, in principio quidem hic Affectus notabilibus symptomatibus minimè stipatus est, nihilq; adeo in semet deprehendit Homo, de quo conqueri possit; sed ubi diu consuetus hicce Fluxus cessavit, tum verò graves Morbos excitare valet,

let. Febres nimirum continuas plus minus ardentes, aut etiam malignas: Melancholiam intensam, ipsamque Maniam; Cephalalgias horrendas; Anxietates præcordiorum, Cordisque Palpitationes acerbas, Cachexiam, Asthma, Hydropem, Ficus ani cancrosos, tandem & Fistulas difficillimè curabiles, sæpius lethalem Hecticam post se trahentes.

In *Curatione*, si unum alterumve talium symptomatum jam comparere incipiat, Hæmorrhoidum apertio matura indicatur, quæ quidem haud difficulter fieri & conciliari poterit per Remedia Sanguinis crassitiem & austeritatem tollentia, atque corrigentia. Ante omnia proin Alvo sive naturâ sive arte laxâ existente, sanguis è Venâ quacunque Brachii vel Pedis sectâ extrahatur ad octo vel plures pro re natâ uncias. Hinc *internè* usurpabuntur *Salo volatil. oleos. Sylv. Elix. propr. Parac. Essent. Aloës cum Aqu. Cinamom. Spirit. C. C.* aliusque *volatil. Spirit. Sal. armon. anis.* vel *fænicul. Tinct. Mart. aperit.* vel *helleborata* Wedelii, *Fæculæ Aronis, Bryon. Diaph. martial. Croc. mart. aperitiv. Vina medicata purgantia* ex *Radicib. Aristoloch. Vincetox. Asar. Carlin. Calam. aromat. Zedoar. Herbis Chamædr. Sabin. Meliss. Absynth. Agrimon. Betonic. Artemis. Florib. Calendul. Cinamom. Croc. Seminib. Anis. Dauc. Fœnic. Nasturt. Fol. Sennæ, rad. Hellebor. nigr. Rhab. elect. Sale Rutæ, Artemis.* parata. Hisce tamen remediis præmittere licet aliquod, vel illud etiam si placet, post aliquot dies repetitum *remedium purgans*, ex *Massa Pilular. angelicar.* vel *hydrop. Bont. Extract. catholic.* similive cum *Mercurio dulci* permistâ paratum, atque sub *Pilularum* formâ exhibitum. V. gr. præscribi poterit sequens primò remedium:

℞. *Mass. Pilul. marocost.*
Extr. Pilul. cochiar. ana ℈ß.
Resin. Jalapp. vel Scammon. gr. iij.
Mercur. dulc. opt. vel
Cinnab. ♄ n. rectif. ℈ß.
Ol. stillat. Garyoph. q. s.

M. f. l. a. Pilulæ num. 15. *Dentur pro dosi.* Vel

℞. *Radic. Rhab. Monach.*
Rub. Tinct.
Gentian.
Bryon. ana ℥iij.
Herb. Artemis.
Beton. ana Mj.
Summit. Cent. min. Mß.
Fol. Sabin. ℥iij.
Baccar. Laur.
Semin. Anis. ana ℥ij.
Cassiæ Lign. ver. ʒj.
Croc. orient. ver. ʒß.
Rad. Helleb. nigr. ℥iij.
Jalapp. ℥iß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥x.
Borac. venet. ʒj.
Scoriar. Ferr. ℥ß.

Incis. & contus. insuantur nodulo ex Sindon. rubr. Affunde Vini alb. veter. ℔iiiß. *Aqu. fontan. calent.* ℔ij. *Dein quotidie mane hauriantur* ℥iij. *vel quatuor.*

Præmissis his guttatim sumenda ordinabuntur sequ.

℞. *Salis volat. oleos.*
Elix. aperit. Claud. ana ℥ij.
Essent. Galang. Artemis. aa. ℥j.
M. d. ad Vitr. Dos. m. ac vesp gutt. 25. ad 30. cum Decocto Gran. Coffée tostor. vel alio vehiculo.

Externè conveniunt Hæmorrhoidum externarum apertiones per *Hirudinum* applicationem, aut per *Balneorum sulphureorum* usum. Quibus adde *Cucurbitulas* sæpius *cum scarificatione* applicandas. Tandem *Diæta* concurrat simul sanguinis massam resolvens, attenuans, & edulcorans. *Vini* v. gr. usus *rubelli*, aut *rubri generosioris* minus austeri; *Ciborum arom.* sale blando aromatico, & balsamico multum pollentum. *Corporis exercitia* crebra & modica. *Somnus* non largus. *Animus* curis & tristitiâ vacuus. Quæ denique in Mensium suppressione commendata sunt remedia, ea & heic conveniunt.

Hæmorrhoides uteri. HÆMORRHOIDES VTERI sunt dolorificæ expansiones vasculorum in Cervice ac Vaginâ uterinâ, cum vel sine apertione, sanguinisque effusione, oriundæ à crasso, fœculento aut acri sanguine in iisdem stagnante.

Pars affecta. Pars affecta sunt Vascula sanguinea plerunque capillaria in Cervicem atque Vaginam uterinam disseminata, ac satis in tunicæ extimâ superficie prominentia.

Causa proxima. *Causa proxima* & *immediata* est sanguis crassus, fœculentus, quandoque simul acris & salsus, in vasculis capillaribus stagnans, eaque distendens, atque hinc inde prope venularum valvulas nodos excitans, sicque dolorem nunc gravantem, nunc ardentem, nunc etiam plus minus acutum & pungentem producens. Si vasculum unum aut alterum (plura enim simul heic affici credendum) nimioperè distendatur, tum facilè rumpetur & effundet, quicquid in sese continuit sanguinis fœculentti, & si hic fuerit justo acrior, aut etiam si novus fluidior subsequutus fuerit, tunc fluxus sanguinis nonnihil durabit, & quidem cum dolore partis affectæ gravativo ac lancinante; atque hoc ipso signo facilè discernetur à *menstruo Fluxu* ordinario. Si nihil amplius humoris effluat, vascula sponte statim obducentur cicatriculâ, quæ nisi firmior evaserit, postliminiò novâ oboriente stagnatione facilimè rumpetur, novamque denuo Hæmorrhagiam dolorificam suscitabit. Quando autem Canaliculorum fibræ nimis robustæ & firmæ existunt, tunc ruptio illarum nulla contingit, & *Hæmorrhoides* tales *cæcæ, dolentesq;* admodum manebunt, donec stagnans in illis sanguinea portio adeptâ fluiditate dissipata fuerit, ipsaque sic vascula pristino statui restituta.

Causæ antecedentes sunt illæ omnes, quarum mentio jam supra in Hæmorrhoidibus aliis est facta. Inprimis heic accusamus retentos Menses, vel etiam Semen Maris Luem veneream perpessi admodum acre, & malignâ qualitate adhuc præditum, unde non rarò Vasculorum capillarium fibræ crispatæ sanguinem circulantem

lantem diutius intra ſeſe retinent, & ita *Varicibus hæmorrhoidalibus* admodum *dolentibus* anſam exhibent. His adde Uteri tumorem à Fœtu Molave incluſis oriundum, & ſuo pondere Vaſa inguinalia venoſa valdè prementem, unde ſæpius quidem Varices pedum, ſed & non rarò ipſa quoque vaſa uterina compreſſa intumeſiunt.

Equidem Hæmorrhoides iſtæ ex dolore *nunc* gravativo, quando ſanguis ſtagnans nec copioſus adhuc nec valdè acris extiterit, *nunc* magis lancinante, pungente, ardente, quando ille ipſe magis acris & copioſior vaſa plus diſtenderit, cognoſci poſſunt; præprimis ſi cum ejusmodi cruciatibus ſimul ſanguis è ruptis fortè vaſculis profluat, fœculentus ille, nigricans, minusque floridus, quemadmodum plerunque in Menſtruo fluxu cerni ſolet, qui ſine cruciatu Vaginæ Uteri contingit, niſi ſimul albo Fluori ſociatus fuerit, à pituitâ acri, vel etiam Gonorrhœa oriundo. Maximè tamen cognoſcuntur tales Hæmorrhoides uterinæ per ocularem inſpectionem, quam ſibi Medicus conciliare poteſt, ſi ſpecillo uterino Vaginam paululum diſtenderit; tum enim ad oculos mox intus patebunt Vaſa ſanguine diſtenta, ſæpè etiam nodis cœruleis interſtincta, nunc in Cervice magis, nunc in ipsâ Vaginæ tunicâ comparentia, coloris lividi aut cœruleo-nigricantis. Affectus Gravidis plus quàm non Prægnantibus familiaris; illis etiam, quæ Lue venereâ laborant, aut Sanguine ſcorbutico-melancholico, acido-auſtero ac pituitoſo ſalino inſtructæ ſunt.

Malum proin hoc minimè eſt contemnendum, non enim ſolùm dolore acerbo moleſtum, ſed & Parturientibus quandoque funeſtum evadit, quando in ipſis parturiendi conatibus magis diſtenta vaſa longè adhuc acerbiore cruciatu miſeras torquent, ſicque vel ipſum Partum præpediunt, vel certè Gangrænam aut Sphacelum quandoque lethalem poſt ſe trahunt. Non rarò etiam hic Morbus in Fœminis Lue venereâ laborantibus transmutatur in Cancrum uterinum, nefandis cruciatibus ſenſim miſellas emaciantem, atque è medio tollentem, quemadmodum hujusce rei exempla nobis in Praxi jam aliqua occurrerunt. *Prognoſis.*

In *Curatione* ante omnia Alvus *Clysmatibus emollientibus* aliquoties eſt eluenda; hinc Sanguis per Venæ brachialis ſectionem ſufficienti quantitate extrahendus. Poſtea intus quidem *diſſolventia*, *rareſacientia* atque *diſcutientia* in uſum vocentur: hunc in finem conducunt *Aquæ deſtillatæ Paludapii*, *Ononidis*, *Chelidonii*, *Beccabungæ*, *Cichorii*, *Naſturtii aquatici*, *Card. benedicti*, *Plantaginis*, *Ulmariæ*, *Pimpinellæ* &c. de quibus m. ac veſp. per aliquot hebdomadas propinabitur hauſtus 4. 5. aut 6. unciarum. Vel etiam *Eſſentia Martis aperitiva*, *Tinctura* ♄ *nii*, vel *Corallorum* ſimul ad *guttas* 12. *vel* 15. dabitur. Imò *Pulveres* quoque acidum auſterum *abſorbentes* heic non ſunt contemnendi ex *Radic. Chelidon. maj.* *Curatio.*

 Aron.

Aron. ♄ *n. diaph. Diaph.* ♃ *vial.* vel ♂ *ial. Ocul.* ♋. *Milleped. ppt. Viperis ppt. Cryſtall. alb. ppt. Cinnab. nat.* vel ♄ *n.* ⊖*ibus lixivioſ. Artemiſ. Abſynth.* ipſaque tandem *Camphora* ad aliquot *grana pro doſi* reliquis ſociatâ. Si Prægnans haud fuerit Ægra, concedere licebit ſimul *potum Acidularum*, vel *Thermarum Fabarienſ.* aliarumque *Aquarum mineralium* debito cum regimine Diætæ, quocunque etiam anni tempore hauſtum, ſi modò ad manus poſſint haberi.

Externè autem conducunt *Fomenta* ex *Decocto Malvæ*, *Althææ*, *Solani*, *Plantaginis*, *Violariæ*, *Salviæ*, *Ulmariæ*, *Scordii*, *Meliſſ. Perſicariæ*, *Conſol. mediæ*, *Flor. Chamom. Calendul. Melilot. Hyperic. Cheiri*, *Liguſtri* &c. in *Vino albo* vel *Lacte* facta. Quin & *Balnea* ſive *mineralia aluminoſo-ſulphurea*, ſive *artificialia* ex *Decocto* ſuperiùs jam nominatorum ingredientium cum fructu uſurpantur, ſi Inflammatio interna nulla adfuerit, nec metuenda ſit. Aliâs *Unguenta* & *Linimenta* in uſum vocari poſſunt *blandè diſcutientia* & *refrigerantia*; cui ſcopo inſerviunt *Unguent. de Alth. Unguent. album camphor.* vel *roſat. Olea Violar. Roſar. Lil. alb. Amygd. dulc. frigidè expreſſ. Verbaſci*, *Chamomillæ*, *Meliloti*, *Hyperici*, *Lumbricor. terreſtr. Scorpion. Ovorum*, *Linim. de Linariâ*, ex *Succi Linariæ* & *Butyr.* ana mixtis compoſitum. Vel *Linimentum* fiat ex *Album. Ovor.* cum *Alumine* conquaſſato, *Tutiâ*, *Lapid. calaminar. Croco*, *Magiſt.* ♄ *n. diaph. Aqu. Solan.* & *Chelidon.* vel *Leviſtic.* mixtis par. Quod ſi non fluant, & apertionem urgeant, tum *Unguentis ſuccus Ceparum* permiſceri poterit, & ſi nec ſic aperiantur, tum *Hirudinum* in aquâ depuratorum applicatione ſanguis extrahetur.

HEMICRANIA, Ἡμικρανία, ex ἡμὶ & κρανίον *calvaria*, eſt dolor plus minus acerbus mediam tantùm capitis partem, eamque vel ſiniſtram, vel dextram occupans, à ſpasmodicâ tenſione vellicationeve membranæ ſenſibilis, aliisq; cauſis oriundus; & nonnunquam per certas periodos Hominem diutius aut brevius affligens, ſtatasque horas invaſionis atque ceſſationis obſervans.

In hoc affectu *primariò* quidem *affligitur* caput quoad varias ſuas membranas admodum ſenſibiles; & quidem vel ſiniſtrâ tantùm, vel dextrâ illius parte; imò interdum frontem ſolum dolor occupat, & verſus oculi orbitam quaſi infixus hæret clavus. Quandoque etiam occiput tantùm tenet, & membranas, quæ ſive extra calvariam, ſive ſub illâ hærent, dolorificè tenſas occupat. *Secundariò* autem ſæpè heic ſimul vel primò affliguntur Ventriculus, Inteſtina, Uterus, aut alia infimi Ventris viſcera, in quibus ſi cauſa hæret, *ſympathicam* ſic dictam *Hemicraniam* excitat; quemadmodum *Idiopathica* nominatur aliâs, cujus cauſa in ipſo Capite verſatur.

Dantur Homines plures, quibus hoc malum adeo familiare eſt, ut levi quacunque occaſione apud eos reſuſcitetur,

ſcitetur, priſtinumque ſemper locum occupet; ac per ſex, octo, duodecim, imò 24. horas continuè duret, demumque poſt intervallum aliquot hebdomadarum aut dierum recurrat. Novimus Fœminam, quæ ſingulis tribus hebdomadis eodem per 24. horas afficiebatur pluribus inſequentibus annis, nec niſi ſubſequuto vomitu à Paroxysmo liberabatur, unde *ſympathicam* Hemicraniam pronunciabamus. Novimus aliam, quæ ſingulis octiduis ſimili ratione per 12. horas ſine intermiſſione excruciata fuit, tandemque ſenſim levamen ſenſit, etiam ſine vomitu, & hæc fuit Hemicrania *idiopathica*. Novimus adhuc aliam, cui malum ſingulis annis aut bienniis recurrebat, & per duas, tres, vel quatuor hebdomadas quotidianis paroxysmis ita miſeram vexabat, ut dolor v. g. horâ undecima antemeridianâ accederet, atque bihorii, vel trihorii ſpatio immaniter augeretur, ferè ad Convulſionum ſuſcitationem; poſtea verò paulatim remitteret, ac quintâ ſextave horâ præcisè in totum ceſſaret, ſine ullâ vel nauſeâ, vel vomitu.

De *Aitiologiâ*, atque *Curatione* hujus morbi vide ſis *Cephalalgiam*. Quibus tamen heic addimus, *Potum Infuſi fol. Thée* m. ac veſp. per plures hebdomadas continuatum, ſæpè hoc malum radicitus extirpâſſe. Sed & *Thermarum Fabarienſium* in *Rhætiâ*, vel *Plumbariarum* in *Lotharingiâ* aliarumve in Subjectis pituitoſis; vel *Acidularum* quarumcunque in Chorericis, Scorbuticis, & Melancholicis æſtate aliquot annorum, vel etiam bis in año reiteratus potus non leviter conducit, tanto magis, ſi ſimul pili capitis deradantur, & abraſi ſerventur portando ſemper capillamentum.

HEPATITIS, ab Ἧπαρ, *Hepar*, *Inflammatio Hepatis*, eſt Tumor ejusdem cum dolore intenſo pulſante, & ardente, plerunque etiam Febri acutâ conjunctus, à Sanguinis viſcido-acris in variis Hepatis tubulis capillaribus ſtagnatione originem ducens. *Hepatitis.*

Afficitur autem heic non totum præcisè Hepar, Viſcus illud glanduloſum, ſed ejus ſolùm portio, eaque nunc major nunc minor, pro diversâ humoris obſtruentis quantitate. *Pars affecta.*

Cauſa proxima eadem eſt, quæ Inflammationum in genere; imò & *antecedentes* inter ſe conveniunt, ut adeo eædem ex titulo de Inflammationibus peti, hucque trahi poſſint. Notabimus tamen heic, non raro hunc Affectum ab externâ quadam concuſſione, ictu, aut vulnere ſimiliter excitari poſſe. Quin & Febres malignæ interdum ſuam morbificam cauſam, ſuumque virus, humores nimirum acres, & heterogeneos ad Glandulas hepaticas, plures paucioresve deponere, ſicque occaſionem tali Inflammationi, & fortè ſimul ſubſequenti Abſceſſui, Ulcerique præbere conſueverunt. *Cauſa.*

Cognoſcitur hic Affectus ex dolore ardente pulſanteque, in regione Hepatis præcisè affligente, cum Febri continuâ, ſiti, anorexiâ, agrypniâ, laſſitudine, anxietatibus frequentibus. *Diagnoſis.*

Dolor

Dolor autem ille pungitivus fixusque in loco Hepatis affecto hæret, non vagabundus, qualis indicium aliûs Morbi esset; non cum nauseâ aut vomendi conatu junctus, vel aliquo singultu comitatus, qui foret potius Ventriculi affecti. Neque etiam Convulsionibus aut spasmodico Asthmate, quale esset τεκμήριον Diaphragmatis inflammati, stipatus. Tamdiu Febris heic durat continua, quamdiu ipsa persistit Inflammatio; alternis tamen diebus hæc ipsa Febris exacerbationem patitur. Si in Abscessum Inflammatio abit, tunc dolor tantillum minuitur, iterumq; per periodos gravior evadit. Pus autem in Abscessu contentum aliquando ruptâ Hepatis pertusaque substantiâ in cavum Abdominis exoneratur: aliquando etiam intra hiantia venularum dilaceratarum oscula sensim absorbetur, postmodumque factâ unâ alterave circulatione per Urinam aut secessum è corpore secernitur, quemadmodum hujus rei indicia ex diligenti Fœcum aut Urinæ inspectione haberi possunt.

Prognosis. In *Prognosi* grave hoc malum, periculique plenum est enunciandum, inprimis si maligna simul adsit Febris, in quâ Ægri plerunque excitato Sphacelo moriuntur, nisi in Abscessum Inflammatio abierit. Sed nec tum omni periculo vacat, quando talis metamorphosis plerunque hecticam eamque funestam post se trahit Febrim. Si Convulsiones supervenerint, aut Sopor extraordinarius, imminentis indicium est Mortis.

Curatio. Qui morbum hunc feliciter curare cupit, in principio statim omnem lapidem movere debet, ad Inflammationem promptè discutiendam; quoniam neglecto hoc morbi tempore frustrà laborabis. Itaque primo statim mali insultu Alvum *Clysmate emolliente*, eoq; etiam *domestico* atq; *euporisto*, ex *Decocto Malvæ*, *Parietar. Violar. Portulac. Chamomill. Scord. Mercurial. Betæ*, *Bacc. Juniper. Semin. Cumin.* in *Jusculo carnium salito*, cum *Oleo Olivar.* atque *Melle rosac.* vel *simpl.* concinnato, eluere oportet. Hinc statim *Vena* brachii dextri maximè tumida secabitur, atque sanguis ad uncias octo pluresve extrahetur; propinato antea *Jusculo carnis.* Postmodum internè *diaphoretica* tam *fixa* quàm *volatilia* dosibus certis m. acv. cum vehiculo conveniente exhibeantur, sicut in Febribus docuimus ardentibus; quibus jungi semper potest *Mixtura cardiaco-sudorifera.* Inprimis autem heic extollimus usum *Pulveris Viperar. ppt.* aut etiam Sal earundem *volatile* cum ♁ *n. diaph. Bezoard. miner. Cinnabar.* ♁ *nii*, vel *nativ. opt. Nitr.* ♁ *iat. Camphorâ*, repetitis dosibus exhibendum. Quin & *Sanguis Hirci ppt.* cum *Bezoard. mineral. Pulv. Pannon. rubr.* heic quoque non contemnendus, additâ, si placet, *Myrrhâ pulverisat.* vel *tantillo Croci.* De cætero omnis curatio sicut in Febri continuâ malignâ absolvitur. *Externè* Hepatis regio inungatur frequenter *Oleo Rosar. Lil. alb. Chamom. Violar. Hyperic.* atque simul desuper imponatur *Emplastrum de Cicutâ*, *santalinum*, vel *de Meliloto*

invicem

invicem ſubacta & permixta. *Diæta* quoque ea eſt obſervanda, quæ in malignis requiritur Febribus. Pro potu ordinario inſerviet *Decoctum Radic. Cichor. Acetoſ. Gramin. Scorzoner. Herb. Agrimon. Succiſ. Scabioſ. Hordei integr. Paſſul. min. C.C. raſpat.* &c. Si in Abſceſſum & Ulcus abierit Inflammatio, conveniunt *Decocta vulneraria*, & *Pulvis Radic. Ulmar. Symphyt.* aut *Sigilli Salomonis* per Urinam valdè pellens, quotidie bis vel ter ad ℈ß. exhibitus; Diætaque Ulceribus conveniens obſervetur.

HEPATIS OBSTRVCTIO eſt Morbus meatuum & Glandularum Hepatis, quo tubuli & canaliculi ejus ſecretorii ab humoribus viſcidis & craſſis ita infarciuntur atque occluduntur, ut hinc Actiones corporis variæ lædantur, ſymptomataque hæc aut illa excitentur.

Et reverâ occaſionem hæc Obſtructio præbet nunc Cachexiæ, nunc Hydropi, nunc Ictero flavo, nigrove, nunc Atrophiæ, Febrique lentæ aut hecticæ, tandem & ipſi Scirrho. Adeo ut qui Diagnoſin, Prognoſin atque Curationem illius deſiderat, petere eam poſſit ex ſubsequentium Symptomatum modò dictorum capitibus. Quòd ſi autem geneſin talium Obſtructionum requirimus, dicendum erit, non niſi humores acido-auſteros, viſcidos, ſeroſo-ſalinos cum ſanguine ramorum Venæ portæ ad Hepar delatos, atque inteſtino ſuarum particularum motu nonnihil hebetatos in pluribus vaſculis capillaribus, maximè tamen in Glandulis hepaticis, earumque canaliculis excretoriis obhærere, & ſenſim novarum molecularum acceſſione cumulatos infarctum, obſtructionem, tumoremque etiam non raro pituitoſum producere. Humores autem illi acido-auſteri viſcidi è primis viis, ſub formâ non abſimilis Chyli, ad ſanguineum laticem deveniunt. Chylo iſti originem præbent non ſolùm plurium ciborum dictis particulis ſalino-auſteris præditorum frequens devoratio, ſed & alii errores Diætæ, imò ipſamet debilitata Ventriculi chylificatio, propter liquorem gaſtricum, minùs volatilem ſalſum, ſed auſteriuſculis, undecunque acquiſitis, moleculis pollentem. De quibus autem hinc inde plura in Praxi hâc occurrunt.

HEPATIS SCIRRHVS eſt tumor Hepatis durus, indolens, cum obtuſo gravante dolore conjunctus, ab infarctu Glandularum oriundus, & lentam Febrim, Atrophiamque poſt ſe trahens. *Hepatis Scirrhus.*

Afficitur heic ſæpè totum Hepar, ſubinde verò ſolùm major ejus, minorve portio, quoad Glandulas & Vaſcula, interſtitiaque membranularum fibroſa. *Pars affecta.*

Cauſa proxima eſt materia pituitoſa, viſcida, minùs ſalina acris, primùm quidem fluida ſatis, hinc verò ſenſim aquoſis flexibilibus particulis exhalantibus, incraſſata atq; indurata, idq; propter quamplurimas moleculas fixas, plus minùs terreſtres, atque tar- *Cauſæ.*

tareas conjunctas. Ista autem materia primò quidem in paucis canaliculis stagnare, colligi, infarctumq; producere solet, deinceps verò quotidie accedentibus novis aliis valdè augetur, majorem Obstructionem efficit, molem partis auget, arreptaque tandem duritie in Scirrhum sensim mutatur. Quod si hæc ipsa materia terrestiores, atque alcalino-salinas fixas, vel etiam lapideas in se moleculas habuerit, simul intra ipsum Hepar hinc inde calculosæ concretiones generabuntur.

Antecedens proprior causa non est nisi serum circulantis Massæ sanguineæ, pluribus particulis heterogeneis viscidis, lentis, crudis, ac plus minus terrestribus fixis, salino-austeris inquinatum; hoc enim Serum sicubi ob specificam suam figuram magis in Hepatis quàm aliarum partium tubulis obhærere aptum fuerit, causam Affectus nostri proximam faciliùs, quàm aliam læsionem inducet. Ad tale serum in sanguine producendum contribuunt Chylus ipse simili charactere præditus ac è primis viis ad Cor translatus. Chylum verò talem reddunt, partim hepaticæ Bilis inertia, partim Succi pancreatici, Lymphæque sive salivalis, sive gastricæ aut intestinalis visciditas; partim denique *causæ procatarcticæ*, nimirum Aër frigido-humidus, Potus aquarum glacialium vel saxatilium, aut etiam liquorum acidorũ frequens; Cibi dyspepti, pluribus tartareis, & fæculentis acidis particulis præditi; Vita sedentaria, ociosa; somnus largior, torpor ad actiones; tristitia protracta.

Diagnosis. Hic Affectus, obstructioque Hepatis obscura sui indicia in principio exhibet; non curat enim, neque sentit Æger mali tanti initium. Procedente autem & increscente jam morbo, illius præsentiam nonnihil conjecturare possumus ex Alvi excrementis minùs flavis, & Artuum inchoante lassitudine, à chylo propter bilis defectum crassiore inductâ; maximè verò ex dolore obtuso plus minùs gravante, tumoreque duro admodum, ac sensibili, dum Scirrhus formatus est, in regione Hepatis sive ad Oculum comparente, sive digitis peritis palpabili. Subsequuntur hinc paulatina consumptio corporis cùm vel sine tantillâ Febri lentâ, Pallor faciei, Lassitudo artuum increscens; Respiratio propter compressum diaphragma aliquatenus offensa ac difficilis.

Prognosis. Quod *Prognosin* attinet, Scirrhus confirmatus vix curabilis, cùm nec interna, nec externa remedia suas vires in Partem affectam immediatè exercere queant. Quin ille post se trahit utplurimum Atrophiam, sive Maciem, vel Cachexiam, Ascitem, aut alia etiam æquè funesta mala. Si autem tumor nondum adeo induratus fuerit, tum adhuc aliqualem spem sanationis facere poterimus, modò Æger diuturnum remediorum usum non reformidet.

Curatio. Quoad *Curationem*, in principio Morbi, quo Obstructio nondum adeo firma, indurata ve erit, præsente cruditate ventriculi, aut liquoris gastrici, lene *Vomitorium* proderit è *Radice*

dice Ipecacuanhæ, vel *Asari*, vel *Gemmis Sambuci siccatis* & *pulverisatis ad* ℈ß. cum *Cremore* ♀ri exhibitis : vel fracta dosis *Syrupi* aut ♀ri *emetici* dari potest. Ubi autem Vomitui locus non est, tunc non secus ac in confirmatâ Scirrhi duritie, *Catharticum mercuriale* exhiberi debet ; v. g. ex *Rhabarb. elect. Radic. Jalapp. Mechoacann. Extract. panchym. Croll. cathol. Mass. pilul. Hydrop. Bontii*, vel *Coch. Scammom.* ♁*rat.* &c. cum *Mercurio dulci* vel *Cinnabar. Antim. corr.*

℞. *Mass. Pilul. coch. maroc. aa.* ℈ß.
Mercur. dulc. gr. 12.
Resin. Scamm. gr. iij.
Ol. stillat. Mac. q. s.
M. f. Pilulæ num. 13. *pro dosi mat.*

Vel ℞. *Radic. Jalap.* ℈j.
Mercur. dulc. gr. 15.
Crem. ♀*ri gr.* vj.
Scamm. ♁*rat. gr.* iij.
Ol. stillat. Cinam. gutt. j.
M. f. Pulv. subtil. pro dosi matut.

Post purgans internè præscribentur usurpanda per vices, nunc *Aqua antihectica composita*, nunc *Succi Plantarum antiscorbuticarum*, nunc earundem *Essentiæ*, sicut & *Tincturæ* ♁*nii*, *Mart. aperit. Corallor. Myrrhæ, Croci, Aloës, Aristoloch. Sabinæ, Rhabarbar. Gratiolæ. Salia volatilia oleosa* quæcunque. Nunc etiam *pulveres* ex *Diaphor.* ♃*vial.* ☽*ial. Specif. stomach. Poter. Radicibus Sigilli Salomon. Aron. Aristoloch. rotund. ver. Galang. Calam. arom. Bryon. Ireos flor. Zedoar. Cyperi, Scrophular. Spongiis ppt. Lapid. Spongiar. calcinat. Osse Sepiæ ppt. Spinis Serpentum aut Viperarum ppt. Cochleis calcinatis* ac *pulveris. Seminib. Nasturt. Aquileg. Anis. Dauci, Fœniculi* &c.

℞. *Radic. Scrophular.* ℥iß.
Ireos Flor. ʒj.
Diaph. ♃*vial.* ℈ij.
Specif. stom. Pot. ʒj.
Ebor. phil. calcin. ʒij.
Semin. Thlasp.
Fœnic.
Spic. Indic. ana ℈ij.
Sacch. alb. ℥j.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dos. ℈ij. *ad* ʒj. *m. ac vesp. cum vehiculo conven.*

Externè tandem præter *Inunctionem Olei Lacertarum*, *Scorpionum Matth. Capparum*, *Persicariæ*, *Sabinæ*, conducunt *Cataplasmata* ex *Herbis* recentibus *Persicariæ*, *Verbenæ*, *Sabinæ*, *Aristoloch. Rutæ*, *Sigilli Salomon.* &c. cum *Farinâ Fabarum* atque *Albumine Ovorum* concinnata, & quotidie semel imposita. *Balnea mineralia* prosunt quandoque, inprimis *sulphureo-aluminosa* blanda; aliquando plus nocent. In *Diætâ* nimis refrigerantia, acida, austera, salina nimia, lentum crudumque chylum præbentia sunt fugienda.

HERNIA INTESTINALIS, ENTEROCELE, ab ἔντερον, *intestinum*, & κήλη, *ramex*, est Morbus magnitudinis auctæ sive Tumor in Inguine vel etiam Scroto unius alteriusve, quandoque etiam utriusque lateris comparens, & à prolapsu Intestinorum vel Omenti per duplicaturam Peritonæi proveniens. Quòd si Intestina in Scrotum delabantur *Hernia intestinalis.*

 osche-

Oscheo - enterocele, si verò Omentum procidat, *Oscheo - epiplocele* nuncupatur.

Pars affecta. *Pars* itaque heic *affecta* est Inguinis alterutrum vel utrumque latus, ipsumque etiam apud Viros sæpissimè Scrotum. Sed maximè duplicatura Peritonæi in Inguine sita, & per Scrotum dispersa in Viris, ut testiculos simul includat, quam duplicaturam Anatomici etiam Processum Peritonæi, alii verò elytroidem sive erythroidem Tunicam appellant. His enim partibus læsis, Intestinorum vel Omenti procidentia contingere debet.

Causa. *Causa proxima* hujus Herniæ est vel Omenti vel Intestini vel utriusque decidentia, quæ si solùm leviter contingat in Inguen, tunc inibi Tumorem factâ quadam expansione producit, eumque non adeo magnum, quoniam major portio Intestini prolabentis ibi non contineretur, sed in Scrotum usque decumberet, hujusque Tumorem simul efficeret. *Antecedens causa*, ob quam illæ res delabuntur, est vel ruptura, vel emollitio & laxitas duplicaturæ Peritonæi, eaque nunc major & amplior, nunc minor & strictior. Si major est & amplior, procul dubio major portio Intestinorum elabi, & Scroti ipsius capacitatem replere valet. Si minor est, tum Intestinum sæpè ultra Inguen non prolabitur; hoc verò malum si negligatur, facilè augeri, & occasione nactâ etiam subitò ingentem rupturam post se trahere valet. Sunt nonnulli Recentiorum Medico-Chirurgorum, qui nullam rupturam, sed solam laxationem Peritonæi heic admittunt; ast observationes haud paucæ nos contrarium docuerunt, quando Hominibus ex gravi aliquo lapsu Peritonæum cum fragore ruptum fuit deprehensum. Apud Fœminas tamen & Pueros credimus plerunque Hernias per laxationem; apud Viros autem nunc per laxationem, nunc etiam per veram rupturam Peritonæi contingere. *Remotiores antecedentes* causæ hinc sunt vel laxior textura corporis atque membranarum, quemadmodum apud Infantes, & plures Adultos, atque Fœminas; vel Clamor & Vociferatio, Saltatioque nimia, Insufflatio excessiva Tubarum, Cibi admodum flatulenti, Colica flatulenta, Frequens per alvum egerendi conatus, Nixus parturientium crebriores, Tussis violenta, Vomitus, Saltus ex alto &c. Vel violentæ quoque aliæ causæ, Peritonæum aliâs satis tensum rumpentes, quemadmodum sunt Equitatio fortis, Lapsus ex alto, Contusiones, Vulnera, &c.

Differentia. Differunt Herniæ vel *inter se* ipsæmet, vel *ab aliis* vicinis Tumoribus. Inter se differunt ipsæmet, dum v. g. ratione *magnitudinis* alia est *major*, sæpè Scrotum ad capitis puerilis magnitudinem extendens; alia *minor*, pomi minoris majorisve magnitudinem in Inguine vel Scroto vix attingens, imò sæpè in Inguine ipso subsistens, sicuti in Fœminis, in quibus tamen ob Scroti defectum non

rarò molem tantam acquirit, quanta in Viris ſine deſcenſu in Scrotum ipſum contingere haud poſſet. Ratione *Ætatis* Hernia vel eſt *Infantum* & *Puerorum*, vel *Adultorum* & *Senum*. Ratione *Sexûs*, alia *Virorum* eſt, *Fœminarum* alia. Ratione *durationis*, hæc quidem Hernia *recens* eſt, illa autem *inveterata*. Ratione *Symptomatum*, alia eſt *ſimplex*, alia *conjuncta* cum *Sarcocele*, *Hydrocele*, *Cirſocele*, vel cum *Dolore*, frequenti *Colica*, &c. ubi Inteſtina nonnunquam Scroti tunicis ita adnexa ſunt, ut in cavum Abdominis retrudi amplius nequeant. Ratione *partis affectæ*, alia in *ſiniſtro*, alia in *dextro*, alia in *utroq; latere*. Differt dein Hernia ab aliis *Tumoribus* Scroti, *Enterocelen* mentientibus, v. gr. 1. à Tumore Inguinis *Bubonocele* dicto, in quo Glandula inguinalis intumuit, hæc enim vel duritie ſuâ, vel Inflammatione quadam, aut dolore ſeſe dignoſcendam præbet; neque heic ullum veſtigium laxationis aut rupturæ peritonæi occurrit. 2. Differt à *Pneumatocele*, ſ. *Hernia ventosâ*, aut *flatuosâ*, in quâ Inguen ſubinde ſimul cum Scroto intumeſcit, ſed ſine ullo Peritonæi laxati, aut Omenti vel Inteſtinorum prolapsûs veſtigio, quin tenſiva expanſio, interdum & dolorifica, magis flatuum quàm prolapſorum Inteſtinorum præſentiam arguit. 3. A *Sarcocele* ſ. *Herniâ carnosâ*, in quâ ſecus ac in Herniâ inteſtinali Teſticulus alteruter, ſi non uterque, intumeſcit, ipſumque Scrotum valdè durum ac ſolidum reddit. 4. Ab *Hydrocele* ſ. *Herniâ aquosâ* quisque per ſe diſcernere valet, quando Scrotum ſine Inguinis conjuncto tumore, aquis diſtentum videre poteſt. 5. A *Cirſocele*, ſ. *Herniâ varicosâ*, quâ ſpermatica ſolùm Vaſa, cum adjacentibus tunicis in tumorem attolluntur durum, maximè dolentem, & tractum Inguinis usque ad Teſticulum occupantem, ob varicoſas Venas inæqualem; quæ ſigna in Enterocele non habentur.

Quòd attinet *Diagnoſin*, ſi Peritonæum fuerit ruptum, quemadmodum id magis in Adultis, quàm in Pueris evenit, tunc Hernia hæc ſubitò oritur, & quidem tantâ magnitudine, quantam ruptionis foramen concedit; hoc enim ſi majus eſt, Hernia quoque grandior, ſi minus, eadem minor evadet. Quando autem Peritonæum duntaxat laxatur, tunc Tumor primùm in Inguine parvus comparet, ſed qui ſenſim poſtmodum auctâ laxitate augetur, & tandem Inguen atque Scrotum ſimul occupat, inque magnitudinem prægrandem, niſi præcaveamus, excreſcere poteſt. Præterea Inteſtina, quæ prolabuntur, in principio & progreſſu facilè, licèt non ſine aliquali dolore ac murmure, in Abdomen retrudi poſſunt; quin ſuâ etiam ſponte, inprimis apud Homines in lecto decumbentes, intra abdomen ſimili cum murmure retrahuntur. Sed hoc ipſum ſi neque naturâ neque arte, vel Ægri curâ diligenti fiat, tunc tandem Inteſtina tunicis Scroti adnaſcuntur, *Diagnoſis.*

ſcuntur, ac ab iisdem inſeparabilia evadunt.

Prognoſis. Hic Affectus in principio facilè curabilis eſt. Si verò inveteratus, ſi inteſtina jam Scroto adglutinata fuerint, tunc immedicabilis evadit. Quando vel flatus, vel craſſa materia copiosè in portione Inteſtinorum prolapsâ colligitur, eademque portio ſic à tenſione præternaturali, non ſecus atque ab humorum acrimoniâ valdè irritatur, tunc ſpasmodicè ſimul conſtringi atq; criſpari, & ita *Chordapſum* ſive *Iliacam paſſionem* inducere ſolet, ex quâ intra 12. dies Ægri plerunque ſphacelati moriuntur, niſi intra hoc tempus Inteſtinorum canalis fuerit pervius redditus. Quandoque tamen obſervatum eſt à nobis aliisve, obſtructum ſic in Herniâ canalem Inteſtini inprimis Coli, magno cum dolore in Inguinis Inflammationem, Abſceſſum, atque Ulcus transiiſſe, per quod apertum ipſa excrementa exierint; Ulcere tandem nunc perfectè, nunc imperfectè (i. e. cum permanente foramine Inteſtini peritonæo interea circumcirca adnati) curato. Qui Hernioſi ſunt, frigus pedum hybernum difficulter ferunt, quin ab eodem penetrante Colica, Inteſtinorum prolapſorum conſtrictio, conſtipatio, Inflammatio, ſæpè & Sideratio, atque Iliaca paſſio oboriuntur.

Curatio Herniæ minoris. Quoad *Curationem*, in Adultis æquè ac Pueris ſi Hernia ovi gallinacei, vel anſerini magnitudinem non exceſſerit, ſupereſt curatio ejusdem citra ſectionem. In hoc itaque caſu ante omnia conveniens Faſcia ſtruatur, ſive Subligaculum, *Bracherium* dictum, Ægri corpori ita accomodatum, ut appenſus ei nodus ſatis durus & juſtæ magnitudinis atque figuræ locum peritonæi laxatum probè tangere, & ita Inteſtinum, dum applicatur, intra Abdomem validè continere queat. Ejusmodi ergo Subligaculum è goſſypino panno, *von Barchet*, imò ſi commodè Æger portare queat, etiam è Cupro aut Chalybe, panno linteo, vel holoſerico ſuperinducto, fabricari, & poſtea diu admodum portari ſolet. Dum itaque Subligaculum unum, & alterum, (duo enim ferè, imò apud Infantes plura requiruntur propter frequentem humectationem ac permictionem) ad manus eſt, tunc Inteſtinum elapſum in Abdomen, non vi magnâ, eaque forſan inflammatoriâ, ſed placidâ digitorum applicatione retruditur, Ægro ſupinè nonnihil decumbente. Quo facto ſcitè ſtatim induitur Bracherium, illudque ſtrictè ita ligatur, ut adſutus ei nodus holoſericeus, aut è Panno goſſypino ſive xylino factus, Inteſtina in loco rupturæ intra Abdomen retinere queat. Quòd ſi fortè laxetur Subligaculum, tum ſtringendum denuò magis eſt. Interea notandum, ut conſtringatur probè atque ad naturalem firmitudinem reducatur Peritonæi duplicatura, Ægrum per plures hebdomadas, quatuòr nimirum, quinque vel ſex pluresve lecto affixum manere debere. Atque hæc ligatura, ſi probè ſciteque facta, & per plures menſes geſtata fuerit, tum

etiam

etiam sine decubitu Hernia talis perfectè curari poterit, modò in Diætâ à saltibus, ab equitationibus, aliisq; corporis validis exercitationibus, ab Irâ etiam, à Cibis acidis, flatulentis, concoctu difficilibus Herniosus sibi studiosè caverit. Præter ligaturam tamen etiam nonnulli, quanquam ferè gratis & præter necessitatem, externè adhuc *Emplastrum* validè *exiccans* corio inductum hernioso loco applicant, sicque tanto citiorem curationem sperant: ast non omnium cutis æquè benè fert talia Emplastra. Hinc alii, quod & ego pluris facerem, *Aceto Lithargyrii* quotidie mane ac vesperi affectam partem calidè lavant. In eundem finem nonnulli quoque *Essentiam* componunt, vel *Tincturam* ex *Aloë*, *Myrrhâ*, *Mastiche*, *Galbano*, *Gumm. ammoniaco*, *Tacamahacâ*, *Sandarachâ*, *Hyperico*, *Tormentillâ*, *Virgâ aureâ*, *Gratiolâ*, *Rhapontico*, *Catechu*, *Aristolochiâ*, *Calamo aromat. Pimpinellâ*, *Clemate daphnoide*, *Foliis Myrti*, *Quercuum*, *Camphorâ*, *Betonicâ*, *Flor. Balaust. Gallis*, & similibus, cum *Spiritu Vini ♀risato* extractam, eaque quotidie ac vesperi solùm frigidè illinunt, atque *Subligaculum* denuò adhibent. Intus verò pulverem *Herniariæ*, *Lunariæ botryitis*, *Seminis Perfoliatæ*, *Folior. Millefol. Vincæ pervinc. Pyrol. Radic. Ulmar. Caryophyll. Consolidæ* cum *Bolo armenate* & *Saccharo*, *ana partibus æqualibus* mixtum, ter quotidie cum *Lacte ad* ℈ij. vel ʒß. vel cum *Roob Sambuc.* aut *Ebuli* dant. *Specificum* verò in hoc etiam casu *remedium* solet esse *Pulvis Nauci* sive *loculorum interstitialium*, (*deß Sattels der Nüssen*) quibus Nucleus in juglandis Nucis putamine insidere solet, qui *Loculi* ante pulverisationem in loco moderatè calido, quemadmodum in clibano post extractos panes, torrefaciendi sunt. De hoc autem *Pulvere* ter quotidie ℈j. vel etiam plus sumi debet ab Ægro 6. 7. 8. vel plurium pauciorumve annorum ætatem agente.

Si verò Hernia nimis magna sit, quàm ut ita commodè per Cingula curari possit, tum ne magis Intestina delabantur, vel intrusa in Abdomen Subligaculo commodo retinentur, vel si ruptura amplior sit, quàm ut illa intra Abdomen semper contineri queant, etiam Scrotum convenienti Subligaculo ita suspendi debet, ne pendulum ex Abdomine dolorem inferat, Inflammationemque suscitet. Atque hæc *palliativa curatio* tum in illis, quibus Intestina vel Epiploon, vel utraque simul unâ cum processu Peritonæi, Scroti membranæ vaginali successu temporis, quo Subligaculum nullum fuit usurpatum, sunt adnata, adeoque Sectionem difficulter admittunt; tum in reliquis, qui Sectionem quanquam possibilem prorsus reformidant, est adhibenda. *Curatio Herniæ majoris.*

Sectio autem sive *Herniotomia* in tali casu, ubi Bracherio restitui pristina conformatio nequit, omninò necessaria est, atque institui solet non tantùm in *Oscheo-enterocele*, quæ *Hernia completa* sive *perfecta* à Gallis vocatur, sed etiam aliquando in *Bubonocele* *Herniotomia.*

cele ſive *Herniâ inguinali*, quam *incompletam* ſive *imperfectam* nuncupant, in quâ videlicet nihil ex Inguine in Scrotum delabitur. Operationi dein ſubjiciuntur Pueri non minus quàm Adulti, ſed variis omninò illa perfici ſolet modis, videlicet *cum* vel *ſine Teſticuli exciſione.* Si Teſticulus exſcinditur ſimul, Operatio non ſolùm *Herniotomia*, ſed inſuper *Caſtratio* nuncupari conſuevit. Fœminæ magis Subligaculis, quàm Sectione curantur. *Caſtratio* communiter ita peragitur: ante omnia Æger per laxans internum conveniens purgatur, aut ſaltem ejus Inteſtina per unum alterumve *Clyſma emolliens* & *detergens* eluuntur. Hinc matutino aliquo tempore, aëre non æſtuante, Æger convulſionibus non obnoxius, & Tuſſi Febrique carens, ſuper aſſerem locatur, genua ipſius aſſeri, nec non Brachia colligantur; atque ſic Æger ſupinè jacere debet, quo Caput pulvinari incumbens nonnihil profundius pedibus exiſtat: retro caput ipſius Miniſter vel Famulus aſſidet, qui ſuo gremio caput Ægrotantis fovebit, ac inſimul brachia ipſius fortiter tenebit, ſicubi ligata forſan nolit. Dein Chirurgus Inteſtina è Scroto vel Inguine in Abdominis cavum retrudit, atque illa dein, quamdiu operatio durabit, à præſente alio Miniſtro intra abdomen coërcentur. Hinc Operator unâ cum Miniſtri alterâ manu elevat Scroti cutim cum ſubjectis membranis, & quidem prope Inguen, eamque benè prehenſam accutiſſimâ novaculâ adeo profundè lateque incidit, prout res & magnitudo eximendi Teſticuli requirunt. Foramine ſic facto Operator ſtatim ſuis digitis Vaſa ſpermatica prehendit, cumque iis Teſticulum, cautè à membranis, quibus involutus hæret, quantocyus ſeparatum ac liberatum, extrahit, quo exemto, Vaſa ſpermatica, quæ ex Abdomine ob metum futuræ convulſionis multum extrahi non debent, retinaculo prope Inguen includit, ſicque impedit, quò minus Inteſtina in Scrotum denuò prolabi queant. Interea acum filo forti cannabino aut ſericeo prope retinaculum inter Vaſa ſpermatica transmittit, ſæpius circumducit, injectoq; duplici nodo, ne decidat, valdè non tamen ob metum ſpasmi funeſti nimis, ſtringit, ac tandem forfice acuto Teſticulum cis nodum transverſi digiti ſpatio abſcindit; quo facto ad omnem Inflam̄ationem impediendam, Hæmorrhagiamque præcavendam ſtatim Stupa *Albumine Ovor. Bolo armenate*, & *Lardo*, invicem *Vino albo* incoctis, imbuta calidè imponitur; ac poſtmodum debita ligatura injicitur, ſicque Æger ſuis vinculis liberatus in Lectum deportatur, in quo convenienter decumbat usque ad Vulneris conſolidationem, quod intra trium ſeptimanarum ſpatium fieri ſano in corpore utplurimum ſolet. Durante operatione & poſt eam Mixtura *cardiaco-antiſpasmodica* ſæpè per cochlearia datur ex *Aquis deſtill. Flor. Acac. Til. Beton. Borrag. Syrup. Pœon. Rub. id. Confect. Alk. inc. Matr. perl. ppt. Corall. rubr. ppt. Cinnab. nativ.*

vel

vel ʒ n. *Sacch. roſat. tabul.* vel *perlat.* Ante operationem poſt ſumtum Juſculum, etiam adulto Ægro hauſtus *Vini boni* conceditur. Quando Inteſtina, cum vel ſine Epiploo membranis Scroti vel etiam Teſticuli ita adhærent, ut in Abdomen retrudi nequeant, meo arbitratu tutius Operatio intermittitur, utpote quæ non niſi longa, laborioſa, ac plerunque funeſta evadere ſolet.

Hodiernâ die *Sectio Herniæ* fieri ſolet à pluribus Gallis, aliisque citra Teſticuli exciſionem, dum inciſo Inguine ſolum Peritonæi proceſſum quærunt, eundem pro poſſe & nôſſe non ſine prudenti circumſpectione à membranis Scroti, hinc & ab ipſo quoque Teſticulo, qui liber intra proceſſum exiſtere debet, undique ſecernunt, ac ita magnam hujus dilatati proceſſûs partem, reclinatis ad latera vaſis ſpermaticis, prope factam inciſionem prehendunt, eam acu filo inſtructâ perforant, aliquoties hinc filum circa prehenſam proceſſûs partem circumducunt, hacq; ratione vel relinquunt, vel ejus portionem cis ligaturam reſcindunt, tandemque Vulnus ſic factū conſueto more ligant & ſanant. Vocari ſolet hæc operatio *Punctum aureum*, vel *Punctura aurea*, cujus varios modos Chirurgi tradunt, ita quidem ut, ſi à peritis atque exercitatis Chirurgis debitâ cum circumſpectione & cautelâ inſtituatur, neq; crudelis adeo, neque funeſta ſemper evadat. Quod ſi autem multis illa difficultatibus obnoxia exiſtat, Ægerque periculum Convulſionis futuræ propemodum certum incurrat, tum melius eſt, Herniam talem vel prorſus non ſecare, & quantum poſſibile, ſolo cingulo Ægros perſanare, vel ſi aliter fieri nequeat, Ægerque magnis incommodis moleſtetur, ſectionem cum Teſticuli cautâ exemtione perficere.

HERNIA vel RAMEX INGVINALIS ſ. BVBONOCELE eſt Tumor in Inguine alterutro, vel utroque comparens, & nunc à flatu nunc ab humoribus Glandulam inguinalem ſtipantibus, nunc ab Inteſtinis aut Omento in Inguen prolabentibus, nunc denique à Vaſorum ſpermaticorum expanſione nimiâ proveniens, atque dolorem plus minus intenſum ſuſcitans. *Hernia inguinalis, ſ. Bubonocele.*

Quanquam autem varii Auctores nomine *Bubonoceles* nihil aliud indigitatum velint, quàm eam Enteroceles ſpeciem, in quâ Inteſtini portio in Inguen, non autem in ipſum Scrotum delabitur, quæque adeo Bubonem inflammatorium mentiatur; haud minore tamen jure omnem ferè Inguinis Tumorem, à causâ quadam conſtante oriundum, *Herniæ inguinalis* nomine comprehendimus, eundemque poſtea *Tumorem* ratione cauſarum differentium diſtinguimus.

Etenim quoad *Partem affectam*, Bubonocele aliam in genere non agnoſcit, quàm Abdominis inferioris ſive Hypogaſtrii partes laterales, quas Anatomici *Inguina* vocant. In ſpecie autem in ipſis Inguinibus nunc duplicatura Peritonæi, nunc Mem- *Pars affecta.*

Gggg branæ

branæ Muſculorum, nunc Glandula inguinalis, nunc Cutis cum Membranâ adiposâ, nunc denique funiculi ſpermaticorum Vaſorum affliguntur.

Cauſa & Diagnoſis. Si *Cauſas* ſpectemus, atque *Diagnoſin* ſimul, dicimus varias illas eſſe, tum *proximas* tum *remotas*, & hinc etiam variis ex ſignis dignoſcendas. De ipſius enim Tumoris præſentia viſus atque tactus explorantis Medici aut Chirurgi ſufficienter teſtari poteſt. Itaque Tumorem ejusmodi producunt *nunc Laxatio*, vel levis etiam ruptio Peritonæi, cui originem dant antecedentes variæ cauſæ præcedenti in Affectu ſatis deſcriptæ; laxato enim ſic vel rupto Peritonæi proceſſu quædam Omenti vel Inteſtini, vel ſimul utriusque portio elabi & Tumorem producere poteſt: *nunc humor* aliquis viſcido-lentus pituitoſus, vel etiam ſalinus, poros & tubulos Glandulæ inguinalis infarciens, obſtruens, ſicque ſimul expandens, & in Tumorem indolentem, nonnihil durum, imò ſæpè ſub cute inſtar Scrophularum mobilem, attollens; ad cujus humoris collectionem eæ contribuunt cauſæ *antecedentes*, quæ aliâs etiam Scrophulas vel Scirrhos producere valent, uti ſuo loco explicabitur: *nunc flatus* inter membranas cutaneas, aut muſculoſas, vel etiam in ipſo Proceſſu Peritonæi collectus, & pro majore aut minore ſui quantitate Tumorem magis vel minus tumentem ac dolentem producens; quemadmodum id fieri ſolet à nimio fortè motu aut divaricatione crurum, vociferatione, ac forti per alvum urinamve egerendi conatu: *nunc* tandem à *funiculi* ſpermaticorum Vaſorum expanſione varicosâ, per nimiam venerem, aut in Pueris per vociferationes, aliosque Diætæ errores inductâ, maximè dolente, ac ſæpè etiam Inflammationem ſubeunte.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, Bubonocele inteſtinalis nihil in ſe habet periculi, niſi deterior evadat per varios errores, curaturque eo modo, quem præcedenti in Affectu expoſuimus. Reliquæ ſpecies hujus Affectûs pro cauſarum varietate nunc diuturniores, nunc breviores ac minùs periculoſæ exiſtunt. Si quâ ad Inflammationem Tumor neglectus deveniat, etiam in Abſceſſum, imò quandoque in Gangrænam & Sphacelum immedicabilem mutatur.

Cura[tio]. Quòd *Curationem* attinet, *Bubonocele* cum *Inteſtini* aut Omenti procidentiâ curatur eâ prorſus methodo, quam in proximè præcedenti Affectu indigitavimus.

Bubo[no]celes [fla]tuoſa. *Hernia inguinalis* autem à *Flatu* oriunda *Sacculos* vel *Cataplasmata carminativa* requirit extus applicanda, quæ quidem concinnari poſſunt ex *Decocto Radicum Angelic. Imperat. Valerian. Galang. Cyper. Herbar. Aneth. Abſynth. Chamomill. Menth. Origan. Meliſſ. Puleg. Ocym. Centaur. min. Semin. Cumin. Carv. Dauci, Aniſ. Fœnicul. Naſturt. Napi;* addito *Sale armoniac.* ad meliorem penetrationem. Hæc verò ſingula minutim inciſa, & mixta vel *Sacculo* indi, vel in *Cataplasma* cum Vino ſcil. paulum cocta redigi, & calidè frequenter adhiberi

hiberi poſſunt. Quod ſi loco talium placeat *Epithema* ſive *Fomentum* ex *Spirit. Aniſ. Fœnic. Meliſſ. Menth. Angel. Matricar. Aneth.* admixtis *Spiritibus Lumbric. terreſtr. Sal. armon. C. C. volat. Spir. Vin. camphorat.* &c. perinde nobis erit. Ita quoque ſuperius nominata ſimplicia unâ cum *Camphor. Cubebis*, aliisve *aromatibus*, nec non *Myrrhâ*, *Thure* &c. paululum in *Vino* intra clauſum quoddam vas coqui, hincque lintea eidem liquori calenti immerſa jugiter applicari poſſunt. Interea intus quidem Pueris dabuntur laxantes *Trochiſci hermetici*, Adultis verò *purgans* aliud cum *Mercurio dulci* exhibetur; poſt purgans autem pro lubitu vel *Potus Thée*, vel *Decoctum* aliarum *Plantarum* v. g. *carminativarum* propinare licet. Juxta hæc à Motu corporis vehementi, à Crurum divaricatione nimiâ; à Vociferationibus, à validâ nimis Fœcum alvinarum extruſione, ab eſu flatulentorum Ciborum abſtinebitur; ac interdum ſimul *Clysmata carminativo-emollientia* & *detergentia* in uſum trahentur, quò ſic alvus ſemper facilis & lubrica ſit.

Poſt Fœtum cum labore magno enixum ſi caſus iſte appareat, ſimiles quoque *fotus*, atque *ſacculi* conveniunt, prout ſupra deſcripti ſunt. Reperiuntur etiam, qui *Oleis Chamomill. Rut. Aneth. Abſynth. Fœnic. Carv. Aniſ. Angelic. Succin. Petræ, Caſtor. Melilot.* &c. partem affectam diligenter inungunt, ſimulque *fomentum* conveniens ſuperimponunt.

Bubonoceles humoroſæ. *Bubonocele* ab *obſtructione pituitoſâ* Glandulæ inguinalis oriunda, intus quidem deſiderat aſſumtionem *purgantis mercurialis*, etiam reiterati; extus verò applicationem *Cataplasmatis* è *Plantis recentibus ſale volatili alcalino* præditis concinnati: quem in finem ſimpliciter *Rutam hortenſ. Cochleariam*, *Perſicariam*, *Ariſtolochiam rotund. Verbenam, Sabinam, Cepas* vel *Allium*, *Sigillum Salomon.* cum *radic.* invicem minutim conciſ. & contuſ. non ita frigidè ſub *Cataplasmatis* formâ quotidie admovemus. Alii tamen heic contenti ſunt impoſitione *Emplaſtrorum de Ranis Vigon. cum triplo Mercur. De Cicut. Bacc. Laur. Meliloto, Ammoniac.* aut ſimilium diſcutientium. Reliqua vide ſub Titulo de *Scrophulis* vel *Scirrho*.

Bubonoceles varicoſæ. *Bubonocele* cum *inflatione Vaſorum ſpermaticorum* doloroſâ curatur per *Sacculos* vel *Cataplasmata diſcutientia* ex *Radicib. Ariſtoloch. Pimpinell. Filic. Ruſc. Fœnicul. Apii*, *Herbis Meliſſ. Scord. Salviæ*, *Majoran. Geran. robert. Perſicar. Sigill. Salomon. Aneth. Solan. Abſynth. Gratiol. Summit. Chamom. Centaur. min. Thym. Lavendul. Seminib. Naſturt. Card. bened. Aquileg. Aloë, Myrrh. Croc. Camphor. Fimo caballin.* &c. *Vino* incoctis, parata, & calidè frequenter applicata; prius tamen Partem affectam *Oleis Roſar. Lil. alb. Rutæ*, *è florib. Slotan. Chamomill. Scorpion. Violar. Perſicar. Aneth.* &c. inungendo. Intus proſunt *diaphoretici pulveres*, ſicut in Fe-

 bribus,

bribus, exhibiti. *Clysmata* quoque *emollientia* ac *detergentia* haud negligenda sunt. Si quid inflammatorii subsit, diligenter admodum *diaphoretica* usque ad sudoris prolectionem exhibebuntur. *Vini* usui interdicetur; & extus post *Clysmatis* unius vel alterius *detergentis* infusionem, affecta pars foveatur calidè sæpius *Rore* ⦵*li*, cum vel sine *Spirit. Vini camphor. Essent. Myrrh. Aloës, Hyperic. Plantag. Numular. Violar. Rosar.* superimponendo *Ceratum* ex *Oleis Rosar. Lil. albor. Violar. Camph.* & *Cerâ.*

Bubonoceles inflammatoria. Si *Glandula inguinalis* fuerit *inflammata*, metuaturque *Abscessus*, tunc Affectus curandus instar aliorum Apostematum sive Bubonum, prout suo loco fusius adnotatum est.

Hernia aquosa. HERNIA AQVOSA, f. HYDROCELE, OSCHEO-HYDROCELE, est Tumor in alterutrâ vel utraque parte Scroti, minus dolens, splendens, sæpè etiam transparens ac mollis, à sero extravasato & inter membranas Scroti collecto originem ducens.

Pars affecta. Patet itaque, in hoc morbo non nisi Scrotum affici, atque eapropter Morbum Viris esse peculiarem; quanquam & ipsæ Fœminæ interdum etiam oedematoso Pudendotum tumore affligantur. Scrotum verò pars est illa corporis in Virili sexu è pube dependens, pilis, cuticulâ, cute, membranâ adiposâ, & peculiari aliâ, *Dartos* appellatâ, duplicaturâ Peritonæi f. *erythroide* & septo intermedio, Testiculos binos à se invicem dividente, constans.

Causa. *Causa proxima* Tumoris est seroso-salsi & aquosi humoris extravasatio & collectio inter membranas has illasve Scroti plus minus copiosa, unde pars necessariò magis dilatatur, inque præternaturalem magnitudinem attollitur. Serum verò illud colligitur nunc inter productionem peritonæi & membranam Scroti carnosam; nunc sub membranâ Testiculorum propriâ; nunc in peculiari cystide; nunc sub aliis Scroti Tunicis. *Antecedens* causa frequens est vel ruptura, vel compressio Vasorum lymphaticorum quorundam; rumpuntur vascula, si nimium expanduntur à tardiore admodum transitu Lymphæ crassioris, & magis salsæ. Etenim Sanguinis serum, sicubi à diætâ inconvenienti salsam, lentam, viscidam, mucosam ac pituitosam intemperiem contraxit, facilè in his illisve Tubulis lymphaticis, quales quidem hinc inde in suo cursu deprehendit angustiores, tardius decurrit, hinc magis incrassescit, stagnare, atque canaliculos extendere incipit, sicque eorundem rupturæ paulatim ansam præbet. Et quemadmodum ab ejusmodi circulantium Humorum dyscrasiâ Cachexiæ atque Hydropis generatio dependet, ita sæpè ab eadem particularis ille Scroti Hydrops producitur. Comprimuntur Vascula lymphica dein non rarò in Hydrope Ascite à mole Abdominis sero repleti, unde propter impeditum lymphæ refluxum

fluxum pars ſenſim intumeſcit, ipſiusque etiam Virgæ aquoſa intumeſcentia atque incurvatio contingit, à quâ Æger plus fortè, quàm à toto reliquo morbo excruciatur. Aquæ tandem nunc in unâ, nunc in utraque ſimul Scroti parte colliguntur; prout id quidem autopſia demonſtrat, & non ita pridem in Viro ſexagenario à nobis viſum eſt, cujus ſiniſtra tantùm Scroti camera oedematoſo tumore affecta comparuit.

Quoad *Diagnoſin*, Hydrocele vel ex ſolo adſpectu facilè & cognoſcitur, & ab aliis Scroti Tumoribus diſcernitur. Hydrocele enim tumor eſt mollis, albicans ſæpè, transparens, in quo ſeri aquoſi fluctuatio haud difficulter deprehenditur; ac, etiamſi prematur, nihil tamen in cavum Abdominis retrudi poteſt. Pelluciditas autem ſimul ſignum eſt, aquas intra Scrotum haud profundius latere, inque hoc caſu ſimul Teſticulus ſubter aquas naturali ſuâ magnitudine digitis deprehenditur. Si verò Aquæ inter membranam Teſtis erythroidem colliguntur, tunc Tumor magis dolens ac ovalis eſt, non transparens; neque etiam ad tantam magnitudinem aſſurgens, in cujus contactu Teſticulus haud deprehenditur. A *Sarcocele* dignoſcitur facilè, cùm hæc durus ſoleat eſſe Teſticuli magis quàm ipſius Scroti tumor. In *Enterocele* autem neque tumoris pelluciditas deprehenditur, neque tumor in ſolo Scroto viſitur, ſed in Inguine ſimul, per quod etiam elapſa Inteſtina utplurimum in cavum Abdominis ita retrudi poſſunt, ut Tumor omnis Scroti diſpareat, quod in *Hydrocele* minimè contingit. In *Pneumatocele* tumor eſt magis tenſus ac, ſi major extiterit, doloroſus, non itidem ſplendidus aut transparens; digitorum tactui facilè cedit, ſed inſtar tympani tenſi, ſi digitum removeris, priſtinæ ſtatim figuræ reſtituitur. Conjungitur Hydrocele vel ſupervenit utplurimum Hydropi Aſciti, in quo quidem vaſa Scroti lymphatica admodum preſſa, tranſituram Lympham retardant. Aliquando ſerum tanta quantitate ſubter cutim Scroti & partium genitalium colligitur, ut etiam Virgam ipſam corripiat, eamque nimis intumefaciendo, incurvam & valdè expanſam reddat, unde propter anguſtatum meatum liquor Urinæ vix excerni poteſt.

Quòd *Prognoſin* concernit, Hydrocele per ſe affligens ſine Hydrope, aut alio morbo gravi, periculo omni caret. Si verò Hydropem comitatur, tunc mortis diſcrimen auget, & plerunque lethalis evadit. Rariſſimum enim eſt illud contingens, quo quidem heic *Baſileæ* Scrotum oedematoſum Viri hydropici quadragenarii, poſt applicatum ſæpius *Cataplasma ex Fimo equino, Perſicariâ recent.* aliiſque concinnatum, intra paucos dies corruptum, ſphacelatumque totum decidit, hincque Teſticulis cum Virgâ reſtantibus ſanis, & Urinæ copiam per viam ordinariam jugiter fluente, Ulcus vulnerariis detergentibus ac conſolidantibus perſanatum, ipſeque ſimul Æger Hy- *Progno-ſis.*

dropis morbo perfectè liberatus fuit.

Curatio. *Curatio*, si Hydrops ascites simul adfuerit, per interna remedia debitâ methodo institui debet, non omissis tamen, quæ extus simul Scroto convenienter admoventur. Si verò Hydrocele sola Hominem prehenderit sine Ascite, aut cum Sarcocele sit conjuncta, tunc ante omnia *Pilulæ hydropicæ Bontii*, vel *Massa Pilul. Emanuelis*, vel *Extract. diacarth.* aut *Radic. Hermodactyl.* cum *Mercurio dulci*, semel vel aliquoties exhibebuntur. Hinc *internè* præter *Potum Thée* vel *Coffée*, aut *Decoctum nephrocatharticum Foresti*, aliudve diureticum etiam ex *Cineribus Stipitum Fabarum* factum, dari possunt vel *Pilulæ* vel *Pulveres* ex *Oculis* ♋. *ppt. Croc.* ♂ *t. aperit. Cochleis ppt. Diaphor.* ♂ *ial. Milleped. ppt. Radic. Sigill. Salom. Ononid. Virg.* ☉*reæ, Chelid. maj. Sem. Napi, Raphani hortens. Nasturt. Thlaspios, Lithosperm. Saxifragiæ, Salib. volatil. Succin. C. Cerv.* Verb. grat.

℞. *Radic. Virg. aur.*
Scrophular.
Rhab. Monach.
Rubiæ ana ℥ß.
Summit. Virg. aur. Mj.
Cent. min.
Flor. Genist. ana Mß.
Bacc. Junip. ʒiß.
Semin. Anis.
Thlasp. ana ʒij.
Ciner. Fabar. Mj.

Incisa & contus. coque in Vini albi veter. vel Cerevisiæ opt. & Aquæ font. ana ℔iij. *de Colaturâ m. ac vesp. potentur unciæ tres.*

℞. *Extract. Virg. aur.*
Ononid.
Rhabarb. ana ℈ij.
Specif. stom. Poter. ʒij.
Milleped. ppt. ʒi.
Essent. Onon. q. s.

M. f. l. a. Pilulæ magnitud. pisi minor. conspersæ pulv. Liquir. d. ad scatul. Dosis m. ac vesp. 10. *ad* 15.

℞. *Radic. Scrophular.*
Cichor.
Bryon.
Saxifrag.
Summ. Virg. aur. ana ʒj.
Semin. Anis.
Thlasp. ana ʒiß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒiij.
Diaph. ♂ *ial.* ʒiß.
Salis volat. Fulig. ʒj.
Sach. alb. ℥iß.

Misc. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dos. m. ac vesp. ℈ij. *ad* ʒj. *cum vehiculo conveniente.*

Sæpè etiam *Tinctura Salis* ♀*ri, Mart. aperit. Aperitiv. Moeb.* vel *Penot. Essentiæ Ononid. Virgæ aureæ, Aronis, Sigill. Salomon. Card. bened. Radic. Asar. Cyclamin. Rhabarb.* &c. ad plures quotidie guttas diu exhibitæ prosunt. Plura vide in Curatione Hydropis. *Exterius* omnium optima deprehendimus *Cataplasmata* ex *Herbis recentibus Sabinæ, Rutæ, Sigilli Salomonis cum Radice, Persicariæ, Aristolochiæ, Verbenæ, Radic. Allii, Cepar.* invicem minutè incisis & contusis, cum *Fimo* quoque *caballino*, si placet, mixtis, composita, & quotidie

tidie diligenter tepidè applicata. Sunt, qui iisdem non ſine fructu ſubinde admiſcent *Nicotianæ* atque *Solani herbas*, ut & *pulverem Cochlearum cum teſtis exuſtarum.* Alii *Calcis vivæ Aquam* vel per ſe calidè cum Spongiâ vel Linteis applicant; vel in eadem prius ſupra dictas herbas, non ſecus atque *Card. bened. Abſynth. Centaur. minus*, *Althæam*, *Mercurialem*, *Violariam* &c. nec non *Aloën*, *Myrrham*, *Cineres Fabarum*, *Sal Tartari*, decoquunt. Si hiſce nihil proficimus, Scrotum acu vel lanceolâ perforandum eſt, ſicque exitus ſero procurandus, ſed Vulnus ſic factum *Cataplasmate* ex *Herb. Scord. Card. bened. Hyperic. Salv. Polygon. Equiſet. Meliſſ. Melilot. Abſynth. Lavendul. Artemiſ. Piloſell. Sanicul. Gratiol. Aloë, Myrrh. Maſtich. Fimo equino* &c. *Vino* incoctis, compoſito eſt percurandum, ſicque omnis Gangræna & Sphacelus præcavendus. Etiam in hoc caſu Vulnuſculum *Eſſentiâ Ariſtoloch. Aloës*, *Myrrh.* ſingulis deligationibus eſt eluendum. Si ad perforationem *Acu* velis uti, uſurpabis talem, quæ aliâs ad Paracentheſin Abdominis in Hydrope ſumi ſolet. Verùm hanc operationem cautè inſtitues, ſi Aſcites ſimul immedicabilis adſit, aut ſi aquæ non ſub cute Scroti immediatè, ſed ſubter tunicam vaginalem ſ. erythroidem, Teſticulum propius cingentem, collectæ fuerint, quoniam ita ſideratio promptè ſubſequi ſolet.

Quando aquæ immediatè ſub cute & adiposâ membranâ Scroti hærent, quod ex perſpicuitate Tumoris patet, tum *Setaceum* aliquando transfigi, inibique relinqui poteſt, donec nullæ amplius ibidem Aquæ colligantur. Sed incommoda tamen hæc eſt, ſæpiusque doloroſa operatio, iteratæ hinc Scroti paracentheſi poſtponenda.

Si Aquæ cyſtidi peculiari incluſæ ſint, tunc ferè ſolemus corroſivum applicare, ubi incidere Tumorem volumus, eſcharam hinc factam poſt aliquot dies, niſi ſponte deciderit, lanceolâ pertundimus, aquas emittimus, ac deinceps folliculum cauterio potentiali conſumere ſtudemus; quod ſi obtinebimus, aquæ de novo haud colligentur in Scroto. Apud Infantes Scrotum lanceolâ incidi ſolet, in Adultis autem melius Acu pertunditur, ſemper ſtudioſè cavendo, ne Vaſa ſpermatica, aut Teſticuli lædantur.

Hernia carnoſa.

HERNIA CARNOSA, ſ. OSHEO-SARCOCELE eſt Tumor alterutrius Teſticuli durus, parum vel nihil dolens, paulatim à ſeminalis vel nutritii humoris retentione, collectione, atque inſpiſſatione ortus, & paulatim citra Inguinis tumorem viſibilem, in majorem molem auctus.

Pars affecta.

Affligitur proin hoc in Morbo Teſticulus alteruter utplurimum dexter, rarius ſiniſter, rariſſimè uterque.

Cauſa.

Cauſa proxima eſt retentio, ſtagnatio, atque collectio vel liquoris ſeminalis, vel lymphatici dulcis aut nutritii humoris intra poros atque tubulos vel membranas Teſticuli paulatim

tim facta. Retinetur autem Semen, quando vel in ipso coitu non ejaculatur, vel aliâs in Tubulis quomodocunque angustatis retardatur. Sæpè hinc Lymphæ aut Seminis crassities, à vitiosâ digestione primarum viarum orta, ejusdem stagnationi ansam præbet, tantoque id magis, quando simul animales spiritus sufficienti quantitate ad Testes non adfluunt, ipsamque ita seminis profluxionem aut secretionem non satis promovent. Dein etiam Cacochymia venerea ex impuro coitu contracta, nec non Venus ipsa nimia, libidoque excessiva; Testiculorum contrectatio fortis, aut etiam equitatio valdè molesta & laboriosa, vel eorundem testium percussio aut contusio inopinata tubulos valdè angustando, comprimendo aut dilacerando, hincque succos in motu suo retardando, ad Tumoris ejusmodi productionem multum confert.

Diagnosis. Quòd si proin alteruter Testiculus, vel uterque præternaturaliter intumuit; si Tumor parum vel nihil doleat; aut si doleat tantùm, cum major evasit, aut duriter contrectetur; si nulla sub Scroti membranis vestigia aquosi humoris, flatusve appareant; si nullus simul in Inguine tumor adsit, tum Adfectum hunc audacter *Sarcocelem* sive *Oscheo-Sarcocelen*, voce ex ὄχεον *scrotum*, σάρξ *caro*, & κήλη *ramex* de compositâ, pronunciabis, in quâ velut Testiculi substantia sive caro præternaturaliter aucta videtur. Quod si autem Tumor Scroti, ipsiusque Testiculi sensim increscit, atque lancinante, pungenteque dolore molestus evadat, cum duritie inæquali, & colore livido Cutis, tum *Hernia* talis *cancrosa* existit.

Prognosis. In *Prognosi* hoc statim dicendum, quod cùm Sarcocele utrumque Testiculum occupavit, sterilis inde reddatur Homo, si non prorsus impotens. Aliâs Tumor hic facilè toleratur, si nec magnus nimis fuerit, nec dolens; quo utroque modo valdè molestus evadit Homini, eundemque ad *Herniotomiam* sensim allicit, sine quâ vix ulla superest sanatio. Aliquando etiam in *Cancrum* mutatur, eumque immedicabilem, qualem ante aliquot annos funestum vidimus.

Cu[ratio]. Etenim in *Curatione*, si recens adhuc, nec ita durus fuerit Tumor, tentanda est aliqua discussio, quam promovere valet *purgans* aliquod cum *Mercurio dulci* ante omnia exhibitum, imò illud etiam repetitum:

℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. 15.
Crem. ♀*ri gr.* vj.
Scammon. ♀*rat. gr.* iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi matut. Vel

℞. *Extr. Pilul. coch.* ℈j.
Cinnab. ♄*n. opt. gr.* viij.
Resin. Jalapp. gr. iij.
Ol. stillat. Succin. q. s.
M. f. Pilulæ num. 13. *Sumantur pro dosi matut.*

Dein *intus* quidem *Tinctura Antimon. Succin. Essentia Martis helleborata Wedel. Essent. Rutæ, Chamædryos, Virgæ* ☉*reæ*, *Castitatis Mynf.* cum *Aquis destill. Endiv. Portulac. Taraxac. Lactuc.*

Lactuc. Cichor. &c. propinari possunt. Vel etiam *Pulveres* ex ♁ *n. diaph. Bezoard. mineral. Ocul.* ♋. *ppt. Cinnab.* ♁ *n. Semin. Rutæ*, *Agni casti* &c. exhiberi. Huc dein facit *Decoctum Radic. Aristoloch. Vincetox. Pimpinell. Filic. Ulmar. Fœnic. Apii*, *Rusci*, *Rubiæ*, *Chin. Sarsæparill. Lign. Guajac. Sassaphr. Herb. Solani*, *Hepatic. nobil. Cuscut. Capill.* ♀ *ris*, *Eupator. Semin. Rut. Agni casti* &c. *in Aquâ fontanâ factum*, *& quotidie m. ac vesp. potum*, *dosi* ℥v. *vel* vj. Huic decocto substitui potest vel usus *Thermarum Fabariensium*, *Leuccensium*, *Plumbariarum*, aliarum, in *potu* & *balneo*; vel etiam *Potus Acidularum* valdè penetrantium. *Externè* conveniunt *fomenta* vel ex *Spirit. Vin. camphorat.* in quo etiam *Gumm. ammoniac.* dissolvi potest; vel ex *Elixiri* quodam *balsamico volatili* parata: quemadmodum *Myrrha*, *Mastiche*, *Aloës*, *Camphora*, *Crocus*, *radices Hellebor. nigr. Angelic. Valerianæ*, *Imperatoriæ*, *Fœniculi*, *Chelidon. Aronis*, *Herbæ Sabinæ*, *Card. bened. Solan. Nicotian. Artemis. Sigill. Salomon. Semin. Rut. Nasturt. Aquileg. Cochlear.* &c. in *Spiritu Vini dephlegmato* in hunc finem macerari solent. Aliâs quoque *Cataplasma* ex *Radicibus Herbisq; recentibus Aristoloch. Persicar. Rutæ*, *Verbenæ*, *Sabinæ*, *Sigill. Salomonis*, *Geranii Robertian. Gratiolæ*, *Ceparum*, *Allii bulbos. Alliariæ* &c. invicem contusis & mixtis confectum m. ac v. calidè applicari maximo cum fructu potest, modò per aliquod hebdomadas continuetur. Quòd si verò his aliisve frustra aliquamdiu usi fuerimus, nulla superest cura certior, quàm *Testiculi excisio*, sive *Castratio*, perito hâc in re Operatori commendanda, postquam Æger benè præparatus, & ab omni Cacochymiâ, quantum possibile, liberatus fuit.

HERNIA VARICOSA, OSCHEO-CIRSOCELE, est Vasorum seminalium ad Testes abeuntium dilatatio & intumescentia varicosa, nunc dolens, nunc indolens, ita ut tertium quandoque Testiculum mentiatur. *Hernia varicosa.*

Pars affecta sunt Vasa lymphatica, magis tamen Venæ spermaticæ per duplicaturam Peritonæi ad Testiculos demissæ. *Pars affecta.*

Proximè verò hunc Tumorem producit dictorum Vasorum dilatatio varicosa, sive nodosa; quando enim valvulæ quædam in Venulis ejusmodi nimium tensæ ab humore crasso rumpuntur, aut ab acri eroduntur, tum sanguinē in circulatione refluum non possunt adigere atque commodè ulterius propellere; hinc est, quod tardius procedens vasa distendat, & quidem in loco valvularum magis quàm alibi, quoniam ibidem aliqualis est fibrarum strictura, ob quam canaliculus eo loci angustior evadit, cis autem fibras ipsum ob pressum valdè sanguinem magis dilatari necesse habet. Contribuunt verò *antecedenter* ad hunc Affectum omnes ferè illæ causæ, quarum mentio sub Titulo de *Varice* prolixior fit. Vidimus tamen etiam in Pueris subinde funiculum *Causæ.*

ſpermaticorum Vaſorum per tractum Inguinis usque ad Teſticulum, à ſaltu, compreſſione, contuſioneque, non ſine inſigni dolore, atque inflammatione intumuiſſe. Inprimis è cauſis *procatarcticis* heic nominanda venit nimis frequenter exercitata Venus, dum ſub actu venereo ſpermaticæ Venæ diu admodum diſtentæ tenentur à ſanguine, per talia vaſa vel nihil vel parum circulante; unde hic diuturniore morâ nonnihil craſſior evadit, atque poſtliminiò etiam tardius transcurrit; ut adeo talia vaſa paulatim ſic nimiæ dilatationi adſueta ad priſtinam naturæque convenientem anguſtiam haud amplius deducantur; non ſecus atque aliâs Ureteres, pluries à Calculis transeuntibus ampliatos, tales poſtea manere ex Anatomicis ſæpè obſervationibus didicimus.

Diagnoſis. Affectus hic facilè cognoſcitur ex viſu & tactu, & quidem in loco decurrentium vaſorum ſpermaticorum; ibi enim tumorem cuti concolorem, ſed inæqualem, viſu & magis adhuc tactu deprehendere licet, qui, ſi membranas ſenſibiles earum, aut vicinarum partium valdè diſtendat atque comprimat, doloroſus evadit, & interdum magnam Inflammationem, præprimis ſi à Venere non abſtinetur, aut impuri etiam coitus exercentur, vel contuſio quædam accedat, incurrit. Affectus Hominibus Venereis, Lue Gallicâ laborantibus, virgam frequenter erectam atque tenſam habentibus, magis quàm aliis quibuscunque familiaris.

Prognoſis. In *Prognoſi* hinc tenendum eſt, hunc morbum plerumque citra Teſticuli exſtirpationem ſ. Herniotomiam exiſtere curabilem, nec unquam eſſe lethalem, niſi occaſione infeliciter datâ Teſticulus cum Vaſis ſeminalibus maximè inflammetur, ſphaceletur, atque convulſiones poſt ſe trahat. Mutatur ſæpè *Cirſocele* in *Sarcocelem*, aut ſaltem hanc comitem adipiſcitur, tumque hæc non rarò convertitur in *Cancrum*, ſi ſcilicet Ægrotantis maſſa ſanguinea ad producendum talem Affectum diſpoſita eſt. Vidimus etiam, quibus paulatim vaſa iliaca venæque lymphaticæ Inguinum preſſæ à tumentibus vaſis ſpermaticis fuerunt, unde crura tantillum oedematoſa, imò ſimul varicoſa fuerunt reddita.

Cur. In *Curatione* Morbus hic, ſi quidem remediis curari poteſt, deſiderat primùm *Vina medicata* ex *aperientibus* & *laxantibus* parata; dein internè *Remedia martialia*, in *Liquore* aut *Pulveribus* ſæpè data, *Vinum* quoque *martiale aperiens*, ac inſimul *ſale blando volatili naſturcino* impprægnatum. Quin & *cinnabarina*, *camphorata*, *rutacea* reliquis cum fructu permiſceri queunt. Formulæ ſequentes aut ſimiles inſervire poſſunt:

℞. *Radic. Scrophular.*
Pimpinell.
Ruſci ana ℥ß.
Taraxac. ℥iij.
Herb. Agrimon.
Anſerin. ana Mj.
Beton.
Card. bened. ana Mß.
Baccar.

Baccar. Laur. Juniper. ana ʒj.
Semin. Anis. Thlasp. ana ʒij.
Fol. Senn. opt. mund. ʒx.
Radic. Hellebor. nigr.
Rhab. elect. ana ʒiij.
Cortic. Winter.
Salis Juniper. ana ʒj.
Incis. contus. & in sacculo ligatis affunde Vini alb. veter. ℔iiij. p. c.
Aqu. fontan. vel Gramin. ℔ij.
Stent per noctem in cineribus calentibus, hinc quotidie mane hauriantur unciæ quatuor.

℞. *Tinctur. Martis aperit. ʒiiß.*
♀ri.
♄n. ana ʒiß.
M. d. ad Vitr. Dosis quotidie m. ac vesper. 30. gutt. cum Infuso fol. Thée, Betonic. Trifol. fibr. aut simil. Vel

℞. *Spirit. theriac. camphor.*
Essent. Trifol. fibr. ana ʒij.
M. d. ad Vitr. Usurpetur ut prior.

Vel ℞. *Spir. Sal. arm. anis. aut fœnicul.*
Cochlear. ana ʒiß.
M. d. ad Vitr. Dosis m. ac vesp. gutt. 25. ad 30. vel plures cum Aquâ Nasturt. Gramin. Fumar. Scabios.

℞. *Radic. Pœon. mar.*
Vincetoxic.
Caryophyllat. vel
Carlin. ana ʒiß.
Ocul. ♋. ppt.
♄n. diaphor.
Spod. ex Ebor. ppt. ana ʒij.
Vitriol. Mart.
Semin. Anis.
Sal. volat. Fulig. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥ij.
M. f. Pulv. subt. d. ad scatul. Dosis ʒj. m. ac vesp. cum Infuso fol. Thée &c.

Vel ℞. *Radic. Borrag.*
Dictamn. alb.
Pimpinell. ana ʒj.
Unicorn. mar. ppt.
Diaphoret. martial.
Dent. apr. ppt. ana ʒiß.
Semin. Urtic. Dauc.
Aquileg.
Fœnic. ana ℈ij.
Sacch. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. subt. d. ad scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Specif. stomach. Poter. ʒij.*
Diaph. ♃vial. vel ☽ar. ʒj.
Corall. rubr. ppt. ℈iiij.
Radic. Ireos flor.
Sigill. Salom.
Liquirit. ana ℈ij.
Semin. Seseleos. Mass.
Anis. stellat. ana ʒj.
Sacch. penidior. ℥j.
M. f. Pulv. subtil. d. ad scat. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Ebor. s. ign. ppt.*
Bezoard. min.
Corall. alb. ppt. ana ʒj.
Cinnab. nativ. opt. vel ♄n. corr.
Diaph. ♂ial.
Arcan. dupl. Myns. ana ʒß.
Camphor. ℈j.
Sacch. rosat. tab. ℈iiij.
M. f. Pulv. subt. div. in 10. dos. æqu. ad chart. Mane ac vesp. capiatur dosis cum Aquâ Borrag. Scabios. &c.

℞. *Radic. Apii, Asparag.*
Ulmar. Rusc. ana ℥ß.
Herb. Succis.
Hepat. nobil.
Chamædr.
Bugul. ana Mj.

Flor. Calend. Genist. ana Mß.
Baccar. Alkekeng. ℥j.
Cortic. Tamar.
Cappar. ana ℥iß.
Semin. Fœnic. ℥ij.
Limat. Chalyb. ℥ß.
Terr. foliat. ♀ri ℥ij.
Cinnam. opt. ℈iiij.

Incis. contus. & sacculo inditis affunde Vin. alb. vet. & Aqu. Succis. ana ℔iiß. *Stent primâ nocte in Arenâ vel Cineribus calentibus, postea mane ac vesperi unciæ tres hauriantur.*

Externè commendamus *Emplastra de Mucilaginibus*, vel *Ammoniac. de Cicutâ, de Ranis Vigon. cum Mercur. de Bacc. Lauri, stict. Croll.* Vel *Fotus* ex *decocto aromaticarum Plantarum, adstringentiumq́;* paratos in *Vino rubro chalybeato. Thermæ* etiam, quibus *Vitriolum martis* naturaliter inest, non sunt contemnendæ. Dein Testes in Sacculo suspendendi, atque gestandi veniunt, ita tamen ut simul hâc ratione *Emplastrum de Cicutâ, Solano quadrifolio, Nucibus Cupressi, Foliis Quercuum* &c. cum *Bolo Tacamahacâ, Mastiche, Myrrha, Cera* atque *Terebinth.* paratum applicetur. Si verò his nihil operantibus, Æger valdè ab hoc morbo incommodetur, tum *Castrationis* operatione medendum est. Hernia cancrosa per hanc ipsám sectionem quoque curari potest, modò Cancer nondum ad Vasa seminalia in Inguine serpserit; in hoc enim casu tutior est Cura palliativa Cancri.

HERNIA VENTOSA, OSCHEO-PNEVMATOCELE, est Tumor Inguinis vel etiam Scroti plus minus tensus ac dolens, à flatu inter membranas earum partium intercepto oriundus; atque sub specie *Herniæ intestinalis* subinde imponens. *Hernia ventosa.*

Flatum aëreo-spirituosum ibi subsistere aut colligi facit Vociferatio nimia, Onerum gravissimorum portatio aut sublevatio frequens, excrementorum Alvi cohibitio diuturna; coitus creber ac fortis, buccarum valida inflatio continuata; equitatio in equo subsultante diuturna; Ciborum flatulentorum comestio, indeque flatuum retentio, & similia. Curari hinc debet citò, antequam aliam Herniam, Colicam, aliave symptomata vehementiora post se trahat. *Causæ.*

Curatur autem facilè per discussionem *Clysteribus carminativo-detergentibus, Cataplasmatibus* similibus, *Spiritu Anisi*, vel *Anthos, Baccar. Juniper. Meliss.* & simil. cum *Butyro* frequenter applicatis. *Balneum* quoque ex *decocto Herb. carminativarum* in usum pluries vocabitur. Imò & impositio *Emplastri de Baccis Lauri* sæpè conduxit. *Cura.*

HERNIA OMENTALIS, OSCHEO-EPIPLOCELE est Tumor Inguinis aut etiam Scroti, à delapsu Omenti in Processum Peritonæi laxatum oriundus. Cùm autem hic Affectus quoad partem læsam, fiendi modum & ipsam Curationem cum *Herniâ intestinali* conveniat, Lectorem eo remittimus. *Hernia omentalis.*

HERNIA

HERNIA VMBILICALIS s. OMPHALOCELE est Tumor Umbilici, ab ejusdem tunicarum ac funiculi laxatione tantâ proveniens, ut intra illas tunicas nunc Omentum, nunc Intestinorum portio elabi, nunc etiam Serum ibidem colligi, vel Carnosa quædam excrescentia progigni queat.

Pars itaque *affecta* est Umbilicus, ex variis tunicis atque canalibus in Homine recens nato adhuc perviis, post paucas verò hebdomadas vitæ jam obliteratis, sive coalitis & imperviis redditis, compositus.

Producitur hoc malum *proximè* à laxitate magis quàm à rupturâ membranarum Umbilici; hisce enim mollioribus atque laxioribus redditis simul facilitas jungitur expandendi sese, & intra suam capacitatem vel Omenti, vel Intestini cujusdam tenuis portionem, vel etiam Serum undecunque è glandulis vicinis exudans admittendi, ipsumque adeo Umbilicum in majorem minoremve Tumorem attollendi; prout vel laxitas membranarum major minorve, vel humor extravasatus parcior aut copiosior fuerit. Sæpè tamen etiam humor ejusmodi serosus, vel quandoque simul cruentus intra vasa Umbilici, denuò præternaturaliter ampliata, atque pervia reddita, aut eorundem interstitia membranis conclusa colligitur, qui, cùm in extremitate Umbilici ostia neutiquam aperta, sed firmâ cicatrice clausa offendit, hactenus ibidem subsistit, atque ejus extremitates expandit, valdeque tumidas reddit. Tandem Succus Tuborum vel Membranarum Umbilicalium nutritius, si copiosè admodum per laxatos qualitercunque porulos affluit, atque in substantiam solidiorem convertitur, *Omphalocelen carnosam* producit. Ad laxandos autem tubulos, membranarumque poros multum contribuunt Cacochymia Hominis pituitosa, Vociferatio crebra & magna, dispositio affectæ partis à naturâ tantillum laxior; nisus fortes in Alvo solvendâ, Urinâ mittendâ, aut Fœtu excludendo adhibiti.

Tumor hic facilè ex solo intuitu cognoscitur; neque is dolens est, nisi aliud quoddam interveniat accidens, quod membranas sensibiles vel nimium distendat, vel acriter pungat aut vellicet. Si autem Tumor oriatur ab Omenti portione elapsâ, tunc ille quidem ad basin est latus, in vertice autem angustus. Si proveniat ab Intestinis procidentibus, Tumor nec admodum mollis erit, nec durus, suppresso hinc spiritu increscit; ac ubi Æger supinus decumbit, Intestina, nisi adnata fuerint, plerunque cum strepitu & rugitu sensim in suum locum regrediuntur. Si ab aquis vel sero fuerit orta talis Hernia, tunc laxa illa est cum fluctuatione, ac pressa nec minuitur nec augetur; quemadmodum aliâs Intestina intra corpus immissa Tumorem statim minuere observantur. Præterea ad candelam nonnihil lucidus, & extus sæpius splendens apparebit ejusmodi Herniæ Tumor, præprimis si major evaserit. *Omphalocele* tandem *carnosa*

Diagnosis.

ex solá duritie cognoscitur, dum ad digiti attactum neutiquam cedit, neque etiam Ægro supinè jacente, quicquam minuitur; indolens præterea est, si causa mitior fuerit; si autem materia ab affluente paulatim acriore humore corrosiva evaserit, dolorosus redditur, atque *Scirrhum cancrosum latentem* minitatur. Etiam *Omphalocele intestinalis* dolorosa per se non est; sed quando materia humorosa aut flatulenta in portionem Intestini elapsam copiosius translata fuit, ac eam nimium distendendo loca ejus propè peritonæum angustiora reddidit, tunc verò dolor jam acerbus producitur, tamdiu excrucians Hominem, donec materia distendens per Intestini canalem magis laxatum ac pervium redditum retrocesserit.

Progno-sis. Quoad *Prognosin*, Omphalocele intestinalis æquè ac omentalis per se periculo vacant, modò probè curentur, ac debitis subligaculis muniantur. Ast ubi vel à Cibis flatulentis, vel ab equitatione aut Clamore vehementi, vel à Potu Cibisve acidis viscosis nunc flatus copiosior, nunc humor viscoso - acrior nimium fuerit transmissus, aut etiam major Intestini portio in Tumorem neglectum demissa, sicque Canalis intestinorum prorsus impervius evasit; tunc nòn solùm immanis ibidem dolor, nascitur, sed & non raro simul Convulsiones, Inflammationes, Gangræna, Sphacelus, Passioque Iliaca cum Ægri promptâ nece accedunt. *Omphalocele aquosa* in Pueris minus periculosa, in Adultis autem si cum Hydrope Ascite afflixerit, periculi magnitudinem portendit, neque adeo curationem salutarem promittit. *Omphalocele carnosa*, quæ indolens est, omni discrimine vacat; quæ autem dolorem habet comitem, eumque profundum, lancinantem, aut quæ incipit colore alieno, rubicundo-cœruleo parum tingi, ea verò est, quæ *Fungi cancrosi*, illiusque, nisi forsan excisione quid præstare velis, immedicabilis præsentiam denunciat.

In Infantibus & Pueris *Herniæ* Cur hujus *curatio* facilior quàm in Adultis; nimirum *Clysmatibus emollientibus* ac *detergentibus* primæ viæ probè eluuntur: dein repositis Intestinis *Emplastrum oxycroceum* corio rubro superinductum applicatur, ac tres adhuc rotulæ ex eodem corio confectæ desuper ponuntur, fasciâ commodâ firmiter ligantur; & ita per quatriduum, si possibile est, relinquuntur; finito illo tempore ligatura solvitur, rotulæ tolluntur, novæque iterum applicantur, Umbilico tamen prius *Oleo Rosarum* vel *Ovorum* inuncto. Alii *Perfoliatam* cum *Semine contusam*, item *Herniariam*, *Pulverem radicis Symphyti* ac *Tormentill. Bolum armenat. Terram sigillat. Succum Japonicum*, *Cortic. granat. Gallas*, *Flor. Balaust.* ac *Rosar. Lignum santalinum*, *Semin. Hyperic. Plantag.* & simil. cum *Cerâ* ac *Gummatib. liquatis* in *Emplastri formam* redigunt, atque hinc fortiter affectæ Parti alligant. Vel etiam, quod *Engelbergeri*, *Lindaviensis Medici* arcanum fuit, *Pulvis Mastichis* cum *Album. Ovi*

Ovi in *Unguentum* redigitur, in quo liquato intincta lintea Herniæ, post retrusa Intestina, applicantur, fasciisque fortiter ligantur. Ante applicationem tamen Pueros *lavari* præcipit Auctor ille in *Balneo*, quod ex *Decocto Herbar. Malv. Nasturt. aquat. Alsin. Radic. Alth.* & *Symphyti* in *Aquâ ferratâ* fieri debet. In Adultis hæc ipsa *remedia* quoque in usum vocari possunt, sed impari cum successu. Apud utrosque *Sectio* fugienda, nisi Operator certissimus de felici eventu existat. Necesse igitur est, ut Adultiores solo *Subligaculo*, *Emplastroq; siccante* extus quidem utantur, sive ad curandum malum adhuc recens, sive ad præservandum deterius. Intus verò si curationis spem habeat, ea usurpet, quæ contra Herniam intestinalem suo loco commendavimus; subinde enim eâdem methodo & *Omphalocele intestinalis* vel *omentalis*, & *Enterocele* citra sectionem curari potest.

Omphalocele aquosa eandem prorsus curam postulat atque *Hernia aquosa*, sic & *Omphalocele ventosa* iisdem quibus *Hernia ventosa*, remediis discuti potest. Ast *Omphalocele carnosa* sive *scirrhosa* cautè admodum est tractanda, imò, si quædam Cancri latentis indicia subsint, quemadmodum id aliquando observatur, tunc malum hoc tutius intactum relinquitur, quàm verò minus securè tractandum suscipitur. Quod si autem nihil cancrosi heic adsit, tum remedia in usum trahentur, quæ aliâs contra Herniam cancrosam feliciter usurpantur, quibus si malum non discutitur, tum hoc in statu quo relinquitur, & non nisi fasciâ munitur ad incommoda præcavenda. Quando autem magnas illud procreat molestias, videlicet si subinde doleat, ac majus quotidie incrementum capiendo pejora præsagiat, tunc à perito Operatore Tumor omnis exscindendus, ac postea debitè persanandus, Ægro ante operationem scitè præparato. Ad *præcavendam* talem Herniam in Infantibus atque Parturientibus umbilicum commodis fasciis firmiter ligare solemus.

HERNIA VTERI dicitur à nonnullis Tumor Inguinis, ab Utero in Inguen laxatum illabente enatus. *Hernia uteri.* Ast hoc impossibile videtur, neque hactenus res vel unico exemplo demonstrari potuit, si excipias unam alteramve observationem dubiam apud *Sennertum* & *oringium* occurrentem. Alii per Herniam uterinam nihil aliud intellectum volunt, quàm Uteri procidentiam, de quâ suo loco agetur.

HERNIA GVTTVRALIS, vid. *Bronchocele.*

HERPES MILIARIS s. PVSTVLARIS, *Græc.* κέγχριας, Celso *Ignis sacer*, Avicennæ *Formica corrosiva* dictus, est exulceratio extremæ cutis pruriginosa, cum pluribus vesiculis parvis hinc inde per corpus numerosè invicem efflorescentibus, sero acri, pungente & lancinante repletis, affligens, ac plerunque cineritio, *Herpes miliaris.*

neritio, ſæpè etiam flaveſcente colore apparens.

Diagnoſis. Facilè ex jam dictis Affectus cognoſcitur. *Scabiei* ferè ſpecies eſt; in extremâ nimirum cute tales veſiculæ, ſive minutæ puſtulæ, plerunque intra paucas horas, confertim uno in loco, ac ſi Milii ſemen adſperſum fuerit, effloreſcunt. Quandoque manum duntaxat unam alteramve, vel utramque occupat, nunc etiam pedes ſimul, aut Cutim reliqui corporis invadit. Moleſtus eſt Affectus pruriente, vel ſæpius etiam ardente dolore. Non ſerpit tamen, niſi ichor ſalſus ex apertis per frictionem Puſtulis vicinam Epidermidem quoque arroſerit. Si verò ſerpat in vicina paulatim, tunc *Herpes exedens* nominatur. Pro varietate ſeri, quod in Puſtulis continetur, varios colores ſuſcipit; atque etiam, ſi negligatur, Scabiem poſt ſe trahere valet.

Cauſæ. Gignitur hic Affectus non niſi ex particulis ſeroſo-ſalſo-acribus, è maſſâ ſanguineâ per has illasve Glandulas cutis miliares, præcipitatis, atque ſub Epidermide ob aliqualem ſui craſſitiem poris penetrandis ineptam ſubſiſtentibus, eamque in leves Puſtulas elevantibus. Colliguntur autem tales particulæ ſalinæ in Maſſâ ſanguineâ ſenſim ex Potu atque Cibis tali materiâ nimium turgidis. Quandoque etiam Aër externus frigidiuſculus ſubito corpori æſtuanti occurrens; vel attactus ſordidarum fortè Aquarum, aut Liquorum auſteritate quadam pollentium ac frigidorum, corpore calente, Epidermidis poros, ipſiusque Cutis extremos canaliculos anguſtando huic Affectui gignendo anſam præbere poteſt.

Curatio. Quòd *Curationem* attinet ſi in unâ parte Malum effloruerit, ſimpliciter externè *Vino calido* vel *Spiritu* etiam *Vini* ſæpius lavari, hinc verò *Emplaſtrum diapalma* aliudve *exiccans* imponi usque ad conſolidationem poterit; intus tamen, ſi lubeat, aliquoties *diaphoreticum Pulverem* ♁*ialem* cum *Aquâ Fumariæ* hauriendo, & operationem magis per diaphoreſin, quàm per ſudorem exſpectando. Si plura malum loca cutanea prehenderit, tunc corpus benè expurgandum eſt *cathartico convenienti*: hinc etiam vel *ſecanda Vena*, vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicandæ. Poſtea intus per octiduum & ultra *Pulvis meus antipſorus*, aut *Tinctura* ♁*nii*, cum *Aqu. Scabioſ. Endiv. Plantag. Fumar. Card. bened.* &c. m. ac v. exhibeatur. Vel ſi tota ſanguinis maſſa ſalibus heterogeneis nimium turgida deprehendatur, *Acidularum potus* cum regimine Diætæ commendabitur. Extus autem ea uſurpabuntur, quæ in *Scabie* commendamus.

Herpes exedens. HERPES EXEDENS ſ. SERPIGINOSVS, eſt exulceratio hinc inde pluribus conglomeratis puſtulis per cutim effloreſcens, atque in vicinas partes ſuâ acrimoniâ corrodente ſerpens, non ſine dolore plus minus ardente.

Cauſæ. *Producitur* autem hic Morbus, quandocunque plurima ſalia acido-

acuta

acuta in Maſſâ humorali undecunque collecta, & viſcoſo cuidam humori irretita, per glandulas cutis miliares, forſitan à frigido externo auſtero aëre, aliisve cauſis anguſtiores poros adeptas, commodè transire, atque probè ſecerni nequeunt, ſed ibidem ſubſiſtentes, & paulatim amplius congregatæ extimam Cuticulam non ſolùm in Puſtulas attollunt, ſed inſuper acrimoniâ ſuâ eandem ſimul atq; Cutis ſubjectæ fibras, ſæpè & Panniculū carnoſum, arrodunt, exedunt, ac ita Ulcuſcula fœda ſerpentia producunt, quæ continuò ſic magis ſerpunt, niſi debitis id remediis præcaveamus.

Cognoſcitur Affectus facilè ex ipſa inſpectione, ubi non ſolùm fluens exulceratio cutanea, poſt prægreſſas Puſtulas conſpicitur, ſed & ejusdem ſerpiginoſa propagatio animadverti poteſt. Dolor interdum adeſt inſigniter pruriginoſus, imò ardens, atque inflammatorius. Affecta loca rubore plerunque, & aſperitate præternaturali ſunt contaminata. In principio ſerum nonnihil flaveſcens & acerrimum, poſtmodum autem, quando jam Cutis exulcerata eſt, etiam purulenta cum ſero materia effluit.

Malum proin hoc ſi negligentius tractetur, etiam in *Fiſtulas* degenerare poteſt, parum vel difficulter curabiles, præprimis ſi Æger admodum cacochymicus fuerit. In principio autem curatio Morbi longè facilior evadit, quàm in progreſſu demum & augmento ejus.

In *Curatione*, ſi Febris aliqua adſit inflammatoria, intus præſcribentur *remedia antifebrilia* ſub titulo de *Febri malignâ* commendata. Si abſit Febris, ſtatim *Vinum medicatum purgans* eſt ordinandum, cujus ingredientia poterunt eſſe præter *Rhabarbarum*, *Helleborum* atque *Folia Sennæ*, etiam *alterantia*; v. g. *Radices Filicis, Pimpinell. Ariſtoloch. Cichor. Enulæ campan. Scorzoner. Biſtort. Petaſit. Herb. Agrimon. Hepatic. nobil. Sanicul. Pyrol. Scabioſ. Card. bened. Veronic. Cent. min. Chamædr. Semin. Plantag. Hyperici, Perfoliat. Aniſ. Spica Indica, Sal Tamaric.* vel *Abſynth.* Quod ſi Æger magis appetat *Pilulas*, præſcribi poterunt ex *Maſſâ pilul. Hydrop. Bont. Extract. panchymag. cathol.* &c. cum *Mercurio dulci.* Deinceps verò ſola *alterantia* per plures hebdomadas uſurpanda præſcribentur, præmiſſâ tamen, ſi Ægri conſtitutio permittat, *Venæſectione* aut iteratâ *Scarificatione* cum *Cucurbitulis.* Alterantia talia erunt vel *Pulveres* ex ♁*n. diaphoret. Bezoard. mineral. Pulver. pannon. rubr. Terr. ſigill. Bolo armenate, C. C. uſt. Spodio, Lapid.* ♋. *ppt. Diaph.* ♂*ial.* aut ♃*vial.* &c. compoſiti. Vel Liquores, v. g. *Tinctura* quædam *traumatica, Tinct.* ♁ *nii, Mart. aperit.* ut & *Corallor. Eſſent. Succin. Betonic. Gramin. Parnaſſ.* Æſtivo tempore, vel *Juſcula alterata Herbis naſturcinis*, vel *Acidulæ*, aut *Thermæ Fabarienſes* potari poſſunt, quarum ſuccedaneum huc usque fecimus *Aquas naſturcinarum Plantarum deſtillatas*, quæ ſingulis anni temporibus vel ſolitariè, vel cum aliis etiam abſorbentibus atque edulcorantibus dari poſſunt. *Extus* Ulcu-

Ulcuſcula frequenter *Eſſentiâ Myrrhæ, Aloës, Thuris, Hellebor. Rhabarb. Gratiolæ, Meliſſ. Abſynth.* &c. vel *Aquâ Calcis vivæ* per ſolutionem *Mercurii ſublimati phagedænicâ* redditâ; vel ſolo etiam *Lixivio ſarmentorum Vitis* cum *Spiritu Vini camphorato*, aut *theriacali* elui poteunt. Hinc verò ſiccantia atque abſorbentia, acidum corroſivum deſtruentia applicanda, quem in finem *Unguentum pomatum* cum *Tutiâ*, *Antimon. diaph. Unicorn. foſſil. Florib.* ♀*ris, Mercurio præcipitato* &c. permixtum commendare haud veremur. *Emplaſtra* deſuper ponenda ſunt v. gr. *Empl. diapalma*, *de Cicut. Diachalcit. de Bolo* &c. *Aquapendens* ſæpè uſus eſt ſeqq. ℞. *Succ. Tabac.* ℥iij. *Ceræ citrin.* ℥ij. *Reſin. Pin.* ℥iß. *Terebinth.* ℥j. *Olei Myrrh. q. ſ. M. F. Ceratum. Foreſtus* autem ac *Paræus Unguentum enulatum* cum *Mercurio* feliciter uſurpârunt; deſuper ſimul poſitis *Foliis recent. Tuſſilag. Quercus*, *Ariſtolochiæ rotund. Calthæ paluſtris*, aut *Lappæ* cujuscunque. Quod ſi his non obſtantibus *Serpigo* pergat, tunc margines vel *Aquâ forti*, vel *Oleo Vitrioli* ſunt tangendæ, & hactenus dicta remedia poſtmodum continuanda.

Hordeolum. HORDEOLVM, HORDEVM, CRITHE, eſt Tuberculum in ſumma palpebrâ propè cilia ortum, quod primò rubeſcit, & pruriginoſo ardente dolore moleſtum eſt, deinceps verò ſuppuraſcens, ſimile grano hordei atque album evadit, propriaque cyſti ſ. pelliculâ includitur.

Cauſæ. *Gignitur* à ſalsâ quadam ſanguinis atque lymphæ craſſioris guttâ in tubulo porove aliquo propè Cilia fortè ſubſiſtente, ulterius meare haud potente, à variis novis ſuccedentibus particulis paulatim auctâ, & hinc per ſtagnationem continuatam non ſolùm parvum Tuberculum efficiente, ſed etiam ſuppurationem ſubeunte, tandemque ſui rupturâ, puriſque candidi effluxu, Ulcuſculum paucis horis durans reddente.

Quippe Tuberculum hoc illis eſt admodum familiare, apud quos viſcoſa quædam acriſque lympha in Ciliorum poros vel tubulos, fibrillarum tono infirmiore præditos, facilè deponitur; inprimis quando tales Homines ſalſo multum victu gaudent, fructibus horæis apprimè delectantur, aut lucubrationibus nocturnis frequenter indulgent, ſub quibus fumus candelarum acriuſculus Palpebras atque Cilia frequenter lambit. Adde his Ciliorum pilos forſan duriores, porulorum vicinorum cavitatem preſſione quadam anguſtantes, unde haud difficilis anſa præbetur quibusdam particulis ibidem moram nectendi, tandemque prorſus ſtagnandi.

Diagnoſis. Quoad *Diagnoſin*, Tuberculum hoc propè Cilia conſpicitur, magnitudine ac, ſi ſuppuratum eſt, colore Hordei grano haud abſimile: in principio tamen rubet magis & ardet, inſtar parvularum Inflammationum. Differt à *Grandine*, quæ tuberculum eſt non propè Cilia, nec inflammatorium, ſed in medio Palpebrarum ſub-

ter

ter cutim utramque mobile, durum, cuti concolor, rotundum, subinde etiam pellucidum, uti suo loco fusius descriptum est.

In *Prognosi* nihil est valdè heic metuendum, nisi quòd, si malum frequentius occurrat, tandem *Lippitudo* exspectanda sit; ab iis præsertim, quibus massa sanguinea sallior, & Oculorum membranulæ molliores teneri oresque obtigerunt.

In *Curatione Purgans* ex *Extracto Pilular. cochiar.* vel *cathol.* cum *Mercurio dulc.* & *Oleo Anet. Rutæ* vel *Fœniculi* aliquoties poterit exhiberi; ac deinceps aliquot doses *Bezoardici mineralis*, *Ebor. ppt.* aliorumve *diaphoreticorum* concedi. *Externè Saliva jejuna* cum *papyro* imposita admodum prodest. Vel *Hordeum*, *Caseusve Salivâ jejunâ* inter masticandum imbutus adhibeatur. Commendant alii *Ceram albam*, *Adipem Gallinarum Aquâ Rosar. lotam*, vel *Corpus Muscæ abjecto capite* affricatum; *Sanguinem* item *Columbar. Turturum*, *Perdicum*; *Succum Semperviv. Geran. Robertian.* &c. *Melli* ac *Farinæ* permistum & calidè impositum. Etiam *Lac* cum incoctione *Chamomillæ*, *Meliloti*, *Hordei*, *Malvæ*, *Althææ* &c. conducit, si linteola ei calido intincta frequenter applicentur. Quod si sponte non rumpatur *Hordeolum* jam *suppuratum*, scalpello pertundendum, hinc *Melle rosaceo* extergendum atque sanandum est. Si verò non suppuretur, sed materia potius in Tuberculo lapidescat, quemadmodum sic peculiari nomine *Chalazion* nuncupatur, tunc incisâ epidermide cuteque materia exprimenda, hincque *Melle rutaceo* vel *rosaceo* cum *Essentiâ Myrrhæ* & *Balsamo peruan.* vel *tolutan.* cicatrix inducenda venit.

HORROR, HORRIPILATIO, est frigus cutaneum, quòd subitò plerunque Hominem cum convulsivo quasi tremore panniculi carnosi, per dorsum maximè corripit, & ab austeris salsis acriusculis particulis fibras nerveas lacessentibus atque crispantibus oritur.

Hic *Affectus* levis quidem est, ac sæpè homines affligit maximè sanos, quandocunque sudante ac æstuante corpore fortè subitò frigidus aër, gelidusve liquor ad Cutim aliquâ parte accedere, sicque sudorem repercutere potest; imò si sudorem in Indusio non exuto refrigerari permittitur, tum ab hoc ipso frigido indusio cutim tangente similiter sudor atque insensilis transpiratio repellitur, hinc à sudoris particulis salsis atque pungentibus fibrillæ Cutis & Panniculi subjacentis crispari, hacq; ratione Horripilationes excitari solent. Aliâs autem *Horror* iste vel Febribus jungitur, præprimis Quartanarum paroxysmis incipientibus, aut Febribus ephemeris inchoantibus. Quin & sæpè in febrili sanguinis diathesi, imò ipsis Febribus continuis omnibus Horrores haud infrequentes sunt. Usque adeo ut, sicubi sanus aliâs Homo talibus Horripilationibus subinde citra causam manifestam corripiatur, suæ constitutioni haud fidere, sed potius ad

præcavendam Febrim aliquoties remedia sudorifera in usum trahere, indeque sudorem cum debito regimine prolicere debeat; quoniam ejusmodi Horripilationes signum esse solent, crudos humores sive austera atque viscosa salia, ceu antecedentes Febrium causas, in massâ Humorum circulante esse collecta. Quod si proin vel insensilis transpiratio, sudorve ab usu aëris nocturni frigidioris, inque peregrinationibus intempesto aëre & corpore malè munito factis, maximè supprimatur; vel Cibi salsi, dyspepti, immodicè aut intempestivè assumti, viscosum salsum chylum exhibuerint; vel Potus liquorum acescentium nimis ingurgitatus sit; vel terror subitaneus incussus fuerit, cruditates prædictæ facilè colligi & in massâ humorali cumulari solent.

Curatio. Quod igitur *Curationem* attinet, Horror in Febribus ipsis peculiaria non desiderat remedia; extra Febres autem aliosve morbos, ea sunt usurpanda, quæ vel Sanguinem diminuere, vel saltem simpliciter per Cutis poros superfluum serum salsum commodè in auras propellere, sicque Morbos præcavere possunt. Itaque in Plethoricis convenit *Venæsectio*, præmisso, si opus videbitur *Clysmate emolliente* & *detergente*. In aliis quoque lene *purgans* sub formâ *Infusi Folior. Senæ* ac *Rhabarb.* cum *Crem.* ♀*ri* ac *Semin. Anis.* vel sub Formâ *Pilular.* aut *Potionis* exhibendum est. Ac deinceps *Diæta* proba servanda, quâ quidem non tantùm chylus sincerus, & dulcis balsamicus procurari, sed insensibilis transpiratio in suo vigore teneri potest.

Humeri luxatio. HVMERI LVXATIO est Morbus compositionis, quo caput Ossis Humeri suo ex articulo violenter extruditur, sicque motum brachii naturalem vel insigniter lædit, vel prorsus impossibilem reddit.

Pars affecta. *Pars affecta* heic est Os Humeri, cujus caput Scapulæ per diarthrosin s. dearticulationem, coracoide ejusdem processu cum acromio securitatem articulo præbentibus, jungitur.

Causa. *Causa* autem *proxima* luxati hujus Ossis ferè non est nisi externa, eaque violenta, v. g. ictus, atque contusio, lapsus ex alto, nimia excussio brachii in Sphæristerii ludo, vel ponderum magnorum elevatione. Rarum est, si humor intra articulum collectus, vel sub axillâ in tumorem congregatus Humerum suo loco dimoveat. Fit autem hæc Luxatio vel cum Tendinum, quibus Os Humeri articulo ligatum tenetur, ruptione; vel sine eorum læsione, vel cum vel sine fracturâ Ossis sive Humeri sive Scapulæ. Aliquando etiam conjungitur Vulneri à globis sclopetariis aliisve causis simul & contundentibus & vulnerantibus. Tandem laxati ab humiditate nimiâ Tendines occasionem Luxationi præbent, si non *perfectæ*, quâ os planè excidit è suo articulo, saltem imperfectæ sive *Subluxationi*, quâ tantillùm Os prolabitur.

Diagnosis. Cognoscitur Humeri luxatio non ita difficulter ex figuræ Axillæ mutatione,

tione, flexuræ ejusdem impotentiâ, tumore quodam articuli præternaturali, eâ parte quâ ossis caput depulsum fuit, cavitate verò plus minus sensibili circa sinum in quo os jacebat. In Luxatione *imperfectâ* non omnis prorsus flexio est ablata, sed ea adhuc tantillum possibilis, licèt dolorifica, atque hæc Luxationis Humeri species dolorem post se tum maximè trahit, quando violento aliquo ictu facta est. Cùm autem non nisi à laxitate tendinum nimis humefactorum est oborta, tum brachium aliquantillo longius evadit, ac flexura illiusdem sufficiens adest, sed robore nihilominus tanto non gaudet, quanto oppositum brachium erit instructum. Si Luxatio *perfecta* est, indeque tendines vel torqueantur, vel expandantur nimium, tunc dolor non levis adest, præprimis cùm flectere Humerum volumus, ita ut, si citò membrum non restituatur in pristinum locum, inflammatorius quoque Tumor, articuli repositionem magnopere retardans, accedat. Si tendines rupti penitus fuerint, tunc Humerus quantumvis centies repositus, iterum levissimâ brachii agitatione excidit. Præterea in *Luxatione perfectâ* brachium longius evadit quàm in *Subluxatione*, sive *imperfectâ Luxatione*, nisi Os Humeri in altum fuerit retractum, quod tamen contingere nequit sine processûs Scapulæ Fracturâ.

Quoad *Prognosin*, Luxatio simplex sine aliis accidentibus orta, facilè sanabilis existit, ac citò per Chirurgi manum peritam curatur. Si verò Luxatio cum Fracturâ, Vulnere, aut Contritione ossis Scapulæ contigerit, vel etiam si Os Humeri prope juncturam, aut in ipso capite suo simul fractum fuerit, tunc malum & tardius & difficilius curatur, ac etiamsi sanetur, vix tamen simul restituetur Humeri flexura, quoniam fractæ partes ab interveniente callo ita coalescunt, ut potentia flectendi omnis tollatur. Quod si præterea Humor seroso-acido-corrosivus subierit articulum, ejusque ossa non solùm sede suâ dimoverit, sed & tendines paulatim varios eroserit, tum Fistulam immedicabilem simul producet. Quando autem Tendines à nimiâ humiditate valdè laxantur, tum Subluxatio inde orta per remedia siccantia sensim corrigitur. Rupti autem planè aut erosi tendines suæ nunquam integritati restitui possunt, unde Luxatum Os Humeri, si centies in suum locum reposueris, centies iterum excidet.

In *Curatione* si Luxatio simplex sine alio comite Affectu existat, tunc statim repositio Ossis in suum articulum tentanda atque perficienda est, hâc quidem ratione, ut prius ipsum brachium retro cubitum vel Chirurgi manibus, vel fasciis arreptum, quocunque commodiore modo extendatur, cumque sufficienter extensum erit, tum caput Ossis Humeri, submisso Axillæ instrumento convenienti nonnihil duro ac rotundo, intra Articulum repellatur. Vel si aliter luxatum os fuerit, per eam *Curatio.*

retrudendum est viam, quâ quidem elapsum est. Repositione peractâ locus vel *Spiritu Vini camphorato*, alióve *spirituoso Liquore* calente per aliquot dies diligenter fovendus, ac interea quietus relinquendus est, donec robur omne redierit, nullusque amplius Inflammationis metus adsit. Sunt etiam Chirurgi, qui non malè applicant *Decoctum Herbarum aromaticarum* in *Vino*, sub formâ vel *Cataplasmatis*, vel *Fomenti* maximè *discutientis*. Alii verò solum suum *Emplastrum contra rupturam* Axillæ prius *Oleo rosaceo*, vel *violaceo* inunctæ admovent, inibique relinquunt aliquandiu, donec Articulus firmus denuò evaserit. Quod si autem sive Vulnus, sive Fractura simul adfuerit, tunc quocunque possibili modo pars affecta ad pristinam figuram deducenda ac Fasciis debitè immissis coercenda est; ubi certè *Fasciæ* omnes non nisi *Spiritui Vini* intinctæ applicentur; relinquetur interea foramen inter illas, ut sine harum solutione ipsum Vulnus quotidie bis curari ac deligari queat. Sed in hoc casu, difficili admodum, præter *Venæsectionem* etiam interna partim *diaphoretica* sub *Pulverum*, partim *traumatica* sub *Decoctorum* formâ sunt exhibenda, non aliter ac in gravibus Vulneribus. Abstinendum interea ab omni potu Vini, ut & ab Irâ, omnibusque Cibis acidis, salsis, atque dyspeptis. Alvum, si naturâ non fuerit libera, *Clysmatum* aut *Suppositoriorū* ope laxabis. Si verò Symptomata quædam Ægro obtingant, iis occurrendum erit per Remedia talibus accidentibus congrua, suisq; hinc inde locis indigitata. *Imperfecta* Luxatio, à laxatis admodum tendinibus oriunda, *Balnei* & *Embrocationis sulphureo-aluminosæ* calentis ope, nec non imposito *Emplastro catagmatico*, *adstringente* restituitur. Si Caries ac fistulosum Articuli Ulcus simul præsens sit, *Pædarthrocace* nominabitur hic Affectus, & methodo, suo loco expositâ, curabitur, sed sine flexuræ Ossis restitutione, quæ in tali casu difficillimo impossibilis planè est.

HUMORUM OCULORUM VITIA, vid. *Oculorum Humorum Vitia.*

HUNGARICUS MORBUS, vid. *Febris Maligna.*

HYDATIS PALPEBRÆ est Tumor mollis Palpebræ Oculi, plerunque superioris, sæpè splendens, rubicundus ac transparens, à seroso aquoso humore, copiosè inter membranas Palpebræ collecto & extravasato, sine notabili dolore, cum Oculi clausurâ oriundus. Hy

Gignitur inprimis, quando Lympha lacrymalis, ob irritatas glandularum fibrillas, nimium secreta ac profusa per angustatos hinc, vel planè occlusos tubulorum lacrymalium porulos effluere nequit; quod sæpè Infantibus obtingit, Inflammationem aliqualem Palpebræ antea perpessis; nec non aliis, in quibus à pituitâ viscosâ ac tenaci poruli illi infarcti & occlusi fuerunt. Contribuit huc proin Cau

proin ſalſa & auſtera diatheſis ſanguinis, undecunque contracta; non ſecus atque aëris externi rigiditas Palpebrarum tubulos conſtringens; ploratus item nimius Oculis exiſtentibus inflammatis.

Affectus, Infantibus & Pueris familiarior quàm Adultis, ex ſignis in definitione exhibitis cognoſci ſufficienter poteſt. Neque adeo notabilis exiſtit, ſi citò admodum remedia in uſum trahantur. Neglectus autem facilè poteſt Inflammationem, Abſceſſum, ac tandem Ulcus Fiſtuloſum poſt ſe trahere; vel ſaltem Palpebræ cicatricem moleſtam & fœdam inferre.

In *Curatione intus* quidem, abſente Febre, Pueris *Trochiſci hermetici*, vel *lene* aliud *purgans* exhibeatur; poſtmodum *diuretica* vel *diaphoretica* in uſum vocentur; v. g. *Ocul.* ♋. *ppt.* ♁ *n. diaph. Succin. alb. ppt. Cinnab. nat.* vel ♁ *n.* &c. cum *Aquis Fœnic. Succiſæ, Scabioſ. Ononid. Fragor. Card. bened.* ac *Syrupo Violar. Capill.* ♀ *r.* permixtis. Si adſit Febris, alvus ſolùm *Clysmate* uno alterove eluatur, & hinc dicta reliqua remedia m. ac v. diligenter uſurpentur. *Extus* verò ad diſcutiendum præſcribi debet *Collyrium* vel *ſiccum*, è *Pulveribus Lactis Lunæ, Lapid. Calaminar. ppt. Oſſis Sepiæ, Radicis Filicis* &c. paratum, cum ſacculis applicandum; vel *humidum*, ex *Aquis deſtillat. Leviſtic. Chelidon. maj. Naſturt. aquat. Beccabung. Fœnic. Euphraſ.* cum *Ocul.* ♋. *ppt. Tut. ppt. Oſſ. Sepiæ ppt. Lapid. calamin. ppt. Bol. armen.* compoſitum. Addere licet vel *Aqu. Calc. vivæ*, vel ipſum quoque *Crocum pulveriſatum*. Hinc alii leve *Cataplasma* ex *Aqu. Calcis viv. Albumin. Ovi* cum *Alumin. conquaſſ. Croco*, ac *Spirit. Vin. camphor.* vel *theriacal.* concinnant, & continuè applicant. Si verò quis deſideret *Cataplasma* ex *Herbis diſcutientibus Scordii, Calaminth. Artemiſ. Solan. Scabioſ. Salv. Rut. Fœnicul. Agrimon. Seminib. Dauc. Fœnic. Pſyll. Lin.* &c. inter ſe tenuiter admodum inciſis, contuſis, ac in *Vino albo* vel potius *Lacte* coctis paratum, calideque applicatum, per nos licebit. Quod ſi verò Affectus cum Inflammatione conjunctus ſit, tum *Collyrium ſiccum* maximè prodeſt, ex *Pulvere Tutiæ ppt. Ocular.* ♋. *ppt. Cretæ albæ, Bol. Armen. Terræ ſigill. Radicis Liquirit. Lactis Lunæ, Florum Sambuc.* &c. paratum & cum ſacculo interpaſſato applicandum, donec intumeſcentia diſcuſſa ſit, quod plerunque per effluxum humoris contingit. Ubi autem inflammata Hydatis ad ſuppurationem tendit, tunc *Cataplasma* ex *Malva, Althæâ, Ficubus, Chamomill. Croco, Micâ panis* &c. cum *Lacte* coctis eſt applicandum, continuandumque, donec ruptus Abſceſſus ſuum pus reddiderit. Hinc verò Ulcus *Melle roſaceo* atque *Eſſentiâ Myrrhæ*, cum *Tutiâ, Lapid. Calaminari* &c. eſt ſanandum. Intus in omni hoc Affectu pro *potu ordinar.* convenit *Decoctum Lignorum cum Semin. Fœnic. Raſur. C. C. Radicib. Graminis & Liquirit.*

HYDROÆ, vid. *Papulæ.*

HYDROCELE, vid. *Hernia aquosa.*

Hydrophobia. HYDROPHOBIA, ab ὕδωρ *aqua* & φόβος *metus*, compositâ voce, est Morbus convulsivus cum vel sine Rabie, liquidorum ac splendidorum fugâ, anxietate pectoris, deglutiendi, respirandique difficultate, Febri acutissimâ, aliisque symptomatibus gravioribus Hominem affligens, à morsu Canis rabidi oriundus, plerunque intra bidui, tridui aut quatridui spatium Ægrotantem è medio tollens.

Pars affecta. *Afficitur* in hoc morbo nunc latex magis spirituosus, nunc Massa potissimum humoralis, nunc utrumque simul fluidum corporis. Si animales tantùm spiritus affliguntur, *Rabies* producitur, cum liquidorum metu non admodum notabili, sed convulsivis tamen motibus insignibus conjuncta. Si Massa tantùm humoralis affecta est, tunc *Hydrophobia sine rabie* vel *delirio* contingit. Tandem si utrumque fluidum inquinatur; & Rabies, & Hydrophobia simul graviter Hominem invadunt. Ut adeo non malè distinguatur ipsa *Rabies canina* ab *Hydrophobiâ*, cùm hæc sine illâ quandoque evenire soleat; quemadmodum hanc rem prolixius in Observatione quadam *Ephemeridibus German. Curios.* insertâ exposuimus.

Causa. *Hydrophobia sine Rabie* producitur immediatè non nisi a sanguine intra Vasa pulmonum sensim stagnante, imò etiam extra eadem profluente, vesiculas de horâ in horam magis implente, bronchia hinc angustante, & acrimoniâ quoque suâ fibras nerveas atque membranaceas crispante; unde convulsivi corporis motus, cum respirandi, deglutiendique difficultate oboriuntur. Horrent proin liquida, horrent auram tales Ægri liberam, quoniam ab hisce omnibus irritantur Faucium qualescunque nervuli, & hinc crispati sive convulsi Anxietatem maximam atque periculum suffocationis vel strangulationis præsentaneæ suscitant. Ob sanguinem illum stagnantem, indeque impeditam humorum circulationem debitam, sanguis in corpore toto turbatur, effervescit, ac ita Febrim continuam malignam vel acutissimam excitat. Inflammantur enim in hoc casu Lobi Pulmonis, inde Febris accendi necessariò debet.

Sanguinem stagnare atque grumescere facit admissum quoddam Venenum animale, quod quidem à rabidis Animantibus præcipuè Canibus, Lupis aut Felibus, in vulneratas partes cum Salivâ projicitur. Saliva autem propter iram ac furorem Animalis particulis instructa est valdè mobilibus, salino-acribus & volatilibus acidis, quæ si in Vulneribus ac Morsibus Sanguini venoso communicantur, ejus paulatim, hincque totius Massæ sanguineæ dissolutionem moliuntur, unde illa in partes suas, grumosam ac serosam secedens, intra pneumonica Vasa vel ideo primum stagnare & accumulari incipit, quoniam Vasa talia ab ingrediunte sub actu respirationis aëre multum

multum comprimuntur. Accumulatur de horâ in horam magis ille ſanguis, quoniam lege motûs circulatorii continuè novus affluit, qui cùm transfluere nequeat, ſimiliter ſtagnat & grumeſcit. Convulſivi motus frequentes circa pectus inprimis contingunt, quoniam ibi nervoſæ fibræ qualescunque magis per vices irritantur & criſpantur. Anxietas adeſt maxima propter impletas Pulmonum Veſiculas, ſicque libertatem ſufficienter eas expandendi ademtam.

Hydrophobia cum Rabie producitur, quando ſaliva Animalis venenata in morſu ſeu Vulnere cum latice Spirituum ſimul & Sanguinis, ob nervos æquè ac vaſa ſanguiveha dilacerata, communicatur; unde excitato talium Spirituum ſimul & nervorum motu irregulari delirium cum furore producitur, quemadmodum id quidem ſub titulo de *Canis rabidi morſu* fuſius explicatum invenitur.

Sæpiſſimè tamen accidit, ut immiſſum Vulneri Venenum neque cum ſanguine, neque cum ſpiritibus ſtatim permiſceatur, ſed aliquandiu adhuc, etiam poſt curatum & cicatrice firmâ obductum Vulnus, in parte jaceat, ac demum poſt elapſum aliquod tempus in apricum prodeat, ſanguini vel ſpiritibus communicetur, ſuamque ita tragœdiam exerceat. Ita enim obſervatum à nobis, aliisque eſt, latitans ejusmodi Venenum poſt elapſos non ſolùm aliquot menſes, ſed forſitan annos denum in ſanguinem aut nervos penetrâſſe, & Hydrophobiam lethalem excitâſſe.

Diagnoſis & Prognoſis. Quod *Diagnoſin* & *Prognoſin* concernit, Homines, in quibus dirus hic Morbus latitat, vel in apricum prodire incipit, primò conqueruntur de plus min⁹ gravi laſſitudine ſpontaneâ omnium membrorum; ſequitur hinc dolor, in locis antea vulneratis aliqualiter torquere incipiens; progredi autem hunc dolorē ſentiunt deinceps juxta ductum vaſorum & nervoſi generis verſus Cor & Cerebrum, cumque hinc ſpatio paucarum horarum eousque pervenit, tunc ſtatim Anxietas pectoris, atque præcordiorum anguſtia Hominem miſerè torquere incipit, cum Inquietudine perpetuâ, Vigiliis, Reſpirandi difficultate, ſingulis horarum momentis augeſcente, indeque proveniente crebrâ membrorum calcitratione. Horrent Ægri omnia liquida oblata, nec non liberum aërem, & luminis diurni ſplendorem nimium; quando enim liquor qualiscunque offertur bibendus, vel quando feneſtra quæpam aperitur, tunc illicò quaſi motibus convulſivis agitati, majoreque reſpirandi difficultate prehenſi pedibus manibusque calcitrant, resque oblatas vitare atque à ſeſe amoliri conantur, quaſi ſingulis momentis ſuffocandi. Solida verò oblata melius deglutire nonnihil, ſed nec dum & illa facilè ſine metu ſuffocationis poſſunt. Si Rabies ſimul adeſt, tum Ægri tales obvios quosque ſuis impetunt morſibus, & ſi forſan vulneraverint tales, ſimilem in illis morbum excitare valent. Interea

terea propter insignem Dyspnœam Hydrophobi non nisi verba dimidiata pronunciant, & ea etiam instar canum latrantium efferunt, voce quasi ululante. Siti interim tantaleâ quoq; torquentur, appetentes continuè potum, quem tamen vel eminus adhuc monstratum aut oblatum horrent, utpote deglutire nescientes citra metum suffocationis. Febris acutissima simul adest cum agrypniâ; respiratio de momento in momentum difficilior redditur; sudor primùm quidem calidus & largus toto è corpore profluit, postea sensim frigidus redditur. Atque talibus Symptomatibus horrendis affligitur Æger, donec post elapsum unum alterumve, rarius tertium aut quartum diem planè suffocatus intereat. Hactenus enim neminem notavimus, qui ex hoc Morbo, si perfectè prehensus fuerit, reconvaluerit, & pristinam sanitatem recuperaverit. Vidimus tamen, & tractavimus plures, qui, cùm morsi fuissent à Canibus rabidis, ab Hydrophobiæ metu per usum remediorum immunes per Dei gratiam manserunt.

Curatio. Etenim quod *Curationem* attinet, ad præcavendam Hydrophobiam ipse Morsus Canis rabidi probè est curandus, quemadmodum id sub titulo de Canis rabidi morsu indigitavimus. Præsens autem hic Morbus in primo statim insultu requirit *Venæsectionem*, semel aut bis in pede aut brachio iteranam: dein autem mox potentia *alexipharmaca* in usum trahenda; quem in finem commendamus *Spirit. volatilem* aut *Sal volatile C. C. Viperarum*, *Eboris*, nec non *Spiritum theriacalem camphoratum*, *Mixturam simplicem Danj. Lud.* ad 20. 30. pluresve guttas singulis quatuor horis concedenda. Vel *Theriaca Andr. Mithrid. Damocr. Diascord. Fracast. cum Conserv. Bell. min. Fumar. Beton. Amarac. Borrag. Violar.* permisceri ac sæpius exhiberi potest; v. gr.

℞. *Conserv. Meliss.*
Fumar.
Bugloss.
Violar. ana ℥ß.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Elect. Diascord. ℈iiij.
Salis volat. Viperar. ℈j.
Bezoard. min.
Matr. perl. ppt. ana ʒß.
Syrup. Fl. Tunic. q. s.
M. Mixtur. ad formam Opiatæ, d. ad Fictil. Dosis singulis bihoriis magnitudo Nucis mosch.

Vel ℞. *Conserv. Amarac.*
Fl. Tunic. ana ʒvj.
Succi Citr. rec. ℥ß.
Conf. Alk. compl. ʒiß.
♁ *n. diaph.*
Ebor. phil. ppt. ana ℈ij.
Syrup. Capill. ♀r. q. s.
M. f. Electuar. d. ad Oll. Usurpetur, ut supra.

Vel ℞. ♁ *n. diaph.* ℈iß.
Nitr. ♁ *iat.*
Salis volat. Ebor. vel Viperar.
Cinnab. ♁ *n. corr. ana* ℈ß.
Camphor. gr. vj.
Sacch. alb. ʒß.

M. f.

M.f. Pulv. ſubt. in tres doſ. æqu. div. ad chart. Sumatur ſingulis trihoriis *doſis* cum *Roob Sambuci*, vel alio vehiculo.

Alimenta ſint *Cremor Hordei, Juſcula avenacea, carnium, farinacea.* Si *Infuſum fol. Thée* non planè reſpuatur, illud quoque concedendum largiter. Si his nil minuantur Accidentia, brevi morietur *Æger*; ſi verò mitigentur, ſpes aliqua adeſt convaleſcentiæ, quam uſus diaphoretico-alexipharmacorum & cardiacorum diligens promovere poteſt.

HYDROPS ASCITES eſt Tumor Abdominis atque Crurum, nonnunquam ſimul Scroti vel Pudendorum, ab Humore ſeroſo intra Abdominis cavum copioſius extravaſato, hinc & lymphaticis tubulis Crurum ubique ſtagnante cutisque ac membranæ adipoſæ poros replente oriundus, cum Febri hecticâ ſimul conjunctus. ὕδρωψ græcè ab ὕδωρ, *aqua* & ὤψ, *facies* componitur, & latinè aliâs ſonat *Aqua intercus.* Aſcites autem à Græco ἀσκὸς, *uter, utris,* originem trahit; ut Hydrops aſcites ſit velut *Uter aquâ repletus, Aqualiculus.*

Afficiuntur in hoc morbo quàm maximè ipſius Abdominis, hinc & reliquarum partium tumentium Glandulæ, lymphaticique ex his prodeuntes Canaliculi.

Tumor itaque producitur, quandocunque Lympha ſive ſeroſus humor, à Sanguine jam ſecretus & gelatinoſo-mucoſus redditus, intra Glandulas Abdominis varias, præprimis autem Meſenterii, Pancreatis, Hepatis, aliasve ſtagnare incipit neque per ſuos tubulos progredi poteſt; unde Hydrops in Abdomine ſæpiſſimè initium ſumit. Dum autem ſerum ita ſtagnans jugi acceſſione novarum particularum paulatim magis cumulatur, expandit tandem nimium Glandulas ac tubulos, eosque, cum cum reſiſtere amplius nequeunt, rumpit; è ruptis verò hinc inde tubulis pluribus paucioribusve ſerum effluit in Abdominis cavum, illudque ſenſim replendo expandit, tumidumque reddit. Quâ expanſione primùm quidem inſenſibili, poſtliminiò autem magis notabili factâ, comprimuntur & anguſtantur ſimul Canaliculi lymphatici, membranoſam Cutis & panniculi adipoſo-carnoſi texturam perreptantes, ut adeo in his omnibus tardius procedens Lympha ſubſiſtat, atque oedematoſam Abdominis integumentorum intumeſcentiam producat. Hoc autem facto Seri in Abdominis cavo ſtagnantis quantitas & pondus non ſolùm Renum ſubſtantiam premendo ſecretionem Urinæ maximè impedit; ſed etiam per compreſſionem Trunci lymphatici, à Ductu thoracico usque ad Inguina continuati, inibique in ramos crurales divaricati, Lymphæ neceſſarium è cruribus ac partibus pudendis reditum difficiliorem reddit, unde liquor ille ſolito tardius ad Chyli receptaculum aſſurgit, ſicque Vaſa Pedum lymphatica nimis expan-

dendo, ad Femorum Crurumve intumescentiam oedematosam simul contribuit. Quod si in morbi hujus progressu serum Abdominis nimis salsum & acre redditum fuerit, tum Viscera ibidem arrodendo corrumpit, ac paulatim siderat, unde tandem serum illud ipsum, quod primùm Lymphæ instar clarum limpidumve fuerat, flavescens, crassum, fœcibusque etiam Vini prorsus simile quoad colorem & consistentiam redditur. Sub quâ tragœdiâ Glandulæ Mesenterii intumescunt, indurantur, ac velut gelatinoso humore quodam oblinuntur, qui humor tamen nil videtur aliud esse, quàm pinguedo ab interveniente sero salso in Gelatinam versa. Cùm autem rebus sic stantibus, tota Massa sanguinea magis ac magis corrumpatur, omniq; dulcedine balsamicâ privetur, necessariò hinc Febris hectica, corporis naturalem habitum lentè consumens, oboriri debet, quemadmodum ista consumtio in partibus superioribus corporis, Pectore nimirum, Capite atque Brachiis manifestè apparet, licèt in artubus inferioribus, ob Aquam intercutem tumentibus, non adeo clarè deprehendatur.

Quæ verò Symptomata huic Morbo successivè junguntur, ea omnia hinc facilè ex tali sanguineæ Massæ constitutione vitiatâ, Lymphæ crassitie, partibusque tumentibus explicari possunt. *Antecedenter* autem ipsa humoralis Massa heic accusanda venit, intemperie nimirum seroso-pituitosâ, sive Cachexiâ laborans, quam quidem producunt Febres diuturnæ, inprimis quartanæ, ut & nimiæ Venæsectiones, largiores Hæmorrhagiæ qualescunque, florem sanguinis depauperantes, ac eapropter liquorem stomachicum ita debilem reddentes, ut hinc è Cibis assumtis non nisi serosus admodum Chylus progigni soleat. Etenim ipsa Chylificatio taliter à prædictis Affectibus vitiata, Chylum similem per aliquod temporis spatium continuè producens, sanguinem non nisi serosum efficit. Quanquam etiam Mensium vel Hæmorrhoidum naturalium obstructio non secus atque Hecticæ Febres, Phthisis, Empyema, & alii Morbi Tumorem Abdominis post se trahant. Inter *Causas procatarcticas* recensere oportet Aëris humidi continuum in vitæ genere usum, crapulam quotidianam, cibos frequentes copioso principio aqueo turgentes, vitam sedentariam, somnum prolixum, præprimis meridianum.

In principio Morbus vix potest cognosci, quando Tumor in Abdomine tum nec sensibilis, nec ullâ ferè ratione molestus est. Etenim incipiens glandularum Obstructio incommoda tanta non parit, ut ullis signis sese manifestent. Solet tamen sæpè tumor extremorum pedum, sub vesperam magis quàm manè visibilis, in corpore aliâs ad Cachexiam inclinante principium esse Hydropis, dum progressu temporis non solùm ille tumor stabilis evadit, sed & paulatim versus genua ascendit, ac interea simul in ipso Abdomine accrescit. *Dia-gnosis.*

Urina

Urina primitus ſatis naturalis, in progreſſu verò Morbi tincta magis, atque lixivialis emingitur, ſaliumque in corpore fixorum cum ♀earum incoctione copiam, non ſecus atque obſtructiones glandulofarum partium arguit. Interim Urina heic ſemper juſto parcior ſecernitur, & profluit. Reſpiratio libera eſt, ſi nullæ in Pectoris glandulis obſtructiones, nullæque ſeri extravaſati in cavitatem thoracis effuſiones contigerunt. Appetitus quandoque laudabilis exiſtit, plerunque tamen imminutus vel planè ablatus. Sitis utplurimum urget, ſed quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ. Tumor partium læſarum augetur quotidie, usque dum tandem ipſa crura non tantùm ſplendida ac velut oleo oblinita videantur, ſed & aliquando rubicunda, aut maculis ſaltem dolentibus rubris, grandibus, ceu Gangrænæ, ſequuturique Sphaceli exordiis hinc atque illinc afficiantur. Hæc tamen ſymptomata non in omnibus Hydrôpicis ante mortem conſpiciuntur, ſed ſæpè ipſa mors eadem antevertit. Sunt etiam, quibus puſtulæ in cruribus nimium tumidis erumpunt, quæ ſi aperiantur aut rumpantur, ſponte humorem fundunt ſeroſum acrem, ita quidem ut nonnunquam à continuato tali fluxu omnes aquæ totius hydropici corporis profluant, ſicque Tumor omnis dispareat, ſed ſimul ipſa vita cum aquis effluat, quando ſpiritibus ſic diſſipatis, atque in fibras omnes diffundi haud amplius ſufficientibus, circulatio ſanguinis imbecillior ſingulis horis redditur, tandemque prorſus ceſſat. Partes ſuperiores, Facies nimirum, Pectus, atque Brachia plerunque in hoc morbo valdè emaciantur; quanquam ſub finem morbi ſæpè etiam Brachia ac Facies oedematoſo tumore prehendantur. Aliâs paulo ante Morbi inſultum, & in ipſo morbo Facies admodum pallida, imò totum corpus præternaturaliter albicans redditur. Conqueruntur Ægri in hoc ſtatu cachectico ſæpè de laſſitudine, quantumvis cæterà benè ingerant atque egerant. Atque talis profectò color pallidus cum aliquali oedematosâ intumeſcentiâ in corpore cachectico certum ferè præſagium eſſe ſolet Hydropis ſequuturi, niſi maturè præcaveamus. Quandoque Pudenda aut Scrotum ſimul valdè intumeſcunt, aquisque ſtagnantibus aut extravaſatis replentur.

Quoad *Prognoſin*, hic Affectus præcaveri facilius, quàm curari poteſt; etenim ſi glandulæ pertinaciter fuerint obſtructæ, ſi Urinæ ſint paucæ, lixiviales, ac tinctæ; ſi appetitus valdè poſtratus; ſi ſitis magna, vires debiles, nulla ad ſudandum inclinatio; ſi non obſtante remediorum uſu Tumor in Abdomine & Cruribus augeatur indies; ſignum eſſe ſolet Morbi non niſi per mortem finiri. Quando autem Reſpiratio eſt libera, Urinæ utcunque profluunt, atque coctionis ſignum monſtrant; ſi appetitus bonus, ſomnus tranquillus, transpiratio corporis laudabilis, & quandoque ſudor adeſt, tum ſpes afful- *Progno-ſis.*

affulget futuræ sanitatis. Verùm in Senibus, aut illis, qui laudabili Diætæ indulgere nesciunt, Hydrops post aliquod tempus rediens, vel apoplecticus Insultus accedens Homines è medio tollit. In Hydrope autem subinde Crura pustulas tandem acquirunt, è quibus ruptis Aquæ profluunt continuè, tandem verò accedentibus rubicundis ac lividis striis, ceu Gangrænæ & Sphaceli indiciis, moriuntur Ægri. Febricula per totum ferè morbi decursum adest lenta.

Curatio. Quoad *Curationem* in principio & progressu hujus Morbi sæpius est purgandum, & quidem, nisi Febris admodum obstet, *hydrotico* vel *hydragogo* satis potenti, quemadmodum sunt *Jalappæ radix ad* ʒß. vel amplius, cum *Sale Genistæ*, *Ononidis* vel *polychresto*, aut *Cremore* saltem *Tartari* exhibita. Quin *Magisterium Jalappæ* ad octo pluraque grana in *Spirit. Anisi*, *Fœniculi* aut *Juniperi* solutum atq; *Syrupo Capillorum Veneris* edulcoratum singulis sex vel octo diebus propinari poterit. Præstans quoque est *Syrupus de Spinâ cervinâ*, cochleatim per vices exhibitus, & per pluras dies continuatus; *Succus* item *Ireos nostratis ad aliquot uncias* aliquoties haustus. Imò *Pilulæ Hydropicæ Bontii ad* ʒß. cum *Mercurio dulci* pluries assumtæ non minorem effectum habent. Commendant quoque *Infusum Hellebor. nigr. Gratiolæ*, *Radic. Cyclamin.* & *Asari* cum *Radic. Gentianæ cruciatæ*, *Vincetox. Ononid. Rub. Tinctur. Aristol. rotund. ver. Herbar. Anserin. Veron. Thée* &c. Formulæ possunt esse variæ, v. gr.

℞. *Mass. Pilul. hydrop. Bont.*
♀rear. Qu. ana ʒß
Resin. Jalapp. ℈ß.
Cinnab. ♁n. opt. ℈j.
Essent. Trifol. fibr. q. s.
M. f. Pilulæ num. XLVIII. Consperf. pulv. Liquir. d. ad scat. Dosis num. 12. *quotidie mane cum Aqu. flor. Sambuc.*

Vel ℞. *Magist. Jalapp.* aut *Scammon. gr.* ix.
Nucl. Persicor. ʒij.
Invicem probè contusis affunde
Aqu. Plantag.
Ononid. ana ℥j.
M. f. Emulsio, cui adde
Syrup. Capill. ♀r. ʒiij.
Julep. rosac. ℥j.
Misc. d. ad Vitr. Sumatur pro dosi, repetatur aliquoties.

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ʒß.
Salis Juniper. vel Onon. ℈ß.
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi aliquoties, si opus videbitur, iterandâ.

Vel ℞. *Mass. Pilular. de Ammoniac. gr.* xv.
Extract. Hellebor. nigr. gr. vj.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Ol. Tereb. q. s.
M. f. Pilul. num. 15. *Sumantur pro dosi matutinâ, repetendâ pluries, si è re esse judicabitur.*

Vel ℞. *Mass. Pilul. Emanuel. gr.* xv.
Extract. Trochisc. alband. gr. j.
vel Esulæ gr. iij.
Essent. Succin. q. s.
M. f. Pilulæ num. xij *Dentur pro dosi.*

Vel ℞. *Mercur. dulc. optim. gr.* xxv.
Magist. Jalapp. gr. viij. *vel* ix.
Crem.

Crem. 🜿ri gr. vj.
Ol. *stillat.* Fœnic. gutt. ij.
M. f. Pulv. subtil. d. ad ch. pro dosi matut.

Vel ℞. *Spirit. Ceras. nigr.* ℈ij.
Anis. ℈j.
Juniper. ℈ß.
Magist. Jalapp. vel Scamon. gr. viij. *vel* ix.
Solutis leni igne adde
Syrup. Violar. purp. vel de Nymph. vel
Julep. rosat. ʒiiß.
Detur ad Vitr. pro dosi.

Vel ℞. *Salis polychrest.* ʒß.
Mercur. corallat. Helmont. gr. vij.
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi mat.

Vel ℞. *Oxymel. hellebor. Gesner.*
Syrup. de Rhamn. Cathart.
Aqu. Alkekeng. ana ℥j.
M. d. ad Vitr. Sumatur mane ac vesper. Cochleare plenum.

Vel ℞. *Radic. Gentian. cruciat.*
Aristol. rot. ver.
Eryng. vel Fœnic. vel
Rubiæ ana ℥ß.
Herb. Betonic. Mij.
Flor. Genist. Mj.
Bacc. Alkek.
Juniper.
Semin. Petros. vel
Nasturt. vel
Raphan.
Fœnic. ana ʒij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr. vel
Hermodactyl.
Rhab. el. ana ℥ß.
Spic. Indic. ʒiß.
Salis Tartar. ʒj.
Incisis, contusis, & in nodulo ligatis affunde Vini albi veter. ℔iiij.
Aqu. fervent. ℔ij.
Quotidie mane exhauriatur Cyathus unciarum sex.

Vel ℞. *Succi Ireos nostratis recenter express. ac filtrati* ℥ij. *plus minus.*
Spirit. Cochlear. vel
Tinctur. ♁n. ℈j.
M. d. ad Vitr. Sumatur pro dosi mane aliquoties pro re natâ repetenda.

Sunt, qui *Ovum gallinaceum* aperiunt, albumen effluere permittunt, ejusque loco dein Succum Ireos infundunt, cum Vitello probè ligneâ spatulâ permiscent, tantillum in Cineribus calidis calefaciunt, & ita exhauriunt, aliquoties repetendo, ac per tres pluresve horas desuper jejunando. Potest & *Sal polychrestum* aliquoties ad ʒij. cum *Decocto radicis Urticæ, Virgæ aur.* & *Ononid.* exhiberi.

Vel ℞. *Radic. Ebul.*
Asar.
Vincetox.
Gratiol. ana ʒij.
Herb. Heder. terr.
Fragar.
Pimpinell. ana Mj.
Bacc. Heder. arb.
Laur. ana ʒij.
Semin. Anis.
Dauc. ana ℥ß.
Petros. ʒij.
Cinam. elect. ʒiß.
Salis Junip. ʒj.

Agaric.

Agaric. trochisc.
Radic. Helleb. nigr.
Rhab. elect. ana ℥ß.
Limat. Chalyb. in nod. lig. ʒvj.
Incisis, contus. & in nodulo ligatis affunde
Vini alb. Veter. ℔iiiß.
Aqu. fontan. Calent. ℔ij.
Stent per noctem in loco tepido, postmodum quotidie mane Cyathus unciarum quatuor exhauriatur.

Purgato autem sic pluries corpore, intercalanda sunt Remedia non solùm viscidam pituitam resolventia, sed & insimul per Glandulas renales, aut cutaneas præcipitantia. Atque huic scopo satisfacere creduntur *Decoctum Granor. Coffée tostor. frequentissimè potum: Decoctum* item *Radicum* superius jam commendatarum cum *Herbis* insuper *Agrimoniæ, Matrisylvæ, Virgæ aureæ, Hederæ terrestris, Ononid. Bacc. Juniper. Alkekeng. Cynosbat. Semin. Milii solis, Dauci cretic. Nasturtii, Fœnicul. Petroselin. Paludapii.* Imò *Radix Sigill. Salomon. Virg. aureæ,* vel *Semina Paludapii s. Apii selini, Nasturtii,* aut *Thlaspios ad* ʒj sæpius assumta cum Jusculo mira interdum præstare visa sunt. Aliquando *drachma una Salis Genistæ, Polychresti, Absynthii, Ononidis, Virgæ aureæ* cum *Jusculo* sumta effectu laudando non caruit. *Elixir proprietatis sine acido* etiam *ad* ʒj. frequenter sumtum cum *Decocto* aliquo superius nominato, aut *Decocto saltem lignorum* exiccante atque diaphoretico utile nonnullis fuit. Inprimis autem pro *specificis* habentur *martialia*, v. gr. *Diaph. ♂tial. Crocus ♂t. aperit. Mars cum ♀re ppt. Vitriolum Martis,* sæpius ad gr. xv. exhibita, cum *Cancrorum telis* vel *lapidibus ppt.* Quin *Conchæ* aut *Cochleæ* unâ cum suis *testis exustæ,* ac in *pulverem* redactæ *ad* ℈ij. *vel* ʒj. specificè Hydropicos curare dicuntur. Juvant nonnunquam & *Spiritus Terebinth. ad* ℈ß. *Tinctura Salis ♀ri, Spirit. aperit. Penoti, Essent. Succini, Tinctura Martis aperitiv. ♄n. Corallor. cum Nitr. Tinctura traumatica, ad* ʒß. non rarò propinata.

Quòd si ex usu talium remediorum Cutis reddatur ad sudandum apta, imò sudores jam prodire incipiant, tunc aliquoties Ægri *Laconico* immittantur, in quo cum sudor largiter excutitur, signum est futuræ salutis haud contemnendum; præprimis si Tumor Abdominis & Pedum inde minuatur. Rarum est exemplum Fœminæ plus quam sexagenario-majoris, quam anno 1698. ex Ictero flavo Hydropicam redditam post plures sudores, Tumorem utcunque minuentes, *Balnei mineralis Schauenburgensis,* in viciniâ nostrâ scaturientis, ope & usu per mensem continuato ab Ascite prorsus liberatam, & integræ sanitati restitutam non sine stupore vidimus; postquam ante usum Balnei per aliquot menses antihydropicis remediis sine alio, quàm sudoris successu, usa fuerit, Urinâ semper eâdem, i. e. lixivioso-nonnihil turbidâ, ac sæpius adhuc ictericâ existente. Ab eo autem reconvalescentiæ termino adhuc per decem annos commodè & benè vixit,

vixit, donec tandem ex Febri hecticâ, & Marasmo senili supremum diem obierit.

Si Formulas desideres ejusmodi incidentium, aperientium, deobstruentium atque diureticorum remediorum, qualia quidem in hoc morbo, ubi Glandulæ & Vasculorum extremitates mucilaginoso vel gelatinoso-viscidâ lymphâ infarctæ sunt, requiruntur, en varias, quas subinde apud Hydropicos cum successu haud pœnitendo usurpavimus, & adhuc occasione datâ in usum trahere solemus; v.g. si nulla adest Febris insignis,

℞. *Radic. Aristol. rot. ver.*
Gentian. cruciat.
Eryng.
Carlin. ana ℥ß.
Herb. Beton.
Marrub. alb.
Trifol. fibr. ana Mj.
Bacc. Juniper.
Semin. Fœnic. ana ʒiij.
Salis Juniper. ʒiß.

Incisis, contusis atq; in nodulo ligatis affunde Vini alb. veter. ℔iij.
Aqu. fontan. calent. ℔iß.

Hinc mane ac vesperi horâ ante pastum exhauriatur calix unciarum quatuor.

Vel ℞. *Radic. Pimpinell.*
Fœnic. ana ʒvj.
Rusc.
Rhab. Monach.
Ebul. ana ℥ß.
Baccar. Alkekeng. ʒiij.
Semin. Nasturt.
Anis. ana ʒvj.

Incisa & contusa usurpentur ut supra.

Vel ℞. *Radic. Apii, Asparag. ana* ℥ß.
Rubiæ, Rusc.
Bryon. Asar. ana ʒij.
Herb. Meliss. Scolopendr. aa. Mj.
Anserin. Agrimon. aa. Mß.
Bacc. Juniper.
Semin. Apii, Urtic.
Thlasp. ana ʒij.
Limat. Chalyb. in nod. ligat. ℥ß.

Incis. & contus. accommodentur ac usurpentur ut supra.

Vel ℞. *Radic. Ononid.*
Scrophular. ana ℥ß.
Cortic. median. Sambuc.
Tamar. ana ʒiij.
Herb. Meliss.
Card. bened. ana Mj.
Summit. Cent. min.
Virg. aur.
Absynth. ana Mß.
Semin. Napi, Raphan.
Urtic. ana ℥ß.
Salis Fabar. ʒj.
Spic. Indic. ʒiß.

Incisa & contusa usurpentur ut supra.

Vel ℞. *Radic. Calam. arom. Liquirit. ana* ʒiij.
Cichor. vel Taraxac.
Ireos nostrat. ana ʒvj.
Herb. Nasturt. aquat. cum tot.
Siderit. arvens.
Calaminth. ana Mj.
Semin. Anis. Fœnic.
Cumin. Dauc. ana ℥ß.
Ficuum pingu. par. vj.

Incis. & contus. d. ad Nodul. ex Sindone rubrâ. Affunde Vini alb. vet. ℔iiij.

Aqu. font. ℔ij.

Coque per horam integram ferè ad medias; Colatur. d. ad Vitr. De hoc Vino dein m. ac vesper. cyathus propinetur unciarum trium vel quatuor.

Vel ℞. *Radic. Bardan.*
Card. bened.
Saxifrag. alb. ana ℥ß.
Bacc. Juniper. ʒij.
Semin. Nasturt.
Petroselin.
Milii Solis ana ʒiij.
Herbar. Heder. terr. Miij.

Incis. & contusa accommodentur, & usurpentur ut supra cum leni coctione, vel infundantur in liquorem convenientem, ac ita bibantur.

Solent alii *Baccas Alkekengi, Cynosbat.* & *Juniperi, Herbas Absynth. Abroton. Plantag. aquat. Trifol. fibrin. Sanicul. Pyrol. Alchymill. Virgæ aureæ, Fragariæ, Anserinæ, Pilosellæ, Bellidis minoris, Pentaphylli, Radices Urtic. Carlin. Filic. Sarsæparill. Chin.* &c. in *Vino albo veteri* coquere, deque hoc postea *Decocto* quotidie mane cyathum unciarum quatuor exhaurire.

Vel ℞. *Herbar. Scab. Heder. terr.*
Flor. Rosar. Damasc.
Sambuc. ana part. æqu.

Incisa pone in Cucurbitam vitr. Affunde Fæces Vini, ut superemineant; stent per 14. dies. Destilla hinc per Alembicum vitreum, ac de Liquore destillato quotidie cochleare plenum exhibe, horâ ante pastum, superbibendo Decoctum Granor. Coffee tost.

Vel ℞. *Herbar. rec. Nasturt. aquat.*
Beccabung. Cheref.
Apii Macedon. sive selin.
Plantag. latifol. vel aquat. aa. Miij.
Cochlear. vel
Trifol. fibr. Mij.

Incide, contunde, succum exprime, & filtra per chartam emporetic. vel in Ollâ terreâ probè tectâ pone per bihorium in Clibanum, vel Cineres calentes, postea succum clarum decanta & usui asserva, de quo postea mane ac vesperi duæ unciæ cum vel sine Saccharo per duas vel tres hebdomadas propinentur, intercalando hebdomadatim purgans aliquod supra præscriptum.

Subinde Plantæ tales cum *Sero Lactis caprilli* coquuntur, colatusque *Liquor* bibendus traditur, quotidie iterandus per spatium aliquot hebdomadarum. Vel *Juscula* iisdem alterata similiter hauriuntur; videlicet aliquot ejusmodi *Plantarum antiscorbuticarum manipulis* mane ac vesperi recenter concisis *Jusculum* carnis aliudve affunditur, hinc relinquitur donec non amplius ferveat, colatum dein hauritur.

Vel ℞. *Radic. Dulcamar. cum Ligno & Fol.* Mj.
Taraxac. ℥iß.

Incisis affunde Aquæ fontan. ℔vij. *Tege probè, coque per quadrantem horæ plus minus, & de colato decocto mane quidem haustum calentem trihorio ante prandium, vesperi autem bihorio ante cœnam & cubitum ituro frigidum pro-*

propina; unde Æger quantum poſſibile ſudabit; in Potu etiam ordinario *Vini albi* vel *Cereviſiæ optim. defæcat.* immerſas continuè habebit *Herbas ſiccas Fragariæ*, *Matriſylvæ* atque *Pentaphylli*.

Multis profuit *Vinum*, cui *Cineres Fabarum*, *Abſynth. Calaminth. Ononid. Juniperi*, *Centaur. min. Geniſt. Agrimon. Anſerin. Menthæ ſylveſtr. Urticæ* &c. immerſi fuerunt, filtratum, & ad uncias quatuor m. ac v. potum. Hujus Vini loco ipſum *Sal lixiviale* talium Plantarum ad ʒß. vel ʒj. aliquoties cum Vehiculo conveniente exhibetur.

Vel ℞. *Cochlear. combuſt. & ſubtiliſſ. pulveriſ.* ʒij.
Radic. Vincetoxic.
Hepatis canin. vel lupin. ppt. ana ʒj.
Cinam. opt.
Macis. ana ʒß.
Zingiber. ℈j.
Sacch. alb. ℥iß.
Miſc. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ʒj. *m. ac v.*

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.* ʒij.
Diaph. mart. vel
Chalyb. ♀*re ppt.*
Radic. Ononid.
Bryon.
Fol. Veron.
Semin. Geniſt.
Naſturt.
Anis. ana ʒj.
Sacch. ad pondus omn.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis mane ac veſperi ʒj.

Subinde *Succus foliorum Sambuci*, *Ulmariæ*, ac *Verbenæ* cum *Melle* coquitur, deque hoc *Succo* per aliquot dies, Lunâ decreſcente quotidie *uncia una* vel altera exhibetur.

Præprimis autem commendantur quoque *Tincturæ*, v. gr. ♁*nii*, *Corall. Martis aperit. Zwelf. Martis cœrulea Etner. Spirit.* ⊖*li phil. Glauber. Eſſentia Pini*, *Trifol. fibr. Sal. volatil. oleoſ. Sylv. Spirit. Salis armoniac. urinoſ. aniſatus* aut *fœniculatus*. *Tinctura Martis helleborata* Wedel. aut ſimiles alii *Liquores*, *ad* ℈j. pro doſi, mane ac veſp. cum *Aqu. flor. Sambuc.*

Quod ſi *Febris* adfuerit *lenta major* cum appetitu proſtrato, aut valdè imminuto, ſiti, urinâ lixiviosâ, tumore pedum oedematoſo ſplendente, reſpirandi difficultate, anxietate frequenti pectoris, tum verò *purgantis* loco non niſi *Panacæa ſolutiva alcalina* per plures dies quotidie ſemel aut bis *ad* ʒj. vel ʒiß. cum *Emulſione Amygdal. dulc. dilutiore* exhibebitur; quæ enim *reſinoſa acria purgantia* ſunt, internas glandulas magis inflammant, & ſic Morbi magnitudinem intendunt potius quàm minuunt, *Panacæa* verò illa ſine omnibus torminibus per alvum & urinam blandè evacuat. Ejus proin uſu præmiſſo, & ſubinde etiam reiterato, *Succi Plantarum antiſcorbuticarum* & *aperitivarum* aliquamdiu in uſum trahi poſſunt, ex *Apio communi* & *Macedonico*, *Fœniculo*, *Cherefolio*, *Cardamine*, *Plantagine*, *Urticâ*, *Fragariâ*, *Naſturtio qualicunq;*, *Beccabungâ*, *Trifol. fibrin. Ulmar. Hederâ terreſtr.*

 Coch-

Cochlear. Piperitide, Eupatorio cannab. & similibus expressi ac filtrati, atque *duarum* vel *trium unciarum dosi* propinati. *Pulveres* etiam prosunt *diaphoretico-diuretici*, quales sunt v. gr. seqq.

℞. *♄n. diaphor.*
Ocul. ♋. ppt.
Specif. stom. Poter.
Radic. Taraxac.
Ononid.
Vincetox. ana ʒj.
Salis Juniper.
Fabar.
Nitr. ⊖lat. ana ʒß.
M. f. Pulv. subtil. in 15. dos. æqu. divid. ad chart. Mane ac vesp. capiatur dosis.

Vel ℞. *Roob Sambuc.*
Ebul. ana ℥ß.
Cochlearum cum testis calcinatar. & subtiliss. pulverisatar. vel Milleped. ppt.
Ocul. ♋. ppt. ana ʒj.
Summit. Virg. ☉reæ subtiliss. pulveris. ℈ij.
Syrup. aperit. Minder. q. s.
Misc. f. Electuar. d. ad Pyxid. Dosis singulis trihoriis magnitudo Nucistæ.

Fieri quoque *Decocta* possunt, & diligenter propinari, v. gr.

℞. *Radic. Ulmar. Vincetox. ana ℥ß.*
Scrophular. Saxifrag. ana ʒiij.
Herb. Anserin. Scabios.
Summit. Virg. aureæ ana Mj.
Flor. Genist. Mß.
Semin. Urtic. Thlasp.
Anis. ana ʒij.
Incis. & contus. coqu. in Aqu. fontan. ℔vj. & Vin. alb. vet. ℔j Colatura dein Albumin. Ovor. clarific. detur ad Vitr. Dosis m. ac v. unciæ quatuor.

Ex *Cineribus Plantarum* supra dictarum etiam *Lixivium* cum affusâ Aquâ fontanâ calente, & postmodum filtratâ fit, hujusque *Lixivii* aliquot unciæ mane ac vesperi per aliquod tempus propinantur, cum fructu sæpius, nisi malum valdè radicatum sit.

Extus ad tumorem Pedum, aut Scroti, nisi splendens admodum fuerit, discutiendum *Fomentationes* institui possunt, quem in finem *Folia Sambuci, Ebuli, Nucum, Solani, Hederæ arbor. ac terrestr. Artemis. Juniperi, Pini, Salicis, Pyrorum, Cerasor.* ac *Prunorum* in *Aquâ* & *Lixivio* coquuntur, hoc postea *Decoctum* lagenæ immittitur, indeque Vapor per tabulam sive asserem perforatum ad corpus pedesque admittitur tamdiu, quamdiu Æger sine molestiâ tolerare potest. Vel Æger quotidie *Laconicum*, aut *Scamnum sudatorium* ingrediatur, & per horulæ spatium in eo leniter sudare conetur. Vel *Lixivio communi* incoquuntur sequentia:

℞. *Radic. Vincetox. Sigill. Salom. ana ℥j.*
Scrophular.
Eryng. ana ℥ß.
Fol. Card. bened.
Anserin.
Sideritid. arvens.
Chamædr.
Verben. ana Mj.

Salis

Salis ♀ri ʒj.
Bacc. Laur. Alkek. Junip. aa. ℥ß.
Incisa & contus. coque in
Lixivii communis ℔vj. vel viij.
In Colaturâ calefactâ sæpè lintea immerguntur, eaq; expressa integris Cruribus applicantur.

Vel ℞. *Radic. Dulcamar. Bryon.*
Caryophyllat. ana ℥j.
Rasur. Lign. Juniper.
Fagin. ana ʒvj.
Herb. Artemis.
Marrub. alb.
Urtic. urent.
Persicariæ ana Mj.
Salis ♀ri ℥ß.
Incis. & contus. coque in Aqu. Calcis viv. ℔viij. ad quartæ partis consumtionem, in colaturâ dein Lintea immersa calidè applicantur sæpissimè.

Vel ℞. *Lixiv. Ciner. Sarmentor. Vit.* ℥xx.
Olei è Lathyrid. Fernel. ℥iiij.
Misce & agita tamdiu, donec in lacteum Liquorem Mixtura ista fuerit redacta; cujus dein usus est, lintea ei calenti immergere, exprimere, & Cruribus frequenter applicare, usque dum sudor copiosè per guttulas è poris cutaneis extillare notabitur.

Alii *Saccum lineum mollem Furfure* & *Pulvere flor. Sambuci* implent, hinc *Vino albo* ad aliquot ebullitiones incoquunt, dein exprimunt, & toti Abdomini admovent, postquam alteram *Sacci* partem *Pulvere Seminis Cumini* adsperserunt. Vel *Gemmar. Juniperi, viridibus* atque *perfectis baccis instructar. Manipulos duos* coquunt in *Aquâ*, indeque emergentem vaporem, sæpius si feret Æger, ad corpus admittunt pro sudore eliciendo. Vel ex *Farinâ secalinâ* & *Furfure* Panes coquunt, eos dein adhuc calentes per medium secant, vaporem in sellâ perforatâ ad corpus & pedes admittunt, aliquoties hoc opus peragendo, si benè tulerit, indeque levamen ac diminutionem Tumoris persenserit Ægrotans. Possunt & *Herb. Absynth. Abroton. Aneth. Centaur. min. Sambuc. Ebuli, Rubi sylvest. Solani Heder. arbor. Geran. robert. Persicar. Folia Pini, Sabin. Nucum jugland. Juniper.* &c. *Lixivio Sarmentorum Vitis* incoqui, & *Vapor* inde exhalans ad partes tumentes admitti.

Quando membra Ægrotantis talia non ferunt, ac inde metuenda est Inflammatio periculosa cum variis symptomatibus; tum vel *Herbæ recentes Geranii Robert. Persicar. Folia Lappæ, Solani, Verbasci, Tabaci, Rubi sylvestr. Sambuci, Ebuli,* &c. flaccida nonnihil super calentem focum reddita, *Cruribus*, ac ipsi quoque Abdomini frequenter adplicantur: vel dictarum modò *Herbarum*, similiumve aliarum *siccatarum Pulvis* subinde inspergitur prunis, sive ardentibus carbonibus, fumoque hinc emergente lintea imbuta calidè tumentibus partibus applicantur.

Quod si splendeant, & quasi oleaginoso humore obducta sint Crura, tum certè melius, vel tutius non reperitur medicamen ad Gangrænam præcavendam, vel etiam dissipandam, quàm *Farina secalina* aut *triticea, probè siccata*, pro lubitu *Cretæ albæ,*

albæ, *Bolo communi*, & *Pulveri radic. Liquir.* permiſcenda, atque Cruribus bis de die adſpergenda. Quando *Puſtulæ* efflorescunt, rupturam ſui & ſeri profluvium minantes, tunc nihilominus pergendum in uſu Pulveris.

Ubi autem *Puſtulæ* hinc inde majores effloruerunt, ac hæ tandem ruptæ ſerum fundant, ſicque Pedes ſero ſtillantes evadant, tum plerunque cum ipſis Aquis Anima prodit, & Hominem exanimem poſt ſe relinquit. Aut antequam Aquæ omnes effluxerunt, ſtriæ vel maculæ rubicundo-lividæ in Cruribus enaſcuntur, tanquam certa Gangrænæ, Sphacelique præſentis, ac brevibus poſt diebus ſubſequuturæ mortis indicia. Ad manantia autem Crurum loca vix melius deprehendi remedium, quàm *Unguentum album camphoratum*, vel etiam *Farinam triticeam* cum *Cretâ albâ pulveriſatâ* & *Oleo Lilior. albor.* vel *roſaceo* permiſtam, & inunctam.

Symptomatibus aliis urgentibus occurrendum, quemadmodum ſub titulis peculiaribus talium Affectuum indigitatum reperietur. Præcaveri Hydrops ſæpè poteſt, ſi *Fonticulus* unus aut alter in brachio aut pede excitetur. In Diætâ ea ſunt concedenda, quæ eupepta ſunt, & laudabilem chylum exhibent. A potu exceſſivo ſemper abſtinendum. Alvus quotidie reſpondere debet. Somno non nimis indulgendum. *Potus Coffée* frequentiſſimè bibi poteſt.

HYDROPS ANASARCA, ſ. LEVCOPHLEGMATIA, eſt Tumor oedematoſus totius corporis cum pallore, & laſſitudine conjunctus, originem trahens à ſero viſcido in cutaneis glandulis atque tubulis copiosè ſtagnante, Cutimque ſic nonnihil attollente ac intumefaciente. *Hydrops anaſarca.*

Usque adeo ut pro Parte affectâ maximè habere debeamus totam Cutis peripheriam: quanquam & in partibus internis glanduloſis aliqualis obſtructio contingere queat. *Pars affecta.*

Producitur autem morbus, quandocunque ſanguis Ægri valdè cacheticus, ſive Cacochymiâ ſeroſo-pituitosâ inquinatus, occaſione qualicunque nactâ in tubulis cutaneis, per quos partim tranſpirare, partim circulare deberet, quoad lymphaticas ſuas particulas in Glandulis Cutis miliaribus ſecerni conſuetas, obhæreſcit. Nimirum vel ipſum Serum ſanguinis copioſum, craſſius atque nonnihil viſcidum, ob intercurrens aliquod acidum auſteriuſculum, reddi hâcque ratione in Glandulis cutaneis ſtagnare poteſt. Vel etiam Cutis ipſa cum ſuis poris atque tubulis à frigore Aëris externi ſimul ita conſtringi & anguſtari valet, ut ſerum illud copioſum, utut non ita craſſum, penetrare tamen cum omnibus ſuis moleculis nequeat, ſed transmiſſis tenuioribus, ſpiſſiores ibidem relinquere neceſſe habeat. Ad collectionem copioſi talis Seri ea contribuunt, quæcunque in Cachexiâ ſuperius indigitata *Morbi*

digitata fuerunt. Hoc solùm addendum; Viduas atque Virgines non menstruatas probè, vel etiam Pueros helluones, & horæis Fructibus nimium indulgentes, huic morbo valdè obnoxios existere.

gno- Cognoscitur facilè ex pallido Tumore universæ Cutis corporis. Tumor hic licèt oedematosus sit, non tamen ingens adeo est, ut insigniter admodum naturalem magnitudinem partium excedat. Vocare solent hinc Germani *ein Verblunsenheit.* Color autem floridus atque naturalis per totam Cutis circumferentiam mutatur in pallidum, vel albicantem.

gno. Affectus non periculosus, si in externis solùm partibus, cuteque hospitetur; si verò internas simul glandulas, easque tenaciter occupaverit, tum periculum est, ne in *Ascitem* atque *Tympanitem* convertatur. Quin & vidimus, eidem post observatum deterius vitæ regimen, *Apoplexiam* ipsam lethalem successisse.

tio. In *Curatione* Corpus ante omnia *Pilulis hydropicis Bontii* cum *Mercurio dulci* aliquoties est purgandum; vel *Vinum medicatum purgans* ex *diureticis* & *amaris* est propinandum. Verb. grat. pro Puero decem vel duodecim annorum:

℞. *Mass. Pilul. hydrop. Bont.* ʒj.
Mercur. dulc. opt. ℈ij.
Resinæ Jalapp. ℈ß. *ad gr.* xv.
Ol. stillat. Lavend. q. s.

M. f. Pilulæ num. 60. *Inaur. d. ad scat. Dosis quotidie mane* 6. 7. *vel* 8. *cum vehiculo convenienti.* Adultus autem decem vel duodecim illarum capere potest:

Vel ℞. *Extract. panchymag. Croll.*
Mass. Pilul. marocost. ana ℈ij.
Magist. Scammon. ℈j.
Essent. Myrrh. q. s.
M. f. Pilulæ num. 60. *Inaur. d. ad scat. Dosis pro Puero* 5. 6. *vel* 7. *Pro Adulto decem.*

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Crem. ♀ri *vel*
Salis essent. Card. bened.
Mercur. dulc. opt. ana gr. vj.
Scammon. ♁rat. *gr.* ij. *vel* iij.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. pro dosi mane sumendâ ab Adulto.

In complexionibus delicatis *Ptisanam laxativam* concedere possumus, non sine fructu operantem, si per aliquot dies mane assumatur, aut etiam vesperi; sequentem verò in modum concinnari potest:

℞. *Fol. Senn. opt. mund.* ℥ij.
Passular. minor. ℥iß.
Semin. Coriandr.
Fœnic. ana ʒij.
Crem. ♀ri ℥ß.
Incis. & contus. coque in Aquæ fontan. Libris tribus p. c. ad tertiæ partis consumtionem. In Colaturâ dissolve
Mannæ calabrinæ ℥x.
Clarifica cum Albumine ovor. & adde
Aquæ Cinamom. ℥j.
Detur ad Vitr. Dosis quotidie mane unciæ duæ plus minus in Pueris, unciæ quatuor autem in Adultis.

Vel *Vinum medicatum purgans* ordinari poterit, v. gr.

℞. *Radic.*

℞. *Radic. Vincetox.*
Eryng.
Calam. arom. ana ℥ß.
Herb. Agrimon.
Anserin.
Summit. Cent. min. ana Mj.
Flor. Calend. Genist. ana Mß.
Fol. Senæ opt. mund. ℥j.
Agaric. troch.
Rhab. elect. ana ʒij.
Semin. Anis.
Spic. Indic. ana ʒij.
Salis Juniper. ʒj.

Incisis & in nodulo ligatis affunde Vini albi veteris ℔iij. *& Aqu. fontan.* ℔iß. *p. c. Hinc quotidie mane unciæ quatuor plus minus hauriantur ab Adulto.*

Subinde *Panacæam solutivam alcalinam* per plures dies cum *Diaphoret. martial.* exhibui ; vel ejus loco quotidie mane *Syrupum macrobium* ad ℥ß. vel ʒvj. dedi.

Dein Serum sanguinis copiosum & crassum partim attenuandum, partim per vias Urinæ ac Sudoris præcipitandum venit. Attenuabitur exhibitione frequenti *Decocti Radic. Herbarum* & *Seminum* contra *Ascitem* commendati. Vel solum *decoctum Granorum Coffée tostor.* aut *Infusum Fol. Thée* quotidie ter quaterve per plures hebdomadas potum optimè confert ; quibus tamen intercalare debemus partim solutionem *Succolatæ* in *Aquâ* vel etiam *Lacte* tenuiore factam ac potam : partim *Pulveres Oculor.* ♋. *ppt. Diaph.* ♂ *ial.* vel ♃ *vial. Spodii ppt. Radic. Sigill. Salomon. Ir. flor. Irid. nostr. Taraxacon. Aron. Summit. Virg. aureæ, Sal. polychrest. Fabar. Juniper. Ononid. Tamaric. Milleped. ppt. Cinam. acut. Cubebar. Cardamom. Semin. Napi, Paludapii, Petrosel. Fœnicul. Dauc. Milii Solis* &c. Quæ quidem vel per se sub *Pulverum* aut *Tragematum* formâ, vel cum permistione *Extract. Aristoloch. Vincetox. Centaur. min. Gentian. cruciat. Absynth. Ononid.* sub formâ *pilularum* diu usurpari possunt. Conducunt tamen etiam alterantia singula in Hydrope Ascite laudata. A *Venæsectione* abstinendum. *Laconica* & *Sudatoria* sicca non contemnenda. In *Diætâ* Cibi magis sicci, iique principio sulphureo-balsamico turgentes magis quàm aqueo in usum vocandi; contra ab omnibus acidis, salsis, fumo induratis, dyspeptis est abstinendum. Aër frigido-humidus, tristitia gravis, ira fortis, quies & somnus nimii sunt fugiendi.

HYDROPS PECTORIS s. THORACIS, est extravasatio & collectio humoris seroso-salsi in cavitate thoracis alterutrâ vel utraque, cum respirandi difficultate per vices ingravescente, aliisque symptomatibus conjuncta, atque à rupturâ vasculorum lymphaticorum, vel eorundem erosione oriunda. *Hydr. Pect.*

Par. affect. Pectoris hinc cavitas heic vitiata est quatenus ab admissâ seri plus minus aquosi quantitate angustatur. In specie tamen Glandulæ qualescunque Thoracis, indeque emergentes tubuli lymphatici læduntur.

Caus. Etenim extravasantur humores illi

ſeroſi, quandocunque Vaſa lymphatica in Pectore aperiuntur, ſive dein hæc apertio per ῥῆξιν, *ruptionem*, ſive per διάβρωσιν, *eroſionem*, facta fuerit. Rumpuntur vaſa *nunc* per vim iis ab externâ quadam causâ illatam, in Vulneribus, Contuſionibus, Tuſſi violentâ, vociferatione nimiâ, aut ſimili quadam re: *nunc* per nimiam diſtenſionem, ab extraordinariâ quadã Lymphæ transeuntis copiâ factam; quando videlicet ſerum maſſæ ſanguineæ in Glandulis ſecretum ſtatim inviſcatur, incraſſatur, atque in Tubulis earum excretoriis ſubſiſtit, ſicque Glandulas in Tubercula plus minus dura attollit, unde accumulatum, quod de novo ſemper ex arterioſo ſanguine accedit, ſerum vaſcula tandem nimis diſtendendo rumpit, & in Thoracis cavum effluit. Ut adeo geneſis hujus Morbi cum geneſi Aſcitis prorſus conveniat. Obnoxii hinc ſunt eidem, qui Pectore obeſo ſunt præditi, qui Baccho & Cereri ſtrenuè litant, qui in aurâ nebulosâ ſive humido-frigidâ diu vel habitant, vel peregrinantur, qui denique gelidis liquorum hauſtibus frequenter delectantur.

Cognoſcitur hujus Morbi præſentia ex reſpirandi difficultate & præcordiorum anxietate per vices, præprimis ſub veſperam, ingraveſcente, tuſſiculâ ſiccâ, laſſitudine membrorum, ſomno inquieto, appetitu paulatim imminuto, urinâ parcius prodeunte, utplurimum crudâ & nonnihil lixiviosâ; denique & Aquarum in pectoris cavitate fluctuantium murmuribus, ſicubi de latere in latus Æger decumbens ſeſe provolvat. Quod ſi dextrâ cavitate Thoracis collectum eſt ſerum, tum benè reſpirabit Æger, ubi in dextro latere decumbit; ſiniſtro autem lateri incumbens, ob aquas pulmonem nimis prementes, pejus reſpirabit, atque pectoris anguſtiam adquiret. Si verò in ſiniſtrâ cavitate accumulatæ ſunt Aquæ, tum Æger ſiniſtro lateri melius incumbet atque dormiet. In utraque tandem cavitate collectæ Aquæ id producunt, ut Æger non niſi ſupinè decumbens ſpiritum commodè ducere queat. Porrò id notandum, quod ſerum ſiniſtram pectoris cavitatem occupans Ductum thoracicum premat, ſicque promtum chyli & lymphæ adſcenſum vel tranſitum impediendo, occaſionem facilem præbeat expanſioni præternaturali lymphicorum tubulorum in pedibus exiſtentium, adeoque & oedematoſo horum Tumori. In dextrâ verò cavitate hærentes Aquæ, cùm ductum illum premere nequeant, hactenus adeo citò & maturè crurum Tumorem minimè producunt. Si magna ſeri copia in Pectore hæreat, tum illud, cui ineſt, latus ſubinde tumidum comparebit, oppoſito latere depreſſiore manente.

In principio hic Affectus non adeo facilè cognoſcitur, neque Medenti cognoſcendus offertur, antequam notabilia ſymptomata & moleſtias Homini inferat. Tacitè nimirum gliſcit hoc malum, radicesque paulatim firmas ſine Ægrotantis incommodo

Mmmm agit;

agit; etiamsi enim forsan interdum aliqualem respirandi difficultatem persentiat, non curat tamen eam, quia lenis adhuc est, per intervalla accedens & diu non durans. Quando autem vires eundo majores paulatim adquisivit hic Morbus, tum frequenti demum pectoris anxietate, & spirandi difficultate, per incertas periodos redeunte, ac plus minus diu durante, sese cognoscendum præbet. Augetur hoc tempore sensim causa illius, nisi efficaci medicamine radicem extirpaveris. Ingravescunt quotidie magis ac magis symptomata, respirandi nimirum difficultas & anxietas, quæ, dum salsedo Aquarum extravasatarum nervos subinde pneumonicos aut diaphragmaticos magis crispat, vellicat, atque spasmodicè aliquandiu contrahit, convulsiva & periodica evadit; hincque temporis successu, auctâ seri in pectore copiâ, major usque & usque reddita Dysorexiam, Febriculam lentam, Sitim aliqualem, carnis Consumtionem, noctes graves, faciei pallorem, tandem & Hydropem quoque Ascitem post se trahit.

Prognosis. Morbus proin in principio sui adhuc curabilis, in augmento & progressu difficilis, in statu tandem suo, ubi jam hectica Febris sese junxit, planè immedicabilis & lethalis existit. Diuturnus tamen, atque per annos interdum integros in Homine gliscens, antequam corporis funestam cum lentâ Febri maciem inducat. Consumptio hæc corporis paulatina quoque est, & ad plures sese menses plerunque extendit, quibus certè miseram Æger vitam inter frequentes Anxietates gravissimas transigere cogitur. Tandem Ascites quoque Hydrops utplurimum jungitur, antequam mors, tantæ finem impositura miseriæ, appropinquet.

Cura. *Curatio* proin in principio requirit medicamina aperientia, deobstruentia, purgantia, incidentia, resolventia, quibus videlicet serum crassum attenuari, viscidum ac lentum incidi, salsum & acre edulcorari, ac ita Glandularum obstructiones resolvi, stagnantesque jam Aquæ quâ datâ portâ commodiore eliminari queant. In hunc finem commendare debemus *Ptisanam è Mannâ laxativam*, aliave purgantia sub præcedente proximè Titulo ordinata.

Purgante præmisso, ac subinde iterato, statim Fonticulus in Brachio aut Pede excitandus est, & quidem eo in latere, in quo hærere Aquas notabimus. Deinceps verò quotidie mane per longum tempus sequens exhibebitur non sine successu:

℞. *Syrupi macrobii* ℥vj.
Oxymelit. hellebor. Gesn. ℥ij.
Tinctur. ♄ *n.* ʒj.

M.d.ad Vitr. Dosis cochleare plenum. Mane ac vesperi dein modò *Infusum fol. Thée*, modò *Decoctum Granor. Coffée tostor.* cum 25. vel 30. guttis *Tinct. Salis* ♀*ri* vel *Mart. aperit.* vel ♄*nii* propinari potest. Vel *Succi Plantarum antiscorbuticarum filtrati*, aut *Destillatum hippenteror.* ad ℥ij. vel iij. commendabitur. Aliquando sequens

quens Infusum conducit m. ac vesp. per aliquot hebdomadas datum:

℞. *Milleped. vivor. contus. num. 20. ad 30.*
Croc. oriental. ver. gr. vj.
Radic. Helen. incis. ℥ij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

Mixtis affunde Vini albi veteris ℥iij. *stent per bihorium in loco tepido, colatus postea liquor potetur.*

Vel ℞. *Radic. Helen.*
Vincetox.
Bryon.
Asar.
Cucum. ana ℥iij.
Herb. Veron. Marrub. alb. ana Mj.
Hed. terr.
Hyssop. ana Mß.
Baccar. Juniper.
Laur.
Semin. Anis.
Fœnic. ana ℥ij.
Croc. oriental. ver.
Cortic. Winteran. ana ℨj.
Limat. mart. in nodulo ligat. ℥ß.

Incisis, & in nodulo ex Sindon. rubr. ligatis affunde Vini albi veter. ℔iiiß.
Aqu. Gramin. Hed. terr. aa ℔ß.
Fœnicul. ℥iij.

Stent per noctem in Cineribus calidis, postmodum m. ac vesp. ℥iij. *vel* ℥iiij. *hauriantur.*

Sub *Pulveris* formâ sequens conducit:

℞. ♄*nii diaph.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Diaph. ♃*vial.*
Milleped. ppt. ana ℨj.
Salis volat. Viper. vel C. C. pur.
Cinnab. ♄ *n. corr. ana* ℨß.

Misc. f. Pulv. subt. div. in 10. *dos. æqu. ad ch. Man. ac vesp. capiatur dosis cum Aquâ Veronicæ, flor. Sambuc. Nasturt. aquat. aut Infuso fol. Thée & Betonic.*

Vel ℞. *Dent. Hippopot. ppt.*
Corall. alb. ppt. ana ℨiß.
Radic. Ireos flor.
Helen. Liquir.
Semin. Nasturt. Urtic.
Thlasp. Fœnic. ana ℨj.
Salis volat. Succin. aut Fuligin. ℈ij.
Croci orient. ver. ℈j.

M. f. Pulv. subtil. divid. in 12. *dos. æqu. ad ch. m. ac v. sumendas.*

Vel *Salia lixivialia* Plantarum, v. gr. *Onon. Juniperi, Fabar. Absynth. ad* ℨß. *quotidie mane ac vesperi* cum *Jusculo* dabuntur. Imò singula *Sale lixiviali* condientur. Prosunt quoque ea alterantia singula, quæ in Curatione Hydropis Ascitis laudata superius fuerunt.

In Paroxysmo Anxietatum magnarum sequens non rarò levamen insigne attulit:

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß.
Axung. canis rec. ℨiij.
Spermat. Cet. rec. ℨiß.
Essent. Croc.
Spir. Sal. arm. anis. ana ℨß.
Syrup. de Hyssop. vel Heder. terr. ℨx.

Misc. d. ad Fictile, ac singulis bihoriis cochleare plenum capiatur.

Vel *Sperma Ceti rec.* in Jusculo qualicunque solutum aliquoties exhibeatur.

 Si

Si recideat frequenter Paroxysmus, & quidem cum metu convulsionis, *anodyna* dari possunt, v. gr.

℞. *Spir. Sal. arm. anis. vel fœnic.* ℥iß.
Essent. Opii liquid. ℥ß.

M. d. ad Vitr. Singulis sex horis 20. aut plures guttæ capiantur cum *Julepo* ex *Aquâ Veronic.* & *Syrupo Bellid. min.* vel *Capill.* ♀ r.

℞. *Mass. Pilul. de Styrac. gr.* iv.
Theriac. cœlest. gr. iij.
Balsam. Peruv. q. s.

M. f. Pilulæ num. 7. *sumantur noctu horâ somni.*

Quandoque *Clysmata emollientia* & *detergentia* injiciuntur. Si his nihil proficiamus medicamentis, tum *Paracenthesis* thoracis inter sextam & septimam costam debito modo instituenda est, atque sic exitus Aquis procurandus; quod sine omni periculo fieri potest, si non diu nimis expectaveris. Sed scire debes quonam in latere instituenda sit. Si Æger tali Operationi resistit, & Affectus immedicabilis evasit, tum *Cura* tantùm *palliativa* est observanda, atque Symptomata mitiganda, quemadmodum sub titulis eorum demonstatur. Diæta tandem conveniens præscribenda.

Hydrops tympanites. HYDROPS TYMPANITES est Tumor Abdominis valdè tensus dolorosus ac retinens, sonitum ferè instar Tympani edens, ac ortum à Membranis Intestinisque flatu distentis, simulque interdum Lymphâ acri extravasatâ, & in cavum Abdominis effusâ trahens. Etenim Tympanitem vix absque Ascitis conjunctione evenire posse credimus, quanquam non semper crura pedesque simul intumescant, nisi circa finem & paulo ante mortem.

Caus[a]. Genesis s. productio hujus Morbi obscura adhuc est, ac difficilis indaginis: quantum tamen conjecturâ assequimur, necesse est, ut tubuli membranacei tam Intestinorum, quàm Abdominis integumentorum à succo quodam acri, acido atque austero vellicati crispentur, ac spasmodicè nonnihil constringantur, unde Spiritus animales, de Aëreâ naturâ maximè participantes, copiosius influant, atque hinc in transitu ulterioreque progressu impediti subsistant, sicque partes illas flatuosè distendant. Experientiâ quoque didicimus, eos, qui Cholerici, & ad spasmos proclives existunt, qui flatus ventris admodum retinent cohibentve, qui vitæ sedentariæ, ac lucubrationibus nocturnis valdè indulgent, qui Baccho Cererique non malè litant, qui Cibis salsis, acidis, ac flatulentis quotidie delectantur: quæ denique Fœminæ menstruum fluxum non sine torminibus ac flatuosis expansionibus ventris, quanquam brevi iterum disparentibus, patiuntur, in huncce Affectum facilè incidere.

Diagno[sis]. Quoad *Diagnosin*, tumor Abdominis heic est renitens, valdè tensus, acerboque lancinante, urente, & scindente dolore per vices sæpè excrucians, simulque pectoris anxietatem, & inquietudines post se trahens.

Tumor

Tumor iste non sine Febri continuâ intra paucas utplurimum horas gignitur, & magnopere tensum statim Abdomen efficit, ita quidem ut, sicubi digito pulsaveris, sonum ferè instar tympani edat. Somnus propter continuos dolores rarus, exiguusque est, appetitus verò nullus, sitis varia, plerunque justo major. Urina parcius excernitur, eaque semper lixiviosa valdè existit, nònnunquam etiam acris & ardens. Pulsus deprehenditur justo celerior, parvus, debilis, planeque hecticus. Alvus nunc segnis, nunc respondens, sed plerunque sine flatibus simul prodeuntibus; sicubi autem hi quandoque prodeant, tunc insigne Ægris levamen conciliant. Pedes nisi ante morbi insultum tumuerint, in principio ejusdem omni Tumore carent; illo autem per aliquot hebdomadas jam graviter affligente, demum intumescere sed absque dolore incipiunt; hinc paulatim simul Abdomen oedematoso ulterius tumore, circa lumbos præprimis conspiciendo, afficitur; qui quidem tamdiu increscit intra ac extra corpus, donec Æger amissis omnibus viribus naturæ debitum exolverit. Tensio ventris sæpè Ventriculum adeo comprimit, ut multum retinere nequeat, sed illud sæpè per vomitum respuere cogatur.

Prognosis Affectum hunc non solùm valdè periculosum, sed plerunque incurabilem facit, paucissimi enim ac rarissimi sunt, qui illius vehementiam naturæ bonitate eludere, adque pristinam sanitatem revertere potuerunt. Neque morbus adeo diuturnus est, atque alia species Hydropis, quin continui dolores atque inquietudines unâ cum asitiâ, haud multarum septimanarum intervallo, Hominem penitus emaciant, excitataque internarum partium Gangrænâ ac Sphacelo, viventium consortio eripiunt.

In *Curatione* crispationes membranarum spasmodicæ sunt demulcendæ, flatus discutiendi, urina promovenda. Sed hoc opus hic labor; ut nesciat plerunque Medicus, quid agere, præscribereque, quid linquere velit. *Purgantia* heic certè nociva, *Venæsectiones* inutiles, *diaphoretica*, *diuretica* atque *antispasmodica* valdè debilia; plus enim hoc, si ullum, valet Arte malum. Nihilominus tamen Ægri animus venit erigendus, & quantum possibile, etiam remediorum ope refocillandus. Quem in finem *Clysmata carminativo-emollientia* sæpius sunt injicienda, cavendo ne quid aëris simul subintret. Componentur autem illa ex *Aquâ fontanâ*, vel *Urina humanâ*, cui incoctæ sint *Radices Angelic. Vincetoxic. Imperator. Petasitid. Chelidon. major. Herb. Nasturt. Malv. Parietar. Meliss. Menth. Puleg. Ocym. Calaminth. Matricar. Origan. Sabin. Beccabung. Cochlear. Semina Fœn. græc. Dauc. Anis. Fœnic. Carvi, Paludapii, Bacc. Juniper. Laur. Flor. Chamomill. Melilot. Salv. Rorismar. Lil. convall. Decocto* autem colato dein infundi debet *Mel anthosatum, rosatum, rutaceum, Ele-* Curatio.

Electuar. è *Bacc. Lauri*, cum tantillo *Salis polychresti.*

Extus toti Abdomini *Cataplasma* imponi poterit ex *Roob Ebuli*, *Sambuci* ac *Juniperi* cum *Sale prunellæ*, *Radicibus Allii*, *Cepar. Sigilli Salomonis*, *Herbisq; recentibus Verbenæ*, *Aristolochiæ*, *Ocymi*, *Rutæ*, *Agrimoniæ*, *Anserinæ*, *Pimpinellæ*, *Ulmariæ*, *Fol. Sabinæ*, *Meliss. Salviæ*, *Scordii*, invicem contusis, & calidiusculis redditis. Forsan *Emplastrum de Meliloto* ac de *Baccis Laur.* simul conducet impositum.

Intus concedi possunt præter duodecim, vel plures etiam doses *Panacææ solutiv. alcalin.* mane videlicet ac vesperi ad ʒj. exhibendæ, *Spirit. Salis armoniac.* quomodocunque *oleosus* redditus, *Tinctur. Castor. cum Spirit. Salis ammon. parat. Spirit. volat. C. C. Viperar. Lumbricor. terrestr. Essent. Croc. Elix. propr. s. acid. Tinctur.* ♁ *n.* nec non *Tinctur. Martis helleborata Wedelii* cum *Aqu. Cinnam.* Quibus adde *Diaph.* ♂ *ial.* ♃ *vial. Lunare*, ☉ *are. Bezoard. miner. Lapid. Bezoard. occidental. Cinnab. nativ.* vel ♁ *n. correct. Unicornu marin. ppt. Crystall. alb. ppt. Ægagropilam ppt. Lumbr. terr. ppt. Semen Rut. Nast. Pœon. Anis. Fænic. Dauc. Carv. pulverisat. Radic. Sigill. Salomon. ppt. Aurum fulminans* &c. sub formâ pulverum.

Symptomatibus urgentibus simul est occurrendum, neque heic formidanda *anodyna* & *opiata* aliis permiscenda. Pro potu ordinario inserviat *Decoctum Scabios. Meliss. Hordei*, *Ulmar. Agrimon. Rasur. C. C. Passular. min. Juscula* subinde *nasturcinis Herbis* alterata concedantur. Imò *destillatum equinum ad* ℥iij. *cum Tincturæ Castor. gutt.* xv. *vel* xx. sæpius assumtum prodesse potest.

HYDROPS VTERI, & OVARII MVLIEBRIS, est Tumor præternaturalis sive Uteri, sive Muliebris Ovarii, oriundus à sero aquoso plus minus salso, intra cavitatem tunicasve dictarum partium extravasato & collecto. *Hyd... Vter. Ova...*

Itaque partim ipsius Uteri cavitas, partim illiusdem non secus ac Ovarii tunicæ heic afficiuntur. Rari sunt hi morbi, sed tamen subinde notati à Practicis. Datur autem alia quoque species *Hydropis uterini*, ubi serosæ aquæ intra proprias tunicas collectæ, sensimque magis auctæ nunc unam nunc plures *Hydatides* sive *Vesicas aquosas* componunt. Talis *Hydrops* eapropter audit *vesicalis*, alii etiam *Molam aquosam*, de quâ sub Molæ titulo, nuncupant, quod subventanea, corruptaque Ovula ei occasionem præbeant. Ejusmodi Hydatides, Ovulave tumentia aquosoque liquore turgida in Ovariis non raro deteguntur per exenterationes cadaverum. *Pa... affe...*

Causa proxima est Seri è vasculis lymphaticis, quæ per tunicas affectarum partium naturaliter discurrunt, ruptis extravasatio, &, cùm ulterius progredi nequeat, coacervatio, quæ proin fieri nequit sine tunicarum dictarum distensione. Distenduntur autem hæ ad amplitudinem *Caus...*

sæpè

sæpè ſtupendam ac nihilominus ſimul præternaturaliter ita incraſſantur, ut triplo etiam craſſiores evadant, idque propter plures particulas gelatinoſo-pituitoſas intra poros ſuæ ſubſtantiæ admiſſas. Sic ante decennium in exenteratione Mulieris Hydrope Ovarii ſiniſtri defunctæ non ſine maximâ admiratione conſpeximus, illud Ovarium ratione ſubſtantiæ ſolidioris ad magnitudinem dimidii alicujus capitis increviſſe, ac præterea ſimul intra tunicas ſuas maximè incraſſatas ultra 15. libras ſeri limpidi flaveſcentis continuiſſe. Ante bieñium aperuimus quoque Cadaver alius Matronæ, cui abdomen ſpatio ſeptemdecim annorum paulatim ad ſtupendam amplitudinem excreverat ſine ullo Crurum tumore; heic verò integumenta Abdominis tympani inſtar validiſſimè extenſa, dum incideremus, maximè tenuia & unâ tum muſculis ſummè emaciata, Ovarii autem dextri tunicas valdè craſſas, atque in ſtupendam amplitudinem expanſas, ſedecim propemodum menſuris aquæ fœculentæ, tenuis tamen, repletas deprehendimus, quibus effuſis, Ovarium ſive Teſticulus, quoque ad pugni magnitudinem & molem increviſſe, Scirrhumque varii coloris exhibuiſſe notatus eſt.

Gignitur autem Hydrops talis à cauſis *antecedentibus* eo modo, quo Hydrops Aſcites in aliis Abdominis partibus. Hoc tamen notandum, quod Virgines cachecticæ, aliæque Fœminæ cacochymicæ, ſicubi fuerint imprægnatæ, facilè ſimul cum aucto in Matrice Fœtu Hydropem uterinum adquirant. Suppreſſio hinc menſtrui fluxus, læſio qualiscunque glandularum Ovarii, Uterique in Cachecticis aut Cacochymicis, anſam huic Morbo facilem præbere poſſunt.

Quoad *Diagnoſin*, Hydrops Uteri non raro ipſam mentitur imprægnationem; ab hâc tamen diſtinguitur, quòd Hydrops iſte æqualiter juxta amplitudinem Uteri extendatur, ſecus atque fit in ſtatu prægnante; quòd præceſſerit Cachexia, & diſpoſitio hydropica; quòd fortè menſtruus ſanguis ab aliquo tempore nimis fuerit pallidus; quòd ultra decimum menſem ab amiſſo fluxu illo Tumor ſubſiſtat, cum macie quidem ſuperiorum pectoris partium, pedum verò oedematoſâ intumeſcentiâ; quòd ſymptomata in Hydrope uterino paulatim augeantur & ingraveſcant, cùm è contrario minuantur, ſi vera eſt imprægnatio. Præterea Mammæ, ſi Hydrops adeſt, molles ſunt, vel molliter tumidæ, ſi prægnans Fœmina, duriusculæ magis evadunt ac tumidæ. In Hydrope Ovarii Tumor Abdominis magis in latere affecto, quàm in oppoſito deprehenditur, quin ſi v. gr. ſiniſtrum Ovarium hydropicum fuerit, crus etiam ſiniſtrum, ob preſſuram Trunci lymphatici ejusque cruralis rami, & hinc refluxum lymphæ nonnihil impeditum, intumefiet. Sed in Uteri ſolius Hydrope à principio nullum crus tumidum apparebit. In utroque autem Hydrope, ſicubi Abdominis cavitas nimium fuerit impleta, maciesque *Diagnoſis.*

ciesque jam manifesta cum hecticâ Febri apparuerit, tunc pedes simul intumescere incipiunt, quotidieque magis augeri pergunt. Ubi verò Uteri Hydrops impraegnationi jungitur, res difficulter admodum cognoscetur, Fœtu existente debili, sed si ille vivax fuerit, tum ex illiusdem motu atque calcitratione partim, partim quoq; ex aliis comunibus graviditatis signis cognoscetur. In hoc autem casu, æquè ac in simplici Uteri Ovariique Hydrope plerunque etiam Pudenda oedematoso Tumore expanduntur, difficilemque admodum Urinæ, aliâs etiam justo parcioris, excretionem reddunt. In principio & progressu Morbi appetitus satis constat, neque Febris ulla hectica adhuc molestias parit: hinc est, quòd Mulierculæ talem Affectum sæpè per plures annos circumferre possint, citra magnum incommodum. Ubi verò tandem confluente aquarum copiâ augetur Hydrops, tunc etiam Febris lenta gliscere, atque paulatim Miseras ad mortem deducere incipit; symptomatibus nimirum sensim accedentibus, quibus Ascitici aliâs obnoxii esse solent. Distinguitur dein *Hydrops Uteri* à *Molâ* per solum hujus pondus: nec non ab *Inflatione*, Uteri pondere & sonitu, cum dolore tensivo; ab Ascite, etiam, quòd in hoc ipsius Abdominis integumenta molli simul tumore afflicta sint.

Prognosis. In *Prognosi Hydrops Ovarii* summè periculosus, imò incurabilis est dicendus. *Uteri* autem *Hydrops* sæpiusculè sanatur, præprimis si nulla glandularum internarum corruptio, sideratio, vel scirrhosa intumescentia adfuerit. Sæpè Hydrops Uteri Fœtum simul præsentem vel enecat prorsus, vel debilem valdè reddit, minusque vividum ac vegetum.

Curatio. *Curatio* Hydropis Uteri vel Ovarii instituitur ad eum prorsus modum, quo Ascitis curationem suscipi debere diximus. Nimirum *purgandum* corpus probè; *diuretica*, inprimis *martialia*, intus exhibenda. Extus verò in Uterum *Aqua calcis* cum incoctione *plantarum diureticarum* siphonis ope injicienda calidiusculè. Vel *Pessaria* purgantia ex *Melle rosaceo*, cum *Colocynthide* &c intrudenda. *Vomitorium* etiam exhibitum subinde prodest; non secus atque *sternutatoria*, & *Clysmata alvina*. Tandem miscenda quoque sunt fortia *emmenagoga* ex *Sabinâ* aliisque, ni Fœtus præsens obstiterit. *Sabina* autem pulverisata simul pessaria ingredi potest. Imò *Fœtus* sive *Vapor* ex *decocto aperientium* & *diureticorum* admissus sæpè prodest, aquasque educit. Sunt quoque Fœminæ, quæ *lateritium lapidem igniunt*, ejusque *Vino* conspersi vaporem calentem ad Pudenda admittunt sæpius. *Diæta* quemadmodum in Ascite institui ac ab Ægrotante diligenter observari debet.

Hydrocephalus. HYDROPS CAPITIS, sive HYDROCEPHALUS est Tumor capitis, ejusque præcipuè partis, quâ cranium comprehenditur, oedematosus, à Lymphâ ibidem stagnante, vel etiam extravasatâ, ac super membra-

membranas effusâ exortus. Afficitur ergo heic Capitis pars ſuperior, nunc ſupra nunc infra Cranium.

Gignitur morbus, quandocunque Lympha viſcida lenta in tubulis lymphaticis integumentorum capitis ſtagnat, vel etiam ex iisdem nimiâ expanſione ruptis inter membranas colligitur, ita quidem copiosè, ut ad ſenſum externum occurrat, manifeſteque videri poſſit, niſi ipſi humeres ſeroſi ſubter Cranium collecti fuerint, quoniam tunc morbus non ita in Visûs ſenſum incurrit. Ut autem Lympha talis in parte affectâ colligi ſtagnareque poſſit, neceſſe eſt, ut materia ejusdem ex primis digeſtionum viis ſub formâ Chyli crudioris & aquoſo-pituitoſi ſanguini ſubminiſtretur: requiritur etiam, ut Lympha illa Sale acido-fixo, minus tamen acri ſit prædita; requiritur porrò, ut tubuli Capitis lymphatici è poris quidem Glandularum ejusmodi humorem admittant, ſed tamen propter anguſtiam ſuam, atque irreguralem dicti modò humoris particularum figuram, tenacitatem, atque ſpiſſitudinem indebitam non transmittant, verùm intra ſeſe retineant; usque adeo ut accedentibus novis jugiter particulis lympha magis ac magis cumuletur, ſicque plurima vaſcula nimis diſtendendo partem in Tumorem attollat. Idem contingere ſolet, ſicubi lymphatica quædam rumpantur vaſcula; qui enim ex illis dein effluit humor, non poteſt non auctâ ſui quantitate membranas ab invicem diſterminare, ſicque Tumorem efficere. Sed non rarò heic ſimul præternaturalis quædam angu[illegible]à ctiſpante quodam ſale auſtero permea[illegible] ſive ab externis injuriis frigidi aëris, rerum[illegible]e aliarum exorta, ſtagnationi Lymphæ, [illegible] ſubſequenti Hydrocephalo anſam præbere valet. Obnoxii ſunt huic morbo plerunque Pueri, quibus ſerum ſanguinis admodum viſcidum, lentum, ac ad motum valde ineptum contigit, proindeque intra tubulos tunicarum Capitis facilè conſiſtere poteſt: vel quibus Caput à violento partu nimis compreſſum aut intortum eſt. Pro diverſo autem ſtagnationis ſeri loco triplicem Auctores faciunt Morbi differentiam, quarum *prima* eſt, quando ſerum inter Cutim & Pericranium accumulatur: *ſecunda*, quando illud colligitur inter Pericranium & Cranium: & *tertia*, quando colligitur inter Meningem duram & Cranium ipſum, ita ut ſuturæ Cranii hinc divellantur.

Cognoſcitur *prima* Morbi *ſpecies* *Diagnoſis.* ex Tumore capillatam capitis partem undique æqualiter occupante, & extus facilè comparente, eoque molli, indolente, in quo veſtigia impreſſorum digitorum facilè & aliquandiu manent, non ſecus ac in pedibus œdematoſis. *Secunda* ſpecies cognoſcitur ex Tumore ſimili, ſed magis tamen renitente, & ob pericranium diſtenſum magnopere dolente, cum lentæ ſimul Febris junctæ ſymptomatibus. *Tertiæ* ſpeciei ſigna ſunt Tumor capitis manifeſtus, ſed ubi extus cutis firma nec ita craſſa, cranio ſuperjacens deprehenditur; in loco ſuturarum autem cranium divul-

sum notatur, non sine dolore plus minus gravi, & obtuso, cum perpetuâ ferè somnolentiâ, & oculorum illacrymatione. Communia omnibus signa sunt cachecticus s. pallidus lividusve totius corporis, maximè autem Faciei color, lassitudo, sensuum torpor aliqualis, somnolentia frequens, appetitus imminutus, urinæ utplurimum parciores, & nunc lixiviosæ, nunc crudæ crassæque; macies corporis lenta.

Prognosis. In *Prognosi* hic Affectus, qualitercumque contigerit, periculosus est censendus, imò lethalis simpliciter *ille*, qui subter cranium existit, utpote apoplectico plerunque somno Hominem interimens. *Secunda* etiam *species* ob nimium dolorem distenti Pericranii convulsiones post se facilè trahit mortiferas. Qui autem extra Pericranium Cutis membranas, glandulas atque poros occupavit, sanitatem faciliorem promittit.

Curatio. In *Curatione* ad id inprimis est attendendum, ut seri copia imminuatur, & quicquid hinc inde stagnavit, incidentibus ac volatilisantibus corrigatur. Quibus indicationibus si quis satisfacere cupiat, primo omnium ad blennam in primis viis hærentem exterminandam *Syrupum* quendam *laxantem* exhibebit, vel aliud *purgans lene* cum *Mercurio dulci sexies sublimato*. Prosunt in hunc finem *Syrup. flor. Persic. Syrup. de Cichor. cum Rhab. Syr. de Spinâ Cervin.* Vel *Infus. Fol. Senn.* cum *Rhab. Semin. Dauc.* ac *Fœnicul.* Addendo *Syrupum* quendam *antiscorbuticum* sive *sceletyrbicum*. *Trochisci Hermetici* quoque non contemnendi: imò *Radix Jalapp. Scammon. ♀rat.* cum ♁ *n. diaph. Ocul. ♋. Sale Genist.* & *Mercur. dulc.* apprimè conducunt. Pro Puero decem annorum v. gr.

℞. *Syrup. Ros. solut. comp. cum R. A. S.* ℥iß.
Aqu. Gramin. Urtic. ana. ℥ß.
Cinam. bugloß. ℨj.
Elect. è Succ. Rosar. ℈ij. *ad* ℨj.
M. f. Potio detur ad Vitrum pro dosi matutinâ.

Vel ℞. *Diacydon. lucid.* ℨij. *ad* ℨiij.
Aqu. Ononid.
Scabios. ana. q. s.
M. f. Potiuncula, d. ad Vitr. pro dosi.

Vel ℞. *Syrup. flor. Persic.*
de Cich. cum Rhab. ana. ℨvj.
Conf. Hamech. ℨj.
Aqu. Plantag. ℨvj.
Fœnic. ℨij
M. f. Potio d. ad Vitr. pro dosi mane jejuno Stomacho propinandâ.

Vel ℞. *Radic. Scorzoner. Carlin. ana.* ℨij.
Rhab. elect. ℨj.
Fol. Senn. opt. mund. ℨij.
Semin. Fœnic. Dauc.
Cinam. el. ana. ℈ij.
Crem. ♀ri vel
⊖is essential. Card. bened. ℨß.
Incisis, contus. atque in nodulo ligatis affunde Aqu. fontan. vel Gramin. q. s. Stent per noctem in loco calido, sequenti mane bulliant parum, hinc Colaturæ ℥ij. *adde*
Syrup. sceletyrbic.
flor. Persic. ana. ℨiij.
M. f.

M. f. Potio pro dosi matutinâ.

Qui Pulverum formam præferunt, sequentes vel similes assumere poterunt decem vel duodecim annorum Pueri:

℞. *Radic. Jalapp.*
Mercur. dulc. sexies sublim. *ana.* ℈ß.
Scammon. ♁*rat.*
Crem. ♀*ri ana. gr.* iij.
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi.

Vel ℞. *Panacææ solutiv. alcalin.* ℨß. *ad* ℨvj.
Scammon. ♁*rat. gr.* vj.
M. f. Pulv. subt. div. in 6. dos. æqu. ad ch. quotidie mane dosis cum tenui Amygdalarum dulcium Emulsione capiatur.

Vel ℞. *Radic. Jalapp.*
Crem. ♀*ri. ana.* ℈ß.
Cinnab. ♁*n. rectif. gr.* iiij.
Diagrydii gr. ij.
Ol. stillat. Fœnic. gutt. j.
M. f. Pulv. subt. d. ad ch. capiatur unâ dosi.

Vel ℞. ♁*n. diaph. vel*
Bezoard. min.
Ebor. s. ign. ppt. ana. gr. vj.
Rad. Jalapp. ℈ß.
Crem. ♀*ri. gr.* iiij.
Scamm. ♁*r. gr.* ij. *vel* iij.
M. f. Pulv. subt. detur pro dosi.

Forma *Emulsionis* subinde placet.

℞. *Resinæ Jalapp. vel*
Scammon. gr. v.
Contusis cum duabus vel tribus Amygdalis dulcibus excorticatis, vel Nucleis Persicorum affunde
Aquæ flor. Acac.
Sambuc. ana. ℥ß.
F. Emulsio, cui adde
Syrup. Capill. veneris ℨij.
vel si rubram Potiunculam malis
Syrup. fl. Papar. rh. aut Tunic. ℨij.
Detur ad Vitrum pro Dosi.

Vel ℞. *Magist. Jalapp. aut*
Scammon. gr. iv. *ad* vj.
Spirit. Anis. vel Anth. ʒß. *ad* ℈ij.
Solutis leni igne adde
Julep. rosac. vel Syrup. fl. Tunic. ℨj.
Detur ad Vitrum pro Dosi.

Morsulorum formula aliquando commodior est pro Pueris, adeoque præscribi potest v. gr. sequ.

℞. *Pulv. radic. Jalapp.* ℈ij.
Crem. ♀*ri.*
♁*n. diaphor. ana.* ʒß.
Cinam. elect.
Conf. Alk. inc. ana. gr. vj.
Resin. Scammon. ℈j.
Sacchar. albiss. Aqu. Ros. solut. ℥j.
M. f. Confectio in Morsulis conspergendis, dum effunduntur, Succo oleoso Cortic. Citri. Dosis est à ʒj. *ad* ℈iiij. *vel* ʒiß.

Qui minore vel majore, quàm duodecim annorum sunt ætate, apud eos dosis talium purgantium augeri aut minui poterit.

Præmisso autem *laxante*, m. ac v. imò & noctu *Pulvis* aliquis *resolvens* ac *diaphoretico-diureticus* præberi debet, compositus v. g. ex *Radicib. Ireos florent. Sigill. Salomon. Aronis, Chelidoniæ major. Aristol. rot. ver. Cinamom. Cubeb. Semin. Fœnicul. Dauc.*

Cretic. Diaph. ♂ *ial.* vel ♃ *vial.* ♁ *n. diaph. Unicorn. marin. ppt. Rasur. Ebor. Ocul.* ♋. *ppt. Sale volat. oleos.* quocunque, *Sale Ononid. Genist. &c.* cum *Sacch. cand. alb.* Formulæ esse possunt seqq.

℞ *Radic. Ireos florent.*
Chelidon. maj. ana. ʒj.
Ebor. s. ign. par.
Ocul. ♋. *ppt. ana.* ʒij.
Semin. Milii Sol. ℈iiij.
⊖*is Ononid. vel*
Artemis. ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥ij.

M. f. Pulvis subt. d. ad ch. Dosis ʒß. *vel* ℈ij. *mane ac vesperi horâ unâ ante pastum.*

Vel ℞. *Rad. Vincetox. Cichor. ana.* ℈iiij.
Sigill. Salom. ℈ij.
Cyperi, Galang. ana. ℈j.
Semin. Fœnic. Dauc. ana. ʒj.
Diaph. ♂ *ial. vel* ♃ *vial.* ℈ij.
C. C. phil. ppt. ʒij.
Sacchar. ros. ℥ij.

M. f. Pulv. subt. d. ad Scat. Dos. ʒj. *man. ac vesper.*

Vel ℞. ♁ *n. diaph.*
Unic. mar. ppt. ana. ʒiiß.
Cochlearum cum Testis calcin.
Chelar. ♋. *ppt. âna.* ʒiß.
Semin. Thlasp.
Nasturt.
Anis.
⊖*is volat. Succin. ana.* ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f Pulv. subt. d. ad Scatul. Dosis ℈ij. *ad* ʒj. *m. ac v. cum Aquâ flor. Sambuc. aut. Saxifragiæ.*

Vel ℞. *Tinct.* ♁ *nii.*
♂ *tis aperit. ana.* ʒij.

M. detur ad Vitr. Dosis m. ac v. 30. *guttæ cum Decocto Gran. Coffée tostor.*

Vel ℞. *Salis vol. oleos. aut*
Spir. Salis armon. ana. ʒiij.

Detur ad Vitr. Dosis 20. *ad* 30. *gutt. m. ac vesp. cum Aquâ Gramin.*

Vel ℞. *Tinctur.* ♂ *tis helleborat. Wedel vel Cœruleæ Ettner.* ℥ß.

Detur ad Vitr. Dosis 20. *ad* 25. *gutt. m. ac v. cum Aqu. Ononid. Fragor. aut Nasturt.*

Vel ℞. *Spirit.* ⊖*is* ♀*ri volat. vel*
C. C. succin. ʒiij.

M. Detur ad Vitr. Dosis ut supra.

Vel ℞. *Aqu. Nasturt. Petroselin.*
fl. Sambuc. Fragor. ana.
℔.ij.
Roob Juniper. Samb. ana. ʒiij.
Tinctur. ♀*ri.* ℥ß.

Misc. detur ad Vitr. singulis trihoriis vel quadrihoriis haustus unciarum duarum aut trium propinetur.

Vel ℞. *Radic. Onon. Virg. aureæ,* vel
Saxifrag. Urtic. Ebul.
Taraxac. ana. ʒiij.
Herb. Anserin.
Hepat. nob.
Chamædr.
Flor. Calendul.
Genist. ana. Mß.
Baccar. Juniper.
Alkekengi ana. ʒij.
Cortic. Lign. Guajac.
Rasur. Lign. Sassafr. ana. ℥ß.
Semin. Fœnic. ʒiß.

Incis. & contus. coque parum in Aquæ font. q. s. Colaturæ ℔. vj. *vel* viij. *dentur ad Ampullas vitreas, sensim hauriendæ.*

Vel ℞. *Panac. solut. alcalin.* ℥iß.

Pul-

Pulverisat. à divid. in 12. partes æqual. ad ch. man. ac vesp. capiatur dosis.

Post singulos quindecim dies *laxans* repetatur, ita ut, quod interea temporis ex illo sero stagnante resolutum erit, ac in Massam sanguineam resusceptum, per alvum depurgetur. Loco *pulverum* prosunt subinde *Liquores volatil.* ac *diuretici*, quales sunt *Liqu. C. C. succinatus*, *Spirit. Salis armon. anisat. Tinctura ♂t. aperit. Spirit. ⊖is ♀ri volatilis*, ac similia, quorum portio cum *Aquis destillatis* ac *Syrupo* conveniente, *aperiente* nimirum, diluta per cochlearia m. ac v. propinari poterit.

Externè fasciæ ac vittæ, quibus caput Pueri involvitur, *pulvere* aliquo *fumali* accenso suffumigetur, parato ex *Mastiche*, *Succino*, *Floribus Sambuc. Herb. Menth. Melis. Solan. Semin. Aneth. Petroselin. Carv. Rasur. Lign. juniperin.* &c.

℞. *Radic. Cyper.* ʒiß.
Angel. ʒij.
Ras. Lign. Junip.
Fol. Menth.
Meliß.
Puleg.
Artemis. ana. Mj.
Flor. Chamom.
Sambuc. ana. Mß.
Storac. calam. ℥ß.
Benzoin. ʒj.
Mast. el. ℥j.
Thur. ℥ß.
M. f. Pulvis groß. d. ad Scatulum.

Si serum sit stagnans extra Cranium, *Vesicatoria* Nuchæ applicata reliquis palmam præripiunt. Quum autem aqua inter Meninges & Cranium collecta est, *Setaceum* cum fructu statim in Cervice applicabitur. Si tandem Aquæ hæreant inter Meninges & Cerebri substantiam, malum est prorsus immedicabile.

Aliàs Capiti quoque *Spiritus vini camphoratus*, quartâ parte *Aqu. Scabios.* & *Aqu. Calc. vivæ* dilutus, calidè cum linteis sæpè applicatur. His verò nil proficientibus *Cauterium* bregmati inurunt. Sunt qui *Sectionem* vel *Incisionem* tentant, sed cùm per ejusmodi operationem malum vel deterius reddatur, vel raro admodum curetur, tutius omnino intermittitur. Fortè *Emplastrum de Ranis Vigon. cum Mercur.* vel *Emplastrum de Cicutâ*, *de Betonicâ*, *diachalciteos*, *de Baccis Lauri*, &c. cum *Calce vivâ pulverisatâ*, & simil. mixtum ac impositum præstat.

In *Diætâ* aër frigido-humidus est vitandus, si frigeant aliâs membra exteriora. Cibi boni ac laudabilis succi, eupepti, concedendi. A quiete somnoque nimiis sibi cavendum. *Errhina* medicamina naribus m. ac v. diligenter attrahenda, v. gr.

℞. *Folior. Betonic. Salv.*
Meliß. Majoran. ana. Mß.
Semin. Fœnic. Dauc.
Nigell. ana. ℥ß.

Incisa coqu. in s. q. Aquæ fontan. Colaturæ ℔. 1. *adde Succi è foliis Betæ recenter expressi ac filtrati* ℥iiij. *Detur ad Vitrum, ac sæpè aliquid naribus attrahendum offeratur.*

Alvus quotidie ſit aperta, ſive naturâ, ſive arte per *Suppoſitoria*, *Clyſmata*, aut laxantes cibos. Animi pathemata fugienda. *Laconica* per aliquot dies viſitari tandem poſſunt, non ſine ſucceſſu Sudoris.

Hypercatharſis. HYPERCATHARSIS, SVPERPVRGATIO, eſt vehemens admodum creberque Alvi fluxus, utplurimum cum ſanguine miſtus, ab eroſione fibrarum & glandularum inteſtinalium per aſſumtum Purgans nimis forte oriundus.

Cauſa. Malo huic obnoxii ſunt illi maximè, qui vel tenerâ fibrarum ſtomachicarum texturâ gaudentes, vel utcunque firmiore præditi, catharticum nimis vehemens aſſumſerunt, quemadmodum v. g. ſunt *Purgantia* admodum *acria* & *reſinoſa*, *Scammonii* vel *Jalappæ reſina*, *Colocynthidis* vel *Trochiſcorum Alhandali Extractum*, *Helleborus niger* vel *albus*, *Turbith*, *Hermodactyli radix*, *Tabulæ* vel *Trochiſci ſtibiati*, & ſimilia grandiore doſi exhibita, quæque adeo non tantùm vi ſuâ ſalino-detergente mucum Ventriculi & Inteſtinorum abradunt, ſed & reſinoſis particulis ſeſe affigendo fibrillis glanduloſis aliisve, tandem vaſcula corrodunt, ſicque unâ cum ſero copioſo ſimul extravaſatum ſanguinem exhibent, idque non ſine frequentibus & acerbis Ventris torminibus, aut etiam Teneſmo alvi. Cumque talia corpuſcula ſalino-purgantia, ſimul maſſam humoralem ſubingreſſa, laticem ſeroſum fundunt, atque hic deinceps per irritatas Inteſtinorum glandulas copioſius effluit, tum ſerum quoque exhibet largius per alvum fluens.

Diagnoſis. *Cognoſcitur* malum per ſe, verùm notandum, quòd Hypercatharſis ſæpè fiat cum Inflammatione tunicarum inteſtinalium, adeoque cum Febre continuâ, ſiti, anorexiâ, inquietudine, vigiliis, ſimilibuſque aliis ſymptomatibus; quodque eapropter non raró Gangræna & Sphacelus Inteſtinorum lethalis ſubſequi poſſit, perinde ac ſi Venenum ſumtum fuiſſet. Quid enim aliud vehementia purgantia, largiore doſi data, ſunt quàm veriſſima corroſiva, adeoque Venena.

Prognoſis. Inprimis Superpurgatio *funeſta* eſt dicenda, ſi ſupradictis ſymptomatibus ſimul accedat ſudor frigidus frontem, naſum, imò membra externa prehendens, cum magnâ laſſitudine.

Curatio. In *Curatione* hujus Mali ſtatim ea remedia ſunt exhibenda, quæ ſpicula purgantis aſſumti eluere, abſorbere, ac deſtruere, Inflammationemque Inteſtinorum diſſipare valent. Itaque vel *Oleum Olivarum optimum*, aut *Amygd. dulc. rec. expr.* ad plures ſtatim uncias propinandum; vel *Lactis vaccini* athleticus mox hauſtus concedendus venit; vel *Emulſionem* ſtatim his Indicationibus ſatisfacientem præſcribere oportet, v. g.

℞. *Amygd. dulc. rec. excort.* ℥j.
Semin. 4. frigid. maj. ana. ʒiij.
Card. bened. ʒiiß.
Decoct. Hordei ℥xiv.
Aqu. Brunell. ℥viij.
F. l. a.

F. l. a. Emulsio, cui adde
Syrup. Capill. ♀r. ℥iv.
Unic. fossil. ℥ß.
M. d. ad Vitr. singulis trihoriis ℥iij. *bibantur.*

Vel ℞. *Amygd. dulc. rec. exc.* ℥j.
Semin. Cucum. ℥ß.
Aqu. Plantag.
Malv.
Succis. ana. ℥iiij.
F. l. a. Emulsio, cui adde Julep. Rosac. ℥j. *Detur ad Vitrum, & aliquot dosibus spatio* 12. *horarum capiatur.*

Antequam verò talis *Emulsio* parata sit, *Theriacæ* vel *Mithridat.* vel *Elect. diasc. Fracastor.* ʒj. statim exhibebitur deglutienda Adulto vel priùs cum *Aqu. Plantag.* miscenda. Præscribi etiam poterit sequens *Opiata* :

℞. *Conserv. Ros. rubr.* ⊖*l.* ʒvj.
Flor. Tunic.
Fumar. ana. ℥ß.
Conditur. Nuc. Indic.
Corall. rubr. ppt.
Bol. Arm. ppt.
♁*n. diaph. ana.* ʒj.
Laud. opiat. gr. vj.
Syrup. Capill. ♀*r. q. s.*
M. f. Elect. d. ad Oll. Sumatur singulis bihoriis magnitudo nucistæ.

Si respuat Æger *Opiatam*, seq. *Pulveris* dosis bis vel ter quotidie dabitur.

℞. *Unic. fossil.* ʒiß.
♁*n. diaph.*
Terr. sigill. ana. ʒß.
Corall. rubr. ppt.
Lapid. Hæm. ppt. ana. gr. xv.
Laud. opiat. gr. iij.
Sacch. cand. alb. ʒj.
M. f. Pulv. subt. in 6. *dos. æqu. div. ad ch. Singulis sex horis dosis exhibebitur cum Emulsione.*

Si quis *Pilulas* desideret, præscribi possunt seqq. Adulto:

℞. *Extract. Torment.*
Theriac. cœlest. ana. gr. iv.
Cum Essent. Myrrh. f. l. a. Pil. no. vij. *Dentur pro dosi, semel quotidie repetendâ, usque dum Hypercatharsis cessaverit.*

Extus *Emplastr. de Crustâ panis*, vel *Stomachicum Norimbergense* regioni Ventriculi, imò & circà Vmbilicum imponatur : vel seqq. *Cataplasma* applicetur:

℞. *Pomum Cydon. in frusta sectum.*
Crustam Panis tostam ac pulveris.
Coque invicem in Vino rubro ad consistentiam Cremoris, adde hinc.
Pulv. Nuc. mosch. ʒiß.
Mastich.
Myrrh. ana. ʒj.
Cinnamom. ℈ij.
Garyophyll. arom. ℈j.
Ferment. Panis. ℥j.
Misce cum Vino rubro ad Consistentiam Cataplasmatis & calidè applica, per vices iterandum.

Potest & Abdomen *Oleo Anethi, Absynth. Cydon. Myrrh. Mastich Myrtin. Chamomill. Nucist. expr. Oleo dest. Macis, Fœnic. Carvi, Cumin*, &c. interdum calidè inungi.

Versetur interim Æger in Lecto, aërem qualemcunque frigidum vitet. Ab acidis, salitis nimius abstineat. Juscula *farinacea, hordeacea*, &c. sæpè assumat, imò *Lac bubulum*, *Saccharo* non-

noñihil edulcoratum affatim cum fructu hauritur ſtatim poſt aſſumti medicaminis vires nimias ; vel *Oleum Olivarum*, aut *Amygd. dulc.* ad plures uncias deglutiri ſolet. Pro potu ordinario bibat *Decoctum Radic. Biſtort. C. Cerv.* vel *Eboris uſti*, *Lign. Saſſaphr. Herb. Sanic. Agrimon. Pyrol.* cum Decocto etiam hoc *Folior. Thée* infuſum ſubinde bibatur. Si Febris nulla adſit, tum *Vino rubro veteri* immerge *fruſtum Panis toſtum*, miſce ſimul *pulveriſatam Nucem moſchatam* cum *Saccharo* ; & cochleatim exhibe. Ab irâ & terrore cavendum.

HYPOCHONDRIACA PASSIO vel AFFECTIO, vid. *Affectio hypochondriaca*.

HYPOPYON, vid. *Corneæ Abſceſſus*.

HYPOSPAGMA, vid. *Sugillatio*.

HYSTERICA PASSIO, vid. *Matricis ſuffocatio*.

FINIS
PARTIS PRIORIS
THEATRI
PRAXEOS MEDICÆ.



12



